2.7 349

Digitized by Google

RABBI
DAVIDIS KIMHHI
COMMENTARII
IN PSALMOS DAVIDIS
REGIS ET PROPHETÆ.

EX HEBRÆO LATINE REDDITI

A DOMNO AMBROSIO IANVIER
Congregationis S. Mauri Monacho Benedictino.

PARISIIS,
Apud LVD. BILLAINE, in Palatio Regio.

M. DC. LXVI.
Cum Priuilegio & Superiorum licentia.

LIBER PRIMVS.

PSALMVS PRIMVS.

BEATITVDINES viri illius (ſunt) qui
non ambulauit in conſilio improborum,
& in via peccatorum non ſtetit; & in
conſeſſu deriſorum non ſedit.
2. Sed in lege Domini voluntas eius,
& in lege eius meditabitur die ac nocte.
3. Et erit ſicut arbor plantata iuxta riuos aquarum, quæ
fructum ſuum dabit in tempore ſuo; & folium eius non de-
fluet: & omne quod faciet proſperabitur.
4. Non ſic improbi (erunt) ſed tanquam gluma quam
disjicit ventus.
5. Ideò non reſurgent improbi in iudicio; neque pec-
catores in cœtu iuſtorum.
6. Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum: via au-
tem improborum peribit.

Psal. 1. V. 1 BEatitudines viri illius [illegible]. Dictio אשרי *aſchri* ſemper eſt plu-
ralis numeri: cuius hæc ratio & ſenſus eſt, quod non ſoleant homi-
nes aliquem prædicare beatum ob vnicum bonum quod in illo reperietur, aut
propter vnam felicitatem quæ illi continget; ſed ob multa bona quæ in eo
deprehendent, dicent de ipſo אשריו *aſchrau*, beatitudines eius ſunt. In iſto
autem Pſalmo complectitur Dauid inſtitutionem hominis, quidque ipſum fa-
cere deceat in præſenti vita, & præmium quod iuſtos, & pœnam quæ impios
manet. Eſtque hic Pſalmus inſignis admodum, quapropter ab ipſo Librum
eſt auſpicatus. Et quidem quod dicit, *Qui non ambulauit in conſilio*, enarrat
Pſal 34. primò viam malam, vt & in alio loco dicit, *Declina à malo & fac bonum*:
17. Primum enim omnium addiſcit homo viam concupiſcentiæ huius vitæ, nem-
Geneſ. pe edere, bibere & lætari, in quibus etiam adoleſcit, ſicut Scriptura dicit: *Sen-*
8. 21 *ſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.*
Cùm itaque homo, eò ætatis & ſenſus peruenit, vt incipiat ex ſeipſo diſcer-
nere bonum & malum, vt dicitur communiter: tum etiam admonet eum
Dauid vt recedat à viâ improborum, neque ambulet in conſilio eorum. Por-
rò iſti הרשעים *hareſcha im*, improbi ſeu ſcelerati ſunt habendi, qui ſummo
æſtuant deſiderio diuitias comparandi, & quorum cordis cupiditas omnis ad
præſens duntaxat ſæculum fertur, nec bonum inter & malum diiudicant; ſed
prædantur, furantur & interficiunt parandæ pecuniæ causâ, præ irrequieta
cordis ſui auiditate: Dictio enim רשע, *reſchaa*, anxietatem ſignificat, vt
patet ex hoc loco: *Ipſo enim concedente pacem, quis eſt qui conturbet*: & ex
Iob. 34 illo: *Quocumque ſe vertebat, turbabat* Item, *& neque ſaluabit inquietudo poſ-*
1. *ſeſſores ſuos*. Et, *Ne inquietus ſis nimis*. Atque eâ de causâ coniunxit verbum
Sam. 14 הלך *halach*, ambulauit, cum רשעים *reſchaim*, improbis: Quibus etiam
Eccleſ. conſilium attribuit, eò quòd ipſi ſedentes aliis hominibus conſulunt vt ſe au-
8 8. diant, & oſtendunt eis per modum conſilij, quòd bonum ſit corradere & con-
Ibid. gregare diuitias, genióque indulgere. Vnde & homo ſæpe ita ſeductus errat
in hoc ipſo, cum res illa recta ipſi appareat extrinſecus tantùm [illegible], n[illegible]
attentè ſatis quid illam conſecutarum ſit, conſiderat. Deinde ſequitur: *Et in vi[a]*
peccatorum non ſtetit: quia nimirum homo peccatum committit ſtans in loco
ſuo quietus, opere ſcilicet, ſermone & corde. Cæterum vox דרך *derech*, via,
hoc in loco non ſignificat viam quà pedibus itur, ſed conuerſationem & oc-
cupationem hominis, eiúſque opera: ſicut ſumenda eſt in iſtis locis: *Et oſtendes*
eis viam per quam ambulēt. Et, *Apprehendet iuſtus viam ſuam*. Et, *Ne facias vias*
Exod. *tuas*. Et, *Vias meas enunciaui*. Similiter & in aliis locis. Eſt ergo ſenſus horum
18 verborum, *non ſtetit*, non moram fecit, nec cum eis peccatoribus operam &
Iob. 17 occupationem coniunxit, nec in eorum ſocietate conſtitit, ne videlicet eo-
Iſai. 8. rum addiſceret opera. Additur, *Et in conſeſſu deriſorum non ſedit*. Sunt autem
Pſal 119 deriſores, aſtuti & docti ad malum, arrogantes, quique mala aduersùs alios
homines loquuntur, & probris ac conuiciis eos aſpergunt, reuelantes ſecreta
aliûs alij. Hoc autem conuenit in homines inertes, otioſos, ſedentes in
plateārum

plateatum angelis: atque eam ob cauſam dixit Dauid: *Et in conſeſſu deriſorum non ſtetit.* Ecce autem in tribus iſtis verbis omnes omnino hominis ſitus & diſpoſitiones continentur; aut enim ambulat, aut ſtat, aut ſedet: cubatio enim ſub ſeſſione comprehenditur; quia etiam cubatio fit vt plurimùm ad ſomnum capiendum: adde quòd cùm dormit homo, nec bonum operatur aut malum. Cùm ergo dicit, *Beatus vir qui non ambulauit, &c.* admonet eum vt non faciat ſecundùm opera eorum: & propterea beatum prædicat eum hominem qui ab eorum viis recedit, ſicque ab eorum operibus ſeparatur. Magiſtri noſtri fauſtæ recordationis, qui locum hunc expoſuerunt, ita de illo inquirunt: Quandoquidem aliquis renuit ambulare, quomodò ſtetit? & cùm non ſteterit, quomodò dici poteſt ſediſſe? Sed iſti objectioni ſic tibi reſpondendum eſt, quòd ſi homo aliquis in conſilio improborum ambulet, fore tandem vt ſtet in via peccatorum; atque ſi in ea ſteterit, fore vt ſedeat in conſeſſu deriſorum, & ſi ſedeat, ſequi tandem inde vt & derideat; ſi autem deriſor fiat, de eo Scriptura pronuntiat: *Si autem deriſor fueris, ſolus portabis malum.* Pſal. 1. Prou. 9.

V. 2. *Sed in lege Domini voluntas eius, &c.*] Hic vult dicere, ſi recedit a via mala, needum tamen facit bonum, ecce nondum perfecta facit opera ſua, nec ab hominibus prædicabitur beatus, quia dicitur ita alio in loco, *Declina à malo & fac bonum.* Huc etiam ſpectant Magiſtri noſtri, piæ memoriæ, cùm ita loquuntur: Qui ſedet & non facit tranſgreſſionem, huic merces deputari ſolet, quaſi præceptum adimpleſſet. Eodem ſenſu iidem illud intelligunt de eo cui occaſio peccandi ad manum venit, a qua tamen fuit liberatus, eò quòd ſcriptum ſit: *Diuerte a malo & fac bonum*, hoc eſt: Declina à malo ea conditione vt facias bonum. Ipſe Dauid alibi dicit: *Etiam qui non operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.* Ipſi præterea Magiſtri noſtri eum qui prauam concupiſcentiam refrænat, eodem loco habent ac ſi præceptum impleuiſſet, poſteaquam peccandi occaſio ipſi ad manum venit: atque hoc ipſum innui à Dauide, cùm ſuprà dicit: *Etiam qui non operati ſunt iniquitatem, &c.* Vt ſenſus ſit, cùm iniquitatem non fecerint, neceſſe eſt vt ambulent in viis eius, ſicque bonis operibus ſtudeant. Idem ſentit hic Dauid: *Beatus vir qui non ambulauit, &c.* Quid autem ſit ipſi faciendum, ſubiungit: *Sed in lege Domini voluntas eius.* Porro dictio חפץ, *hhefets*, voluntas ſiue ſtudium, includit diſciplinam & opus ipſum, vt accipitur in iſto Iſaiæ loco: *Non facias voluntatem tuam.* Nec etiam opus rectè fieri ſolet, niſi adiunctam habeat doctrinam. *Et in lege eius*: Eadem verba repetit ex more Linguæ Sanctæ: ſimili etiam modo bis conſequenter repetitur dictio *Noahh*, *Noahh*, in eodem verſu; bis etiam repetitur vox Iſraël in vno verſu: quod & in aliis adhuc locis non raro contingit. Eſt enim mos Linguæ Hebraïcæ, quod elegantiæ cauſa fieri dicitur. Cæterùm Magiſtri noſtri, fauſtæ recordationis, hunc locum ſic ediſſerunt: Principio quidem, inquiunt, vocatur Lex Domini, at vbi tandem in ea addiſcenda corroboratus eſt ac profecit, iam Lex eius facta eſt, & vocatur nomine ipſius תורתו, *thoratho*, hoc eſt, Lex illius. Significatio etiam vocis יהגה, *iehgue*, meditabitur, cordis actionem notat, quaſi diceret, iugi mentis ſolicitudine conſiderabit; quà notatione accipitur

Pſal. 34. Pſal. 119. Iſa. 58. Gen. 6.

Psal. 1. & infra, *Et meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper*, iam enim antea meminerat diſciplinæ & operis, quare nunc tantùm meminit intentionis cordis,
Psal. 19. & cogitationis illius, quæ die noctéque debet eſſe de Lege & Præceptis Dei, qui propterea mandauit vt de illis Lege & Præceptis, in omni opere quod fit: haberetur ratio, ſicut etiam dixerunt Sapientes : [a] Omnia opera tua fiant propter cælum. Illa porro verba, *Meditabitur die ac nocte*, ſic volunt accipi:
Deut. 6. Studio Legis vacabit diu noctuque. Quòd ſi dicant aliqui : Quomodò fieri poteſt, vt quis dies noctéſque inſumat in Legis meditatione : Quo modo, & quo tempore, opera ſua & artes exercere poterit ? Sed dicendum eſt, quòd quiſquis obſeruat mandatum de applicandis [b] Oratoriis, hunc Scriptura tantùm attribuit, ac ſi dies noctéſque diuinæ Legi diſcendæ impenderet. Imò quidam ex illis Magiſtris hoc de illo aſſerunt qui legit lectionem, *Audi*, matutini & veſpertini. Sed nos ſimplicem ſenſum & literalem proſequimur, ſecundùm quem ſi verbum יהגה, *iehgue*, meditabitur, pro diſcendi ſtudio accipimus; ſenſus horum verborum, *die ac nocte*, talis erit, ac ſi diceretur : Omni temporis ſpatio quo liber erit à negotiis & curis domeſticis, lectioni dabit operam, ſiue id otij nanciſcatur per diem ſiue per noctem.

V. 3. *Et erit ſicut arbor plantata*, &c.] Hominem probum aſſimilat arbori quæ plantata eſt iuxta riuos aquarum, dicitque de illo homine qui recedit à malo & facit bonum, quòd ſit inſtar arboris plantatæ iuxta fluenta aquarũ, quæ continuo vigore abundat; ſic ille ſemper eſt ſua ſorte contentus, ſiue parum ſiue multum habeat vnde viuat. Per hæc autem verba, *iuxta riuos aquarum*, eiuſmodi aquæ ſignificantur, quarum vnus riuus ex vna parte & alter ex altera parte decurrat; & quæ ſubter illã diffluant ſic vt arbor ipſa perpetuò ſecus ipſas ſit poſita, *quæ fructum ſuum dabit in tempore ſuo*: arbor enim conſita in loco arido, & expectans pluuiam, ſi aliquando contingat eam non deſcendere vt arbori neceſſaria eſt, illa non dabit fructum ſuum in tempore ſuo, ſed potiùs impedietur, & ob ſiccitatem ſuam tardiùs ſuum fructum proferet. At verò arbor ſecus

[a] Hæc ſententia reperitur in Capitulis Patrum cap. 2. monetque omnia homini eſſe agenda propter Deum, ſeu diuini nominis gloriam; ſicut & Apoſtolus 1. Cor. 10. 13. Exiſtimant aliqui Hebræos inter Dei nomina recitare vocem שמים, *ſchamaim*, cælum, ſed verius eſſe videtur figuratè pro Rege Regiam nominari. Sic Daniel. 4. Matth. 21. Luc 5. Vocant Deum, cælum eo quòd cæli ſunt ſedes eius.

[b] Oratoria ſeu precatoria, Hebr. תפלין *tephillin*, vocantur membranulæ loro coriaceo
Elias Leuita in Tisbite. incluſæ, quas precaturi Iudæi ſibi applicant fronti & brachio ſiniſtro. In his autem membranulis deſcriptæ ſunt minutiſſimis characteribus ſententiæ quædam ex Sacra Scriptura deſumptæ, vnde in nouo Teſtamento Matth. 23. dicuntur Phylacteria, q. d. conſeruatoria Legis, quòd eius ſummam complecterentur, &c. An verò iſta vſum habuerint authorem, an imperentur Exod. 13. & 17. & Deut. 6. non pauci meritò dubitant.

[c] Lectionem Audi matut. eſt illud Deuteron. 6. *Audi Iſraël: Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt* & duo verſus ſequentes : quod Iudæi quotidie bis recitant mane & veſpere, quaſi fidei ſuæ ſimbolum. Atque ob illud gloriantur in libro precum ſuarum ſe eſſe gentem quæ nomen Dei vnicum faciat, vel prædicet. Quia nempe abrogatâ Deorum pluralitate, cuius criminis & nos Chriſtianos falsò inſimulant, bis de die canunt, Dominus Deus noſter Dominus vnus eſt.

aquarum decurſus plantata fructum ſuum dabit in tempore ſuo, folium- Psal.
que eius non defluet; nam folia ob nimiam ſiccitatem ſolent ex arboribus 1.
decidere: cum autem illæ ad riuos aquarum extiterint, nequaquam earum folia defluunt. Porro iſtud, *In tempore ſuo*, refertur ad duo, quaſi dicat: Non defluet eius folium in tempore ſuo, ſcilicet tempore quo Sol cum calore ſuo prodit, quo tempore illius vmbra neceſſaria eſt hominibus: tum enim refrigerium in illa inuenient homines illac iter facientes: & quieſcent ſub ea, nempe ſub vmbra foliorum, bibentque de aquis quæ ſub illa diffluunt, ac de fructu eius comedent. Solent enim hyemali & pluuio tempore ex pleriſque arboribus decidere folia; hic ſingulari quadam virtute fit, vt etiam in hyeme non decidant folia eius: quod etiam idem contingere ſolet in quibuſdam arboribus, ob innatam quam habent humiditatem. Et quemadmodum Eze- Ezech.
chiel Propheta loquitur de quadam arbore, cuius folium non marceſcet, 6.
neque deficiet fructus eius, ſed in menſibus ſuis matureſcet; eritque fructus eius in cibum, & folium eius in medicinam. Ita eſt de homine bono, quia nempe mundus ab eo diſciplinam accipiet, hoc eſt, diſcent ab illo homines legem, eius inſtitutionem, & bona eius opera. *Et folium eius non defluet*; quia nimirum in vmbra viarum eius bonarum ſperabunt. Cæterum Magiſtri noſtri, fauſtæ recordationis, verba illa, *in tempore ſuo*, cenſent explicanda de illo qui factus ad docendum idoneus, tum ſolum docet, cum docendi tempus attigerit, nec id munus ante præſtitutum tempus vſurpat: quod vbi contigerit, ſeſe à docendo non ſubducit. Vnde, *in tempore ſuo*, hunc habet ſenſum: Cùm tempus eſt diſcendi, diſcit; cùm verò tempus eſt operandi, tunc operatur. Illud præterea, *& folium eius non defluet*, interpretantur idem Magiſtri de ſermonibus piorum hominum etiam minus ſeriis, quos obſeruatu dignos iudicarunt: quo voluerunt ſignificare, bonorum colloquia, quamuis de rebus huius ſæculi, eiuſmodi eſſe, vt homo ex illis addiſcere queat, vel quod ad mores informandos ſpectet, vel quod ad mutuam inter homines conuerſationem pertineat. *Et omne quod faciet, proſperabitur*: hoc eſt, ſi vacauerit diuinæ Legi, fortunatæ erunt eius diuitiæ. Eſt autem totus hic verſus ita exponendus, vt ſit bona precatio & pollicitatio bonæ mercedis, hoc ſenſu: Si homo declinet à via mala, & faciat bonum, remunerationem eius fore, vt fiat ſimilis arbori plantatæ iuxta decurſus aquarum. Cæterùm ſapiens Rabbi Abraham filius † Eſræ, fauſtæ memoriæ, hæc verba, *quæ fructum ſuum dabit in tempore ſuo*, interpretatur de anima ſapiente, quæ tunc erit plena Dei cognitione, ad cognoſcendum Creatorem ſuum. & quòd opera eius in æternum duratura ſint; quòd etiam ipſa in mundum ſuperiorem, ſeu vitam æternam demigratura ſit, quum à corpore ſuo ſeparata fuerit: non ſecus ac fructus arboris, qui poſtquam maturus factus eſt, ab illa decerpitur; quia non ampliùs ea opus habet, eo quòd ſolùm propter fructum arbor exiſtat. Illa etiam verba, *& folium eius non defluet*, exponit idem de bona viri probi memoria, iuxta illud Sapientis:

† Doctiſsimus Interpres iſte dicitur filius Hezræ, quòd genus ſuum ad Hezram referret: aliàs patrem habuit Méir.

Psal. 1. *Memoria iuſti erit in benedictione.* Illud autem, *Et omne quod faciet*, &c. exponit de ſubſtantia, liberis, & gloria viri iuſti.
Prouer. 10.

V. 4. *Non ſic improbi.* Cum his peccatores etiam ac deriſores ſimul complectitur, quos omnes dicit non eſſe viro probo ſimiles, eò quod nulla ab illis ad alios homines vtilitas deriuetur, quin potius damnum eis inferant: & omnis illorum motus ad malum dirigatur, non ſecus ac gluma: dictio enim מוץ, *mots*, ſignificat minutiſſimam paleam, ſeu quiſquilias, ex quibus homines nullam prorſus vtilitatem capiunt; ſed quæ à ventis huc illuc ocyus citiùs disjiciuntur, ſuâque agitatione damnum inferunt: lædendo enim diuerberant faciem & oculos hominum vltrò citróque migrantium: vel certè diſpergit illas ventus in domos & hortos, quod ſine damno non contingit. Verùm, ſecundùm poſtremam expoſitionem quâ præcedentem verſum explicauimus, ita vt in eo ſignificetur præmium & retributio quæ iuſtos manet, expoſitio huius verſus talis erit, vt nempe ſignificentur perituri tandem impij æquè ſubito ac palea, quam hinc inde venti turbo diſpellit.

V. 5. *Ideo non reſurgent improbi*, &c.] Propterea improbi, qui ambulant in via mala, quamdiu degunt in hoc ſæculo non reſurgent in iudicio, vult dicere in die iudicij; hoc eſt, in die mortis non erit eis reſurrectio. Quod etiam de peccatoribus dicendum eſt: & idem item de deriſoribus eſt iudicium, quibus non erit reſurrectio in cœtu iuſtorum: quia iuſtis in morte erit reſurrectio, at improbis non erit reſurrectio †: ſed peribit illorum anima ſimul cum corpore eorum in die mortis. Dicit verò in cœtu iuſtorum; cùm enim iuſtus moritur, anima eius voluptate perfruitur cum animabus iuſtorum in gloria Dei, quæ eſt in ſupremo ſæculo.

V. 6. *Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum.*] Hic verſus eſt expoſitio præcedentis; quia enim dixerat, *in cœtu iuſtorum*, neque explicuerat quiſnam ſit ſtatus congregationis iuſtorum poſt mortem, hoc idcirco iam declarat dum dicit, *quoniam nouit*, &c. Quorum verborum ſenſus eſt: Agnoſcit illos, & curam illorum habet vt eis benefaciat. Quo ſenſu dicitur & il-
Pſal. 144. lud: *Quid eſt homo quòd agnoſcis eum?* Item, *Quem noſſet Deus facie ad fa-*
ciem. Necnon illud, *Quoniam cognoui dolores eius*, &c. Et, *Agnouiſti in an-*
Deut. 34. *guſtiis animam meam.* Et, *Ego noui te in deſerto.* Hac etiam ratione dicitur,
Exod. 3. *Et non erat qui cognoſceret me.* Item, *Sit benedictus qui agnouit te.* Vult er-
Pſal. 31. go dicere Dauid, quod Deus ſuperexaltandus congreget ad ſe animas iuſto-
Oſ. 13. rum, quódque eas agnoſcat, & ſingularem earum rationem habeat, vt eas
Pſal. 142. bonis omnibus cumulet & ſatiet bonitate ſua, notitia ſua & prouidentia.
Ruth. 2. Quod quidem ingentiſſimum eſt bonum, & remuneratio quàm optima,
1. Sam. 25. ſicut his verbis exprimitur: *Erit anima Domini mei ligata quaſi in faſci-*
culo viuentium apud Dominum Deum tuum. Via autem impiorum peribit.
Cùm enim moriuntur, non eſt eis reſurrectio, vt jam dixit ſuperiùs: *Non re-*
ſurgent improbi in iudicio, ſed peribunt animæ illorum, & ibunt in perditio-

† Ex iſtis verbis colligi poſſe videtur Kimhhium ſentire cum aliis Semi-Saducæis Iudæis non futuram prorſus malorum reſurrectionem, licet alibi, vt etiam mox in fine Pſalmi contrarium ſentire videatur.

n m : vt etiam dicitur ab Abigail: *Porro inimicorum tuorum anima rotabitur quaſi in impetu & circulo ſundæ*, &c.

PSALMVS SECVNDVS.

1. QVare cum fremitu concurrerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?

2. Statuerunt ſeſe Reges terræ, & Principes conſultarunt ſimul aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius.

3. Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis funes ipſorum.

4. Qui habitat in cœlis, irridebit: Dominus ſubſannabit eos.

5. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.

6. Et ego inunxi Regem meum ſuper Sion montem ſanctum meum.

7. Narrabo ſuper decretum: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu ego hodie genui te.

8. Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

9. Conteres eas in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eas.

10. Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.

11. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

12. Oſculamini filium, nequando iraſcatur, & pereatis de via: cùm exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

COMMENTARIVS.

V. 1. Q*Vare cum fremitu concurrerunt*, &c.] Pſalmus iſte ordine eſt ſecundus; ſic enim ipſum inuenimus in omnibus libtis correctioribus, quòd nempe ſit caput Pſalmorum, & in eorum ſupputatione ſcribunt eum ſecundum. Cæterùm, quidam è Magiſtris noſtris dixerunt Pſalmum primum *Beatus vir*, & hunc *Quare*, &c. vnum eſſe Pſalmum. Dicunt inſuper Dauidem, omnem materiam quæ illi cordi maximè fuit, incepiſſe per hanc vocem אשרי *aſthre*, Beatus, & eam quoque concluſiſſe per illam eamdem.

Psal. 2. Sic hanc Pſalmorum partem inchoauit per dictionem *Beatus*, & illam per hæc verba finiuit, *Beati omnes qui confidunt in eo.* Porrò ratio cur Pſalmi hoc & illo ordine ſimul ſint coniuncti, non conſtat nobis: quâ ſcilicet de cauſa, ea diſpoſitione quâ nunc extant, compoſiti fuerint: nec enim ſecundum ordinem rerum geſtarum ſunt diſpoſiti: quod vel patet ex Pſalmo tertio, qui eſt de negotio Abſalomi: multi tamen poſt illum alij ſunt, quorum argumenta ſunt de rebus quæ multo tempore ante factum Abſalomi contigerunt. Hoc etiam patet ex fine huius libri, vbi ponitur Pſalmus centeſimus quadrageſimus primus, qui continet orationem Dauidis cum latitaret in ſpelunca: quæ certè res temporibus Saülis accidit. Quapropter non poſſumus certò definire Pſalmos eo ordine fuiſſe diſpoſitos, quo res ipſæ contigerant. Hunc verò Pſalmum edidit Dauid & cecinit in principio regni ſui, nempe quando contra ipſum congregatæ ſunt Gentes, iuxta illud quod dicitur: *Et audierunt Philiſthæi quòd vnxiſſent Dauid in Regem ſuper Iſraël, & aſcenderunt omnes Philiſthæi vt quærerent Dauid.* Atque inde eſt quòd dicat. *Quare cum fremitu concurrerunt Gentes.* Omnes enim Philiſtæi ſimul aſcenderant: vox etiam רגשו, *rageſchou*, congregationem & multam cum fremitu turbam deſignat: ſic infra dicitur, *Abſconde me à tumultuoſo concurſu*

Pſ.164. *operantium iniquitatem.* Hinc etiam paraphraſis Chaldaïca loco horum verborum in Ezechielis, 32. 12. *Ceſſare faciam turbam Ægypti,* ſic habet, & diſſipabo ſtrepitum Ægypti. *Meditati ſunt inane.* Cùm enim ad bellum proficiſcerentur Philiſtæi, ſuperbè loquebantur, eò quòd in aliis bellis quæ cum Saüle geſſerant, Iſraëlitas deiicisſent, ipſéque Saül cum filiis ſuis interemptus fuiſſet, populuſque magnâ plagâ percuſſus: & à morte Saülis ad illud vſque tempus non fuerat Rex alius in Iſraël, ideóque dicit omnia illorum verba eſſe vaniſſima.

V. 2. *Statuerunt ſeſe Reges terræ.*] Omnes enim Philiſtæorum Principes vnanimi conſenſu & pari conſilio ad bellum Dauidi inferendum conſpirauerant. ¢ Illos autem vocat Reges & Principes, tametſi in nullo loco videamus eos aliter vocari quàm Satrapas Philiſtæorum: ſed quia præ ſuperbia ſeipſos Reges reputabant; etſi verè non eſſent: vel etiam forte ſic eos appellat, eò quòd alij Gentium vicinarum Reges cum ipſis copias ſuas coniunxiſſent. *Conſultarunt ſimul*, omnes ipſi in vnum coïerant conſilium. Porrò conſilium hîc ſignificatur per vocem יסוד *ieſod*, fundamentum, quia nimirum conſilium, id eſt operi, quod fundamentum eſt ædificio. *Aduerſus Dominum & aduersùs Chriſtum eius.* Sciebant etenim quòd ex præcepto Dei regnaret Dauid, & eum à Samuele Propheta Domini fuiſſe inunctum in Regem.

V. 3. *Dirumpamus vincula eorum.* Hæc dicebant Philiſtæi. Dirumpamus vincula Iſraëlitarum, & colligationes quibus conſpirarunt ſimul, & vnanimiter conſenſerunt vt Dauidem conſtituant Regem. Iam enim ſeptem effluxerant

¢ Cùm ipſe Kimhhi circa finem Pſalmi fateatur ipſum ab antiquis Hebræis de Rege Meſſia fuiſſe explicatum, ſi ſuum ipſe Dominum agnouiſſet, verba hæc in eum iuxta exactiſſimam ſignificationem conuenire percepiſſet: figuratè ſolùm in Dauidem & minùs propriè, vt ipſi Apoſtoli Iudæis aſſerunt Actor. 4. 27.

xerant

xerant anni, necdum pari conſenſu ſimul conuenerant omnes Tribus Iſraël vt PSAL.
eum crearent Regem: nunc autem cùm omnes conſpiraſſent ad illius electio- 2.
nem, dixerunt Philiſtæi *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis funes ipſorum.* Eandem rem dicit, ſed vocabulis diuerſis: ſic enim eſt mos linguæ ſanctæ: dictiones verò מוסרות, *moſeroth*, & עבות, *aanoth*, ſignificant fortiſſimos funes, quibus figuratè denotatur forte conſilium, fixúſque conſenſus.

V. 4. *Qui habitat in cœlis irridebit.* Quoniam ſuperiùs dixerat eos conueniſſe contra Dominum, vt irritum facere niterentur verbum eius, iam ſubjungit quòd ipſe in cœlis habitet, vnde verba illorum audiet, eóſque deridebit ac ſubſannabit. Quòd verò deriſionem ac ſubſannationem Deo benedicto attribuat Dauid, hoc fit per metaphoram & anthropopathiam: ſolet enim homo illum deridere & ſubſannare quem deſpicit, & nihili prorſus faciendum exiſtimat. Eodem adhuc modo loquitur de Deo infrà: *Tu autem,* Pſal. 59.
Domine, deridebis eos, ſubſannabis omnes Gentes. Et alio in loco, *Dominus* Pſal. 37.
autem irridet eum: quoniam proſpicit, quod venit dies eius. Nec emphaſi caret illud quod dixit *Qui habitat in cœlis*, idem enim eſt ac ſi diceret, qui perma-
nes, quemadmodum exprimitur alibi *Tu autem, Domine, in æternum permane-* Pſal.
bis. Quo ſenſu debet ſumi dictio ישיבה, *ieſchina*, ſeſſio, vel habitatio, quo- 102.
ties in Scripturâ Deo benedicto attribuitur, veluti in iſto loco, *qui in altis* Pſal.
habitat, &c. Idcircò autem dixit in cœlis, quia ipſi ſtabiles ſunt & in æter- 112.
num duraturi, non enim ſingularia eorum ceſſationi obnoxia ſunt, vt contingit in terrenis.

V. 5. *Tunc loquetur ad eos.* Cùm nempe audiet vanos illorum ſermones & ſuperbiam, loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Porrò verba ipſius ad illos, non aliud ſunt quàm ira eius & furor quibus contra eos puniendos vtetur. Quidam tamen vocem ידבר, *iedabber*, exponunt, perdet, vt deſumat eam ſignificationem à nomine דבר, *deuer*, quod peſtem ſignificat, vt in illo loco, *Et peſtis valde grauis*: quo etiam ſenſu verbum hoc Exod. 9.
ſumitur alibi: *Et interfecit omnem ſtirpem Regiam.* vnde & illud quod ſequitur,
אלימו, *eleimo*, explicant quaſi eſſet à nomine אילים, *elim*, fortes eorum, 2. Paral.
quo modo ſumitur etiam hoc loco, *Et fortes terræ tollet.* Sed prior explicatio 22.
ſenſui conformior eſt. Ezech. 17.

V. 6. *Et ego inunxi.* Quomodò, inquit, cogitant ipſi regnum è domo Dauidis auellere, cum ego conſtituerim eum Regem & inunxerim. Cæterùm dictio, נסכתי, *naſachti*, denotat principatum, & magnam dignitatem, vt apud
Ioſue: *Et Principes Sehon.* & apud Danielem, ſed & Deos eorum cum Prin- Ioſ. 13.
cipibus eorum. *Regem meum*, idem eſt ac ſi diceret; Regem qui meus eſt, Dan 11.
quoniam feci ego vt regnaret: ſecundùm illud quod dicitur apud Samuelem,
quia prouidi mihi regem in filiis eius, vbi dictio, *mihi*, idem ſignificat ac ſi di- 1. Sam.
ceret, qui colat me: & hunc ſenſum habent hîc verba iſta, *Regem meum.* Ea- 19.
dem verò contrarium habent alio in loco, vbi nimirùm Dauid de Deo lo-
quens dicit: *Deus autem Rex meus eſt ab antiquo*, vbi *Rex meus*, idem eſt ac qui Pſal. 74
regnat ſuper me: ſic enim ſæpe ſeruiles literæ pronominum affixorum, ſimilem ſenſum efficiunt, vt patet in iſtis locis: *Aufer à me plagam tuam.* Et, *E re-* Pſal. 39.
gione plagæ meæ ſteterunt. Pſal. 38.

PSAL. Ita etiam, *Et lætificabo eos in domo orationis meæ.* Et, *Audiui orationem*
2. *tuam.* Et multa his ſimilia occurrunt, quemadmodum explicuimus in libro
[a] *Miclol*, in eâ parte in quâ agitur de Grammaticâ. Dicit porro, ſuper Sion
Eſai. 56. montem ſanctum meum, eò quòd capta non fuerit Arx Sion, donec venit
Dauid ad illam ſubjiciendam; & eam ob cauſam, ipſa Sion & Ieruſalem, di-
cta eſt ciuitas Dauid. Quæ poſtquam capta fuiſſet, tum demum Philiſtæi
congregati ſunt, vt pugnarent contra illum.

V. 7. *Narrabo ſuper decretum.* Hæc ſunt verba Dauidis, dicentis, ponam
in ſtatutum & conſuetudinem, hanc narrationem. Quænam verò eſt iſta nar-
ratio? Hæc nimirùm, quia *Dominus dixit ad me, filius meus es tu.* Ab ipſo enim
mihi regnum obuenit, & ea propter, nullus eſt homo qui de illo iure con-
tendere poſſit, quoniam Deus ſuſcepit me in filium: ſicut dixit Samueli,
1. Sam. *Quia prouidi mihi Regem inter filios eius*: ac ſi diceret, Rex iſte, meus eſt, &
16. filius meus, & ſeruus meus qui mihi obtemperat: omnis enim qui ita mihi
obedit, vt Deo ſeruiat, vocabitur filius eius, ſicut filius qui patri obtempe-
rat, & illi ſeruire paratus eſt. Quo etiam ſenſu dictum eſt illud: *Filij eſtis*
Deut. 14 *Domini Dei veſtri.* Item & illud, *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in fi-*
2. Sam. *lium.* Et, filij Dei viuentis. *Ego hodiè genui te*, dies quo in regem vnctus fuit,
7. Oſ. 10. ipſe eſt quo Deus eum ſuſcepit in filium, vt ſuprà dictum fuit, *Prouidi mihi*
in regem. Dicit etiam *hodie genui te*, quia eo ipſo die Spiritus Domini cœ-
1. Sam. pit eſſe in Dauide, ſicut ſcriptum eſt, *Et irruit Spiritus Domini in Dauid, ab*
10. *illo die & deinceps*: Ab eo namque die & deinceps Cantica & Pſalmos com-
poſuit, afflatu Spiritus ſancti, qui in ipſo fuerat factus, & à Deo in ipſum
delapſus. Ita etiam Spiritus fortitudinis ipſi collatus eſt ab ipſo tempore &
deinceps. Pari modo loquitur Scriptura, dum dicit, *Deum qui te genuit obli-*
Deut. 32 *tus es.* Hoc eſt, qui educauit te, & dedit ſapientiam in corde tuo & intelle-
ctum, illo die quo ſtabas in monte Sina. Et ſic dicitur ibidem, *Nonne ipſe*
eſt pater tuus qui poſſedit te? Si enim diceret tantum hæc, genuit te, poſſedit
te, de formatione omnibus communi, non magis ſpectarent Iſraëlitas, quàm
cæteros homines. Nonne aduertis etiam, quid ibidem adhuc dicatur, nempe;
hæccine redditis Deo? ac ſi diceret, hæcne eſt retributio quam ipſi rependitis
pro tot quibus vos cumulauit beneficiis? Nonne ipſe eſt pater tuus & poſſeſſor
tuus? Et dicit, Deum qui te genuit oblitus es, & non recordaris formatoris
tui: quemadmodum dixerat, ipſe eſt pater tuus; quaſi diceret, ipſe fuit vobis
quaſi pater, & quaſi parturiens, hoc eſt quaſi mater.

V. 8. *Poſtula à me.* Hoc eſt, & ipſe Deus dixit mihi, poſtula à me, & dabo
Gentes hereditatem tuam, iuxta illud quod illi per Prophetam dixit: *Et inter-*
2. Sam. *feci omnes inimicos tuos à facie tua, fecique tibi nomen grande, iuxta nomen ma-*
7. *gnorum qui ſunt in terra.* Additque paulò poſt, *Et fuerunt Idumæi ſerui Dauid.*
2. Sam. 8. Item, *Facti ſunt Syri ſerui Dauid.* Et alio in loco, *Egreſſumque eſt nomen Da-*
uid in omnes terras, & dedit pauorem eius ſuper omnes Gentes. Et hoc eſt, quod
1. Paral. 14. verbis iſtis exprimit, *Et dabo Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam ter-*

[a] Eſt liber huius Auctoris in quo ſtuduit complecti omnia ad linguæ Sanctæ cognitionem neceſſaria. Vide Præfat.

minos terræ, hoc eſt, extremitates terræ: dictiones enim אפס, *Ephes*, & קץ, *Kets.*, vicinitatem habent in ſignificatione. Pſal. 2.

V. 9. *Conteres eas.* Sic, inquit Dauid. mihi dixit Deus de omnibus Gentibus quæ contra me inſurgent, dixit, inquit, mihi, *Conteres eas in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eas.* Porrò dictio, תרעם, *throem*, idem ſignificat, ac תשברם, *tiſchberem*, conteres eas. Quo in ſignificatu, accipitur etiam apud Ieremiam, *Nunquid ferrum conteret ferrum?* Item apud Iob: *Conteret fortes.* Vox תנפצם, *thenapetſem*, eam denotat confractionem quæ cum diſperſione fiat: cùm enim vas fictile confringitur, fragmenta eius diſperguntur: quo ſenſu dicitur in libro Iudicum, *Et confringes lagenas*: qui verò teſtaceum vas effingit, figulus appellatur. Ierem. 15. Iob. 34.

V. 10. *Et nunc Reges intelligite.* Hæc Dauid ad illos Reges dirigit, qui conuenerant ad bellum ipſi inferendum: intelligite & ſcitote, ô Reges, in veſtrâ poteſtate non eſſe ſitum, Dei opus irritum facere. Ipſe enim præcepit de me vt eſſem Rex: quomodo igitur contra Deum auſi eſtis inire conſilium? Intelligite igitur & feriò conſiderate vos nullo modo poſſe Diuinum opus impedire. Erudimini, hoc eſt, ſi hucuſque ſtulti fuiſtis, & malè cogitaſtis, facite iam vt ſapiatis & ſuſcipite diſciplinam, neque ita inſoleſcatis.

V. 11. *Seruite Domino in timore.* Velitis id quod ipſe vult, & ſeruite illi in timore, vt vobis ab ipſo timeatis, & ſcitote quoniam apud illum eſt potentia & fortitudo, & non apud vos, qui contra me veniſtis cum tam ingentibus copiis. *Et exultate*, ne iraſcamini propter regnum meum, ſed gaudete potiùs & exultate, quia hæc eſt Dei voluntas, & à facie eius contremiſcite.

V. 12. *Oſculamini filium.* Vox נשקו, *naſcheceu*, eandem hoc loco ſignificationem habet, ac in iſto, vbi dicitur, *Et oſculatus eſt omnes fratres ſuos.* Dictio etiam בר, *bar*, idem valet hîc, ac בן, *ben*, filius, vt accipitur in illo prouerbiorum loco; quid, fili mi, quid, inquam fili vteri mei. Vel deducitur eius ſignificatio à nomine, בר, *bar*, quod purum ſignificat, vt accipitur infrà, *Vtique bonus eſt Deus Iſrael, his qui puro ſunt corde.* Porrò ſi accipiatur in ſignificatione filij, ſenſus erit, oſculamini filium illum, quem Deus ipſe ſuum appellauit filium, vt ſuprà dicitur, Filius meus es tu. Ratio autem dicti huius Oſculamini, deſumenda eſt à conſuetudine quâ ſeruus heri ſui manum deoſculari ſolet. Si verò ſignificatio vocis בר, *bar*, à puritate ſumatur, is erit ſenſus: quid mihi & vobis eſt? ſum etenim mundo corde, nec vlla eſt in me erga vos iniquitas, propter quam ad præliandum contra me conueniatis: ſed me potiùs oſculari deberetis, ac profiteri quòd ego ex Diuino mandato Rex fuerim conſtitutus. Non malè etiam dictio בר, *bar*, exponi poteſt, vt ſignificet electum, ſicut accipitur in illo loco, *eligite vobis virum.* Qua etiam ratione dicitur de Saule, quòd ſit electus Domini. *Nequando iraſcatur.* Niſi quantocyus conuertamini à viis veſtris malis, Deus contra vos iraſcetur, & peribitis de viâ. *Cùm exarſerit in breui ira eius*, hoc eſt, quia propemodùm exardeſcet ira eius, contra vos, ſi adhuc perſeueretis in nequitiis veſtris: quaſi diceret, niſi quamprimùm conuerſi fueritis. Illud verò *pereatis de via*, accipi debet vt illud ſupra, *& via improborum peribit*: vnde conſtat, & viam alicuius perire, & aliquos perire propter viam ſuam, quæ perit, idem eſſe.

Geneſ. 45. Prou. 31. Pſal. 73. 1 Sam. 17. 2. Sam. 21. Pſal. 1. 6.

Psal. Similis modus loquendi apud Iſaiam occurrit, *Et eritis velut quercus marceſ-*
2. *cens foliis ſuis*, hoc eſt, cuius folia marceſcunt, vnde & ipſa quercus marceſ-
—— cens appellatur: quâ etiam ratione & illud dicitur, *venit Eliacim, & Sobna,*
Eſai. 1. *ſciſſi veſtibus*: nam eorum tantùm veſtes ſciſſæ erant, non verò ipſi; dicuntur
30. 2.Reg. tamen ſciſſi propter veſtes quæ erant diſciſſæ. Hoc etiam modo ſumi debet
18. 37. illud apud Ieremiam, *raſi barbâ*; & his ſimilia. Porro addit, *Beati omnes qui confidunt in eo*: ſicut ego hodie beatus ſum, quia in eo ſum confiſus & eius
Ierem. ope ſeruatus ſum, vos autem perituri eſtis: quòd ſi & vos in eo ſpem veſtram
41. 4. collocetis, dicetur quoque de vobis, quod beati ſitis. Sunt porro qui hunc Pſalmum exponant de [f] Gog & Magog, & de Meſſia, hoc eſt de Rege Meſſia, & ſic ipſum interpretati ſunt Magiſtri noſtri piæ memoriæ. Et ſi hac ratione exponatur hic Pſalmus, ſenſus eius erit dilucidus: ſed verò videtur ſimilius Dauidem hunc Pſalmum de ſeipſo compoſuiſſe ſicut nos explicuimus.

[f] Varias de Gog & Magog cum Chriſtianorum tum Hebræorum ſententias recenſendi non eſt hîc locus: ipſe ſanè Kimhhi ad caput 38. & 39. Ezechiel. exiſtimat Gog eſſe nomen Regis, & Magog regionis, in qua ipſe regnet, quique Ieroſolyma ſit oppugnaturus, & à Meſſiâ Rege interficiendus, &c.

PSALMVS TERTIVS.

Pſalmus Dauid, cùm fugeret à facie Abſalom filij ſui.

1. Domine quàm multiplicati ſunt qui affligunt me: multi inſurgunt aduersùm me!

2. Multi dicunt de anima mea: non eſt ſalus ipſi in Deo eius.

3. Tu autem Domine clypeus es circa me: gloria mea & erigens caput meum.

4. Voce meâ ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

5. Ego accubui & dormiui: euigilaui, quia Dominus ſuſtentat me.

6. Non timebo decem millia populi, qui circumquaque poſuerunt aduersùm me (caſtra.)

7. Exurge Domine, ſaluum me fac, Deus meus, quoniam tu percuſſiſti omnes hoſtes meos (in) maxilla: dentes peccatorum contriuiſti.

8. Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.

COMMENTARIVS.

PSAL. 3.

P*Salmus Dauidis cùm fugeret*, &c. Magiſtri noſtri piæ memoriæ, differentes ſuper hunc Pſalmum, cum editum fuiſſe à Dauide opinati ſunt, cùm fugiens aſcenderet per cliuum oliuarum, eò quòd ſcriptum ſit apud Samuelem, *Dauid autem aſcendebat per cliuum oliuarum ſcandens & flens.* At ſiquidem fleret, quomodo Pſalmum edidit? Si Pſalmum edidit, quare tum fleuiſſe dicitur? Sed reſpondendum, quòd cum dixiſſet ei Propheta, *Ecce ego ſuſcitabo malum aduerſùm te de domo tua*, tum cogitauit apud ſe Dauid, hoc fortè euenturum per aliquem è ſeruis ſuis, aut per alienigenam, aut alium è domeſticis ſuis, qui ſui non eſſet miſerturus. At vbi cognouit hoc per filium ſuum eſſe futurum, miſericordiam ſibi ab illo ſperandam cogitauit, & tum quidem Pſalmum dictauit. Illi ipſi prætereà dixerunt: ſic apud ſe cogitabat Dauid, Iacob Pater noſter fugit, ſicut dicitur, *Et fugit Iacob.* Moyſes etiam fugit, ſicut de illo dictum eſt, *Et fugit Moyſes*, &c. Fugio ego ſicut & ipſi: exiſtimaueram me certa morte afficiendum fore, nunc verò cùm exulem, hoc exilio meam iniquitatem expiandam eſſe confido. Dicebat autem, *Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo Domine, & me conſolatus ſum*: hoc eſt, memor fui Priſcorum, & aduerti ita mecum eſſe actum ſicut cum ipſis actum fuerat, vnde non parum conſolationis accepi, noui enim mihi ob fugam condonandum eſſe peccatum meum: hoc vbi dixiſſet, mox hunc Pſalmum eſt exorſus. Iam quod ſpectat ad literalem & ſimplicem ſenſum, ſciendum eſt, has ſcriptiones quæ dicuntur Pſalmi, non fuiſſe ſic denominatas eo tempore quo primùm ſunt editæ, ſed tum demum cùm cœperunt in templo aut publicè decantari. Huius generis ſunt multi Pſalmi, vt is cuius titulus eſt, *Cum veniſſet Doëg Idumeus, & annuntiaſſet Sauli*, &c. ſic & ille, cui hic titulus præfigitur, *Cùm veniſſent Ziphei*, &c.

Marginal references: 2. Sam. 15. 30. — 2. Sam. 12. 11. — Oſe. 12. — Exod. 2. 15. — Pſal. 119. 52. — Pſal. 52. — Pſal. 54.

Item ille; *Et cuſtodierunt domum vt illum interficerent.* Quod etiam dici debet de Pſalmis qui editi fuerunt de captiuitate & de vaſtatione Ieroſolymorum, qualis eſt Pſalmus Aſaph, cuius initium eſt, *Deus venerunt Gentes*, &c. Sic etiam omnes illi qui compoſiti fuerunt de Dauide, eo tempore quo ipſe conſtitutus erat in periculo, tuncque eos edidit: at vbi liberatus eſt ab omnibus periculis, tum verè hi omnes fuere Pſalmi & Hymni decantati in laudem Dei benedicti, & in gratiarum actiones: qui etiam de captiuitate ſunt editi, tum verò in Pſalmos redacti ſunt poſtquam ab exilio Iudæi reuerſi ſunt. Fieri etiam poteſt vt Pſalmus hic ideo cum præcedente coniunctus ſit, quod ſicut Philiſtæi contra Dauidem arma mouerant vt illum à regni poſſeſſione deturbarent, ita & Abſalom filius eius machinatus eſt regnum eripere de manu patris ſui & illum neci tradere: ipſe tamen omnibus deuictis hoſtibus in tranquilla regni ſui poſſeſſione permanſit. Porro Magiſtri noſtri piæ memoriæ qui Pſalmum ſecundum expoſuerunt de Gog & Magog, ſic loquuntur de iſta horum duorum coniunctione; ideò, inquiunt ea Pſalmorum pars in qua de Abſalomi conſpiratione agitur, coniuncta eſt cum ea in qua fit mentio de Gog & Magog, vt ſi quiſquam homo interroget te dicens, num extat

Marginal references: Pſal. 59. — Pſal. 79. 1.

Psal. 3. ſeruus aliquis, qui rebellis ſit in dominum ſuum, reſpondeas illi, eſt-ne filius qui ſit rebellis in patrem ſuum? qui ſi dixerit imò eſt; dicas illi viciſſim, etiam hoc eſt.

V. 1. *Domine quàm multiplicati ſunt qui affligunt me*,] quoniam & ipſe filius meus mihi in hoſtem conuerſus eſt. Amaſa etiam filius ſororis ipſius, Abſalomi partes ſequebatur; inſuper & multi ex Iſraë quorum corda propendebant in Abſalomum, & hæc eſt ratio cur repetat vocem *Multi*, dicens, *Multi inſurgunt aduerſùm me*. Et hi omnes contra me inſurgunt & communi conſilio deliberant de bello contra me gerendo. Imò etiam Semei filius Gera eò inſolentiæ & impudentiæ deuenerat, vt Dauidem conuitiis & lapidibus impeteret.

V. 2. *Multi dicunt de anima mea.*] לנפשי, *lenaphehi* enim ſignificat ſuper anima mea: quo etiam modo ſumitur litera, ל *lamed*, in iſtò loco, *Dic*, לי, li, *de me, frater meus eſt.* Sic & in illo, *Et interrogauerunt eum, viri loci illius* לאשתו, leiſchto, *de, ſuper vxore ſuâ*. Et ita in aliis ſimilibus locis.

Gen. 20
Gen. 26.

Senſus autem iſte eſt, quòd multi ex ſapientiſſimis Iſraël vt Achitophel & alij qui exiſtimabant eam illi pœnam contigiſſe propter peccatum cum Betſabee commiſſum (quod quidem verum erat) iidem ipſi arbitrarentur nunquam regnum in Dauidis poteſtatem reſtituendum, ideóque partes Abſalomi ſecuti in ipſum rebellauerant, affirmabantque illum nullam in futúro ſæculo partem habiturum: & hæc ratio eſt cur dixerit, *de anima mea* Quòd verò vtatur voce ישועתה, *ieſchouaata*, dum dicit, *non eſt ſalus ipſi*, cum duplici nota generis feminini, ſeu additâ literâ ה, *tau*, ſenſus eſt, non eſt ſalus illi futura in hoc ſæculo, quia non euadet manus Abſalomi; nec etiam in futuro ſæculo, idcirco vtitur voce ישועתה, *ieſchouaata*, quaſi diceret ſalus & ſalus: omnis enim geminatio vim habet ad rei auxeſim indicandam. Ita etiam dictio עזרתה, *ezratha*, ſignificat multum adiutorium; & ſic quoque in vocibus הבאתה, *theuoata*, נפלאתה, *niphlata*, quemadmodum ſcripſimus in ea parte libri Miclol in quâ agitur de Grammatica. In [h] Deraſ autem, illa verba, *multi dicunt*, ſic exponuntur, qui multi aut magni ſunt in lege vt fuit Doëg qui erat [i] Pater domus iudicij, vt de ipſo ſcriptum eſt, *Et nomen eius Doëg Idumæus potentiſſimus paſtorum Saulis*: ſic etiam Achitophel, Conſiliarius Dauidis; de quo ſcriptum eſt: *Conſilium autem Achitophel*,

Pſal. 63
1 Sam. 21. 7.

[g] Vide Præfation. de opere iſto.

[h] Vox iſta Deraſch, aliâs, Midraſch, nomen eſt libri, quo allegoricæ Conciones ſeu Homiliæ, inquiſitiones, & expoſitiones Scripturæ continentur, non ſecundùm ſimplicem & literalem ſenſum, ſed liberæ & vagæ ſeu myſticæ.

[i] Domus iudicii, Hebræi iſtâ voce ſignificant Curiam, Conſiſtorium, & metonymicè Iudices qui cauſas dirimebant, & Senatores ſeu Magiſtratus quorum conſilio reſp. adminiſtratur. Pater autem domus Iudicii ſeu Synedrii magni & Senatus; vocabatur is qui ſecundus erat à capite Synedrii, qui נשיא *naſi*, princeps appellabatur, ad cuius dexteram ſedebat pater domus iudicii, qui & משנה, *miſchne*, ſecundarius eſt appellatus. Videſis Burtorf. in Abbreuiat. in אבד, *abd*.

quod dabat in diebus illis, erat, quaſi ſi quis conſuleret Dominum: quid tandem Psal.
iſti dicebant? fieri-ne poteſt vt homo qui abegit ouiculam, occidit paſtorem, 3.
& effecit vt Iſraël gladio caderet ſalutem conſequatur? *Non eſt illi ſalus in Deo*
ſela. Plerique Interpretum hanc vocem סלה, *ſela*, idem ſignificare volunt ac 2. Sam.
לעולם, *leoolam*, hoc eſt, in ſæculum, & eam ſic exponit Ionathan 16 21.
Chaldæus, in oratione Abacuc, ſcilicet לעולמים, *leoolamin*, in ſæcula. Abac. 3.

In hac quoque ſignificatione ſolet accipi hæc dictio in fine precum noſtrarum. Sapiens autem Rabbi Abraham filius Eſræ illam exponit per vocem אמת, *emet*, hoc eſt, verè. Ego verò non exiſtimo vocem eſſe ſignificatiuam, ſed eſſe tantùm notam eleuandæ vocis, & deriuari à verbo סלל, *ſalal*, quod eleuare ſignificat, vt in illo loco, *Aggerate, aggerate ſemitam*: hoc eſt eo in Eſai. 62.
loco vbi dictio illa inuenitur & legitur, fieri debuit vocis eleuatio in Pſalmo. Cuius rei probatio eſt, quòd non inueniatur hæc dictio niſi in hoc libro, & in oratione Abacuc, quæ & ipſa carmine edita eſt, ſicut etiam ibidem legitur ſcriptum: *Victorem in Pſalmis meis.* Abac. 3.

V. 3. *Tu autem Domine clypeus es circa me.* Hæc dicit Dauid contra illorum verba qui dicebant nullam ei ſpem ſupereſſe ſalutis, nec in præſenti ſæculo, nec in futuro conſequendæ: ipſi quidem, inquit, ita de me cogitabant, ac dictitabant, tu autem aliter mecum ages quàm ipſi cogitant, eris etenim ſcutum circa me vt me liberes in hoc ſæculo, & clypeus circa me in futuro ſæculo.
Gloria mea, per gloriam, intelligitur anima, vt in iſtis locis, *Et exultauit gloria mea*, Et, *Pſallet tibi gloria mea.* Præterea vox clypeus, quæ ſemel exprimitur, eſt pro duabus, hoc ſenſu, eris ſcutum circa me, & ſcutum gloriæ meæ, hoc eſt animæ: vel ſenſus eſſe poteſt, vt gloria opponatur ignominiæ quam eſt paſſus dum fugeret. *Et exaltans caput meum*, ne rubore perfundar, neue concidat facies mea coram inimicis meis, ſed erecto & eleuato capite incedam: cùm enim eripueris me à periculo mortis, agnoſcent & videbunt te mihi condonaſſe peccatum meum per hanc pœnam quam mihi inflixiſti. Pſal. 16. Pſal. 30.

V. 4. *Voce meâ ad Dominum clamaui*: Quoniam in anguſtia poſitus te inuocabo. *Et exaudiuit me.* Præteritum tempus hîc vſurpat pro futuro, ac ſi diceret & exaudiet me; & multa huic ſimilia paſſim occurrunt: poteſt etiam ſimpliciter per præteritum exponi, quia ſummâ cum fiduciâ hanc à Deo liberationem exſpectabat: vel Spiritus ſanctus illum, vt ita loqueretur, afflauit: quod rectius eſſe dicendum videtur. Iam enim ſupra diximus Pſalmos omnes Spiritus ſancti afflatu fuiſſe compoſitos: hoc autem vt plurimùm in Prophetia contingit vt res per præteritum tempus loco futuri enuncientur: res enim ita ſe habet, ac ſi iam peracta eſſet: ſicut de Spiritus ſancti inſtinctu, in præfatione dictum eſt. *De monte ſanctitatis ſuæ*: hæc verba poſſumus explicare de monte Moria, etſi necdum erat tum cultui ſacro dicatus: ſed fortaſſis traditio erat apud illos ibi aliquando domum Sanctuarij ſeu Templum fore ædificandum: ac propterea Dauid fugiens aſcendit per cliuum oliuarum indeque Deum adorauit, quoniam ex illo cliuo facile poteſt quis locum iſtum aſpicere. Vel 2. Sam.
per montem ſanctum intelligit montem Sion in quo erat Arca. Vel deni- 15.
que cùm dicit, de monte ſancto ſuo, idem eſt ac ſi diceret de Cœlis; quo ſenſu dicitur alibi, *quis habitabit in monte ſancto tuo?*

PSAL. V. 5. *Ego accubui & dormiui.* Ego magna cum ſecuritate in lecto meo
3. jacui, & pacatè dormiui, ſicut ſolet qui nihil penitus expaueſcit. *Euigilaui.*
Tranquillus non verò perturbatus, vt ſolet tum eſſe is qui præ anguſtia ſom-
Pſal. 15. no correptus eſt, qui dum expergiſcitur animo eſt perturbato; quoniam
1. ſcilicet dum adhuc dormit, mala videt ſomnia, ſecundùm ea quæ apud ſe præ
formidine recogitat: quare verò tantam ego in te fiduciam habeo? quia cer-
tò cognoui fore vt Dominus ſuſtentet me; ſic enim per ſomnium vidi. Por-
ro in Deras illa verba ſic explicantur, Ego accubui ſine Prophetia, & dormiui
abſque Spiritu ſancto, euigilaui autem per Chuſai Arachitem, quia Deus ſuſten-
tauit me per Nathan Prophetam. Huius allegoricæ explicationis is eſt ſenſus
quòd namque Spiritus ſanctus receſſiſſet à Dauide propter anguſtiam & me-
tum quibus affectus fuerat: *l* Spiritus enim ſanctus non habitat niſi ſuper ho-
minem alacrem. At poſtquam vidit Chuſai Arachitem gaudio affectus fuit,
ſiquidem nouit quòd ipſe diſſipaturus eſſet conſilium Achitophelis: & vbi
euigilauit Spiritus ſanctus habitauit ſuper eum, & dixit, *Dominus ſuſtentabit*
2. Sam. *me per Nathan Prophetam,* quia nimirum dixerat ipſi, etiam Dominus tranſtu-
12. 13. lit peccatum tuum.

V. 6. *Non timebo decem millia populi.* Totus enim Iſraël erat cum Abſa-
lomo præter eos qui Ieroſolymis cum Dauide remanſerant, quíque cum ipſo
vrbe egreſſi ſunt, & præter alios qui poſtea ad eum conuenerunt. *Qui poſue-
runt aduerſum me,* hoc eſt, qui diſpoſuerunt aciem ſuam aduerſum me. Vel di-
ctio שתו, *ſchatou*, debet exponi per vocem נלחמו, *nilhhamou*, pugnaue-
Eſai. 22. runt, quo ſenſu vſurpatur apud Eſaiam *Bellando bellauerunt in porta.*

V. 7. *Exurge Domine, ſaluum me fac.* Vox קומה, *quouma*, accentum ha-
bet in vltima ſyllaba; ita etiam quoties in hoc libro reperitur, præterquam in
Pſal. 38. loco iſto וקומה, *vequouma, & exurge in auxilium meum,* vbi accentum habet
in penultima. *Quoniam tu percuſſiſti.* Iam multoties ſaluaſti me, & hoſtes
meos percuſſiſti, ſic & modò facturus es. Vel refertur hoc ad præſens bellum,
& ſenſum habebit vt illud quod ſupra explicuimus, *Et exaudiuit me de monte
ſancto ſuo,* pro exaudiet in futuro. Quod verò ſequitur, לחי, *lehhi*, eundem
habet ſenſum ac ſi eſſet בלחי, *ballehhi*, in maxilla; per quod ſignificatur igno-
minioſa percuſſio; vt etiam per illa verba, *dentes peccatorum contriuiſti*: quæ
de his ſunt dicta, qui ſeſe Dauidem ipſum diſcerpturos eſſe iactitauerunt: hoc
loquendi modo vtitur etiam Iob his verbis, *Conterebam molares iniqui.*

Iob. 29. V. 8. *Domini eſt ſalus.* Et poſtquam ſaluum me feceris laudabo te & di-
17. cam, *Domini eſt ſalus,* nec alterius beneficio quiſquam ſaluari poteſt. *Et ſuper
populum tuum benedictio tua,* ne ſcilicet populus tuus cadat in hoc bello.

l Inde eſt illud Magiſtrorum effatum, Prophetia non habitat neque inter triſtitiam neque inter pigritiam. Ita Iacobo Patriarchæ toto luctus ſui tempore nulla, inquiunt, Prophetia oblata fuit: ſic de aliis etiam Prophetis: Videſis Rabbi Moſen in More parte 2. cap. 36.

PSALMVS QVARTVS.

Præcentori in pulſationibus muſicis, Pſalmus Dauid.

1. CVm inuocauero exaudi me Deus iuſtitiæ meæ in anguſtia dilataſti mihi: miſerere mei & audi orationem meam.

2. Filij virorum vſquequo gloria mea ignominiæ (erit) diligetis vanitatem & quæretis mendacium?

3. Et ſcitote quòd ſegregauit Dominus ſanctum ſibi: Dominus exaudiet me cùm clamauero ad eum.

4. Contremiſcite & ne peccetis; dicite in corde veſtro, in cubilibus veſtris, & tacete.

5. Sacrificate ſacrificia iuſtitiæ & ſperate in Domino.

6. Multi dicunt quis oſtendet nobis bonum? eleua ſuper nos lumen vultus tui Domine.

7. Dediſti lætiam in corde meo, à tempore quo frumentum & muſtum eorum multiplicata ſunt.

8. In pace ſimul accubabo & dormiam: quoniam tu, Domine, ſolus ſecurè facies me habitare.

COMMENTARIVS.

P*Ræcentori in pulſationibus muſicis.* Arbitrantur Magiſtri noſtri fauſtæ recordationis hunc Pſalmum editum eſſe triplici ſpecie laudationis, nempe iſtis ניגון, *nigon*, מזמור *mizmor*, & נצוח *nitzouhh*, hoc eſt, Pſalmo muſicâ modulatione & victoriâ. Et vox quidem מנצח *menatzeahh* illum denotare videtur, qui erat præpoſitus ſuper cantores; & per eiuſmodi præpoſitos. Pſalmi etiam videntur eſſe dictati, à quibus dabantur eis qui illos muſicis inſtrumentis modulabantur & decantabant. Nec alicubi reperies, cantori aut pulſanti inſtrumenta; ſed præcentori: ſic etiam in oratione Abacub legitur; *Præcentori in melodiis meis.* Et alio in loco, *Ex his erant, vt præeſſent miniſterio domus Do-* 1. Paral.
mini: Item, *In citharis ſuper octaua ad præſidendum*, לנצח *lanetſeahh.* Ex his 23.
autem præcentoribus, alius erat præpoſitus inſtrumento quod vocatur נגינות Ibid. c.
neginoth, alius inſtrumento quod vocatur שמינית *ſcheminit*, hoc eſt, octaua. 15.
Nam adhibitis inſtrumentis muſicis decantata fuerunt cantica, modulationes & laudationes, vnumquodque ſecundùm ſuam melodiam quæ tum nota erat

Psal. apud illos : m erat enim notitia Muſices ars magna, quæ etiam animam ſa-
4. pientiæ ſeu rationalem excitat : vnde & inter artes alias externas recenſetur &
connumeratur. Cæterùm inſtrumenta muſica, quibus Diuinæ laudes in tem-
plo concinebantur, hæc erant nablia, citharæ, cymbala, cornua & tubæ :
fueruntque inſtrumenta illa diuiſa ſecundùm varias melodias, ſeu pulſationes
muſicas quæ apud antiquos notæ & in vſu erant. Quædam autem ex illis ap-
1. Paral. pellabatur עלמות *aalmouth*, vt illo in loco ſcribitur : *In nablijs cantabant ſu-*
15. 20. *per* עלמות, *aalamouth* : ſcriptum etiam eſt : *Canticum ſuper* עלמות *aalamoth.*
Alia vocatur נגינות *neghinoth* & ad illam hic Pſalmus decantatus eſt. Alia
משכיל *Maſchil.* Alia מכתם *Michtam.* Alia שגיון *Schigaion.* Alia נחילות *Ne-*
hiloth. Alia שגיונות *Schegionoth.* Alia גיתית *Githith.* Ex ipſis etiam in-
ſtrumentis muſicis eſt quod vocetur עשור *aaſchor*, aliud עוגב *ongau*, aliud מנים
minim appellatum fuit. Et horum quodlibet, ſuum tonum ſeu melodiam di-
ſtinctam habuit ; vt notum eſt apud artis muſicæ peritos. Et reperimus ſcri-
1. Paral. ptum de aliquo dicente : *Et quatuor millia laudantium Deum in muſicis inſtru-*
23. 6. *mentis quæ ego feci ad laudes decantandas* : ſed ignotum eſt nobis vtrum illi qui
muſica inſtrumenta pulſabant manibus, etiam ore ſuo pſalmum decantarent :
an verò ſimul eſſent qui ore pſallerent & e regione illorum ſtarent alii qui ipſa in-
ſtrumenta pulſarent. In alio enim loco ſcriptum reperimus: *Et Leuitæ cum inſtru-*
2. Paral. *mentis Cantici quæ fecit Dauid Rex Domino quoniam in æternum miſericordiam*
7. *eius, hymnos Dauid canentes. Porro Sacerdotes canebant tubis ante eos.* Et in alio
Ibid. c. loco rurſus ſcriptum eſt : *Vniuerſus cœtus adorabat cantans canticum & contre-*
29. *pans tubis.* Cùm tamen tubæ fuerint tantùm in manibus Sacerdotum, ſicut
Num. ſcriptum eſt : *Porro filij Aaron Sacerdotes, clangent tubis.* Cætera verò muſica
10. inſtrumenta fuerunt in manibus Leuitarum, vt ſcriptum eſt : *Steteruntque Le-*
uitæ habentes organa Dauid, & Sacerdotes tenebant tubas.

V. 1. *Cùm inuocauero exaudi me Deus iuſtitiæ meæ.* Certum eſſe videtur, hunc
quoque Pſalmum fuiſſe compoſitum à Dauide cùm fugeret Abſalomum, ac
eum dixiſſe, *cùm inuocauero exaudi me Deus iuſtitiæ meæ*, tu enim optime no-
ſti iuſtitiam ſtare à me ; iniquitatem verò & iniuriam eſſe apud illos qui ſeſe
mihi opponunt, tu autem Iudex es ſuper nos. Vox enim iſta אלהים *elohim*,
Pſal. 58. ſemper Deum Iudicem ſignificat ſicut explicamus infra, ad illa verba, *vtique*
12. *eſt Deus iudicans in terra* : ſic etiam appellantur homines אלהים *elohim*, Iudi-
Exod. ces, vt, *Ad Iudices perueniet cauſa vtriuſque.* Et, *adducet illum Dominus eius*
29. *ad* אלהים *elohim Iudices. In tribulatione dilataſti mihi*, pro dilatabis mihi, vt
Ibid 22. ſupra explicuimus, quoniam in prophetia præteritum pro futuro vſurpatur,
quia res ita ſe habet ac ſi iam peracto eſſet : ita hoc loco Spiritus Sanctus illu-
ſtrauit linguam vatis ac dixit, *dilataſti mihi.*

V. 2. *Filij virorum vſquequo?* hoc dixit aduerſus Magnates Iſraël, qui par-
Pſal. 49. tes Abſalomi ſequebantur ; quo etiam modo loquitur infra : *Etiam filij homi-*
num, etiam filij virorum, vbi per filios hominum vulgus intelligitur, per filios
1. Sam. autem virorum, proceres : ſic & aliis in locis vt, *Nunquid vir tu es?* Et, *Quis*
26.

m Non ſolùm enim ſonora melodia valet animos concitatos tranquillare, ſed etiam torpentes excitare, & rebus magnis, vt Prophetiæ &c. præparare, vt videre eſt, 1. ſam. 10. 5. & 16. 17. & lib. 2. Reg. cap. 3. 15.

verò ſimilis tui Gedeon fili Ioas viri Iſraëlitæ. Vſquequo gloria mea ignominiæ e- PSAL.
rit? gloria mea idem eſt ac anima mea vt ſuperiori Pſalmo. *Multi dicunt ani-* 4.
mæ meæ. Vel illud, gloria mea hoc modo poteſt exponi, Ego ſum Rex, vos
autem ignominiâ me afficitis, & è meo regno aufugere compellitis. *Et di-* Iudi. 7.
ligetis vanitatem, hoc eſt, rem illam quæ feliciter non ſuccedet: nempe re-
gnum Abſalomi: & hoc eſt quod appellat mendacium; illud ſcilicet cuius non
eſt firma duratio: quo in ſenſu dicitur alibi, *Cuius aquæ non mentientur* ſeu de- Iſai. 58.
ficient.

V. 3. *Et ſcitote quod ſegregauit Dominus ſanctum ſibi.* Verbum הפלה *hipla*,
idem hîc ſignificat ac הפריש *hiphriſch* & הבדיל *hindil*, & hic ſumitur illo in
loco, *Et ſeparauit Dominus inter pecora Iſraël*, &c. Et hic eſt ſenſus ſegrega- Exod. 9.
uit me ſibi Dominus ex toto Iſraël vt eſſem Rex: quâ etiam ſignificatione di-
citur, *Et ſeparauit Dominus tribum Leui.*: quare verò ita egit? nempe quo- Deuter.
niam nouit me eſſe ſanctum. Porro ſanctus ſeu pius ille eſſe dicitur, qui pro- 10. 8.
ximis ſuis benefacit antequam id præſtare debeat ex iure debito: at Dauid an-
tequam teneretur ita egit cum plurimis hominibus à quibus patiebatur iniu-
riam, quibus tamen ipſe bona conferebat quemadmodum cum Saule ipſum
egiſſe comperimus; quod Saul ipſemet palam confitetur, *Bonum, inquit, o-* 1. Sam.
peratus es erga me ego autem malum duntaxat tibi rependi. Ecce Deus ipſe, in- 24. 18.
quit, me ſibi ſegregauit & regnum mihi conceſſit; quomodo igitur vos co-
gitatis mihi illud aufferre & alium conſtituere Regem? quamuis enim me mo-
dò in anguſtia poſitum cernitis, at cognoſcetis quòd Deus me exaudiet cùm
clamauero ad ipſum & me ab iſta calamitate liberabit.

V. 4. *Contremiſcite*, &c. verbum רגז *ragaz*, idem hîc ſignificat quod פחד
pahad tremuit vt ſumitur iſto in loco, *In morem parturientium contremiſcant* Deuter.
& dolore teneantur. Pauete igitùr, inquit, à Deo ſi me non timetis, pauete 2.
& contremiſcite à Deo, & ne vltra peccetis me perſequentes & aduersùm me
rebellantes. *Dicite in corde veſtro in cubilibus veſtris.* Homo enim in cubili ſuo
iacens animum habet magis liberum à curis huius ſæculi, atque tunc illius in-
tentio & mentis cogitatio pura eſt; dicit ergo Dauid illis, *Cogitate in corde* Eſai. 46.
veſtro, & ſilete. Sic etiam alibi cordis cogitatio, appellatur locutio, vt, *Et*
dicens in corde ſuo, &c. Quòd verò dicit, & ſilete, hunc habet ſenſum, tacete
& ceſſate à veſtra rebellione contra me: vox enim דממה *demama*, ſignificat
quidem ſilentium ſeu ceſſationem ſermonis & vocis, vt in his locis, *Tacebant* Iob. 26.
ad conſilium meum, Et, *Silentio ipſo audiebant vocem*: aliquando verò ſignifi- Ibidem.
cat etiam ſilentium ſeu ceſſationem operis & motus, vt, *Statuit procellam in*
ſilentium, & ſiluerunt fluctus eius. Pſal.

Item, *Viſcera mea efferbuerunt neque conticuerunt* Et, *ſiluit ſol.* Nec-non il- 107.
lud, *Silete donec venerimus ad vos*; & multa his ſimilia. Atque in iſta ſignifi- Iob. 30.
catione dicitur hîc, *Et ſilete*, ac ſi diceret Dauid, deſiſtite ab operibus ve- Ioſ. 10.
ſtris. [a] Porro Doctor iuſtitiæ Magiſter noſter Moſes filius Maiemon, ſic expo- 1. Sam.
14.

[a] Celeberrimum hunc Rabb. vocant etiam paſsim Hebræi, lumen captiuitatis, ac de ipſo illud iactitant; A Moſe, nempe Propheta, ad Moſen, iſtum Ægyptium, non ſurrexit ſicut Moſes iſte: celebratur etiam à Chriſtianis, & quod habetur hîc eius elogium, ſic videtur laudando exponere Auguſt. Iuſtinianus in ſua ad Stephanum Porcherium præfatione his verbis: Percipies porro illum, R. Moſen, quæ ſunt Religionis Religiosè, quæ ſunt Philoſophica Philoſophicè, quæ ſunt Talmudica Talmudicè, ac demum quæ ſunt diuina diuinè tractare.

Psal. 1 nit hunc verſum vt in eo præcipiatur celeberrimis Sapientibus, vt agnoſcant
4. veritatem in corde ſuo, & Dei laudem, ne forte in aliquem incidant ſermo-
—— nis errorem: ſed hæc explicatio ſenſui huius Pſalmi minime conuenit.

V. 5. *Sacrificate Sacrificia iuſtitiæ.* Qandoquidem malè egiſtis expiatione indigetis, ſacrificate ergo Sacrificia iuſtitiæ Domino, ita vt vere conuertamini,
Prou. 15. & non ſecundùm Sacrificia improborum de quibus dictum eſt, *Victimæ impio-*
8. *rum abominatio eſt*; nempe quia poſt Sacrificia ſua ad malitiam ſuam reuertuntur, ac propterea dicit, *Sacrificate Sacrificia iuſtitiæ & ſperate in Domino*, non verò in fortitudine veſtra eò quòd ſitis quam plurimi, ſed in ſolo Deo confidite. Cæterùm verbum בטח batahh, cum voce אל *el* ad, conſtruitur æquè
Prou. 7. ac cum dictione על *aal* ſuper, vt patet ex his locis, *Confide in Deo in toto cor-*
Ierem. *de tuo.* Et, *Ne fiduciam ponatis vobis in verbis iſtis mendacibus.*
9. V. 6. *Multi dicunt quis*, &c. Loquitur de his quos vocauit ſupra filios virorum, & de quibus etiam dixerat illud, *Multi dicunt de anima mea.* Illi, inquit, exoptant & dicunt de ſua rebellione, quis oſtendet nobis bonum, nempe vt fauſtè ſuccedat Abſalomi rebellio, & moriatur Dauid & regnet filius eius: & malum quod iam patior gratum illis eſt eóque delectantur ac maius eſſe vellent. Tu autem Domine, *Eleua ſuper nos lumen vultus tui*, non ſecundùm cogitationes illorum. Dictio autem נסה *neſa*, ſcribitur cum litera ſamech pro ſin, & cum ה *he*, loco א *aleph*, ac ſi diceretur נשא *neſa*; & cohærenter exponi poteſt ad illud quod ſupra dixit, *Et ſperate in Domino*: dixerat enim multi ſunt quorum animus & cogitatio non aliò ſpectant quàm ad bonum huius ſæculi, illudque ſtudioſè deſiderant ac dicunt quis oſtendet nobis bonum? Ego verò & populus meus, hoc eſt illi qui mecum ſunt dicimus, *Eleua ſuper nos lumen vultus tui Domine*, totum enim deſiderium noſtrum eò contendit vt fruamur lumine vultus tui in futuro ſæculo.

V. 7. *Dediſti lætitiam in corde meo*, Illi quidem malum pro bono mihi rependunt; ego enim ſemper gaudio affectus fui in corde meo quoties illis bene fuit quod verbis iſtis ſignificatur, *A tempore, quo, frumentum & vinum eorum multiplicata ſunt*, ipſi è contra de malis meis lætantur. Porro illud *Dediſti lætitiam*, &c. a ſenſum habet eundem ac illa Sapientum ſententia: Illi qui venit vt emundet ſe cœlitus confertur auxilium. Iſque homo rectam agendi rationem obſeruat qui de bonis proximi ſui gaudet, & quicumque per bonam iſtam viam incedit à Deo adiuuatur, & in negotiis dirigitur: atque id ſignificant illa verba: *Dediſti lætitiam in corde meo.*

V. 8. *In pace ſimul accubabo & dormiam.* Ego ſanè hactenus optaui & adhuc cupio fœlicitatem eorum, licet ipſi palam exoptent mihi mala, vt vnâ ego & ipſi in pace viuamus; atque tunc cubabo & ſecurè dormiam, tum enim nihil erit quod ſomni mei tranquillitatem perturbet poſtquam ad me ipſi redierint. *Quoniam tu Domine ſolus.* Quoniam ego confido te meum deſiderium impleturum, & effecturum vt ſecurè cum illis habitem. Illa verè dictio, *ſolus*, hunc habet ſenſum, tu Domine ſolus hoc efficies & in te ſolo eſt fiducia mea non in alio.

a Adagij huius Hebraici iſte eſt ſenſus, qui virtuti ſtudet, eius conatibus Deus præſto eſt, & eos promouet.

Psal. 5.

PSALMVS QVINTVS.

Præcentori ſuper Nehhilot, Pſalmus Dauid.

1. VErba mea auribus percipe Domine; intellige meditationem meam.

2. Intende voci clamoris mei, Rex meus & Deus meus: quoniam ad te oro.

3. Domine mane exaudies vocem meam; manè diſponam tibi (præcem) & ſpeculabor te.

4. Quoniam non Deus volens iniquitatem tu (es:) neque habitabit tecum malignus.

5. Neque conſiſtent inſani ante oculos tuos: odiſti omnes qui operantur iniquitatem.

6. Perdes loquentes mendacium: virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.

7. Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam: adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo.

8. Domine deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos: dirige in conſpectu meo viam tuam.

9. Quoniam non eſt in ore eorum rectum; intimum eorum prauitates: ſepulchrum patens eſt guttur eorum, liugua ſua blandiuntur.

10. Delinquere fac eos Deus; decidant à conſiliis ſuis: propter multitudinem impietatum eorum propelle eos, quoniam rebellauerunt in te.

11. Et lætabuntur omnes qui ſperant in te, in æternum laudabunt & obteges eos: & exultabunt in te qui diligunt nomen tuum.

12. Quoniam tu benedices iuſto, Domine: vt ſcuto bona voluntate coronabis eum.

COMMENTARIVS.

PRæcentori ſuper Nehhilot. Superiùs iam explicuimus ſignificatum vocis huius נחלות Nehhilot, vt & aliorum inſtrumentorum muſices in Pſalmo præcedenti. Et Magiſter quidem noſter Hſai piæ memoriæ vocis prædictæ

PSAL. 5. ſignificationem deducit à vocabulo נחיל *nehil*, quod apud Magiſtros noſtros examen apum ſignificat; ac ſi vellet dicere ſonum iſtius inſtrumenti ſimilem eſſe ſuſurro apum. Eſt etiam iſte Pſalmus compoſitus de Dauide, nempe quia multi erant ex Iſraëlitis qui ipſum odio proſequebantur: hinc dicunt Magiſtri noſtri P. M. Dauidem hunc Pſalmum edidiſſe aduersùs Doëgum & Achitophelem hoſtes ſuos.

V. 1. *Verba mea auribus percipe.* Illud auribus excipe quod ore proferam, & intellige quod in corde meo meditabor: hinc eſt quòd verbum בינה *bina* intellige coniungit cum voce meditationem meam. Et verbum האזינה *haazina auſculta*, iungit cum dictione אמרי *amarai* verba mea. Vox autem illa הגיגי *haguigui*, qua vtitur, eſt à themate הגה *haga*, cum geminatione ſecundæ literæ radicalis; quod etiam contingit in dictione חזיז *hhaziz*, fulgetrum quæ occurrit in illo loco, *Fulgetro tonitruum.* à themate חזה *haza.* 28.

V. 2. *Intende voci clamoris mei*, hoc eſt, præbe mihi aurem tuam vt ſit attenta. Hoc enim verbum eſt tranſitiuum, vt & in illo loco, *Vt adhibeas ſapientiæ aures tuas*: ſic etiam, *Preparas cor eorum & facis vt audiat auris tua*; hoc porro verbum הקשיב *higſchiu* conſtruitur aliquando cum præpoſitionibus ל *le*, & cum אל *el* & cum ב *be*, interdum verò ponitur abſolutè ſine vlla conſtructionis nota, vt, *Attendi & auſcultaui, & quis attendit verbo eius? Rex meus.* Quoniam tu Rex es ſuper me propterea ego ad te clamo ſicuti clamant ſubditi ad Regem ſuum. *Et Deus ſeu Iudex meus*, tu qui Iudex meus es, & cuius eſt vindicare me ab iis qui mala mihi inferunt. *Quoniam ad te oro*, Et non ad alium ſeruatorem cùm nullus ſit præter te alius.

Prou. 20. Pſal. 10. Ierem. 8. & 23.

V. 3. *Domine manè exaudies vocem meam.* Quoniam ſcilicet tempus matutinum orationi eſt accommodum antequam homo varijs huius mundi negotijs occupetur. *Mane diſponam tibi*, precem meam: *Et ſpeculabor*, & expectabo à te, vt dones mihi quæ petiui & enixè precatus ſum à te.

V. 4. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*: Quare verò ſpeculabor te? nempe quia certò cognoui improbos tibi non placere, ſi ita ſit hoſtes mei tibi non placebunt, ſunt enim homines iniqui; ego autem aſpiciam ad te, ſperans fore vt me ſerues ab eis quoniam tu me diligis non verò illos. *Neque habitabit tecum malignus*, dictio יגרך *iegureca*, eſt pro יגור עמך *iagour immeca* morabitur tecum: ſic apud Iob dicitur, *A pueritia* גדלני *gedalani*, *creuit (cum) me*, *pro* גדל עמי *gadal immi*, *creuit mecum ſicut cum patre.* Et multa his ſimilia reperire eſt.

Malignus, hoc eſt homo malus: vel dictio רע *raa*, ſignificat improbitatem ſubſtantiuè, vt nomen רשע *reſchaa*, paulo ante poſitum.

V. 5. *Neque conſiſtent inſani ante oculos tuos.* Hæc vox הוללים, *holelim*, aliquando ſignificat inſaniam, vt, *Et inſanum ſe præferebat in manu eorum.* Et *Riſui dixi ad inſaniam redactus es.* Et id genus ſimilia: & ex illa ſignificatione dicitur hîc, *Non conſiſtent inſani coram oculis tuis*: Sicut quod dicitur, odiſti omnes qui operantur iniquitatem; etſi hac ratione, eadem definitione circumſcribi videantur; improbitas enim non eſt de ratione malitiæ & ſapientiæ. Senſus autem horum verborum, *Coram oculis tuis*, deſumendus eſt, ex ea ratione agendi quâ aliquis ægrè ſuſtinet alium in cujus faciem nequidem oculos vult præ odio conijcere.

Eccl. 2. 1. Sam. 21.

V. 6. *Perdes loquentes mendacium.* Hoc eſt, illos à tuo conſpectu extermi- PSAL.
nabis; hoc etiam modo ſequentia verba: *Virum ſanguinum & doloſum abomi-* 5.
nabitur Dominus, ſunt explicanda, quoniam homines eiuſmodi ſunt abomi-
nabiles & reprobandi coram ipſo. Et hic occurrit mos illæ linguæ ſanctæ,
quo fit ſermo modò in ſecunda, modò in tertia perſona in verſu eodem.

V. 7. *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.* Ipſi quidem ſunt abomina-
biles in conſpectu tuo, verùm ego ſtatuam me coram te & ante conſpectum
tuum, ingrediarque domum tuam in multitudine miſericordiæ tuæ, quia à te
ſolo omnia expecto, & *Adorabo ad Templum Sanctum tuum in timore tuo*, qui
mihi ob oculos poſitus es. Dicit verò ad Templum, quoniam qui Deum ado-
raturus erat, ſuam intentionem ac ſtudium in Templum & locum ſanctum
conuertebat, & versùs illum conuerſus adorabat Deum. Porro per illa verba,
Domum tuam & Templum Sanctum, eum intelligit locum in quo tum erat Arca.[p]

V. 8. *Domine deduc me in iuſtitia tua.* Hæc eſt oratio mea ad te, vt me de- Dan. 6.
ducas in iuſtitia tua, ac ſi diceret, vt me adiuues quò per iuſtitiæ & iudicii 10.
tramitem incedam; & me ita per illum dirigas vt non impingam. *Propter
inimicos meos.* Ne ſcilicet de me gaudeant, ſi ſemel impegero, ac propterea, Di-
rige in conſpectu meo viam tuam. Porro dictio שררי *ſchorerai*, idem ſignifi-
cat ac אויבי *oienai* inimicos meos, ſuamque ſignificationem deſumit ex illo
loco אשורנו *aſchourennou*, *Videbo eum, ſed non modò*: ſic autem hoſtis ab il- Num.
lo verbo denominatur, eoquòd intentus aſpiciat quâ ratione malum inferat 24. 17
alteri; ſicut de Saule legitur, *Et erat Saul oculis obſeruans Dauidem*: hæc au- 1. Sam.
tem oratio, eò tendit vt liberet eum Deus ab ignorantia & ſuperbia, quem- 18. 29.
admodum & alibi, orans dicit: *Ab occultis munda me, & à ſuperbis prohibe* Pſal 19.
ſeruum tuum. Cæterum in dictione הישר *hai, char*, litera י *iod* quæ eſt prima ra- 14.
dicis, eſt mobilis præter morem verborum habentium primam radicalem
quieſcentem: & huic ſimilis eſt illa alia dictio היצא *haitſe*, *educ tecum*, quæ Gen. 8.
tamen reperitur etiam cum ו *uau* more quieſcentium in prima radicali: habet 17.
etiam vocalem patah ſub ſecunda radicali, vt & illud הנחת *hanhhath*, *Proſter-
ne Domine fontes tuos.* Ioel. 3.

V. 9. *Quoniam non eſt in ore eius rectum.* Hæc eſt ratio propter quam ſupra
dixerat, *Propter inimicos meos*; ſunt enim eiuſmodi homines vt in nullius om-
nino eorum ore ſit quod rectum eſt, ſed verbis quidem ſe ſe amicos exhibent
cùm interim, *Intimum eorum ſunt prauitates*, quaſi diceret, cùm mala in cor-
dibus ſuis machinentur. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Qui enim non ſi-
bi cauet ab eis ſed eos audit libenter linguâ ſuâ blandientes & adulatoria lo-
quentes, dum ſe interim amicos ſimulant, cadet tandem in intimum eorum,
hoc eſt, in malum quod prauis cordis ſui cogitationibus ſemper moliuntur.
Verba autem gutturi attribuit, vt & alibi, *Exaltationes Dei in gutture eorum*, Pſal.
eò quòd literæ quædam adminiculo gutturis efferantur[q]: quia etiam ſermonis 149. 6.
initium eſt in gutture, Vox enim procedit ex gutture, & ſermo in ore perfi-
citur. Præterea quia etiam guttur apertum eſt ad interiora vſque viſcera,
quæ cùm aſſimilauerit ſepulchro, ideò dixit: *Sepulchrum patens eſt guttur*, &c. Dan. 6.
10.

p Sic Daniel feneſtris apertis versùs Ieruſalem adorabat.

q Quæ idcircò Gutturales à Grammaticis Hebræis ſunt dictæ.

Cæterùm vox נכונה *necona*, eſt adiectiuum fœmin. gener. poſitum ſine ſub-
PSAL. ſtantiuo quod eſt, dictio aut locutio: ſic alibi dicitur, *Et alimentum eius eſt*
5. *pinguis*, Scilicet ouis. Et, *ſicut grex tonſarum* nempe ouium. Et, *Diues autem*
Habac. *loquitur dura*, verba; Et his ſimilia.
1. 16. V. 10. *Delinquere fac eos Deus.* Sunt qui vocem האשימם *haaſchimem*, ex-
Cant. 4. ponant ex ſignificatione vocis שממה *ſchemama* deſolationis nempe quia
Prou 18. verba אשם *aſcham* & שמם *ſchamam* idem habent aliquando ſignificatum:
ſed conuenienter etiam poteſt hîc exponi אשם *aſcham* in primario & proprio
ſignificatu, vt is ſit ſenſus, fac eos delinquere ſeu errare in conſilio ſuo; per-
inde ac ſi diceret, non conueniat eorum votis, nec ſuccedat ipſis illud, quod
aduersùm me cogitauerunt exequi. Et ipſum eſt quod mox ſubiungit. *Deci-*
dant à conſultationibus ſuis. Porro id explicatur per hoc verbum אשם *aſcham*
Iudic. ſignificans errare eâdem ratione quâ illud aliud exprimitur: *Et non aberrare*
20. 16. *ſinebat lapidem à capillo. Quoniam rebellarunt in te.* Dum ſcilicet odio me ſunt
proſecuti cùm tu de me præceperis vt Rex eſſem, ipſi verò rebelles fuerunt de-
Num. creto tuo. Et dictio מרו *maron* hîc idem ſignificat, ac illo in loco, *Et rebelles*
27. *fuiſtis ori meo.*

V. 11. *Et lætabuntur omnes qui ſperant in te.* Contra quàm facturi ſunt inimi-ci; non enim in te ſperant: & cùm expuleris eos, gaudebunt ij qui omnem ſpem ſuam in te collocatam habent. *Et exultabunt in te.* Ac ſi diceret, in auxilio tuo. Eſtque ſenſus horum verborum, *Et obteges eos.* Eris enim ſuper eos veluti tabernaculum ne quid iniuriæ ipſis ab hoſtibus inferatur: litera autem ע *aain*, in dictione יעלצו *iaaltſon* eſt cum ſcheua ſimplici ſicut & litera ל *lamed*

V. 12. *Quoniam tu benedices iuſto.* Tunc exultabunt in te, cùm tu benedi-ces iuſto, & depelles improbum: & ſicut ſecutum quod totum hominem cir-cumuallat, ſic quoque tu cinges iuſtum bonâ voluntate tuâ. Vox תעטרנו *taa-terennou*, eſt coniugationis cal vt & illa עטרים *ooterim*: *Cingebant Davidem & viros eius.*

PSALMVS SEXTVS.

Præcentori in Neginoth, ſuper octauam, Pſalmus Dauid.

1. DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corri-pias me.

2. Miſerere mei, Domine, quoniam excifus ſum: ſana me, Do-mine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

3. Et anima mea turbata eſt valde: & tu, Domine, vſquequo?

4. Conuertere, Domine, eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

5. Quo-

5. Quoniam non (eſt) in morte memoria tui: in inferno quis PSAL.
confitebitur tibi? 6.

6. Defatigatus ſum in gemitu meo; natare facio per ſingulas no-
ctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum liquefacio.

7. Corroſus eſt præ furore oculus meus: defecit propter omnes
inimicos meos.

8. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam
exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

9 Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus ora-
tionem meam ſuſcipiet.

10. Erubeſcent & conturbabuntur vehementer omnes inimici
mei: conuertentur & erubeſcent in momento.

COMMENTARIVS.

PRæcentori in Neghinoth, ſuper octauam. Iam ſuperiùs ſignificatum vocis neghinoth, & ſcheminit, ſeu octauæ, aliorúmque Muſices inſtrumentorum explicuimus in Pſalmo, cuius initium eſt: *Cùm inuocauero exaudi me.* Et ſunt quidam qui vocem שמינית *ſcheminit* putent ſignificare citharam eò quòd octo chordis conſtaret, atque ſuper illud inſtrumentum hunc Pſalmum fuiſſe decantatum. In Deras autem per illam vocem intelligitur circuncilio, quoniam octauo die fieri debuit, ſed hæc expoſitio videtur aliena à ſenſu. Cæterùm fieri potuit vt Dauid hunc Pſalmum ediderit ob aliquem morbum quo tum laborabat: fortè etiam dici poſſet, fuiſſe compoſitum pro quolibet homine morbis afflicto; plerique enim Pſalmorum qui orationes & petitiones continent, à Dauide in eum vſum compoſiti ſunt, vt eſſent ad manum cuilibet volenti rogare Deum. Et meâ quidem ſententiâ Pſalmus hic eſt eiuſmodi: ſunt etiam qui dicant hunc Pſalmum editum eſſe de præſenti exilio, in eo ſiquidem Iſraëlitæ iacent quaſi ægroti & attriti.

V. 1. *Domine ne in furore tuo arguas me.* Si me propter iniquitatem meam corripias, id ne fiat quæſo in furore tuo, vult dicere lentè & paulatim vt poſſim ſuſtinere; ſicut & Ieremias Propheta dixit: *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio,* &c. *Neque in ira tua corripias me*, eandem rem repetit variis dictionibus iuxtà morem. Ierem. 10. 24.

V. 2 *Miſerere mei Domine quoniam exciſus ſum.* Dictio אמלל *umlal*, nomen eſt adiectiuum licet habeat vocalem *patahh*; cui illud ſimile legitur, cor eius הותל *houtal*, *ſtultum inclinauit eum*: denotatur autem ſumma debilitatio & exciſio vt in illo alio loco: *Quàm Iudæi iſti* אמללים *amelalim fracti laboribus!* Et *exciſa eſt quæ peperit ſeptem.* Et alia his ſimilia. *Quoniam conturbata ſunt oſſa mea.* Ipſum corpus ſuum intelligit pro quo dixit, oſſa mea, quoniam hæc ſunt præcipuum corporis robur & quaſi baſis, vel ita loquitur propter doloris acerbitatem. Eſai. 44. Nehem. 4. 2. 1. Sam. 2.

PSAL. 6. V. 3. *Et anima mea turbata eſt valde.* Oſſa mea turbata ſunt & anima mea
turbata eſt valde eò quòd timeam & anxiè metuam ne moriar ob iſtum mor-
bum. *Et tu* , pro nomen אתה *atta* ſcribitur hîc ſine litera ה *he* ſicut & in iſto
Num. 11. loco , ſi אתה *atta , tu ita facis mihi. Vſquequo* , ſcilicet atteres me morbis nec
me ſanabis ?

V. 4. *Conuertere Domine , eripe animam meam.* Dictio שובה *ſchouua* ac-
centum habet hîc in vltima ſyllabâ , nam quinque in locis cum ipſo ſic poſi-
to reperitur quorum hic vnus eſt : porro ſenſus eſt : conuertere à furore iræ tuæ
quâ contra me excandeſcis ; redi , inquam , & libera animam meam ne moriar
ex hoc morbo. *Saluum me fac propter miſericordiam tuam* : Non propter iuſti-
tiam meam ſcio enim me eſſe reum.

V. 5. *Quoniam non eſt in morte memoria tui.* Si mortuus fuero tui non me-
mor ero ampliùs in morte mea nec tibi confitebor ; verùm ſi me ſanaueris
laudes & grates in conſpectu omnium tibi referam. Quemadmodum dixit
Eſai. 38. Ezechias , *Quoniam non infernus confitebitur tibi , neque mors laudabit te* , &c.
Et Dauid ipſe alio in loco : *Non moriar ſed viuam & narrabo opera Domini*. Cor-
Pſal. 118. pus enim poſt egreſſum animæ , muti inſtar lapidis iacet , deſcenditque in ſe-
pulchrum , anima verò ſurſum aſcendit confitetur ac laudat Deum in perpe-
tuum ſine ceſſatione. Homo autem iuſtus diu hîc viuere deſiderat vt diuinam
impleat voluntatem , quamdiu viuet , atque ut mercedem pro venturo ſæculo
ſemper adaugeat.

V. 6. *Defatigatus ſum in gemitu meo , natare facio* , &c. Quoniam ego con-
tinuò ingemiſco ac ſollicitus ſum propter hanc ægritudinem meam, tantam-
que lachrymarum copiam , ſingulis noctibus effundo vt natare faciam lectum
meum : nocte enim morbus ingraueſcere ſolet , vnde tunc maximè gemitus
ac lachrymas propter morbi grauitatem effundebat. Vel idcirco nocturnis ho-
ris deflebat, quia tum cæteri homines dormirent nemoque eſſet qui illum plo-
rantem inſpiceret ; hinc igitur præ gemitibus & fletibus erat defatigatus.
Quod verò dicit , natare facio , & liquefacio lectum meum hoc per hyper-
bolem, & ſermonis elegantiam dicitur : Et verbum אשחה *aſchhe* natare facio
Eſai. 25. 11. ſimilem hic ſignificationem habet ac in illo loco : *Sicut extendit natans ad
natandum.* Exponi etiam poteſt per verbum lauare , nam Chaldaicæ para-
phraſes, pro Hebræo וירחץ *vairhhatſ* & lauit vtuntur, hoc verbo ואסחי *vaaſhhi*
ſignificatum etiam verbi אמסה *amſe* deſumi poteſt ex illo loco , *Diſſoluerunt*
Ioſ. 14. *cor populi* ; item ex illo : *Et tabeſcere feciſti , ſicut tineam deſiderabile eius* : quæ
Pſal. 39. omnia ſunt ex verbis quieſcentibus in tertia litera radicali & ex coniugatione
quinta; & multa ſunt alia ex verbis geminantibus ſecundam & eiuſdem ſignifi-
Deut. 1. cationis vt , *Et diſſoluerunt cor noſtrum* : item , *Et liquefactum eſt cor populi.*
Ioſ. 7. V. 7. *Corroſus eſt præ furore oculus meus.* Significatum verbi huius עששה
Eſai. 50, 9. *aſcheſcha* deſumi poteſt ex illo loco , *Sicut veſtem conſumet eos tinea* : quaſi di-
ceret contabuit oculus meus ; Eſtque ſenſus ego maximopere lachrymor præ
indignatione quâ æſtuo aduersùs inimicos meos qui gaudio afficiuntur propte-
rea quòd ægrotem. *Defecit oculus meus* , Verbum עתקה *aateca* , eandem hîc
Iob: 12. habet ſignificationem ac in loco iſto : *Et petra amouebitur è loco ſuo* : ſed vtra-
que dictio corroſus eſt & emotus , oculus , ſumi debet hyperbolicè. Quòd

verò dicit : *Inter omnes inimicos meos*, perinde eſt ac ſi diceret, propter om-
nes inimicos meos. Sunt porro qui vocem :עתקה *aateca* exponant per dictio- Psal.
nem :מתישכה *nittaſchena*, hoc eſt, inueterauit, nam apud Chaldæum Para- 6.
phraſtem dictio quæ ponitur pro Hebraicâ ישן *iaſchan* vetus eſt עתיק *aatic*.

V. 8. *Diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Hæc verba protulit poſt-
quam conualuiſſet; vel fortè etiam in ipſo morbo, de eo loquens per Spiritus Pſal. 119
Sancti afflatum, quod erat poſtea futurum. Quilibet etiam alius homo, hoc 25.
vtens Pſalmo dum orat, idem poteſt dicere; certò enim ſperare debet ſuam à
Deo orationem fore exaudiendam ſi modò confracto corde & contrito pre-
catus fuerit.

V. 9. *Exaudiuit Dominus deprecationem meam*, &c. *Suſcipiet.* Vox iſta יקח *ichakh*, idem ſignificat ac לקח *lacahh* ſuſcepit, ſenſuſque eſt, ſuſcipiet hoc tempore orationem meam & quandocunque preces meas coram ipſo effudero, eas benigniſſimè ſuſcipiet.

V. 10. *Erubeſcent & conturbabuntur*, &c. Cùm ſanatus fuero tunc omnes inimici mei erubeſcent & valde conturbabuntur, auidè enim mortem meam expectabant. *Conuertentur & erubeſcent in momento.* Mox vt viderint rem non eueniſſe, ſicut futuram exiſtimauerant ad me reuertentur vt deinceps mecum pacificè viuant, & ex ipſo momento pudore mei cauſâ ſuffundentur.

PSALMVS SEPTIMVS.

Schigaion Dauid, quam cantauit Domino ſuper verbis Chus filij Iemini.

1. Domine Deus meus in te ſperaui, ſerua me ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

2. Nequando rapiat vt leo animam meam: dilaceret, & non ſit qui eruat.

3. Domine Deus meus ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

4. Si reddidi pacifico meo malum: imò eripui arctantem me gratis.

5. Perſequatur inimicus animam meam & comprehendat & conculcet in terra vitam meam & gloriam meam in puluere habitare faciat.

6. Exurge Domine in ira tua; exalta te contra furores inimicorum meorum: & expergiſcere ad me (in) iudicio quod mandaſti.

Psal. 7. Et ſynagoga populorum circumdabit te: & propter eam in
7. altum regredere.

8. Dominus iudicat populos: iudica me Domine ſecundùm iuſtitiam meam & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

9. Conſumat quæſo nequitia improbos, & diriges iuſtum tu qui exploras corda & renes, Deus iuſte!

10. Clypeus meus ſuper Deum qui ſaluos facit rectos corde.

11. Deus iudicat iuſtum, & (eum qui) Deum exaſperat omni die.

12. Niſi conuerſus fuerit, gladium ſuum acuet: arcum ſuum tetendit & parauit illum.

13. Et ſibi parauit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus efficit.

14. Ecce parturiit iniuſtitiam, concepit moleſtiam & peperit mendacium.

15. Ciſternam fodit & excauauit eam, & incidit in foueam quam fecit.

16. Conuertetur labor eius in caput eius, & ſuper verticem eius iniquitas eius deſcendet.

17. Confitebor Domino ſecundùm iuſtitiam eius & pſallam nomini Domini altiſſimi.

COMMENTARIVS.

SChigaion David. Iam ſupra declarauimus שגיון *Schigaion* vnam eſſe ex ſpe-
Hab. 3. ciebus melodiæ; ita etiam vſurpatur in oratione Abacuch vbi ſic dicitur:
1. *Super Scigionot.* Porro Magiſtri noſtri, piæ memoriæ, dixerunt Pſalmum
hunc editum fuiſſe de Saule, quem Dauid appellauit *Chus*, hoc eſt, *Æthiopem*,
Num. eò quòd fuerit decorus: ſic enim vxor Moſis dicitur כושית *conſchit Æthiopiſſa*,
12. 2. quæ verba Chaldæus interpres reddit mulierem formoſam. Sed eſt communis
omnium aliorum interpretum ſententia Dauidem ideò Saulem appellaſſe Æ-
thiopem quòd ſicut Æthiops non mutat pellem ſuam, ſic ipſe ſuum aduersùs
Dauidem odium non mutaret. Et hoc etiam ſenſu, dictum eſt illud: *Nunquid*
Ierem. *Æthiops mutabit pellem ſuam aut pardus maculas ſuas*, &c. At verò ſapiens Rabbi
13. 23. Abraham filius Eſræ fauſtæ recordationis hanc expoſitionem non approbat;
quomodo enim, inquit, hæc verba de Chriſto Domini proferret, *Ecce partu-
riijt iniquitatem*, ſed aſſerit aliquem fuiſſe ex filijs Iemini alium à Saule, quique
etiam Dauidem oderat & cui nomen erat Chus. Sed hæc eius ratio non eſt ra-
1. Sam. tio, quòd nempe de Saule non dixiſſet: *Ecce parturijt iniquitatem.* Quidni ete-
24. 14. nim de illo ita loqui auſus fuerit, cùm ipſi coram & in os dixerit Dauid, *Ab
impijs egredietur impietas?* & etiam ibidem dixerit, *Vlciſcatur me Dominus de
te.* In Deras etiam ita diſſeritur, propterea Dauid inſigniuit eum nomine Chus
Eccl. 10. ſeu Æthiopis, quia ſcriptum eſt, *Etiam in mente tua, Regi ne maledixeris.* Et
20.

hæc myſtica expoſitio conueniens eſt: vnde manifeſtè apparet omnes in eo conſentire, prætermemoratum interpretem, quod Pſalmus iſte de Saule ſit editus. Iam verò quòd additur, de rebus aut negotiis, ideo fit quia res & negotia multa habuit Dauid cum Saule, qui & ipſi ſæpe mortem inferre conatus eſt, vt ſcriptum eſt multis in locis. Et primò quidem quando affinitatem cum eo contraxit, cogitabat ipſum in manus Philiſtæorum inijcere. Deinde voluit illum occidere in domo ipſius. Cùm etiam ſtaret in conſpectu eius ſæpè haſtam in ipſum vibrauit: ita etiam cùm ſeceſſiſſet, mortem illi inferre ſæpiſſimè tentauit. PSAL. 7.

V. 1. *Domine Deus meus in te ſperaui.* In te ſperaui & non in humano auxilio, propterea ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, qui Sauli adhæſerunt.

V. 2. *Nequando rapiat vt leo.* Hæc non dicit Dauid de alio quopiam hoſte ſibi infenſiſſimo niſi de Saule qui Rex erat; inde enim eſt, quòd de ipſo ita loquatur: *Dilaceret & non ſit qui me eruat ab illo*: quare addit, ſicut leo, qui fortiſſimus eſt omnium animantium, vnde & Rex illorum appellatur; quique ſi prædam laceret, nemo eſt qui poſſit illam eripere. Verbum autem פרק *parac* idem hîc ſignificat ac in illo loco, *Et iugum eius diſrumpes.* Geneſ. 27.

V. 3. *Domine Deus meus ſi feci.* Si hoc in Saulem admiſi quod in me ipſe facit: quidnam verò ſit illud, mox explicat dicens: *Si reddidi pacifico meo malum, ſi eſt iniquitas in manibus meis*, hoc eſt, ſi feci malum alicui homini manibus meis cum iniquitate & iniuriâ. Si retribui pacifico meo, ſi ei qui mecum pacem colebat malum reddidi, ſicut ipſe mecum agit: quoniam pacificè cum eo egi: fui etenim gener illius ac bella eius gerenda & conficienda ſuſcepi; ipſe verò malum pro bono mihi retribuit. *Imò eripui arctantem me gratis*, tantùm abeſt vt malum pacifico meo reddiderim, quin etiam liberaui eum qui ſine cauſa me affligebat; ſed fruſtra illum è vitæ diſcrimine eripui. Verè enim Saulem à morte liberauit quam Abiſai erat ipſi illaturus niſi à Dauide prohibitus fuiſſet, dixit ſiquidem Abiſai Dauid: *Concluſit inimicum tuum hodie in manus tuas, nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, ſemel & ſecundo opus non erit iſtu, & dixit Dauid, ne interficias eum*, &c. Idem iterum feciſſe refertur cùm eſſet in ſpelunca: *Et confregit Dauid viros ſuos ſermonibus & non permiſit eis vt conſurgerent in Saulem.* Litera autem ו *vau* in voce ואחלצה *vaahaltſa* imò eripui affligentem me gratis, idem ſignificat ac in loco, ועבדיך *vaauadeca*: *Non, ô Domine mi! ſed ſerui tui venerunt vt emerent cibos.* 1. Sam. 26. 9. 1. Sam. 24. 8. Gen. 42. 10.

V. 5. *Perſequatur inimicus animam meam.* Dictio ירדוף *iradoph* eſt compoſita, habet enim formam verborum coniugationis primæ *cal* & coniugationis *daqueſſatæ* ſeu *piel*; & ratione coniugationis *cal* legitur ירדוף *irdoph*, ratione verò coniugationis *daqueſſatæ*, legitur ירדף *ieradeph*, & ex vtraque forma compoſita eſt illa dictio: porro huius compoſitionis hæc eſt ratio, nempe quod dicat inimicum ſuum ſe perſequi, & per ſeipſum, & perſequi etiam per alios quibus nimirum iuſſerat vt eum perſequerentur. Ad hunc modum Saul Dauidem perſequebatur, & curabat etiam vt alij ex Iſraëlitis eum perſequerentur. Quòd verò dicit, animam meam, ſenſus eſt, non me perſequitur vt in carcerem detrudat, ſed vt me interficiat: ſicut reuera Saul ſæpius Dauidem manu

ſua interficere tentauit. *Perſequatur & conculcet in terra vitam meam*, hoc eſt,
Psal. 7. ſi me apprehenderit, conculcabit in terra vitam meam, ſiquidem me non dimittet, donec occidat. *Et gloriam meam in puluerem deducat*, hoc eſt, animam meam, ſenſuſque eſt, & cogitatio eius eò ſpectat vt gloria mea in puluere habitet. Et quamuis anima non habitet in puluere dum moritur homo,
Pſal. 119 25. ita tamen hæc figuratè dicuntur, vt & illud, *Adhæſit pulueri anima mea*, vel ita loquitur ex opinione inimici, quaſi diceret, non exiſtimat fore vt anima mea poſt mortem reſurgat, ſed me reputat hominem impium & virum ſanguinum. Porro vocem illam סלה *ſela* iam ſuperiùs explicui, eſſe nimirum notam eleuandæ vocis in cantu, nec vllam ex ſe habere ſignificandi rationem, neque opus erit deinceps in omni loco in quo occurret eam explicare

V. 6. *Exurge Domine in ira tua.* Dictio קומה *coum*a habet accentum in vltima ſub litera *mem*, ſenſuſque eſt exurge Domine in ira tua contra eos qui me perſequuntur vt mihi vitam eripiant. *Exalta te aduersùs furores hoſtium meorum*; In furore tuo contra illos ſicut iam dixit in ira tua: vel ſenſus eſt, propter furores hoſtium meorum aduersùm me eleuare tu contra eos, & eripe me de manibus illorum. *Et expergiſcere ad me in iudicio quod mandaſti*, hoc eſt, in iudicio quod ſuper me præcepiſti, quod aliud non eſt quàm iudicium regni quo eum Regem fore decreuerat.

V. 7. *Et Synagoga populorum circundabit te.* Dictio עדת *adat* habet generalem ſignificationem, לאמים *leummim* verò particularem, atque עדת *adat* vniuerſum Iſraël ſimul complectitur, לאמים *leummim* verò duodecim tribus Iſraëliticas quæ modò populi, modò gentes, modò populi multi appellantur,
Gen. 28. 4. vt patet ex eo quod Iſaac Iacobo dixit: *Vt ſis in cœtum populorum.* Ipſe etiam Deus dixit eidem Iacob: *Et cœtus gentium ex te proditurus eſt.* Ecce vides quod
Gen. 35. 11. vocet Iſraëlitas, gentes & populos reſpectu tribuum; vocatque etiam eos congregationem & cœtum, quoniam duodecim tribus congregatio & cœtus vnus erant. Si verò per לאמים *leummim*, omnes totius mundi populos ſignificare voluiſſet, nequaquam dixiſſet: *Et congregatio populorum*, non enim congregatio vna, eos omnes complectitur, ſed populus quilibet per ſeipſum eſt cœtus vnus. Sic porro ſe habet huius verſus explicatio, notum erat inter Iſraëlitas Dauidem fuiſſe vnctum in Regem; manifeſtum etiam erat Samuelem iuſſu diuino ipſum vnxiſſe; præterea nouerant omnes in eo loco in quo fuerat inunctus, Samuelem hoc non feciſſe ex motu & ſententia propria: cùm enim veniſſet Eliab,
1. Sam. 16. 6. maior natu ex fratribus Dauidis, dixit: *Vtique coram Domino eſt Chriſtus eius*; exiſtimabat enim illum eſſe à Deo Regem deſignatum, vſque dum dixit illi
Ibidem. Deus: *Ne aſpicias in ſpeciem eius nec altitudinem ſtaturæ eius*, &c. Cùm autem veniſſet natu minor, dixit illi Dominus: *Surge & vnge iſtum, ipſe enim eſt a me electus.* Quæ cùm ita ſint conſequens eſt illum qui Dauidem deinceps eſt perſecutus, perinde egiſſe ac ſi Deum ipſum fuiſſet perſecutus, & qui eum cingebat vt apprehenderet, idem commiſiſſe, ac ſi Deum benedictum circumcingere contendiſſet, & eam ob cauſam dicit hic Dauid: *Et Synagoga populorum circumdabit te.* Quo ſenſu dictum eſt & illud à Propheta: *Qui enim*
Zach. 2. 8. *tetigerit vos tangit pupillam oculi eius, Dei*: quod verò ſubiungit: *Et propter hanc in altum regredere*, eodem modo eſt exponendum ac illud quod ante di-

xit: Exurge & exaltare; quæ omnia figuratè dicta ſunt. Cùm enim Deus diſ- Psal.
ſimulare videtur peccata hominum; perinde eſt, ac ſi deſcenderet è loco ſuæ 7.
potentiæ & ex ſede iudicij ſui, cùm verò humana crimina viſitat & illa iudicat,
tum videtur ſurgere; eleuari & redire in excelſum & in locum iudicij; & hoc Exod.
ſenſu dictum eſt de vltione quam in Pharaonem exercuit Dominus, *Quoniam* 15. 1.
eleuando eleuatus eſt Deus.

V. 8. *Dominus iudicat populos.* Iſti populi ſunt Iſraëlitæ ſicut expoſui vocem לאמים *leummim*; & dictio, iudicabit, ſignificat iudicia de illis ſumet ſeu eos puniet, & hoc eſt quod dicit: Iudica me Deus, &c. quia non eſt in me iniquitas nec peccaui contra eos, vt propterea me odio proſequantur: hoc autem non dicit Dauid de omnibus: ſed tantùm de malis qui erant inter illos quique ipſum ſine cauſa oderant; de his, inquam, dicit: *Conſumat queſo nequitia improbos*, &c. Maior enim pars Iſraëlitarum diligebat Dauidem eò quòd ipſe educeret illos & reduceret quamdiu fuit cum Saule; & non niſi inuiti perſequebantur eum imperio Saulis coacti. Imò etiam non pauci ex tribu Beniamin diligebant eum, vt ſcribitur in Verbis dierum: *Hi quoque venerunt ad Dauid* 1. Paral.
in Siceleg cùm adhuc fugeret Saulem filium Cis, tendentes arcum, & vtraque 12. 1.
manu fundis ſaxa iacientes, & dirigentes ſagittas, de fratribus Saulis ex Beniamin.

V. 9. *Conſumat, queſo, nequitia improbos.* Malum, inquit, quod mali agunt & machinantur, abſumat & omnino perdat eos. *Et diriges iuſtum.* Hoc eſt, viam iuſti & cogitationem eius, eriſque illi auxilio: hoc autem de ſeipſo dicit, ac de iuſtis qui tum fuerunt inter Iſraëlitas. *Et explorans corda & renes, Deus iuſte.* Ipſe eſt qui explorat & perſpicit corda & cogitationes hominis, ipſe pernoſcit quinam iuſti ſint & quinam aberrent à recto; plerique enim hominum ſeſe probos exhibent, non tamen ita ſe res habet; ipſe verò Deus eſt iuſtus, vult dicere, iudicat iuſtè & reddet vnicuique ſecundùm vias & cogitationes illius, quoniam ipſe nouit omnia.

V. 10. *Clypeus meus ſuper Deum.* Dicere debuerat, clypeus meus eſt Deus, quid igitur eſt illud *ſuper*? nempe hoc quaſi dicat, vtique fulcimentum meum & fiducia mea eſt in Deo; meus enim erit clypeus, quoniam ipſe ſaluat rectos corde.

V. 11. *Deus iudicat iuſtum.* Hoc intelligendum eſt, vt illud ſuperius: *Iudica me ſecundùm iuſtitiam meam*; eſtque ſenſus: Deus iudicat iuſtum ſecundùm iuſtitiam eius, & improbum iuxta nequitiam eiuſdem & hoc eſt quod ſignificatur iſtis verbis: *Et eum qui Deum exaſperat omni die*, quaſi diceret, iudicat iuſtum & illum etiam iudicat qui Deum exaſperat per ſingulos dies; eò quòd nimirum non conuertatur ab improbitate ſua, hoc enim eſt quod poſtea ſubiungit, *Quoniam non conuertitur*; hæc etenim particula אם *im* eſt loco כי *chi*, quoniam vt in illo loco, *quia iubileus erit*, vbi אם *im* eſt pro כי *chi*, quoniam Num.
aut כאשר *caaſcher*, quando. *Et in omni die*, hoc eſt ſemper. Qua verò in re 34.
Saul irritauit Deum? in ea ſcilicet quòd aſpernabatur opus Dei verbúmque illius; ſciebat enim Dauidem ex Dei mandato fuiſſe inunctum vt poſt ſe regnaret, ipſum tamen iugiter ad necem perſequebatur, atque hoc modo cogitabat quotidie irritum facere Dei verbum. Præterea etiam Dauid innocens erat, ni-

PSAL. hilque in ipſum peccauerat, ac idcirco ſanguinem innocentem volebat effun-
7. dere. Denique eò quòd iurauerat per Deum viuentem ſe non occiſurum ipſum, & propter hæc omnia iure meritò appellatur exacerbans.

V. 12. *Quoniam non conuertitur.* Iam illud explicuimus & cohæret cum ſuperioribus, dicit enim, quia non conuertitur à malitia ſua, ſed gladium ſuum acuit vt me occidat, arcum ſuum tendit & diſponit vt vibret in me ſagittas, quaſi diceret mors quotidiè mihi imminet, non ſecus ac illi qui ſtat expoſitus e regione arcus contra ſe intenſi.

V. 13. *Et ſibi parauit vaſa mortis.* Non ſibi tantùm ſed & illis qui me vnà cum illo perſequuntur, diſpoſuit & fecit ſagittas & inſtrumenta lethifera ad me interficiendum. Non deſunt qui vocem לו *lo* idem ſignificare putent ac בעבורו *baauouro*, hoc eſt, pro ſeipſo, ac ſi diceret, ſagittæ quas parauit illi ipſi paratæ ſunt, nam illis eſt interimendus. Dictio דולקים *dolequim*, eodem ſenſu accipienda eſt hoc loco ac in iſto: *Quam ob culpam meam & ob quod peccatum*
Gen. 31. *meum ſic exarſiſti poſt me?*
36. V. 14. *Ecce parturiit iniuſtitiam.* Comparat cordis humani cogitationes cum conceptu, quæ cùm exeunt ab ore aut opere complentur, ſimiles ſunt parturitioni & partui mulieris: enimuerò ſimilis eſt ſermo parturitioni, opus verò ipſum partui: dicit ergo Saulem locutum eſſe iniquitatem ore ſuo, quia eam in corde ſuo cogitauerat, ac ore & opere illam prodidiſſe. Cæterùm diuerſæ quidem voces ſunt און *auen* עמל *amal* & שקר *ſchequer*, ſed eandem hoc loco ſignificationem habent.

V. 15. *Ciſternam fodit & excauauit eam.* Idem quod ſuperiùs dicit, diuerſis tamen verbis & figuris, dicit igitur Saulem foueam effodiſſe, vt ſe in eam conijceret, in quam ipſemet caſurus eſſet; hìc enim prædicit fore vt Saul proprio gladio concidat; vtitur autem verbo præteriti temporis dum dicit: *Et incidit in foueam*, loco futuri, ſicut explicuimus.

V. 16. *Conuertetur labor eius in caput eius.* Iniquitas quam perpetrat in me perſequendo, redundabit in caput ipſius. *Et in verticem iniquitas eius deſcendet.* Rem eandem iterum dicit alijs vocibus.

V. 17. *Confitebor Domino ſecundùm iuſtitiam eius.* Et tunc confitebor Domino iuxta iuſtitiam eius quam in me exercuit. *Et pſallam nomini Domini*, quia ipſe eſt altiſſimus ſuper omnia & omnibus dominatur, facitque omnia ſecundùm beneplacitum ſuum in omnibus à ſe creatis.

PSALMVS OCTAVVS.

Præcentori ſuper Haggittith, Pſalmus Dauid.

1. DOmine, Domine noſter, quàm grande eſt nomen tuum in vniuerſa terra: qui poſuiſti gloriam tuam ſuper cœlos.

2. Ex

2. Exore infantium & lactentium fundaſti fortitudinem tuam, propter inimicos tuos vt ceſſare facias inimicum & vltorem. PSAL. 8.

3. Quando video cœlos tuos, opera digitorum tuorum; lunam & ſtellas quas tu firmaſti.

4. Quid eſt homo quòd memor es eius? & filius hominis quòd viſitas eum?

5. Minuiſti eum paulominus à Dijs: gloria & honore coronaſti eum.

6. Conſtituiſti eum Dominum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.

7. Oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.

8. Volucres cœli & piſces maris: tranſit ſemitas marium.

9. Domine, Domine noſter, quàm grande eſt nomen tuum in vniuerſa terra.

COMMENTARIVS.

P*Recentori ſuper Haggittih.* Iam ſupra declarauimus vocem gittith, ſignificare genus aliquod inſtrumentorum muſicorum. Et quidam tradunt Dauidem hunc Pſalmum compoſuiſſe cùm in Geth ciuitate verſaretur, ibique eum ceciniſſe. Dicunt alij, ipſum filijs Obed Edom Gethæi dediſſe decantandum. Eſt autem Pſalmus iſte, hymnus, & laus, & confeſſio in honorem Dei, & ſummæ eius poteſtatis enarratio.

V. 1. *Domine, Domine noſter.* Quid tu es? nempe Dominus omnium creaturarum, cum ſuperiorum tum etiam inferiorum. *Quam grande eſt nomen tuum!* Perinde eſt ac ſi diceret, quàm grandis es tu! * quia nomen eius eſt ipſemet, & ipſe eſt nomen ſuum; nomen ſcilicet illud quatuor conſtans literis, quodque non eſt nomen formale aut adiectiuum; atque illud grande eſt in vniuerſa terra. Vult porro dicere, potentia tua conſpicitur in omni terra, ſiue in habitabili, ſiue in deſerta, ſiue in mari, in omni prorſus terra, manifeſtè apparet potentia tua; verùm magnifica gloria tua virtúſque prævalida potiſſimùm in cælis apparet; terra enim res eſt exigua cum cœlo collata, eſtque veluti punctum in medio circuli. Cæterùm dictio תנה *tena* eſt infinitiuus loco præteriti נתתה *natatta*; eo enim modo ſolent vti pro præterito, vt in illo loco: *Nam & cerua peperit* ועזוב *vaazon & relinquere* pro & reliquit; & ſic in aliis adhuc locis. Ita etiam infinitiuus loco futuri & participij præſentis vſurpari ſolet, ſicut declara- Ierem. 14. 5.

* Loquitur de glorioſo & ineffabili nomine Dei quatuor literis *iod, he, vau & he* conſtante, quod ideirco à Græcis *Tetragrammaton* eſt dictum, & ita ſoli Deo proprium eſſe volunt vt in eo nulla ſit participatio inter Creatorem & aliquid aliud, eo quòd ſignificet aliquid quod neceſſariam habet exiſtentiam vt loquitur Maimonides parte 1. cap. 60. libri More. Inde eſſe videtur quod Kimhhi dicat hîc Deum eſſe nomen ſuum & è contra: cætera enim eius nomina potius ſunt epitheta & appellatiua, impoſita ipſi ab effectis aut attributis, citra vllam eſſentiæ eius affirmationem: vnde veteres Sapientes dixerunt ante mundum conditum nihil extitiſſe præter Deum & nomen eius.

Psal. 8. uimus in libro Miclol in parte illa vbi agitur de rebus Grammaticis. Senſus autem totius verſiculi eſt huiuſmodi, quàm celebre eſt nomen tuum in tota terra, & quàm grandis es tu qui poſuiſti gloriam tuam ſuper cœlos. Dictio הוד *hod*, potentiam & decorem ſignificat. Eſtque exponendum illud qui poſuiſti gloriam tuam ſuper cœlos hoc ſenſu, quàm præclarum eſt nomen tuum in omni terra, eò quòd virtutem poſueris in ſuperioribus illis rebus, quâ hæc inferiora dirigant: terra enim & omnia quæ ſunt in ea maria; & quæcumque in eis continentur ab iſtis ſuperioribus aguntur.

V. 2. *Ex ore infantium & lactentium fundaſti fortitudinem.* Primum omnium inter diuina miracula quæ apparent in homine, poſtquam eſt in lucem editus; eſt ipſa lactatio; gratias quidem agere debet homo conditori ſuo, & eius agnoſcere virtutem & potentiam, ob illa opera illius quæ in cœlis & terra videntur, ſed maximè propter miram corporis ſui conformationem, quòd formatum eſt ex genitali ſemine conuerſo in ſanguinem; indeque paulatim creſcit, donec perficiantur membra eius, & tandem in lucem huius mundi prodeat: & ea de
Pſal. 139. 1. re agitur etiam in Pſalmo illo qui incipit: *Domine inueſtigaſti me & cognouiſti me*, &c. Hic verò Pſalmus agit de principio egreſſionis hominis in lucem & de eius lactatione, vnde cognoſcuntur miracula Creatoris & eius bonitas erga homines; ac propterea dicit: *Fundaſti fortitudinem.* Vt enim fundamentum eſt initium ædificij, ita lactatio primum eſt quo diuina erga homines benignitas agnoſcitur, quam in illos exhibet ſtatim atque prodierunt in lucem; nam ita commodè Deus benedictus, foramen in maternis mamillis aptauit, vt eſſet anguſtum inſtar foraminis acus, non verò nimis amplum; ſi enim eſſet latius, lac inundaret abſque expreſſione intrarétque in os infantis pluſquam neceſſe ſit, adeout ipſum præfocaret. Sic etiam ſi eſſet anguſtius? itaut difficile eſſet infanti lac exſugere, labia eius læderentur, ſed omnia in modo & menſura à Deo diſpoſita ſunt. Et ea in re cæteris animantibus mirè præcellit homo, quòd matris eius mamillas eo in loco oppoſuerit Deus, vbi locus eſt intelligentiæ, ſicut tradiderunt Magiſtri noſtri piæ memoriæ, * & eam ob cauſam dicitur hic: *Ex ore infantium & lactentium fundaſti potentiam.* Inde enim quilibet agnoſcere poteſt omnia certâ intentione ſupremi intendentis fuiſſe coaptata, non ſicut impiè dicunt, diuini Numinis inimici, omnia cæco naturæ impetu & caſu fieri, & ſine moderamine dirigentis & intentione intendentis: & hoc eſt quod poſtea dicitur: *Vt ceſſare facias inimicum & vltorem.* Nam etſi hoc idem beneficium iumentis etiam & feris à Deo conceſſum ſit, ſoli tamen homini intellectus eſt datus, quo Dei agnoſcens opera gratias ei rependat, ac laudet pro omnibus, eóquòd ad ipſius vtilitatem omnia ſint condita: Quæ cùm ita ſint, meritò tenetur homo attentè contemplari, & agnoſcere Dei opera, atque debitas illi gratias & laudes referre de omnibus. Sapiens autem Magiſter Abraham, illud ita exponit vt velit Dauidem ſic eſſe locutum propter hominis præſtantiam ſupra cæteras mundi huius inferioris creaturas, nempe quòd ab eo tempore quo puer incipit primùm verba formare quod ſignificatur his verbis: *Ex ore infantium & lactentium*, tum incipiat naturali ſua diſpoſitione recipere virtutem animæ ſa-

* Hi enim exiſtimant cor intelligere, eò quòd mentis cogitationum ſapientiæ, affectus &c. ſedes eſſe cor dicatur, in ſcripturis.

pientis, donec tandem intelligat iudicio rationis ſuæ potentiam ſui conditoris, PSAL.
ſi quidem animæ virtus magis ac magis per dies ſingulos increſcit: Et ille eſt 8.
ſenſus horum verborum, fundaſti fortitudinem. Quod verò additur, *Propter inimicos tuos*, ſic explicat, vt confutes verba eorum qui negant iſta & dicunt non eſſe Deum. Magiſter verò noſter Moſes Sacerdos verba hæc: *Ex ore infantium*, ſic explicat, qui etſi nondum ore ſuo loqui poſſint, ipſi tamen in ſeipſis multa tua beneficia prædicant, quia paſcis eos facíſque vt corpus eorum augeatur longitudine ac latitudine.

V. 3. *Quando video cælos tuos*. Nullam hîc ſolis mentionem facit, hinc quidam opinantur ipſum noctu Pſalmum hunc compoſuiſſe, eo ſcilicet tempore quo lunam & ſtellas contemplabatur, & mira Dei opera conſiderabat. Alij dicunt quòd interdiu, ſolus ſol conſpiciatur, noctu verò maximus aſtrorum appareat exercitus, ideóque Dauidem ſolis non meminiſſe. Alii denique ſentiunt verba iſta: *Qui poſuiſti gloriam tuam ſuper cælos*, de ſole eſſe intelligenda, eóquòd magna ſit creatura; dicit igitur, quando cœlos tuos intueor, quaſi diceret, cùm magnas creaturas, quaſi in mundo habes, conſidero, & res humanas attendo, ſtupore attonitus exclamo, quid eſt homo, vt memoriam eius habeas? Illud porro, *quid eſt homo*? opponitur ei quod dixit, quàm grande eſt nomen tuum; hoc enim eſt ad amplificationem, illud verò ad diminutionem. Dicit igitur, cùm inſpicio cœlos tuos, lunam & ſtellas, quàm ſint ingentes creaturæ & * intellectu præditæ, quid eſt, inquam, homo quod memor eius fueris, & illum participem feceris gloriæ & decoris illorum intellectualium ſuperiorum, quæ non ſunt, vt ipſe, corpore? Imò etiam cùm magnitudinem eorum quæ corporea ſunt, intueor, & corporis eorum magnitudinem, aptiſſimamque diſpoſitionem, aduerto hominem cum illis comparatum, eſſe quaſi nihilum. Dicit verò, *Opus digitorum tuorum*; Et, *quæ tu aptaſti*, ad refutandos infideles qui dicunt mundum eſſe æternum, ideóque dicit, opus, & quæ firmaſti; quaſi diceret, quæ tu omnia, quaſi de nouo condidiſti. Dicit etiam video cœlos tuos, cùm tamen illi à nobis non videantur, ſed id tantùm quod nobis eſt proximum; ſed quoniam illi cuncta illuſtrant, non ſecus ac res quæ in vita eo vaſe poſita extrinſecus ſolummodo cernitur. Sapiens autem Magiſter Abraham filius Eſræ F. M. ſcribit, ideò Dauidem dixiſſe opera digitorum tuorum, quoniam vt decem ſunt digiti, ita etiam ſunt decem ſphæræ cœleſtes, nempe ſeptem cœli ſeu orbes, in quibus ſunt ſeptem planetæ; deinde ſphæra Zodiaci ſeu duodecim ſignorum, & nona ſphæra, quæ eſt ſupra ſphæram ſignorum, ac tandem decima, in qua eſt ſolium gloriæ.

V. 4. *Quid eſt homo quòd memor es eius & filius hominis quoniam viſitas eum*? Idem dicit iterum, ſed varijs dictionibus; aut per illud: quod memor es eius, vult dicere, quoniam ſingulari modo eius creationis memor fueris, quia aliquid gloriæ tuæ conceſſiſti illi, & viſitas eum per omnes dies quibus viuit, curam illius gerens, operúmque eius rationem habens, vt des vnicuique ſecundùm vias ipſius.

V. 5. *Minuiſti eum paulominus à Dijs*. Per Deos intelligit Angelos, eóquòd

* Plerique Hebræorum has opinione fuerunt imbuti, vt clarius infra patebit ad Pſalmum 19.

Psal. 8. anima hominis, Angelicæ conditionis ſit; illa enim non eſt quid corporeum, ſicut & ipſi ſunt incorporei. Defectus autem ille hominis infra Angelos eſt, —— quòd anima ſit coniuncta corpori. *Gloriâ & honore coronaſti eum.* Hoc eſt animâ, quæ ſuperioris eſt ordinis, quam in ipſo poſuiſti, per & quam feciſti vt dominaretur ſuper opera manuum tuarum, hoc eſt, in hæc inferiora creata; imò hoc etiam de ſuperioribus intelligi poteſt, ſuper quæ hoc dominium hominis in eo conſiſtit, quòd vi intellectus ſui, variarum ſphærarum & ſtellarum motum & circuitum intelligere poſſit.

V. 6. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus eius.* Hoc eſt, omnia hæc inferiora ſub illo
Gen. 9. 2. ſunt, vt dicitur: *Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli.*

V. 7. *Oues & boues vniuerſas.* Litera א *aleph*, vocis צאן *tſon*, hîc eſt abſcondita, & non expreſſè ſcribitur; eſt tamen vbi ה *he* vocis צנה *tſone* apparet mutatum in א *aleph*, ſcilicet in illo loco לצנאכם *litſonaachem*, pecudibus
Num. 32. 24. veſtris. Ouium autem & boum potiſſimùm meminit, eòquòd hæc animantia alantur apud hominem, ſuntque apta & deſtinata ad opus eius, ad cibum etiam & indumentum. Porro voce צאן *tſon*, agros & capras complectitur, dictio verò אלפים *alaphim*, boues ſignificat: additque *vniuerſas*, vt ſimul complectatur alia magna animalia ſeu iumenta, quæ apud homines aluntur, vt ſunt equi, aſini, cameli: quod verò addit, *Inſuper*, ſeu & etiam *beſtias campi*, ſiue feras agreſtes, hunc habet ſenſum, etiam illa animalia, quæ non enutrita ſunt cum illo in terra culta & habitata, hominis dominio ſubjecta ſunt, per eius nempe prudentiam & induſtriam additur.

V. 8. *Volucres cœli & piſces maris.* Hoc eſt, etiam in ea animantia quæ non ſunt in terra cum ipſo, vt volatile quod per aërem volitat, & piſces qui in aquis natitant, in ea, inquit, omnia dominatur homo ſuâ ſolertiâ & arte venatur & capit. *Tranſit ſemitas maris.* Suâ enim induſtriâ naues aptat, quibus maris ſpatia percurrit.

V. 9. *Domine, Domine noſter.* Iterum redit ad celebrandum Deum poſtquam abſoluit enarrationem bonitatis quâ vſus eſt erga hominem, & poteſtatis quam illi conceſſit ſuper omnia, cùm tamen ſit ipſe res parua & vilis, collatus cùm illis cœleſtibus creaturis, quibus tamen in hoc ſimilis eſt quòd intellectu ſit inſtructus, redit, inquam, ad Deum laudandum ac dicit: Domine, Domine noſter, &c.

PSALMVS NONVS.

Præcentori ſuper morte Labben, Pſalmus Dauid.

1. CElebrabo Dominum in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

2. Lætabor & exultabo in te : pſallam nomini tuo Altiſſime. PSAL. 9.

3. Cùm conuerſi fuerint inimici mei retrorſum : corruent & peribunt à facie tua.

4. Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam : ſediſti in ſolio, qui iudicas iuſtitiam.

5. Subuertiſti Gentes, & perdidiſti impium ; nomen eorum deleſti in ſæculum, & in æternum.

6. O hoſtis defierunt vaſtationes, tuæ, in finem, & ciuitates deſtruxiſti, perijt memoria earum, ipſæ.

7. Et Dominus in æternum permanebit : parauit ad iudicium thronum ſuum.

8. Et ipſe iudicabit orbem in iuſtitia : iudicabit populos in rectitudine.

9. Et factus eſt propugnaculum pauperi, propugnaculum temporibus in anguſtia.

10. Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum : quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

11. Pſallite Domino qui habitat in Sion : annuntiate inter Gentes opera eius.

12. Quoniam requirens ſanguines, eorum recordatus eſt : non eſt oblitus clamores pauperum.

13. Miſerere mei Domine : vide afflictionem meam de inimicis meis, qui exaltas me de portis mortis.

14. Vt annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion : exultem in ſalute tua.

15. Demerſæ ſunt Gentes in foueam, quam fecerunt : in reti, quod abſconderunt, captus eſt pes eorum.

16. Cognitus eſt Dominus, quando, iudicia fecit : in opere manuum ſuarum illaqueatus eſt peccator : meditatio ſemper.

17. Conuertantur improbi in ſepulchrum : omnes Gentes quæ obliuiſcuntur Deum.

18. Quoniam non in perpetuum obliuio erit egeni : expectatio pauperum, non, peribit in ſæculum.

19. Exurge, Domine, non roboretur homo : iudicentur Gentes in conſpectu tuo.

20. Pone, Domine timorem eis : ſciant Gentes quòd homines ſunt.

COMMENTARIVS.

P*Recentori ſuper morte* Labben. Plerique interpretum opinantur Dauidem
hunc Pſalmum edidiſſe de quodam ſuo hoſte mortuo, qui eſſet ex gentium
Principibus, vexaſſétque Iſraëlitas, quique vocatus fuerit Labben, poſt
cuius mortem Dauid hunc Pſalmum compoſuerit. Quidam ſunt qui exi-
ſtiment vocem Labben dici pro Nabal, per tranſpoſitionem, dicuntque
Dauidem hunc Pſalmum edidiſſe quando mortuus eſt Nabal Carmelites; ſed
hoc alieniſſimum videtur; nam argumentum huius Pſalmi eſt de aliquo homi-
ne, qui mala multa Iſraëlitis intulerit: Nabal autem nulli Iſraëlitarum quid-
quam mali intulit, niſi tantùm quia rebus ſuis auarè vtebatur. Alij dicunt לבן
laben idem eſſe ac ſi ſcriberetur cum litera י *iod* לבין *lauein*, vt denotetur Go-
1. Sam. liath, qui dictus eſt vir הבנים *habbenaim*, hoc eſt medietatum, quem cùm
17. 4. interfeciſſet Dauid, hunc Pſalmum compoſuerit. Dominus autem pater meus
piæ memoriæ, ſcribit hunc quidem Pſalmum de Goliath fuiſſe editum, dictio-
nem tamen Labben, de aliquo cantore videri explicandam, qui vocatus fuerit
1. Paral. בן *ben*, quoniam ſcriptum eſt in verbis dierum: *Et cum eis fratres eorum, in*
15. 20. *ſecundo ordine Zacharias & Ben & Iahiel, &c.* Vox autem עלמות *almont*, ſic
eſt explicanda ac ſi eſſent duæ dictiones in vnam coaleſcentes, ſicut vnicâ vo-
ce reperitur illud עלמות שיר *aalamot ſchir*, pro על עלמות *aal aalamot*, ſu-
per puellis canticum. Sic etiam alibi duplex videtur eſſe dictio, & ſignificatio
Ierem. eſt vt vocis vnius, vt יפה פיה *iephe phia*, vitula pulcherrima Ægyptus. Et
46. 20. פקח קח *pechahh coahh* apertionem vinctis, &c. Et licet litera ל *lamed* vocis
Iſa. 61. 1. לבן *Labben*, habeat *patahh* quòd non ſolet fieri, cùm præponitur nomini pro-
prio hominis, non enim diceres ליצחק *laiſtſahh &c.* quoniam ה *he* notificati-
uum non venit cum nomine ſubſtantiuo; hîc tamen apponitur notificationis
ſignum ad docendum: ſi enim legeretur ל *lamed* cum *ſchena*, non notum eſſet
eum loqui de cantore, cuius nomen erat בן *ben*. Nihilominus tamen rectus eſt
ſenſus Pſalmi, ſi de Goliath Philiſtæo exponatur.

V. 1. *Celebrabo Dominum in toto corde meo.* Quoniam ſalus magna parta fue-
rat Dauidi & toti populo Iſraël, mortuo Goliath, propterea dicit, in toto
corde meo. *Narrabo omnia mirabilia tua.* Nam ob vnum mirabile Dei opus,
debet homo cætera enarrare mirabilia quæ priùs effecta fuerunt, iuxta illud
Pſal. 111. quod dicitur, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum.*
4. V. 2. *Lætabor & exultabo in te.* Speraui enim in te cùm venirem vt cum illo
Goliath, certamen inirem, quoniam ego adhuc tum eram puer, ipſe verò vir belli
peritiſſimus. *Altiſſime.* Quoniam tu longè ſupra omnia exaltatus es, itaut om-
nem hominis cuiuſlibet potentiam conterere & vanam efficere poſſis.

V. 3. *Cùm conuerſi fuerint hoſtes mei retrorsùm, corruent, &c.* Omnes enim
1. Sam. Philiſtæorum copiæ fugerunt & actæ fuerunt retrorsùm, vt ſcribitur: *Viden-*
17. 51. *tes autem Philiſtijm, quòd mortuus eſſet fortiſſimus eorum fugerunt.*

V. 4. *Quoniam feciſti iudicium meum.* Tu pugnaſti pro me, magnum enim
fuit miraculum, quòd lapis penetrauerit ad frontem eius, qui totus erat ferro
circumtectus, & tamen lapis eum inuaſit locum qui in fronte eius erat denuda-
tus. *Sediſti in ſolio.* Nempe iudicij, tu qui iuſtiſſimus es Iudex, vt tua contra

eum iudicia exerceres, eoquòd probris affeciſſet acies Dei viuentis: Litera autam ל *lamed* in voce לכסא *lechihhe* eſt loco ב *beth*. Ita etiam in iſtis locis
ante conſpectum veſtrum לחרב *lehhereu*, pro בחרב *behhereu* in gladio. Et: *Occidi virum* לפצעי *lephitſi*, pro ב *be* in vulnus meum. Leu. 26. 8.

V. 5. *Subuertiſti Gentes.* verbum גער *gaar*, conſtructum cum alia dictione Gen. 4.
ſine præpoſitione ב *be*, ſubuerſionem denotat, vt hoc in loco, ſic & infra; *Sub-* 23.
uerte extum eorum qui vtantur lanceis. Et, *Ecce ego ſubuerto in vobis ſemen.* Di- Pſal.
cit igitur, ſubuertiſti Gentes, hoc eſt, Philiſtæos: *Perdidiſti impium*, nempe 68. 31. Mal. 2. 3.
Goliath Philiſtæum. Nomen eorum deleſti, hoc dicit de illis qui in bello fuerant interempti, ſicut dicitur: *Et ceciderunt vulnerati ex Philiſteis. In ſeculum &* 1 Sam.
in perpetuum, dictio עד *aad* ſignat longè maius temporis ſpatium, quàm dictio 17. 52.
עולם *oolam*: Notatur vocali *patah*, quando non eſt in fine verſus, & ſine accentu Atnahh vt ואל לעד *veal laad*, *& ne in perpetuum recorderis iniquitatis.* Eſai. 64.
Imò etiam cum accentu *Atnahh* vt, Nonne cognouiſti hoc מניעד *minniaad*, 9.
à ſæculo. At quando hæ duæ dictiones ſunt in fine verſus עד *eed*, habet voca- Iob. 20.
lem ſegol.

V. 6. *O hoſtis deſierunt vaſtitates tuæ.* Litera ה *he* dictionis האויב *haoieb*, eſt *he* vocatiui caſus index, vt in iſtis locis, הקהל *hacahal*: O cœtus vnum præ- Num. 15.
ceptum erit vobis! Et הדור *haddor*, ô generatio! vos videte verbum Domini. 15.
Quia verò dixerat: *Nomen earum deleſti*, dicit è contra: ô hoſtis, nomen tuum Iere. 2.
deletum eſt! quaſi diceret, ſicut deletum eſt nomen ciuitatum quas in ſolitu- 31.
dinem redegiſti, quæ finem perpetuum acceperunt, perijtque memoria earum, ſic etiam nunc memoria tua omnino peritura eſt. Dominus autem Pater meus P. M. ſic voces illas תמו חרבות *tammou haranot*, exponit deſolationes quas feciſti, non amplius facies. Sapiens autem Aben Eſra F. M. ſic explicat. An quia penitus conſumpta ſunt ea quæ deuaſtaſti, & etiam vrbes quas euertiſti, quarum perijt ipſa memoria, putas quòd ſis euaſurus, & oblitus es quòd Deus permaneat in æternum? quòd verò ſubjungitur: *Memoria earum ipſæ*, ſic accipi debet, vt ſit tantùm geminatio pronominis, cùm מ *mem*, vnum vocis זכרם *zicram* ſufficeret. Vel ſenſus erit eiuſmodi. Et ita perijt memoria earum, vt qui viderint earum ruinas, dicturi ſint, non amplius ſunt ipſæ, ſed quòd fuerint ibi ciuitates quondam ædificatæ. Et ſecundùm hanc expoſitionem, vox המה *hemma*, erit cum admiratione legenda.

V. 7. *Et Dominus in æternum permanet.* Illi & iſti peribunt, at Dominus permanet in æternum & hos & illos iudicat; & hoc eſt quod ſubjungitur: *Parauit ad iudicium thronum ſuum*; ſicut etiam alibi dicitur: *Ipſi peribunt, tu au-* Pſal. 102
tem permanebis. Verbum illud ישב *iaſchau*, durationem & firmam ſubſiſten- 13.
tiam ſignificat, vt infra, Dominus ſupra diluuium ſedit.

V. 8. *Et ipſe iudicabit orbem terræ in iuſtitia.* Vox תבל *theuel*, terras ſignificat hominum habitationi commodas; dicit igitur, ſicut iudicabit iudicia iuſtitiæ, ſic ipſe iudicat in omni tempore populos in iuſtitia & rectitudine; cumque populus vnus aduersùs alium præualet, hoc totum eſt iudicium ab illo præſtitutum.

V. 9. *Et factus eſt propugnaculum pauperi.* Omni tempore quo ipſe iudicat mundum, eſt propugnaculum pauperis, tam etſi abjectus ſit ſine robore & ſi-

Psal. 9. ne potentia, non tamen eum deſerit nec fortioribus illo permittit, ſed ipſi eſt propugnaculi inſtar, ad quod confugit afflictus & liberatur, quemadmodum eripitur homo ab hoſtibus in arce aliqua munitiſſima; ſicut etiam hodie Iſraëlitæ liberantur per illum, eſtque ipſis inſtar fortiſſimæ turris & aſyli eo tempore quo verſantur in anguſtia. Eâ etiam tempeſtate magna calamitate premebantur Iſraëlitæ propter Philiſtæum illum, ipſiſque longe fortiores erant Philiſtæi,
1. Sam. 9. 16. ſicut dicitur de Rege Saule: *Quia reſpexi populum meum, clamor enim eorum venit ad me.*

V. 10. *Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum.* Æquiſſimum eſt vt ſperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum inter Iſraëlitas, quoniam viderunt te non deſeruiſſe eos qui quærunt te, Domine, ſed eis adfuiſſe in tempore calamitatis eorum.

V. 11. *Pſallite Domino qui habitat in Sion.* Dicit ei qui habitat in Sion, licet Sion adhuc tum eſſet in poteſtate Iebuſæorum, quia traditio erat apud eos, ibi habitaturam aliquando Dei gloriam, * ibique ædificandam domum ſanctuarij, erat enim Sion caput Ieruſalem: *Annuntiate inter Gentes opera eius.* In quemcumque locum iueritis, annuntiate opera & mirabilia eius quæ fecit vobiſcum.

V. 12. *Quoniam requirens ſanguines.* Deus qui inquirit in ſanguines miſerorum de manu opprimentium eos, eorum ſanguinum recordatus eſt, quos Philiſtæi effuderant in Iſraële. *Non eſt oblitus clamorem pauperum.* Dictio עניים *aniim*, ſcribitur cum י *iod*, & legi debet cum ו *vau*, ענוים *anauim*, humiles enim ſunt vt plurimùm ſimiles pauperibus & infirmis.

V. 13. *Miſerere mei Domine.* Vocalis *patah* ſub litera ח *hhet*, vocis חננני *hanneni*, oſtendit ipſam eſſe coniugationis daguessatæ, licet habeat ſecundam radicalem, *lenem*, ſeu abſque dagues; quomodo etiam legitur hæc dictio בהתחננו
Gen. 42. 21. *behithhaneno*, dum deprecaretur nos. *Vide afflictionem meam ab inimicis meis.* Mihi illatam, ſicut vidiſti ab iſto hoſte nempe Goliath. *Qui exaltas me de portis mortis.* Omnes enim arbitrabantur me caſurum eſſe manu Goliath. Per portas mortis, imminens mortis periculum ſignificatur; ſicut ianua domui eſt proxima.

V. 14. *Vt annuntiem omnes laudes tuas.* Cùm ſemel fuero liberatus ab iis qui me odio proſequuntur, narrabo omnes laudes tuas in portis filiæ Sion; ibi enim locus erit confeſſionis, & deſtinatus canticis & Pſalmis decantandis, quoniam manſura ibi erat gloria Dei. *Exultem in ſalute tua.* Hoc eſt in ſalute quam mihi afferes dum me liberabis ab omnibus qui me odio proſequuntur: dicit verò
Deut. 22. 15. in portis, quòd ita intelligendum eſt ac illud: *ad portam ad ſeniores vrbis.* Dictio autem תהלתיך *thehillateca*, ſcribitur cum י *iod* ſignificare enim voluit multas laudes; & in hac voce deeſt ſignum plural. num. gener. fœmin. & ſcribitur cum ſola nota plural. numeri. maſc. gener. Eodemmodo ſcriptæ ſunt voces iſtæ: laboraſti in multitudine עצותיך *aatzoteca*, conſiliorum tuorum; Et
Eſa. 47. Ezech. 16. 46. ואחותך *vaahoteca*, & ſorores tuæ Sodoma, & ſorores eius. Quòd verò dicat

* Per gloriam Dei intelligi poteſt Arca fœderis, ex 1. Sam. 4. vel Dei præſentia quæ ibi apparebat: diciturque Hebræis שכינה *ſchechina*.

hoc

hoc loco, *vt enarrem omnes laudes tuas*, cùm in alio dixerit: *Quis loquetur* PSAL.
potentias Domini, ſic debet intelligi, vt dicat, enarrabo omnes laudes tuas, lo- 9.
quens de anguſtijs quibus affectus fuerat; tum enim laudem ac gratiarum actio-
nes Deo rependit, qui eum ab hoſtibus eruit; cùm verò enarrare incipit miranda Pſal.
opera quæ Deus ob Iſraëlitas patrauit per ſingulas generationes, tum dicit, 106. 2.
quis auditam faciet vocem laudis eius, vtens ſolo ſingulari numero. Imò ne-
quidem ea miracula quæ Deus benedictus ex ſua miſericordi bonitate in ipſum
exhibuit valet enarrare, vt ipſemet profitetur: *Annuntiabo, inquit, & loquar,* Pſal.
multiplicata ſunt ſuper numerum. Contingit enim aliquando vt Deus bened. ho- 40. 6.
minis alicuius gratia miraculum faciat, quod tamen ipſe non agnoſcat ante tem-
pus quo illud attentè recogitat; hinc dixerunt Magiſtri noſtri P.M. Is cuius gra-
tiâ fit miraculum non agnoſcit illud. Cùm igitur dicit Dauid, omnes laudes
tuas, de illis miris operibus loquitur quæ Deus cum ipſo fecerat, quæque nota
erant omnibus, vt pote patrata in bellis quæ contra hoſtes geſta fuerant.

V. 15. *Demerſæ ſunt Gentes in foueam quam fecerunt.* Philiſtæi ſcilicet qui
venerant pugnaturi contra nos, cogitauerant fore vt nos proſternerent, at ipſi
tamen corruerunt & in reti quod abſconderant vt nos caperent, comprehen-
ſus eſt pes eorum. Et pronomen זו *zou* hîc idem ſignificat, ac אשר *aſcher*: vt in Eſai. 42.
iſto etiam loco, eoquòd peccauimus in eum, vel ſimpliciter exponi poſſunt eo- 24.
dem ſenſu quo pronomen זה *ze*.

V. 16. *Cognitus eſt Dominus quando iudicia fecit.* Tunc in bello iſto, agnitus
eſt Dominus, quoniam deuicerunt Iſraëlitæ Philiſtæos, licet ipſorum robur &
potentia eſſent exigua, collata cum viribus hoſtium: nec verò eos vnquam de-
bellare potuiſſent, niſi Deus pro Iſraële decertaſſet. *Iudicia fecit.* Nempe in
Philiſtæos. *In opere manuum ſuarum illaqueatus eſt peccator.* Ipſe eſt Goliath,
qui proprio gladio fuit occiſus. Et dictio נוקש *nokeſch* habet quidem *tſere*,
ſed perinde eſt ac ſi haberet *patahh*; eſtque coniugationis niphal. Poteſt etiam
ita explicari vt נ *nun*, ſit radicale, & verbum neutrum eiuſdem ſignificationis
cum illo: *Et laqueos tendunt qui quærunt animam meam*; quia יקש *iaquaſch*, & Pſal. 38.
נקש *naquaſch* eiuſdem ſunt ſignificationis. *Meditatio ſemper.* Salus iſta nobis 13.
eſt perpetua meditationis & gratiarum actionis materia.

V. 17. *Conuertantur improbi in infernum.* Hoc eſt in ſepulchrum; dicit ve-
rò reuertantur, iuxta illud: *Et in puluerem reuerteris.* Porro illud, conuertan-
tur, dictum eſt per modum orationis, ac ſi diceret, ſicut mortui ſunt iſti ho- Gen. 3.
ſtes Iſraëlitarum, ſic moriantur omnes qui obliuiſcuntur Deum. Cæterum in 19.
Deras, illud לשאולה *liſchola*, de inferno, ſeu *gehenna* intelligitur, vbi ita de
verbo iſto diſſerunt, quare dixit Dauid לאשולה *liſcheola*, nonne litera ה *he* in
fine dictionis ſemper idem valet quod ל *lamed* in principio eiuſdem? quare er-
go dixit לשולה cum ל *lamed* ab initio etiam? Nempe ad innuendum homi-
nes eiuſmodi deſcenſuros eſſe ad infimam partem, aut in imos gradus inferni.

V. 18. *Quoniam non in perpetuum obliuioni erit pauper.* Si in calamitatibus
verſantur Iſraëlitæ per Philiſtæos, hoc non longo durabit tempore, nam ex-
pectatio pauperum non peribit in perpetuum. Hic particula לא *lo* non, po-
ſita in prima parte verſus, eſt pro duabus; hic enim mos eſt linguæ ſanctæ in
multis locis. Vox etiam ענוים *ananim*, ſcribitur quidem cum ו *vau*, at legi

Psal. debet cum י *iod* עניים *aniim*, quæ duæ dictiones vicinæ ſunt, fit enim ſæpius
9. vt pauperes ſint humiles.

V. 19. *Exurge Domine non roboretur homo.* Dictio קומה *quonma*, habet accentum in vltima, dicitque hîc: exurge, ſicut alibi dixit, exaltare; quæ omnia figuratè ſunt dicta, vt nimirum, Deus exurgat ad iudicandos improbos. *Non roboretur homo.* Illi nempe homines quibus robur eſt & potentia ſupra Iſraëlitas, non maius robur accipiant. *Iudicentur Gentes in conſpectu tuo.* Hîc על פניך *aal paneca*, ſignificat idem ac לפניך *lepaneca*, coram te: quo etiam modo accipitur in illo loco, *non habebis Deos alienos* על פני *aal panai, co-*
Exod. 20. 3. *ram me.*

V. 20. *Pone, Domine, timorem eis.* Vox שיתה *ſchita* accentum habet in vltima; & dictio מורה *mora* habet ה *he* pro א *aleph.* Dicit porro Dauid Deo, vt efficiat vt ipſum metuant & agnoſcant ſe eſſe tantummodò homines miſeros ac imbecilles, nihilque prorſus habere roboris, ſi cum Deo comparentur, nam ſignificatio vocis אנוש *enoſch* deſumenda videtur ex illo loco, quid clamas
Ier. 30. 12. ſuper contritione tua, inſanabilis eſt dolor tuus?

PSALMVS DECIMVS.

1. QVare, Domine, ſtas in longinquo? abſcondis te ad tempora in anguſtia.

2. In ſuperbia improbus perſequitur pauperem; comprehendantur in conſilijs quæ cogitant.

3. Quoniam laudat ſe peccator ſuper deſiderio animæ ſuæ: & auarum benedicit & exacerbat Dominum.

4. Peccator præ elatione faciei ſuæ non quærit: non Deus, omnes cogitationes eius.

5. Dolore afficiunt viæ illius in omni tempore: altitudo ſunt, tua iudicia à facie eius, omnes hoſtes ſuos ſufflat.

6. Dixit enim in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem qui, ſum, ſine malo.

7. Execratione os ſuum impleuit & fraudibus & dolo: ſub lingua eius labor & iniquitas.

8. Sedet in inſidijs villarum, in occultis interficit innocentem: oculi eius in pauperem clam reſpiciunt.

9. Inſidiatur in abſcondito quaſi leo in tugurio ſuo: inſidiatur vt rapiat pauperem, rapit pauperem dum attrahit eum in rete ſuum.

10. Deprimit ſe, inclinat ſe, & cadit in vires eius turba pauperum.

11. Dixit enim in corde ſuo, obliuiſcitur Deus: auertit faciem ſuam ne videat in perpetuum. Psal. 10.

12. Exurge, Domine, eleua manum tuam: ne obliuiſcaris pauperum.

13. Propter quid irritat improbus Deum? dicit in corde ſuo, quòd, non requires.

14. Vides, quippe tu laborem & dolorem conſideras, vt tradas in manus tuas: tibi derelinquet ſe pauper, orphano tu fuiſti adiutor.

15. Contere brachium improbi & maligni: quære peccatum eius, non inuenies.

16. Dominus Rex in ſæculum & in æternum: perierunt Gentes de terra illius.

17. Deſiderium humilium exaudis, Domine: præparas cor eorum, audit auris tua.

18. Vt iudices pupillo & humili: non vt addat vltra graſſari ſuperbè homo de terra.

COMMENTARIVS.

V. 1 Q*Vare, Domine ſtas in longinquo?* Pſalmum hunc non edidit Dauid de re aliqua peculiari, ſed vt eſſet oratio quam orare poſſet, homo quilibet conſtitutus in calamitate & ab hoſtibus impetitus: narratque in eo mores & agendi rationes improbi opprimentis pauperem, cum maximè qui ſeſe non valet ab eo liberare: Et quoniam vis & iniuria non palam & apertè, vt plurimùm infertur, deſcribit calumniam quâ improbus clam & per inſidias pauperem opprimit: quo iniuriæ genere, populi huius mundi affecturi erant Iſraëlitas, in terris ipſorum exulantes: quapropter dicit: Perierunt Gentes de terra illius. Item addit & illud, vt non apponat ampliùs graſſari homo de terra. Dicit igitur: *Quare Domine ſtas in longinquo?* Cùm enim à Deo obuenit auxilium pauperi ad ipſum clamanti, perinde eſt ac ſi ad eum Deus accederet & opem ferret, ſicut dicitur: *Quæ habeat Deos appropinquantes ſibi.* Cùm verò Deut. 4. 7. hoſtis in eum præualet, perinde eſt ac ſi Deus procul inde ſtaret, & ſuos oculos ab afflicto abſconderet; ideò dicit, quare Domine ſtas in longinquo? litera ב *beth* ante vocem רחוק *rahhoq* polita eſt pro duabus, vult enim dicere, in loco remoto. *Abſcondiſ te ad tempora in anguſtia.* Hoc eſt, ijs temporibus quibus pauper in anguſtia verſatur.

V. 2. *In ſuperbia improbus perſequitur pauperem.* Hîc dicitur quod fit palam, cùm ſcilicet improbus apertè & cum ſuperbia miſerum perſequitur. *Comprehendantur.* Oratio eſt hunc habens ſenſum, fiat ex decreto diuinæ voluntatis tuæ, vt comprehendantur improbi in cogitationibus quibus ipſi cogitauerunt opprimere pauperes. Et pronomen זו *zou* idem ſignificat hîc, ac אשר *aſcher*, Eſa. 42. ſicut etiam accipitur iſto in loco: *Dominus ipſe* זו *zou cui peccauimus.*

Psal. 10. V. 3. *Quoniam laudat ſe peccator ſuper deſiderio animæ ſuæ.* Eóquòd laudat
ſeipſum de concupiſcentia cordis ſui cui planè ſatisfacit, cùm nemo ſit qui
eum ab hoc impedire poſſit, oſtende tu ipſi quòd ſit aliquis longè eo ſupe-
rior, & capiatur in eo quod deſtinauit exequi. *Et auarum benedicit, & exacer-
bat Dominum.* Improbus benedicit & laudat auarum & eum omnem qui ſuos
mores imitatur, & grauiter Deum exacerbat, quaſi de illo diceret, non eſſe
potentiam in manu illius quâ liberet oppreſſum è manibus ſuis; aut quaſi pro-
uidam eius curam non habeat, iuxta illud quod mox ſequitur: Dixit in corde
ſuo, non requires.

V. 4. *Improbus præ altitudine faciei ſuæ.* Superbia cordis apparet in facie,
denotatur enim hîc facies per vocem אף *aph*, quæ naſum ſignificat, eóquòd na-
ſus pars elatior cæteris in facie emineat: ſic vſurpatur eadem vox in iſtis locis.
Et cecidit ſuper לאפיו *leappau* naſum ſuum, hoc eſt, על פניו *aal panau* ſuper
1. Sam. faciem ſuam, item: Et incuruatus eſt אפים *appaim*, naſo in terram, quod
20. idem eſt ac על פנים *aal panim* ſuper faciem. *Non requiret.* Præ elatione &
Gen. 9. ſuperbia ſua non requiret Deum, nec orabit in conſpectu eius. *Non Deus omnes
cogitationes eius.* Omnes improbi cogitationes & opinationes de eo ſunt, nempe
quòd non ſit Deus, qui in terris humana iudicet, ac proinde licitum eſſe ho-
mini impunè facere quidquid libuerit, cùm nemo ſit qui in res humanas inqui-
rat aut earum rationem exigat, quoniam, inquit, non requiret Deus.

V. 5. *Dolore afficiunt viæ eius.* Dictio יחילו *iahilou*, hîc dolorem ſignificat
Pſal. 48. iuxta illud: *Dolor quaſi parturientis:* dicit igitur prauas impij vias omni tem-
7. pore pauperes dolore afficere, quia quandiu ille in mundo eſt, hi ab ipſo ſibi
timent. *Altitudo ſunt iudicia tua à facie eius.* Quoniam ipſum non attingunt;
ac idcirco ſuperbè inſoleſcit. *Omnes inimicos ſuos exſufflat.* Inimici eius ſunt
pauperes & miſeri, quos exſibilat, hoc eſt, non pluris ab eo æſtimantur quàm
oris halitus. Vel dictio יפיח *iapiah* habet ſignificationem פח *pah* reti & la-
quei, quaſi diceret laqueum diſponet ad eos capiendos ſicut dicitur illi; *Viri*
Prou. *deriſores illaqueabunt ciuitatem.*

29. 8. V. 6. *Dicit in corde ſuo non mouebor.* Apud ſeipſum cogitat ita de ſeipſo,
non mouebor in æternum, non exturbabor ab hac magnitudine mea in gene-
rationem & generationem. *Qui ſum ſine malo.* In generationem & genera-
tionem viuam, nec enim verſabor vnquam in malo, nihilque aduerſi experiar,
ideóque longiſſimo tempore viuam.

V. 7. *Iuramentu os ſuum implet.* Is enim mos eſt improbi, cùm vult alios
decipere, vt iuret eis pleno ore, vt ſic exiſtimetur tota animi ſui intentione
iurare: omnia tamen eius iuramenta nihil aliud ſunt quàm fraudes & dolus.
Dictio verò תוך *toc*, eandem hîc ſignificationem habet ac vox מרמה *mirma*,
dolus, indeque dolus ita dicitur quòd homo fraudulentus aliud habeat in me-
dio cordis ſui, quàm quod ore ſuo demonſtrat. *Et ſub lingua eius labor & in-
iuſtitia.* Cúmque lingua ſua iurat, ſub eadem labor & iniquitas deliteſcunt;
cor autem ſub lingua eſt, quòd eſt abſconditum & diuerſum ab eo quod per
linguam fit manifeſtum, iuxta illud: *Et iniuria ſub lingua eius*, quod & ipſum
Exod. de corde dicitur. Cæterùm vocabulum מלא *male*, non eſt nomen adiecti-
40. 34. uum, ſed verbum, vt in iſto loco: *Et gloria Domini* מלא *male*, *adimplenit*

tabernaculum: hîc ergo dicitur quòd improbus os ſuum iuramentis impleat vt fides illi ab aliis adhibeatur eoſque facilius decipiat. PSAL. 10.

V. 8. *Sedet in inſidijs villarum.* Vox חצרים *bhatſerim* ſignificat vrbes ſine muris, ſeu pagos, iuxta vias poſitos, iuxta illud: *Aſdot cum caſtellis & villis ſuis.* Ioſ. 15. Item, *pagi in quibus habitat Cedar.* Ita etiam: *Inſtar, vrbium abſque muro habitabitur Ieruſalem.* Eſ. 42. Zach. 2. *In occultis interficit innocentem.* Vt plurimùm enim improbus mala ſua opera non palam facit, ſed in inſidijs conſiſtit ac in latibulis, eóquòd cauet ſibi ne videatur ab hominibus, non verò curat Deum omnia intuentem. *Oculi eius in pauperem ex occulto reſpiciunt.* Dictio חלכה *helca* idem prorſus valet ac חלך *helee* literera enim ה *he* addita eſt paragogicè; & idem eſt ſenſus, ac ſi eſſet לעני *leaani* in afflictum; dicit igitur oculos improbi pauperem obſeruare vt eum poſſit apprehendere. Vox autem יצפנו *itſpenou*, eſt verbum abſolutum, ac ſi diceret oculos ſuos in loco occulto diſponit, & inde vias obſeruat.

V. 9. *Inſidiatur in abſcondito ſicut leo.* Improbum cum leone comparat qui manet abſconditus in luſtro ſuo, indeque inſidiatur aliis animantibus, ſi quæ fortè iuxta eum tranſeant, aut ei appropinquent, ne ſcilicet ab eo ſibi caueant & auffugiant ſi ipſum intuerentur; cúmque viderit prædam aliquam, ſtatim eam abripit; hinc dicitur חטיפה *bhatipha* illud quod celeriter rapitur. Ad eum etiam modum improbus ſedet in occultis inſidiis: illum etiam hîc venatori ſeu aucupi aſſimilat; qui quidem rete ſuum expandit & procul ab eo conſiſtit, ne ſibi ab eo caueat auis: funes verò retis manibus ſuis tenet, cúmque in caſſes auis inciderit, mox funibus, quos manu tenebat, retia contrahit, atque hoc modo capitur auis. Ita etiam improbus agit, aliquando enim non latitat in inſidiis, ſed procul ab itinere ſeſe conſtituit, quominus ab eo ſibi caueant homines. Cùm verò pauperes aliquos ſibíque viribus inferiores aduertit in viis, mox accurrens, eos inuadit. Aut aliquos è ſuis ſodalibus abſque armis in itineribus collocat, ipſe verò cum armatis procul inde conſiſtit, cúmque homines aliqui imbecilliores tranſierint, iſti inermes ſignum dant armatis, qui continuò aduolant, qui proinde inermes, idem præſtant armatis, quod rete aucupi. Aliam præter ea technam refert quâ vtitur improbus, & ea eſt quam recenſet his verbis.

V. 10. *Deprimit ſe, inclinat ſe.* Vox ידכה *idche*, ſcribitur quidem cum ו *vau*, ſed legi debet cum י *iod*; duæ enim hæ literæ ſunt permutabiles. Dicit igitur aliam eſſe adhuc artem quam adhibet improbus quâ pauperes capiat, nempe attritum ſe & depreſſum ſimulat, & ſocii eius infirmos ſe, & viribus contractos exhibent, vt minùs cautè cum illis agant homines, ſed vnâ cum illis itineri ſe committant, at vbi procul ab hominum frequentia & domibus ſunt progreſſi, tum oſtendunt eis robur ac vires ſuas, eóſque hoc modo comprehendunt. Et hoc eſt quod ſubiungitur. *Et cadet in vires eius turba pauperum.* Vox enim חלכאים *bhelcaim*, ſcribitur vt dictio vnica, ſed vt duæ dictiones debet legi hoc modo, חל כאים *bhel caim*, ac ſignificat turbam attritorum hominum & infirmorum. Dictio autem עצומיו *aatſoumau*, eſt nomen adiectiuum quod refertur ad membra eius fortia ſeu robuſta, ſcilicet ad manus & ad pedes eius. Has porro technas omnes improbi recenſuit, vt oſtenderet impium ſibi tantùm cauere ab hominibus, non verò à Deo, quem nullo modo ſe reuere-

Psal. 10. ri demonſtrat, quoniam apud ſe cogitat Deum non videre aut cognoſcere ea quæ hic geruntur, vt ex illius verbis ſequentibus apparet.

V. 11. *Dixit in corde ſuo, obliuiſcitur Deus.* Siquidem aliquando nouerit, at modò obliuiſcitur; vel ſenſus eſt, non nouit omnino; inſtar hominis qui rem aliquam, ita oblitus eſt, vt eam amplius nec memoriâ, nec notitiâ complectatur; vel denique ſicut homo qui rem aliquam nouit quidem, ſed conſpectum ſuum ab ea auertit, nec eam vltra vult intueri; & ea de cauſa ſubiungit.

V. 12. *Exurge Domine.* Quandoquidem improbus dicit te nihil videre, exurge & eleua manum tuam aduerſus eum, & ne obliuiſcaris pauperum ſicut malus dicere ſolet. *Obliuiſcitur Deus eorum.* Et ſcribitur עניים *aanim* miſerorum, & legi debet, ענוים *aauanim* humilium.

V. 13. *Propterquid irritat improbus Deum?* Quare enim improbus te irritat, niſi quia cogitat & dicit apud ſe, te non inquiſiturum aut curaturum ea quæ dixerit aut fecerit?

V. 14. *Vides, quippe tu laborem, &c.* In dictione ראתה *raita*, deeſt litera י *iod* quæ adeſſe deberet aſſcripta loco tertiæ radicalis; ſenſuſque eſt, dicit impius te nihil videre rerum humanarum, cùm tamen omnia intuearis, verè etenim vides moleſtiam & iniuriam quibus improbi miſeros afficiunt, videbis, inquam, tunc. *Vt tradas in manum tuas.* Cùm voles vindicare pauperes de improbis. *Tibi enim derelinquit miſer*; hoc eſt, afflictus, cauſam ſuam, quoniam aduertit quamſæpiſſimè te auxilio fuiſſe pupillo, & ei cui non erat potentia: quapropter ipſe te defenſorem ſuum expectat, tibique ſuum iudicium & cauſam relinquit: litera ה *he* vocis חלכה *bhelca*, eſt aduentitia, vt iam ſupra explicuimus.

V. 15. *Contere brachium improbi.* Infringe brachium eius & robur eius. *Inquire peccatum eius*, qui dicit te illud non inquiſiturum, vt ſupra dictum eſt, oſtende igitur illi quòd tu peccata inquiras: quòd ſi ita feceris, non inuenies improbos in terra. Si enim iſtius improbi robur attriueris, alij qui ſupererunt, hoc reſcient & timebunt, porro voces רשע *raſchaa* & רע *raa*, idem prorſus valent.

V. 16. *Dominus Rex in æternum erit.* Poſtquam iudicium exercueris in improbos, qui affligunt Iſraëlitas in exilio, tunc eris Rex in ſæculum & in perpetuum in oculis omnium, nec vllus erit deinceps qui tuo imperio audeat rebellare, iuxta illud: *Et erit Dominus Rex ſuper vniuerſam terram*: tunc etiam:
Zach. 14. *Peribunt Gentes de terra illius*: & redibit regnum ad Iſraëlitas.

V. 17. *Deſiderium humilium exaudis Domine.* Præteritum pro futuro aut præſenti exaudies, ſenſuſque eſt, audies preces eorum ſecundùm vota eorum: vel ſenſus eſſe poteſt; audiſti deſiderium ipſorum antequam illud voce ſua proferant:
Eſai. 65. 24. Iuxta illud, *Et erit antequam inuocent, ego exaudiam. Preparas cor eorum, audit auris tua.* Auffers à corde ipſorum ſollicitudinem huius ſæculi: cor enim illorum ſollicitum eſt propter ipſorum pauperiem & ærumnas; tu verò adjuuabis eos vt cor ſuum ad te recta intentione dirigant, tum denique attentas adhibes aures tuas illorum orationibus: duæ enim illæ voces תקשיב אזניך *taſchiu oſnecha* ſignificant, appones aures tuas, & erunt aures tuæ attentæ.

V. 18. *Vt indices pupillo & attrito.* Et quidnam expetit oratio illorum.

nempe vt iudices pupillum & attenuatum; hoc eſt, vt vindices eos de manu Psal.
eorum à quibus opprimuntur. *Vt non addat vltra graſſari ſuperbè homo de ter-* 11.
ra In eos ſæuire, eoſque terrere, atque vt deinceps nullum quàm te ſolum
timeant. Cæterùm לערוץ *laarotz*, verbum eſt tranſitiuum, quod etiam ſic Eſa. 2.
tranſitiuè accipitur illo in loco: *Dum ſurgit vt exagitet terram. Et: An tu folium* 19.
agitatum terrebis. Iob. 13. 25.

PSALMVS VNDECIMVS.

Præcentori, Pſalmus Dauid.

1. IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra è monte veſtro, ſicut, paſſer?

2. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; parauerunt ſagittam ſuam ſuper neruum, vt ſagittent in obſcuro, in rectos corde.

3. Quoniam fundamenta deſtruentur, iuſtus autem quid fecit?

4. Dominus in templo ſancto ſuo; Dominus in cœlo ſedes eius: oculi eius reſpiciunt; palpabræ eius probant filios hominum.

5. Dominus iuſtum probat; impium autem & qui diligit iniquitatem, odit anima eius.

6. Pluet ſuper peccatores laqueos, ignem & ſulphur: & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

7. Quoniam iuſtus Dominus & iuſtitias diligit: æquitatem videt vultus eius.

COMMENTARIVS.

V. 1. IN *Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra.* Vox iſta ſcribitur נודו *nondou*, ſed legitur נודי *nondi*, & ſcriptura quidem de corpore & anima ſimul eſt, tranſmigrate; ac ſi diceret, quòd inimici eius de ipſo iactarent corpus eius fore perdendum, quia ſcilicet occidet illud Saül: animam etiam eius eſſe perituram, ipſum enim Dauidem improbum eſſe dicebant. Porro hìc dicitur de anima quod peritura ſit aut emigratura, ſicut alio in loco, anima inimicorum tuorum quaſi in impetu & circulo fundæ rotabitur. Lectio 1. Sam.
autem נודי *nondi*, de ſola anima eſt intelligenda, hæc enim eſt gubernatrix. 25.
E monte veſtro, ſicut, *paſſer.* Quomodo dicitis illi vt è monte veſtro fugiat, quæ venit illuc vt euadat in montem qui veſter eſt. Et ante illam dictionem הרכם *harquem*, debet ſubintelligi præpoſitio מ *me*, ex, ſicut in iſto loco:

PSAL. 11. *Elchanan filius patrui eius Bethleem*, pro de Bethleem. Item, *donec vlciſcatur*
gens אויביו *ocanan*, pro מאויביו *meoieinan*, de inimicis ſuis. Hæc autem dixit Da-
uid contra aduerſarios ſuos qui locum illum, in quem ipſe ſe recipiebat vt ho-
2. Sam. ſtes effugeret, ſtatim indicabant Saüli & reuelabant ei, vbinam latitaret, ſicut
23. 26. dicitur: *Nuntiatum eſt autem Saüli quòd veniſſet Dauid in Ceïlam.* (*Paſſer.*) Hoc
Ioſ. 10. 13. eſt, ſicut paſſer aut auicula quæ hinc inde è nido in nidum, & è monte in mon-
1. Sam. tem diuagatur. Deeſt litera ſeruilis כ *caph*, hoc loco, ſicut & in iſtis, *Catulus*
23. 7. *leonis Iuda*. Et: *Iſſachar aſinus fortis*, & in alijs ſimilibus. Sic ergo Dauid ad-
Gen. 49. 14. uersùs inimicos ſuos loquitur, qui ipſum deferebant: *In Domino confido*. Etſi
quidem huc atque illuc fugio, nihilominus tamen in Domino confido, ſpe-
roque fore vt me tandem liberet. Vos autem quomodo dicitis animæ meæ vt
aliò fugiat? quemadmodum enim ſoletis me latitantem apud vos reuelare, ita
& alij apud quos fugero, me pariter indicabunt.

V. 2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum*. Hæc enim eſt improbo-
rum conſuetudo, vt arcum intendant & aptent ſagittas ſuas ſuper neruum ar-
cus ſui. *Vt ſagittent in obſcuro*: hoc eſt, in occulto loco, *rectos corde* cuiuſmo-
di ego ſum nunc temporis; in me etenim non eſt iniquitas. Dicit verò, vt ſa-
gittent, nec tamen ipſi ſagittant, nempe quia nihil ſuis aut operibus aut co-
gitationibus proficiunt, quoniam in Domino confido. Hæc autem verba:
Quoniam ecce peccatores, iam expoſuimus. In Deras, hæc omnia explicantur
de Iſraëlitis Ezechiæ temporibus, quando Iſraëlitæ in exilium demigrarunt,
mundi nationes de illis lætatæ ſunt, eóquòd è loco ſuo exules expellebantur;
non eſt ſcriptum נודי *nondi*, tranſmigra, ſed נודו *nondou*, hoc eſt, tranſmi-
grate cum de ſuperioribus, tum de inferioribus; de ſuperioribus quidem, ſicut
auicula diffugiens è nido ſuo, ita vir fugiens è loco ſuo; non eſt autem vir iſte
Exo. 15. alius, niſi Sanctus ipſe Benedictus, quia de illo dictum eſt, Dominus quaſi vir
pugnator. Locus verò eius alius non eſt niſi domus ſanctuarij, de illa enim di-
Pſal. citur: *Hæc requies mea in ſæculum*. De inferioribus etiam illud, *fugite*, dicitur
132. nempe de Iſraëlitis: *Quoniam ecce peccatores*. Rabbi Berachias in nomine
Rabbi Abba iſti, *peccatores*, ſunt Sobna & Ioahh: quid verò fecerunt? nem-
pe ſcripſerunt epiſtolam, quam ſagittæ affixam, ad Sennacherib per feneſtram
traiecerunt: in ea porro ſic erat ſcriptum, omnes Iſraëlitæ pacem tecum inire
& ſe tibi dedere quærunt, at Iſaias & Ezechias eos id præſtare non ſinunt. *Vt
ſagittent in obſcuro rectos corde*. Vt frangant rectos corde, Ezechiam nempe
& Eſaiam. *Quoniam fundamenta deſtruentur*? Quid, ſi iuſti qui mundum tuum,
inſtar fundamenti ſuſtentant? Et quid lapis * fundationis, cui mundus fundatus

* Volunt fuiſſe lapidem quendam coram Arca vel cui ipſa erat impoſita, ex quo fundatus ſit mundus, ſicut dixit quidam Rab. Iſaac, lapidem proiecit Deus in mare, & ex eo fundatus fuit mundus, ſicut dictum eſt. *Super quo baſes eius fixæ ſunt, aut quis lapidem eius angularem demiſit?* Iob 38. 6. Ita etiam Targum Ionathæ, Exod. 28. 30. Inſculptum erat (nomen Dei) in lapide fundationis, quo obſignauit Dominus mundi os abyſſi magnæ a principio, &c. Idem Targum ſimile quid habet ad verſum 1. Pſal. 50. Innuere fortè velint illum lapidem Arcæ ſuppoſitum eſſe mundi centrum; Arcam enim cenſent in ipſo mundi meditullio fuiſſe ſitam. At certum eſt antiquos Hebræos aliud per illum lapidem intellexiſſe, vt videre eſt ex Rab. Salomone in hunc verſum, illum ſcilicet lapidem angularem, de quo Pſal. 118. 22. & Matth. 21. 42. & Actor. 4.

inni-

innititur? Steterunt impij & diruerunt ipſum. *Iuſtus quid fecit?* Quodnam o- Psal.
pus feciſti pro ſeruantibus mandata tua? 11.

V. 3. *Quoniam fundamenta deſtruentur.* Dictio השתות *haſebatot*, idem ſi-
gnificat quod יסודות *ieſodot*, fundamenta, ſicut & illo in loco: *Et fundamen-* Eſ. 19. &
ta eius erunt contrita. Et, *denudatos fundamento.* Vel ſignificat iſta vox, retia c. 20.
& inſidias: ſed ſiue hoc, ſiue illo modo exponatur, eſt metaphora ſignificans
machinationes & conſilia. *Iuſtus quod fecit*, quoniam improborum conſilia
fient irrita, nec id aſſequentur quod propoſuerant efficere, at iuſto erit quod
fecit, hoc eſt, rependet illi Dominus ſecundùm iuſtitiam illius.

V. 4. *Dominus in templo ſancto ſuo.* Templum eius ſanctum, cœlum eſt, di-
cit igitur, thronus Dei in cœlis eſt; repetitio eſt eiuſdem rei, ac ſi diceret,
etiamſi in cœlis ſit thronus eius, oculi tamen eius inde proſpiciunt, & palpe-
bræ eius explorant filios hominum; quo etiam figurato loquendi modo dicitur:
Quoniam excelſus Dominus & humilia reſpicit. Et retribuet iuſto & iniquo, vni- Pſal.
cuique iuxta opera eius. 138.

V. 5. *Dominus iuſtum probat.* Hoc dicitur eodem ſenſu quo illud: *Quem di-* Prou. 3.
ligit Dominus, corripit, & inducit tribulationem ſuper eum & probat ipſum in 12.
conſpectu totius mundi, vt cæteris hominibus iuſtitiam illius oſtendat, quòd
ſcilicet nunquam à recto vacillarit cor eius propter anguſtias, quibus eum e-
mundauit à peccatis ipſius. *Improbum autem qui diligit iniquitatem, odit ani-*
ma eius. Ita ut non illum caſtiget, eóquòd correctionem non libenter ſuſti-
neat, donec tandem veniat tempus eius, ac tum è mundo tollit ipſum, &
hoc eſt quod ſequitur.

V. 6. *Pluet ſuper peccatores laqueos.* Dictio פחים *pahhim*, ita hîc ſumitur
vt illo in loco: *Laqueus venatoris ſuper omnibus vijs eius.* Dicit verò, *pluet*, Oſe. 9.
eóquòd calamitates è cœlis decernantur & immittantur. Sunt qui vocem
פחים *pahhim* eiuſdem eſſe ſignificationis putent, ac פחם *pehham*, itaut car-
bones ſignificet; ſed ſit alterius formæ. Sapiens quidem Magiſter Abraham fi-
lius Eſræ, vocem iſtam exponit vt illud רקעי פחים *riquee pahhim*, extenſio- Num.
nes ſeu extenſas laminas, quæ ſunt inſtar lapidum ignitorum, vnà cum pluuia 16. 38.
decidentium. Vox זלעפות *zilaaphot*, habet *hhiric* ſub litera ז *zain*, & *ca-*
meth ſub ע *aain*, & eius ſignificatio eadem eſt hîc, ac illo in loco, *horror te-* Pſal.
nuit me; & ſignificat ingentem tremorem, aut ardorem. *Pars calicis eorum.* 119. 53.
Hoc eſt portionis; ſic & illud: *Dominus pars portionis & calicis mei.* Conjun- Pſal. 15.
gitur autem dictio pars cum portione & calice, licet eiuſdem ſint ſignifi- 5.
cationis; ſic illa alia, *terra pulueris, lutum cœni.* Vel id ita fit, quia dictio Dan 12.
מנת *menath*, etiam præparationem aut inuitationem ſignificat. 12.

V. 7. *Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias diligit.* Hoc eſt, virum iuſti- Pſal. 40
tiarum ſeu iuſtum, ſicut dicitur: *Ego autem oratio. Æquitatem videt vultus* Pſal. 109
eius. Hoc dicitur, ſicut illud: *Et reſpiciam vos.* Illlud verò פנימו *panemo*, 4. Leu. 26.
idem omnino eſt ac פניו *panau.* Ita etiam dicitur: *Quoniam proderit* עלימו
aalemo, ſuper illum prudens, pro עליו *aalau.* Vel ſenſus horum verborum,
æquitatem videt vultus eius; eſt ſicut illorum: *Ego autem in iuſtitia videbo fa-*
ciem tuam. Vel denique, פנימו *panemo*, ſimpliciter ſignificat, facies eorum;
quoniam litera מ *mem* cum ו *vau* מו *mo* notat pluralem num. & ſenſus erit,

Psal. quoniam vultus iuſtorum, videbunt Deum qui rectus eſt. In Deras autem ſic
11. de iſtis verbis diſquiritur, non eſt illi dicendum niſi recti videbunt facies eius,
aut rectus videbit facies eius. Quid verò eſt iſtud, æquitatem videbunt facies eius, niſi æquitatem mundi videbunt vultus eorum, hoc eſt iuſtorum.

PSALMVS DVODECIMVS.

Præcentori ſuper octauam, Pſalmus Dauid.

SAluum me fac, Domine, quoniam defecit ſanctus: quoniam
1. deſierunt veraces inter filios hominum.

2. Vana loquuntur vnuſquiſque ad proximum ſuum, labijs blanditiarum: in corde & corde loquuntur.

3. Excindat Dominus vniuerſa labia blanditiarum: linguam grandia loquentem.

4. Qui dixerunt linguam noſtram roborabimus: labia noſtra nobiſcum ſunt: quis noſter Dominus eſt?

5. Propter vaſtationem miſerorum, propter gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus: ponam in ſalute, laqueum iniiciat illi.

6. Eloquia Domini, eloquia munda: argentum conflatum in opere ſeu catino terræ, expurgatum ſeptuplum.

7. Tu, Domine ſeruabis eos: & cuſtodies eum à generatione hac in æternum.

8. In circuitu impij ambulant, cùm exaltantur, vilitas, eſt, filijs hominum.

COMMENTARIVS.

P*Ræcentori ſuper octauam.* Iam explicuimus ſignificationem horum verborum, ſuper octauam. Hic Pſalmus afflatu Spiritus Sancti eſt editus de ijs quæ Dauidis ſæculo euentura erant, cóquòd tum improbi miſeris præualentes inſoleſcerent: dicit igitur:

V. 1. *Saluum me fac, Domine, quoniam defecit probus.* Ac ſi diceret. pij ac veraces homines defecerunt & deſierunt: & plerique omnes huius ætatis homines, improbi ſunt, & contra pauperes ac debiliores callidè machinantur inſidias, quapropter illis neceſſaria eſt diuina ſalus quâ ex illorum manibus liberentur.

 PSAL. 12.

V. 2. *Vanum loquuntur.* Aliud enim ore loquuntur ab eo quod eſt in corde ipſorum, quod vanum eſt & mendacium. Porro vox חלקות *hhalaqnot*, eſt nomen ſubſtantiuum: ſi verò ſit adjectiuum, carebit ſubſtantiuo, pro אמרות חלקות *amoroth hhalaqnot*, verba blandientia. *In corde & corde loquuntur.* Seipſos enim verbis ſuis profitentur beneuolo eſſe animo, corde vno, cùm interim cor eorum malum agitet.

V. 3. *Excindat Dominus vniuerſa labia blanditiarum.* Hæc dicuntur per modum vaticinij aut precationis. *Loquentem grandia*, hoc eſt, verba grandia & ſuperba: ſimile eſt illud, ſicut grex tonſarum. Item & alimentum eius, pinguis. Et alia his ſimilia. Cant. 4. 2.

V. 4. *Qui dixerunt, linguam noſtram.* Hoc eſt, propter linguam noſtram, ſicut illud, *dic, quæſo, de me, aut propter me frater meus eſt.* Gen. 20. 13.

V. 5. *Propter vaſtationem miſerorum; propter gemitum pauperum:* Propter vaſtationem miſerorum, quam ego video, propter gemitum pauperum quem ego audio, *Nunc conſurgam, dicit Dominus*, nempe vt liberem eos. Illud porro, *dicit Dominus*, dictum eſt per modum vaticinij. *Ponam in ſalute, laqueum injiciat illi.* Conſtituam miſeros in ſalute, liberans eos ab illo, qui ipſis laqueos tendit; ac ſi diceret, ſaluabo illos ab iis qui ſtruunt ipſis inſidias ad eos capiendos: quo ſenſu dicitur, illaqueabunt ciuitatem, hoc eſt, laqueum in ea tendent. Prou. 29.

V. 6. *Eloquia Domini, eloquia munda.* Quòd ſi dixeritis, illud quod dixit Dominus, non certò euenturum; non ita eſt, nam eloquia Domini ſunt eloquia munda, in quibus nulla eſt ſcoria falſitatis; omnia enim ſunt veriſſima, ſuntque inſtar argenti per ignem defæcati; ſunt, inquam, veluti argentum quod ſeptem vicibus igne fuit repurgatum. Hæc autem verba בעליל לארץ *baalil laaretſ*, idem ſignificant, ac בעל הארץ *baal haaretſ*, hoc eſt, Dominum terræ, & litera ב *beth* eſt radicalis, & litera ל *lametd* tertia radicis eſt geminata, ad formam dictionis סגריר *ſagrir*, quaſi diceret, eloquia iſta ſimilia ſunt argento expurgato a Domino totius terræ. Et ל *lamed* in dictione לארץ *laaretſ*, eſt ſicut illud in voce לאבנר *leauner*, & occiderunt Abner: aut eſt loco ה *he* 2 Sam. 3. 30.
notificatiui. Sunt tamen qui velint literam ב *beth* in בעליל *baalil*, eſſe ſeruilem, hoc ſenſu in præſtanti aut laudato vaſe, hoc eſt, ſunt ſicut argentum excolatum in laudatiſſima ſeu optima terra, ex qua conficiunt catinum. Magiſtri etiam noſtri P. M. vocem עליל *aalil*, locum euidentem & apparentem interpretantur, cùm dicunt, ſiue videatur manifeſtè, Luna, ſiue non videatur manifeſtè. Dicunt etiam, quis ſenſus eſt hujus vocis עליל *aalil*, ſignificat manifeſtum, quia ſcriptum eſt: *In conſpectu totius terræ.* Dictio autem שבעתים *ſchinaataim* ſignificat multas vices repetitas, ſeu multoties; ſeptenarius enim numerus, generis vtriuſque magnum indicat numerum, vt in iſtis locis: Et addam vt corripiam vos ſepties pro peccatis veſtris. Septies in die cadit iuſtus & reſurgit. Et, ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Ita etiam שבעתים *ſchinaataim* multiplicatas vices ſignificat, vt patet ibi, ſeptuplum vltio fiet de Cain. Leu. 26. 28. Prou. 24. 16. Zach. 3. 9.

V. 7. *Tu, Domine, ſeruabis eos.* Miſeros ſeruabis; dicit verò: *Cuſtodies eum*, numero ſingulari, hoc eſt, vnumquemque miſerorum vbicumque ipſe fuerit inter oppreſſores conſtitutus. *A generatione hac.* Ab iſta generatione hominum improborum, ſeruabis eos in ſæculum, per ſingulas generationes. Gen. 4. 24.

PSAL. 12. V. 8. *In circuitu improbi.* Quandoquidem improbi obambulando circumeant iuſtos, vt illis malum inferant, neceſſe eſt vt eos ab ipſis tuearis. *Cùm exaltantur, vilitas, eſt, filijs hominum*, cùm extolluntur improbi, tum eſt vili-
Prou. 29. tas & abiectio filijs hominum cæteris, iuxta illud, cùm dominatur improbus, gemit populus. Vox זלות *ȥullot*, deſpectio oppoſita eſt dictioni כבוד *canod*, gloriæ; eſtque nomen ſubſtantiuum, & litera ז *ȥain*, afficitur vocali labiali guibuts.

PSALMVS DECIMVS TERTIVS.

Præcentori, Pſalmus Dauid.

1. Vſquequo, Domine, obliuiſceris me in æternum? vſquequo abſcondes faciem tuam à me?

2. Vſquequo ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?

3. Reſpice, exaudi me Domine Deus meus: illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam mortem.

4. Nequando dicat inimicus meus, præualui aduersùs eum: hoſtes mei exultent, ſi nutauero.

5. Ego autem in miſericordia tua ſperaui: exultabit cor meum in ſalute tua: cantabo Domino, quia bona tribuit mihi.

COMMENTARIVS.

V. 1. V*Squequo obliuiſceris me in æternum*? Pſalmum iſtum cecinit Dauid cùm in anguſtia ſibi ab hoſtibus parata verſaretur; vel editus eſt de exilio Iſraëlitico; quod videtur rectius & conuenientius. עד אנה *aad ana*, idem eſt ac עד מתי *aad matai*, quouſque tandem obliuiſceris mei? Iam enim à quamplurimis annis deſeris me in poteſtate meorum hoſtium; dicturæque ſunt tandem aliæ nationes te mei eſſe prorſus oblitum. Aut noſſe te quidem afflictionem meam, ſed tamen interim abſcondere te faciem tuam à me; eóquòd nolis beneuolum aſpectum tuum ad me conuertere. Porro in Deras, ſic de verbis iſtis dicitur, hoc eſt quod ſcriptum eſt, quemadmodum ego clamaui ad eos, & me non audierunt, ſic ipſi clamabunt ad me & ego non exaudiam eos.
Ier. 11. Dixit R. Iſaac, Menſura pro menſura. Dixit Deus benedictus, ſicut ego dixi vobis
Exod. quatuor vicibus, *vſquequo*, nempe, *vſquequo renuitis cuſtodire mandata mea? Et*
16. 28. *vſquequo irritabunt me populus iſte? Et vſquequo non credent in me?* & *vſquequo*
Num. *multitudo hæc peſſima murmurat contra me*? Ita & ego tradam vos in poteſtatem
14. 11. quatuor regnorum, & clamabitis ad me quatuor vicibus: vſquequo, Domi-
Ibid. ne, obliuiſceris nos perpetuò in Babylonia? vſquequo abſcondes faciem à nobis
Ibid. in Media? vſquequo ponam conſilia in anima mea, inter Græcos? vſquequo

exaltabitur inimicus meus ſuper me in Idumæa, ſeu in Imperio Romano? * PSAL. 13.

V. 2. *Vſquequo ponam conſilia?* Quandiu opus habebo varijs in animo meo id verſare conſilijs, quâ tandem ratione poſſim euadere ex illa anguſtia in qua iamdudum detineor? *Dolorem in corde meo per diem.* Etiam interdiu, quando homines ſuis negotijs intenti ſolent tantiſper anxietatis obliuiſci; ego verò non ſic, tot enim tantæque ſunt anguſtiæ meæ, vt nequidem per diem earum memoria ex animo meo recedat. *Exaltabitur inimicus meus ſuper me?* Nimirum eóquòd mihi dominetur.

V. 3. *Reſpice & exaudi me Domine.* Contra illud quod initio dixerat, *abſcondes faciem tuam à me.* Iam dicit, reſpice & exaudi me Domine Deus meus; tu ſiquidem es Deus, & potes me ſeruare: tu etiam es Deus meus & iudicans cauſam meam de manu hoſtium meorum. *Illumina oculos meos*; Quoniam ego verſor in tenebris, & graui ſopore exilij & calamitatum; ſed antequam dormiam ſomnum mortis, exaudi me, quæſo, & illumina oculos meos.

V. 4. *Nequando dicat inimicus meus, præualui aduersùs eum.* Hoc eſt, ipſum penitus deuici, nec iam ampliùs iugum meum valebit excutere & ſe ex meo dominatu ſubducere.

V. 5. *Ego autem in miſericordia tua ſperaui.* Ipſi quidem arbitrantur me nullum vindicem habiturum, ego verò per tuam miſericordiam me liberandum confido; licet enim ſim indignus eo beneficio, at propter bonitatem tuam id facies. *Exultabit cor meum in ſalute tua.* Contra illud quod dixit: *hoſtes mei exultent, ſi nutauero*, iam dicit, & cùm me ſaluum effeceris, exultabit cor meum, ipſi verò ea de re dolebunt. *Cantabo Domino.* Et gratiarum actionem illi referam, quòd me beneficijs affecerit: tunc cùm me liberauerit, cantabo Domino, & non dormiui ſomnum mortis. In Deras ita enarratur, pro quatuor clamoribus, quatuor hîc ponit conſolationes. Et ego in miſericordia tua ſperaui in Babylonia, exultabit cor meum in ſalute tua, in Mediâ. Cantabo Domino in Græcia, quoniam benefecit mihi, inter Idumæos.

* Rabb. enim regnum Edom, eſt Imperium Romanum, cuius caput Roma, quod & ſæpe in ſacris literis per Edom intelligunt; cùm ipſorum opinione Titus Veſpaſianus, Romani & Chriſtiani ab Edom ſint propagati.

PSALMVS DECIMVS QVARTVS.

Præcentori, Pſalmus Dauid.

1. Dixit inſipiens in corde ſuo, non, eſt, Deus: corruperunt, abominabile fecerunt opus ſuum, non eſt qui faciat bonum.

2. Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens: requirens Deum.

Psal. 3. Omnes declinauerunt, ſimul fœtuerunt, non eſt qui faciat
14. bonum: non eſt etiam vnus.

4. Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem; qui deuorant plebem meam, ſicut, deuorant panem: Dominum non inuocant.

5. Illic timuerant timore: quoniam Dominus in generatione iuſti, eſt.

6. Conſilium inopis confunditis: quoniam Dominus ſpes eius, eſt.

7. Quis dabit ex Sion ſalutem Iſraël? cùm conuerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, lætabitur Iſraël.

COMMENTARIVS.

V. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo* Hic etiam Pſalmus de futura captiuitate conſcriptus fuit; & per inſipientem ſignificatur quilibet Rex nationum exterarum, in cuius poteſtatem venerunt Iſraëlitæ, qui apud ſe exiſtimat, dum illos varijs malis afficit & grauibus tributis affligit, non eſſe Deum, nullùmque iudicem, nec vllum aliquando fore iudicium in mundo quo reddatur vnicuique ſecundùm opera eius. *Corruperunt.* Ipſe & populus eius. *Abominabile fecerunt opus.* Hoc eſt abominanda fecerunt opera. *Non eſt qui faciat bonum*: Non eſt inter illos vel vnus qui faciat bonum, ſed omnes prorſus corruperunt opera ſua, & ſuos omnes actus ad malum dirigunt; nempe quia ſibi perſuaſerunt non eſſe Deum qui perſpiciat omnia.

V. 2. *Dominus de cælo proſpexit.* Etiamſi ipſe multùm ſupra eos ſit exaltatus, & ab oculis eorum abſconditus, ipſos tamen proſpicit & attentè aduertit an ſit vel vnus inter eos qui intelligat & Deum requirat, & apud ſe recogitet eſſe Deum Iudicem, & ecce declinauerunt omnes.

V. 3. *Omnes declinauerunt.* Scilicet à via bona. Sunt qui vocem סר *ſar*, ſicut סג *ſag* interpretentur, hoc eſt, retroceſſit, qua ſignificatione dicitur in-
Pſal. fra, libro ſecundo, omnes ipſi retroceſſerunt; & eadem eſt vtriuſque verbi ſi-
134. gnificatio, & in * Alphabeto אתבש *atbaſch*, litera ג *guimel* eſt commutata
Oſ. 4. cum litera ר *reſch.* Sunt alij qui ex Chaldæis Paraphraſibus exponant: Et fœ-
&c. tuit, omnis; nam pro ויבאש *vaiuaſch*, *Targhum* habet וסרי *onſri*: ſic etiam hîc dicitur: *Simul fœtuerunt*, hoc eſt, abominabiles facti ſunt, & computrue-
Ezech. runt: Cui ſimile illud videtur: *Olla cuius ſpuma in ea eſt*, quod à Chaldæo red-
24. ditur, Et ſordes eius in ea eſt, &c. Ita etiam illud, *quàntòmagis abominabi-*
Iob. 15.
16.

* Hebræi vocant אתבש *atbaſch*, Alphabetum inuerſum, in quo ſcilicet vltima litera ſumitur, pro prima, penultima pro ſecunda: & contra, prima pro vltima, ſecunda pro penultima, & ſic conſequenter. Eius vſus Cabaliſtis valde eſt familiaris, eaque literarum commutatione multa ſecreta abſcondunt ne à quibuslibet facilè poſſint intelligi. Voluntque hanc Cabalæ ſpeciem eſſe vetuſtiſſimam, ea ſiquidem vſum eſſe Ieremiam cap. 51. 1. & cap. 25. 26. Imò & Moſem Geneſ. 11. 29. in voce יסכה *iſca.* Vide Reuchlin. lib. 3. Cabalæ.

lis & fœtidus homo. Non eſt etiam vnus. Hoc eſt, ne vel vnus quidem eſt, quo PSAL.
ſenſu illud dictum eſt: *Etiam amico ſuo odioſus erit pauper.* II.

V. 4. *Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem.* Illud, *Nonne*, per modum admirationis dicitur, hoc ſenſu, quomodo fieri poteſt vt ſint omnes inſipientes, & non cognoſcant? hoc eſt, nulla eſt prorſus in iſtis ſcientia aut intelligentia, cùm dicant nullum eſſe qui videat & cognoſcat ipſorum opera, nempe illi omnes qui operantur iniquitatem, & affligunt Iſraëlitas, & populum meum deuorant, non ſecus ac ſi ipſi eſſent panis. *Dominum non inuocant.* Quaſi diceret, nunquam ipſis in mentem venit, quòd eos inſpiciat Deus, ac propterea ipſum non inuocant. Sunt qui verba iſta ſic exponant, quoniam ipſi qui deuorant populum meum, huc vſque tamen comedunt panem; quaſi diceret, quia non mortui ſunt neque hactenus puniti fuere, ſibi perſuadent nullum fore iudicium nec eſſe Iudicem, ideóque Dominum non inuocant. Denique ſunt qui verba iſta: *Dominum non inuocant*, explicent hoc ſenſu, eóquòd in ſuis ſceleribus perſeuerent, nec per pœnitentiam conuertantur. (Prou. 14. 20.)

V. 5. *Illic timebunt timore.* Quaſi diceret, aliquando tandem timebunt; dicit igitur fore vt in eo ipſo magnitudinis & ſuperbiæ ſuæ ſtatu, timeant timore, & cognoſcant Deum eſſe in generatione iuſta, eum eſſe futurum cum iuſtis & eis opem allaturum.

V. 6. *Conſilium inopis confunditis.* Et nunc conſilium inopis irridetis. *Quoniam Dominus ſpes eius eſt.* Quia omnem ſuam fiduciam in Dei nomine collocatam habet. Hoc autem eſt eius conſilium, hæc eius mens & ſcientia, nempe vt poſſit ex manibus veſtris eripi; quoniam in nullo alio ſpem habet: vos autem hoc eius conſilium irridetis, quia nimirum mox futuram veſtrorum ſcelerum punitionem non proſpicitis, & miſeris illudentes, dicitis, vbi ſunt Dij veſtri, ſurgant & opitulentur vobis.

V. 7. *Quis dabit ex Sion ſalutem?* Quoniam Sion erat caput Iſraëlitici regni & ibi reſidebat Dei gloria, ſeu maieſtas, ideo dicit fore vt ex Sion ſalus Iſraëlitis obueniat: dicit verò, vtinam hoc breui contingat; aut, vtinam ſit aliquis dignus ea ſalute & appareat ipſa. *Cùm conuerterit Dominus, captiuitatem populi ſui.* Et tunc exultabit Iacob & lætabitur Iſraël; modò enim in mœrore & luctu iacent in exilio conſtituti. Illud porro בשוב *beſchoun*, eſt verbum actiuum & idem ſignificat, ac ſi eſſet בהשיב *behejchiu*, cùm reuerti fecerit. Vel ſenſus eſſe poteſt, cùm tranquillum reddiderit, ex illo loco: In tranquillitate & requie Eſa. 30.
ſaluabimini. 15.

PSALMVS DECIMVS QVINTVS.

Pſalmus Dauid.

1. DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? & quis immorabitur in monte ſanctitatis tuæ?

Psal. 15. 2. Qui graditur integer, & operatur iuſtitiam, & loquitur veritatem in corde ſuo.

—— 3. Qui non detrahit lingua ſua, nec facit proximo ſuo malum, opprobrium non accipit, aduersùs propinquum ſuum.

4. Contemptus eſt in oculis ſuis, & abiectus, timentes autem Dominum glorificat: iurat affligere, ſe, & non mutat.

5. Pecuniam ſuam non dat ad vſuram, & munus contra innocentem non accipit: qui facit hæc non labetur in æternum.

COMMENTARIVS.

V. 1. D*Omine, quis habitabit, &c.* Per has voces *tabernaculum tuum*, deſignatur cœlum, quod tentorii nomine appellatur, quia tentorii inſtar expanſum eſt. Et per *montem ſanctum tuum*, intelligi debet mons Moria, quoniam ibi tabernaculum fuit, eóquòd locus eſſet totius terræ nobiliſſimus.

Pſal. 11. 5. Vocat etiam alibi cœlum, templum, vt *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius*, vt ibi explicuimus, & ſic etiam: *Exaudiet de templo ſuo vo-*

Pſal. 18. 7. *cem meam.* Illa porro verba, *quis habitabit, quis immcrabitur*, de anima ſuperiori dicuntur. Ac reſpondet, qui fecerit illa opera in vita ſua, habitabit anima eius in loco gloriæ poſt mortem ſuam. Quænam verò ſunt illa opera? Nempe iſta.

V. 2. *Qui graditur integer.* Si dictio תמים *thamim*, ſit nomen adiectiuum, ſenſus erit, qui graditur in via integra, vt dicitur alibi: *Qui graditur in via*

Pſal. 100. 6. *immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Si verò ſit ſubſtantiuum, ſicut ſumitur in iſto

Iud. 9. 16. loco: *Si in veritate & integritate*, ſenſus erit, ambulans in integritate; vt infra, ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: ſed vbique idem eſt ſenſus.

Pſal. 26. 11. Ille autem integer ſeu innocens eſt cenſendus, qui cum ſimplicitate ita varijs huius mundi negotijs vacat, vt profundius ſuas cogitationes ſæculi iſtius aſtutijs non implicet. *Et operatur iuſtitiam.* Quique ſua opera omnia iuſtè exequitur. Et hæc ad officium hominis ſpectant, quoad affirmatiua præcepta, & negatiua de quibus ter ſeu tripliciter hic agitur nempe quoad opus, quoad linguam, ſeu locutionem & quoad animum ſeu cogitationem: & de opere quidem in ſuperioribus verbis egit; illa autem: *Et loquitur veritatem in corde ſuo*, de locutione & cogitatione agunt. Dicit igitur quòd vir integer loquatur ſemper veritatem, nec vllum vnquam mendacium in verbis eius reperiri, nempe quia veritas quam ore ſuo profert, in eius etiam corde ineſt, nec vnum ore pronunciat, aliud verò in animo contegit; & ſicut verba oris eius ſunt vera, ſic etiam cordis eius cogitationes. In illis autem verbis: *Loquitur veritatem in corde ſuo*, complectitur, & affirmat ipſum certò perfecturum illud bonum quod apud ſe faciendum decreuit, idque circa datum & acceptum, quaſi diceret, non eſt opus aſſerere quòd fideliter præſtabit id omne quod ore ſuo loquitur; imò illud etiam opere complet quod mente cogitat, & ſuas cogitationes veras eſſe, & ſinceras comprobat. Hic etiam complectitur

tur magnitudinem exiſtentiæ & vnitatis Dei, ipſa enim veritas eſt, & eam ore PSAL.
ſuo loquitur, & in animo ſuo eam cogitat, vt eam percipiat per modum pro- 15.
bationis, ſicut ipſum ſapientia edocet.

V. 3. *Qui non detrahit linguâ ſuâ.* In hoc verſu loquitur de præceptis negatiuis quoad locutionem & operationem, nam de his quæ ſpectant ad cordis cogitationem non eſt neceſſe mentionem facere, iam enim ſupra dixit: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*, ſi igitur cogitationes eius veræ ſint & iuſtæ, nihil mali ineſt in cogitationibus eius. Dicit ergo: *non detrahit linguâ ſuâ*; Non recenſet autem hîc cætera præcepta negatiua, contra quæ per locutionem peccatur, cuiuſmodi ſunt iſta: *Non reſpondebis contra proximum tuum. Dys non* Exod.
maledices & his ſimilia: Cùm enim dicat quod verum eſt, quantòmagis cætera? 22. 25.
Nam etſi detractio ſit de re vera, ex ea tamen magnum oritur malum; ideóque dixit: *loquitur veritatem.* Res etenim quæ mala eſt etſi vera, non dici debet, alioquin detractio committeretur. *Nec facit ſocio ſuo malum.* Hic per ſocium aut propinquum, is debet intelligi, cum quo alius aliquid habet negotij, in ratione dati aut accepti, debiti vel crediti, aut qui eſt vicinus eius: Cùmque dicit hominem [illegible] huiuſmodi, non facere quidquam mali ſocio ſuo, non aſſerit illum cæteri[illegible] malum inferre, ſed de his rebus ſic loquitur ſcriptura. Sic & cùm dicit: *Non affligetis vnuſquiſque proximum ſuum*, non dicit ſcriptura, licitum eſſe alicui affligere alium hominem qui non ſit vicinus eius, ſed Leu. 25.
extraneus. Ita & cùm dicit: *Non reſpondebis contra proximum tuum falſum teſtimonium*, non innuit eſſe li[illegible]tum alicui dare falſum teſtimonium contra alium Exod.
qui non ſit proximus ei[illegible] [illegible]al hoc debet intelligi de [illegible]o cum quo alius habet commercium aliquod ratione accepti aut dati, vel alterius negotij; is enim eſt mos loquendi linguæ ſanctæ in multis locis. Cùm igitur hîc dicitur: *Nec facit ſocio ſuo malum*, comprehenditur quidquid præcepto negatiuo prohibetur circa ea quæ homo cum ſocio ſuo agitat. Dicit etiam circa linguæ officium, *Et opprobrium non aſſumit aduersùs proximum ſuum*: hoc eſt, illum opprobrijs aut conuicijs non afficit, etiamſi ab eo probris & contumelijs impetatur. Dicit verò, *aſſumit*, quòd linguæ prolationem denotat, vt illud: *Non aſſumes nomen Dei tui fruſtra.* Et ibidem: *Non aſſumes vocem mendacis.* Cúmque dicit, Exod. 23.
aduersùs proximum ſuum, hoc intelligitur de quolibet alio, de quo loquatur, ſicut expoſuimus. Proximus verò eius, idem eſt ac ſocius eius, qui alteri eſt coniunctus ratione dati aut accepti, vel vicinus eius, aut conſanguineus, res enim hominis aut negotia eius, cum huiuſmodi alijs vt plurimùm agitari ſolent.

V. 4. *Contemptus eſt in oculis ſuis, &, abiectus.* Pergit adhuc enarrare bonos hominis iuſti mores, ille, inquit, etiamſi ſit integer vitæ, & operetur quod iuſtum eſt, & quod verum eſt eloquatur; non tamen ob id, vane extollitur, ſed in oculis ſuis vilis ſibi & abiectus videtur; & apud ſe reputat ſe ne vnum quidem præſtitiſſe ex mille quæ tenetur facere ad gloriam Creatoris, cuius nomen ab omnibus eſt benedicendum. *Timentes autem Dominum glorificat.* Ipſe quidem ſe deſpicatui habendum exiſtimat, at eos qui Deum colunt, honore afficit, quia nimirum omnia quæcumque bona peragit, ea nihili facit, præ ijs ad quæ præſtanda ſe credit obſtrictum; bona verò quæ fiunt ab alijs, ea maximi facienda exiſtimat, & omnes alios qui Deo cultum exhibent ſibi longè

Psal. præcellere credit, maiorique pietate Deum colere, ideóque vltro ſeſe illis inferiorem profitetur, & magna laude præ ſe, dignos prædicat. Pergit vlteriùs
15. eximias viri iuſti dotes commemorans, *Qui iurat*, inquit, *affligere ſeſe.* Verbum enim להרע *lcharaa*, ſignificat proprium corpus macerare ieiunio, planctu, voluptatibus carnis abſtinendo, & facultates ſuas eleemoſinis erogando, & præceptis obſeruandis impendendo. *Et non mutat;* illud ſcilicet quod ſe præſtiturum iurauit, licet id ſuum corpus grauiter affligat, non tamen immutat, vt dixit. Ideò autem dixit eiuſmodi hominem ſe ad hoc, iuramento adſtringere, nempe quia hoc corpori proprio moleſtum eſt; iurat igitur ne per concupiſcentiam malam ab eo præſtando reuocetur, & ita de ſeipſo loquitur David. *Iuraui*
Pſal. 118. 106. *& ſtatui, cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.*

V. 5. *Pecuniam ſuam non dat ad vſuram.* Iam ſupra dixerat: *Non facit proximo ſuo malum*, quo generaliter innuerat virum iuſtum, non opprimere proximum ſuum, nec vi aut furto, quæ ſunt illius auferre; nunc verò dicit hic ipſum etiam ab eodem, licet conſentiente, non accipere, quod ſit prohibitum. Illud autem eſt vſura; licet enim voluntariè reddat is qui fœnori accepit, aliquo tamen modo cogitur dare illud, quoniam neceſſitate compulſus fœnus ab illo accepit, & ecce hoc ipſum ab illo repetit, & quidem maius quàm ipſum fœnus; ſicque accipit pecuniam ſocij ſui, quod eſt præter æquitatem, etiamſi qui ſoluit, ipſe conſentiat. Et quoniam opus hoc ſæpius exercere ſolent homines, eóquòd nemo propterea iniuſtitiæ eos accuſet, ſicut propter rapinam aut furtum, * idcirco tam ſeuerè & grauiter Lex ipſum prohibet, & toties ab eo dehortatur. Ipſi etiam Prophetæ grauiſſimis criminibus ipſum annumerant, vt qui ei aſſuetus eſt, breui tempore ab eo ſe expediat. Ceterùm David & Ezechiel nihil aliud vetuerunt, quàm quod iam per Legem prohibitum fuerat. Lex autem non prohibet dare fœnori niſi ſolis Iſraëlitis, at verò extraneis, per Legem
Deut. 23. 19. eſt licitum, ſicut iſto loco dictum eſt: *Extraneo fæneraberis.* Quod non ita dictum eſt de rapina, furto, & re perdita aut oppreſſione; nam etiam alienigenæ per Legem prohibitum eſt vim inferre, aut quidquam rapinâ vel furto ei auferre. At verò fœnus cum illo exercere, quo ab eo aliquid accipitur, cum eius voluntate & ſcientiâ, licitum eſt; nempe quia tenetur Iſraëlita pietatem exercere erga Iſraëlitam ſocium ſuum. Porro dare mutuum ſine fœnore pietas eſt & beneficium, & quidem maius aliquando, ipſo dono; plerique enim homines præ pudore dona non audent accipere, mutuum autem accipere non erubeſcunt. Non ita verò tenetur Iſraëlita agere cum Gentili, non enim miſericordiam ipſi debet impertiri, nec ſuam illi pecuniam dare mutuam gratis, hi namque Iſraëlitas vt plurimùm odio proſequuntur. Si tamen Gentilis quiſpiam miſericordia & beneficio Iſraëlitam afficiat, nemo inficiari poteſt, quin teneatur Iſraëlita pares ei beneficentiæ & pietatis vices rependere.

* Quidquid dicat hic Rabbinus, non videtur fuiſſe ſecundùm ſenſum Legis vt Iſraëlitæ vſuras acciperent ab extraneis, ſed quandam ſolum permiſſionem ob eius populi pronitatem ad auaritiam, idque fortè tantùm à ſeptem illis populis quorum vitam ipſam, nedum facultates Deus Iſraëlitis permiſerat extorquendas. Et huic vitio adeo etiamnum addicti ſunt Iudæi, vt Meſſiam ſuum aduenire timeant, quia eius aduentu, hanc vſuræ licentiam, ceſſaturam arbitrantur.

Hæc autem fuſiùs proſequi libuit, vt hinc tibi ſuppeteret, quod poſſis reſpon- Psal.
dere * Nazaræis, affirmantibus Dauidem hic, ea in re diſcrimen nullum facere 15.
Iſraëlitam inter & Gentilem, ſed omne fœnoris genus eſſe prohibitum; quod
de ipſo rectè dici non poteſt, nempe Dauidem illud dixiſſe vetitum, quod Mo-
ſes, Magiſter meus, ex ore Dei, licitum eſſe denuntiauit; cùm de eius inſti-
tutis, Lex ita præcipiat, nihil quidquam ab illis auferes, aut eis addes. *
Et munus contra innocentem non accipit. Illa etiam pecunia, cum dantis bene- Deut. 12
placito datur, quæ ſi offeratur ei vt iuſtum iudicium ſubuertat, iam de tali ho- 32.
mine dixit quòd: *Non faciat proximo ſuo malum*, in quo etiam illud inclu-
ditur. Imò nequidem deprauat iudicium, quia innocens eſt ille in cauſa, ſed
quoniam is qui pecuniam ei offert, non opinatur illum ita facturum; idcirco
adduci non poteſt, vt vnquam pecuniam dono accipiat ab eo qui cauſam ha-
bet iuſtiſſimam quemadmodum de ſeipſo dicit Propheta Samuel, de eo omni
tempore quo Iudex fuit Iſraëlitarum: *Cuius bouem accepi, &c. Qui facit hæc.* 1. Sam.
Qui bona illa omnia facit, de quibus ſupra locuti ſumus. *Non labetur in æter-* 123.
num. Etiam in morte ſua non labetur, quoniam eius anima in loco gloriæ eſt
habitatura.

* Per Nazaræos denotat Chriſtianos.

* Verùm Rabb. Albo in lib. artic. cap. 14. hunc locum de idololatria interpretatur, ne ſcilicet modo & formæ colendi Deum aliquid addatur aut dematur.

PSALMVS DECIMVS SEXTVS.

Michtam Dauid.

1. CONſerua me, Domine, quoniam ſperaui in te.

2. Dixiſti, ô anima mea, Domino, Deus meus es tu: bonum meum non ſuper te.

3. Sanctis qui in terra ſunt, & fortibus in quibus omnis voluntas mea.

4. Multiplicantur dolores eorum, qui ad, alium feſtinant: non libabo libamina eorum de ſanguine, nec aſſumam nomina eorum ſuper labia mea.

5. Dominus pars portionis & calicis mei: tu es qui ſuſtines ſortem meam.

6. Funes ceciderunt mihi in amœnis: etiam hæreditas mea pulchra eſt ſuper me.

7. Benedicam Dominum qui conſuluit mihi: etiam noctibus erudierunt me renes mei.

PSAL. 16. 8. Proponebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi, non mouebor.

—— 9. Propter hoc lætatum eſt cor meum,& exultauit gloria mea: etiam caro mea habitabit ſecurè.

10. Quoniam non derelinques animam meam in ſepulchro, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

11. Notam mihi facies viam vitæ, ſatietatem lætitiarum cum vultu tuo, delectationes in dextera tua, vſque in æternum.

COMMENTARIVS.

Michtam David. Iam ſuperiùs in Pſalmo, cuius initium eſt, Cùm inuocauero exaudi me, ſcripſimus de hac voce מכתם *michtam.*

V. 1. *Conſerua* me. Litera ש *ſchin*, vocis שמרני *ſchomreni*, protrahitur per accentum gaaia. *Deus.* Tu Deus fortis & potens, & eapropter ego ad te clamo vt me conſerues, quoniam in te, & in nullo alio omnem ſpem meam collocaui.

V. 2. *Dixiſti*, ô anima mea, *Domino.* De anima ſua loquitùr & dicit, dixiſti & confeſſa es Domino, quòd ipſe ſit Deus & Dominus tuus, ſic etiam æquum erat vt ageres: ita ſimiliter dicere illi debes: *Bonum meum non ſuper te.* Quorum verborum hic eſt ſenſus, bonum quod mihi confers, ad illud mihi elargiendum non teneris, illud enim non ſatis meritus ſum, ſed hoc totum ex tua miſericordi pietate proficiſcitur. Dominus verò Pater meus F. M. ita verba iſta exponit, bonum quod ego facio, non eſt ſuper te, quaſi diceret, non ad te pertinet, nec enim ad te ex æquo ſpectare, nec tibi prodeſſe, nec tibi aliquid conferre poteſt.

V. 3. Sed, *Sanctis qui in terra ſunt.* Quòd eodem ſenſu dicitur ſicut illud: Iob. 35. 6. *Viro ſimili tibi impietas tua nocebit & filio hominis iuſtitia proderit*, &c. Et quoniam diligo te, illos etiam amo, quia Sancti ſunt, & eis benefacio. *Et fortibus in quibus omnis voluntas mea*, quia ipſi præ cæteris hominibus forti ſunt animo, & boni ſunt, idcirco ſummo ſtudio enitor eis benefacere, quoniam mandata tua obſeruant & exequuntur: ea enim de cauſa, eos appellat ſanctos & fortes. At verò iuxta priorem explicationem, ſenſus horum verborum: *Et Sanctis qui in terra*, &c. talis eſt, non ſum ego dignus beneficijs tuis, ſed congruum eſt vt Sancti tui illis afficiantur. Et meâ quidem ſententiâ, ſenſus iſtorum verborum: *Et Sanctis*, debet coniungi cum iſtis: *Dixiſti*, ô anima mea, *Domino*, ac ſi diceret, cùm dicas Deo, quòd ipſe ſit Dominus tuus, dicere pariter debes Sanctis qui ſunt in terra, quòd teipſam coram eis deprimas, eoſque longè te præſtantiores dicas, & ex illorum operibus erudiaris; & hæc omnia ad perfectionem, vt nimirum Dei charitatem addiſcas. Et ad hunc modum

Deut. 6. 13. dixerunt Magiſtri noſtri P. M. in iſta verba; *Dominum Deum tuum time*: Nempe vt Diſcipulos ſapientum multiplices. Dicitur verò: qui in terra ſunt, quaſi diceret, ſanctorum quos in terra inuenies, ſectare veſtigia, & ex illorum

operibus erudiaris. Porro dictio אדירי *adire*, non eſt conſtructa; nam & aliæ Psal.
ſub illa forma reperiuntur abſolutæ, vt חלוני שקופים *hhallone ſcheqouſim*, fe- 16.
neſtræ apertæ. נטעי נעמים *nataac naamim* plantationes pulchræ, & aliæ his
ſimiles; & ſenſus horum verborum: *Et Sanctis & fortibus, omnis voluntas mea* 1 Reg.
in eis, eſt, nempe vt eos diligam, & vt veſtigijs eorum inſiſtam. *Sanctis qui in* 6. 4.
terra ſunt, hoc eſt, viam Sanctorum, Deo ſeruientium diligo, & viam aliorum Eſa. 17.
qui Deos alios colunt, odi & execror, ac de illis ego dico. 10.

V. 4. *Multiplicantur infirmitates eorum.* Hominum, inquam, illorum qui
ad cultum alterius Dei properant: hoc tantùm loco verbum מהר *mahar* repe-
titur in conjugatione *cal*, feſtinationem ſignificans; imò fortè etiam ſignifica-
tum habet nominum מתן *mathan*, doni & מוהר *mohar*, dotis, vt: *Dotando*
dotabit illam, vel ſenſus illorum verborum: *Ad alium feſtinant*, eſt talis ac ſi
diceret, ego adhærebo ſanctis & fortibus, & multiplicabuntur dolores eo- Exod.
rum hominum, dolores, inquam, illorum qui feſtinant ad alios homines vt 15.
ambulent in vijs alijs quæ non ſunt viæ Dei; & hoc videtur rectum. *Non libabo*
libamina eorum de ſanguine. Abſit à me vt libem libamina eorum quæ ſunt de
ſanguine, quo ſenſu dicitur illud: *Et intuliſtis de rapinis*; ac ſi diceret, eorum Mala. 1.
libamina non ſunt vinum, ſed ſanguis ſeu rapina: ſacrificium enim & libami- 13.
na vnà cum malis operibus non proſunt, nec offerentem liberare valent, quin Prou.
potius ei ſunt noxia, vt dicitur: *Victima impiorum, abominatio. Nec aſſumam no-* 15. 8.
mina eorum. Quin etiam ne nomina quidem illorum hominum, labijs meis
proferam.

V. 5. *Dominus pars portionis meæ.* Non mihi eſt alia portio præter ipſum,
ſicut illorum hominum, quorum portio & pars omnis ſita eſt in argento, au-
ro, & voluptatibus huius mundi; pars verò portionis & calicis mei ſolus eſt
Deus. Iſtæ porro voces, *pars*, *portio*, *calix*, *ſors*, idem omnino hic ſignifi-
cant; ſed eadem ſignificatio diuerſis dictionibus repetitur ad rei amplificatio-
nem & ad emphaſim, & ex linguæ vſu, quaſi diceret, in omnibus rebus & in
omnibus negotijs, ipſe eſt portio mea & ad ipſum ſolum collimat intentio
mea. Senſus etiam horum verborum, *Tu es qui ſuſtines ſortem meam*, is eſt, tu
me adjuuiſti, vt iſtam mihi portionem eligerem; ſicut dicitur in illa ſententia,
Venit vt emundet ſe, & eum adjuuant. Dictio verò תומיך *tomic* habet voca-
lem hhiric, loco tſere, quo etiam modo bis legitur illa: *Ecce ego* יוסיף *ioſiph*, Eſa. 28.
addo ſuper annos tuos, &, *Ecce ego* יוסית *ioſiph addo ſeparare populum iſtum.* & 39.

V. 6. *Funes ceciderunt mihi in amænis.* Portio quæ mihi obtigit, in locis
amœnis obuenit mihi, & in doctrinis bonis & rectis. *Etiam hereditas præclara*
eſt ſuper me. In voce נחלת *nahalat*, eſt ת *tau*, loco, ה *he*, in fine; dictio enim
illa non eſt conſtructa; & multæ reperiuntur illi ſimiles, vt: *Fortitudo, &* Exod.
זמרת *zimrat*, *cantio mea Dominus*, &: *Da nobis* עזרת *eezrat auxilium de tribu-* 15.
latione. Et: *Quomodo relicta eſt vrbs* תהלת *tehillat*, *laudis*; Et aliæ his ſimi- Pſal. 60
les. Senſus porro eſt, quamuis ea ſit hominum huic mundo deditorum con- Ier. 49.
ſuetudo, vt ſi quando hereditatem inter ſe partiantur, quilibet eorum ſorti
ſui ſocij inuideat, & portio ſui conſortis longè ſuâ ei melior videatur; at
quod ſpectat ad me, non ita ſe res habet, nam etiam hereditas & portio mea,
ſupra me pulchra & excellens mihi videtur, nec cuiuſquam parti ego inuideo;

PSAL. mihi etenim contigit portio quàm optima.

16. V. 7. *Benedicam Dominum qui conſuluit mihi.* Senſus iſtorum verborum is eſt quem ſupra dedimus explicantes illa verba : *Tu es qui ſuſtines ſortem meam*, nempe, hoc mihi fuit initium beneficij à Deo, quòd mihi conſuluerit, méque adiuuerit in eligenda mihi optima iſta portione : Ita etiam quod ad meipſum ſpectat, quotidie erudiunt me renes ſeu affectus mei, ne ſcilicet deſeram viam illam bonam, ſed vt in ipſa conſtanter & totis viribus inſiſtam & perſeuerem. Noctibus verò dixit, quoniam noctu, ſeiunctus eſt homo à variis mundi negotiis & animum ſuum liberiorem reperit. Denique dicit : Renes mei, quoniam in ipſis ſedes eſt conſultationis, ſicut dicitur, cor intelligit & renes deliberant.

V. 8. *Proponebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* In omnibus vijs meis, illius recordor, ſicut iugiter aliquis meminit eius rei quæ ſemper illi eſt præſens, nec recedit a corde aut ab oculis eius, ſic ego Dei maieſtatem mihi continuò ob oculos propono ; ſcio enim ipſum mihi ſemper à dextris aſſiſtere & ad dandum mihi auxilium adeſſe : & propterea non mouebor quocúmque perrexero aut egreſſus fuero. Rabbi Moſes filius Maimon F. M. illud : *Quoniam à dextris eſt mihi*, ſic explicat, ipſe eſt mihi tanquam manus dextera quam nemo, vel tantillum tempôris obliuiſcitur, ob facilitatem motus ipſius : ac propterea non mouebor, ac ſi diceret, non cadam.

V. 9. *Propter hoc lætatum eſt cor meum.* Quoniam te ſempèr præſentem mihi ob oculos propono, idcirco, lætatum eſt cor meum, hoc eſt, intellectus meus. *Et exultauit gloria mea.* Eſt anima ipſa quæ eſt corporis gloria ; confido enim fore vt, poſtquam à corpore ſeparata fuerit, conditori ſuo adhæreat. *Etiam caro mea habitabit ſecurè.* Quandiu vita præſenti fruitur, quoniam tu illam ab omni caſu noxio liberabis. In Deras ſic dicitur de hoc loco : Poſt mortem docet ſibi non eſſe dominaturum vermem.

V. 10. *Quoniam non derelinques animam meam ad ſepulchrum.* Quia tu noſti quòd ego ſim inter eos qui vitæ adhærent, & hæc eſt via recta, in qua ego verſor, & illud eſt quod iſtis verbis ſignificat : *Sanctum tuum*, noui quòd non ſines vt anima mea deſcendat in ſepulchrum vnà cum corpore, ſed quòd illam ad gloriam tuam ſis euecturus. In Deras verò dicitur : Omnis qui audit contumeliam contra ſe prolatam, & ſilet, hic iure meritò Sanctus eſt appellandus. *Non dabis ſanctum tuum, &c.* Eandem ſententiam alijs verbis repetit.

V. 11. *Notam mihi facies viam vitæ.* Hoc dicit per modum orationis, quâ Deum rogat vt ſibi viam oſtendat, qua ſe dignum vitæ alterius ſæculi efficiat, quaſi diceret, vt doceret ſe ac intelligere faceret rationem illam, quâ poſſet effici vt anima ſua viueret poſt eius ſeparationem à corpore, & digna redderetur ſatietatis gaudiorum quæ coram vultu tuo percipiuntur, & delectationum quæ ſunt in dextera tua, quoniam hæc gaudia, & delectationes per totam æternitatis durationem permanſuræ ſunt, nec vllum vnquam finem habituræ, & hæc eſt animæ voluptas. Ideò autem dixit : *Cum vultu tuo, &, in dextera tua*, quoniam vultus & dextera, ſunt nomina honoris ; ſic enim dici-

Pſ. 140. tur : *Et habitabunt recti cum vultu tuo*, ita etiam ſcriptum eſt : *Sede à dextris*

Pſ. 110. *meis.*

1.

PSAL. 17.

PSALMVS DECIMVS SEPTIMVS.

Oratio Dauid.

AVdi, Domine, iuſtitiam, attende clamori meo: auribus percipe orationem meam, non in labijs doloſis.

2. A vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.

3. Probaſti cor meum, &, viſitaſti nocte, igne me examinaſti, non inueniſti: cogitaui, non tranſibit os meum.

4. Quoad opera hominum, in verbo labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias graſſatoris.

5. Suſtenta greſſus meos in ſemitis tuis, vt non nutent pedes mei.

6. Ego clamaui ad te, quoniam exaudies me Deus: inclina aurem mihi, audi verba mea.

7. Segrega miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes, à reſiſtentibus dexteræ tuæ.

8. Cuſtodi me vt pupillam oculi: ſub vmbra alarum tuarum abſconde me.

9. A facie improborum qui me vaſtant: inimicorum meorum, qui, propter animam circundant me.

10. Adipe ſuo occluſerunt os ſuum: locuti ſunt in ſuperbia.

11. In greſſu noſtro circundant me: oculos ſuos ponunt ad declinandum in terram.

12. Similitudo eius ſicut leonis: qui appetit rapere, & ſicut leunculi habitantis in abditis.

13. Exurge, Domine, præueni faciem eius, ſupplanta eum: eripe animam meam ab impio gladio tuo.

14. Ab hominibus, manu tua, Domine, ab hominibus de ſæculo, quorum pars in vita, &, de, abſcondito tuo adimples ventrem eorum: ſaturantur filijs, & dimittunt reliquias ſuas paruulis ſuis.

15. Ego, autem, in iuſtitia videbo faciem tuam: ſatiabor cùm expergefacta fuerit imago tua.

Psal. 17.

COMMENTARIVS.

V. 1. ORatio Dauid. *Audi orationem meam.* Quæ cum iuſtitia effunditur, audi, inquam, illam, quoniam os meum & cor meum ſibi ſunt conſona: & illud eſt quod dixit, *audi iuſtitiam*, &, *non in labijs doloſis.* In toto hoc verſu fit repetitio eiuſdem ſententiæ varijs dictionibus, ſed eodem ſenſu. Et vox quidem רנתי *rinnati*, idem ſignificat ac צעקתי *tsaaquati*, clamorem meum, qui enim orat, aliquando clamat alta voce, & aliquando voce ſubmiſſa precatur. Et hæc dictio רנה *rinna*, clamorem ſignificat, vbicumque reperiatur, aliquando quidem cantus & gaudij, aliquando verò vociferationis, modò orationis & petitionis, modò fletus & gemitus quæ omnia debent exponi congruenter loco in quo reperiuntur.

V. 2. *A vultu tuo iudicium meum exeat.* Dominus Pater meus piæ memoriæ exiſtimat his verbis contineri orationem Dauidis ob delictum cum Bethſabee commiſſum, quâ a Domino Sancto & Benedicto poſtulet & dicat illi: A facie tua iudicium meum exeat, hoc iudicium à tuo conſpectu amoueatur, vt me propter illud non condemnes. *Oculi tui videant æquitates.* Intuere, potius, recta opera quæ feci, & ne inſpicias hanc iniquitatem, & iudica me in magnitudine meæ innocentiæ, & non in iſta iniquitate. Dicit verò, *Probaſti cor meum, viſitaſti nocte.* Ea ipſa nocte probaſti & viſitaſti cor meum, igne me examinaſti, & non me inueniſti innocentem. Et mox addit: *Cogitaui, non tranſeat os meum*, hoc eſt, illud quod meditabar vt dicerem, ſcilicet, proba me Domine & tenta me, vtinam non tranſeat os meum, abſit vt dicam illam rem, propter quam vanè elatus ſum & ob quam in crimen lapſus ſum. Et dixit: *Quoad opera humana, in verbo labiorum tuorum*, hoc eſt, in eo quod præcepiſti & prohibuiſti. *Cuſtodiui vias graſſatoris.* Ac ſi diceret, imitatus ſum operationem improbi & graſſatoris. Sapiens verò Magiſter Abraham filius Eſræ, verba iſta: *A vultu tuo iudicium meum exeat*, ita explicat: Punies me, niſi oculi tui intueantur æquitates. Sed hæc omnia à vero ſenſu mihi videntur aliena; illud

Psal. 9. 5. verò magis ad illum accedere, ſi hic locus exponatur, vt ille alius: *Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam.* Quæ verba ſignificant, capies vindictam meam de hoſtibus meis, ſic hæc: *De vultu tuo iudicium meum prodeat*, ſignificent, Iudica me de hoſtibus meis. *Oculi tui videant æquitates.* Hoc eſt, videas æquitatem eſſe mecum, iniquitatem verò & iniuſtitiam cum illis: ſic etenim maxima pars huius Pſalmi agit de inimicis, vt cùm dicit infra: *A reſiſtentibus dexteræ tuæ*: item illud: *A facie impiorum qui me afflixerunt, &c.* Ex quibus videre eſt Dauidem hunc Pſalmum edidiſſe de hoſtibus ſuis; propter quos diuinam exorat miſericordiam, & rogat Deum vt conſideret rectitudinem operum ſuorum, & ſe gratis odio eſſe ſuis hoſtibus, vnde ſubjungit.

V. 3. *Probaſti cor meum, viſitaſti.* Quoniam tu is es qui corda ſcrutaris, & perſpectum habes vtrum verba mea ſint vera; addit verò: *In nocte*, eo ſcilicet tempore quo varijs & multis de rebus cogitare ſolent homines, quoniam tunc vacant ab occupationibus mundi, nec vllum opus habent nocte peragendum, cùmque hoc tempore expergeſiunt, varia ſolent cogitare: tu verò, hoc ipſo tempore

tempore cor meum exploraſti & cogitationes meas, examinaſti me quaſi me- PSAL. 17.
tallum & nihil in me inueniſti niſi quod bonum erat. *Et à cogitatione mea non tranſiuit verbum meum*. ſed os meum & cor meum ſibi fuerunt conſonantiſſima; ſecundùm illud quòd initio dixit: *Non in labijs doloſis*. Et etiam quod mox ſequitur: *Cogitaui, non tranſibit os meum*. Sicut autem mihi ipſi diligenter caueo à malo, ita etiam alios admoneo, in illis in quibus opus eſſe aduerto; & hoc eſt quod ſubjungit.

V. 4. *Quoad opera hominum, in verbo labiorum tuorum*. In his quæ præcepiſti & exhortatus es, ego ſedulus proſpicio opera hominum, & impedio ne cum peccato fiant, & hoc eſt: *Cuſtodiui vias graſſatoris*, impediui ne quis inſiſteret vijs graſſatoris & impij. Huic loco, ſimilis eſt ille: *Ad cuſtodiendam* Gen. 3.
viam arboris vitæ, hoc eſt, ad impediendum ne quis eam viam ingrediatur: ſi- 24.
milis eſt & ille: *Epiſtolam ad Aſaph cuſtodem horti*, vbi verò coram Deo enar- Nehe. 2.
rauit rectitudinem oris ſui, cordis & operum ſuorum, poſtea in eiuſdem con- 8.
ſpectu deprecatur, vt ſuos greſſus ita ſuſtentet, nequando nutent à recto coram hoſtibus ſuis, ac dicit.

V. 5. *Suſtenta greſſus meos*. Vox autem המוך *tamoc*, eſt infinitiuus loco
imperatiui, vt & iſta שמור *ſchamor*, *Cuſtodi diem Sabbathi*; & illa הלוך *haloc*, Deut. 5.
Vade & clamabis. Additque *in ſemitis tuis*, ac ſi diceret, greſſus meos qui per 12.
ſemitas tuas & vias tuas incedunt, confirma ne vacillent, aut aberrent ab illis. Ier. 2. 1.
Dictio autem, נמוטו *namoton* duplici modo legi poteſt, nam in quibuſdam libris litera ט *teth* habet dagueſch; & ſi ita ſit ſcribenda, pertinebit illa vox ad verba duplicantia. In alijs verò libris caret dagueſch, & ſic erit ordinis verborum habentium ſecundam radicalem quieſcentem.

V. 6. *Ego clamaui ad te*. Hoc eſt, idcircò te inuoco, quoniam certò ſcio te me exauditurum, ſatiſque potentem eſſe ad me ſeruandum; & iſte eſt verus ſenſus.

V. 7. *Segrega miſericordias tuas*. Hoc eſt, ſepara, vt patet ex illo loco: *Et*
ſeparabo in die illa; item, *Et erimus ſeparati ego & populus tuus ab omni populo*. Exo. 12. & 33.
Dicit igitur, tu qui ſaluas ſperantes in te, ſegreges & auferas miſericordias tuas ab illis hominibus qui reſiſtunt dexteræ tuæ; hi enim omnes nouerunt regnum à te mihi fuiſſe conceſſum; & qui in me rebelles ſunt, tibi etiam parere recuſant.

V. 8. *Cuſtodi me vt pupillam oculi*. Non ſecus ac homo ſolicitè tutatur pupillam oculi ſui; quæ aliud non eſt quàm illa nigredo in oculi meditullio, vnde lumen emanat; diciturque ישון *iſchon*, homunculus, eòquòd in ipſa, hominis imaguncula appareat. Hinc ו *vau* & נ *nun* in illo nomine ſunt notæ diminutiui, eòquòd imago illa ſit minima. Pari modo additur י *iod* in אמינון *aminon*, ad
indicandam diminutionem. Ita etiam additur ו *vau* & *nun* in dictione שבתון 2. Sam.
ſchabaton, ad notam maioris ſanctitatis. Coniunguntur que אישון *iſchon* & 13.
ברת *bath* in forma regiminis, ſed res eſt eadem. Et vox quidem ברת *bath* eſt Leu. 23.
nomen ſubſtantiuum, ipſum oculi orbiculum ſignificans, ex quo lux emicat. Dictio verò אישון *iſchon* eſt nomen formale, quia in ipſo, hominis forma apparet.

V. 9. *A facie improborum qui me vaſtant*. Serua me ab hoſtibus qui me de-

I

uaſtant. Et dictio זו *zou*, idem ſignificat hic, ac אשר *a cher*, qui, vt & apud
Psal. 17. Eſaiam זו *zou*, quæ peccauimus ei. *Inimicorum meorum qui propter animam circundant me.* Hoc eſt, cuſtodi me propter inimicos meos qui circuiuerunt me
Eſa. 42. & vndique obſederunt me ob animam, ac ſi diceret, vt auferant animam ac vitam meam.

V. 10. *Adipe ſuo occluſerunt os ſuum.* Multa illorum pinguedo, occluſit os eorum, & propterea ſuperbè ſunt locuti præ nimia voluptate ſua.

V. 11. *In greſſu noſtro nunc.* Litera ש *ſchin* vocis אשורנו *aſchourenou*, afficitur daguesch, vt & in iſto loco; ſi declinauerit אשורי *a chouri*, greſſus meus
Iob. 31. 7. à via; & dictio סבבונו *cauouni*, ſcribitur quidem cum י *iod*, ſed legi debet cum ו *vau*, in numero ſcilicet plurali, tum de ipſo Dauide, cum de ſocijs eius, qui cum ipſo collecti fuerant, dum Saülem fugeret. Significatio autem numeri ſingularis, denotat ipſum Dauidem, qui erat præcipuus fugientium. Diciique, *greſſu noſtro*, hoc ſenſu, ſtatim ac reſcire poſſunt iter, per quod nitimur effugere, protinus circundant nos, & mox inſectantur & vndique circumcingunt. *Oculos ſuos ponunt ad declinandum in terram.* Hoc eſt oculos ſuos apponunt ſuper viam quâ gradimur, vt laqueum ſuum nobis expandant ad nos intercipiendos.

V. 12. *Similitudo eius ſicut leonis.* Vtitur ſingulari numero, quia de Saüle loquitur, ſicut & in Pſalmo cuius titulus eſt: De verbis Chus filij Iemini, nequando rapiat vt leo animam meam.

V. 13. *Exurge Domine.* Cùm venerit vt me perſequatur & diſcerpat, præueni faciem eius. *Et ſupplanta eum.* Nempe ne robur habeat ad malum mihi inferendum. *Ab impio gladio tuo.* Hoc eſt, ab impio qui eſt gladius tuus: quo-
Deut. 32. 29. niam gladius & liberatio à gladio, à te pariter obueniunt, vt ſcriptum eſt, *percutiam & ego ſanabo*: quo ſenſu dicitur etiam, *ve Aſſur virga furoris mei*, &c.
Eſ. 10 5. V. 14. *Ab hominibus manu tua Domine.* Eripe, inquam, animam meam ab
Exod. 9. 3. hominibus qui ſunt manus tua, hoc eſt, percuſſio tua, iuxta illud: *Ecce manus Domini eſt in pecudibus tuis*: vt enim illos, gladium tuum, appellauit, ita & manum tuam appellat eos. *Ab hominibus de ſeculo.* Hoc eſt, ab hominibus, huic ſæculo addictis, quorum omne ſtudium & totus affectus erga præſens ſæculum occupatur. *Quorum pars in vita*; Quorum tota portio in vita præſentis ſæculi poſita videtur; quoniam ad futurum ſæculum non aſpirant nec illud contemplantur, ſed abſcondito tuo & bonis tuis adimples ventrem eorum in hoc mundo. *Saturantur filij eorum.* Quoniam liberi etiam eorum ſaturantur bonis, in vita ſua cum ipſis parentibus. *Et dimittunt ſubſtantiam ſuam paruulis eorum*, poſt mortem ſuam, hoc eſt, filijs filiorum ſuorum. Porro in Deras exponitur verſus ille, de 1 Rabbi Achiba & ſocijs eius 2 occiſis regni. Dixerunt Angeli miniſterij coram Deo Sancto & Benedicto, totius mundi Domino: Ab hominibus manu tua, Domine, ab hominibus de ſæculo. Dixit

1 De illo Rabb. Akibba hoc videtur intelligendum qui fautor fuit & armiger Pſeudo-Chriſti Barcochebæ cuiuſdam, ab Imperatore Romano aut Prouinciæ Præſide oppreſſi. Videſis Ioſeph. & Tacit. & Rabb Maimonid. pagin. 764. ſui Deuteron.

2 Occiſi regni vocantur ab Hebræis illi qui propter ſalutem publicam & gloriam Dei, ſponte ſe morti objiciunt, vt ſua morte regnum vel Eccleſia conſeruetur.

illis Deus Sanctus & Benedictus, in vita eſt portio illorum, in vita, inquam, PSAL.
futuri ſæculi. 17.

V. 15. *Ego autem in iuſtitia videbo.* Sic dicit Dauid, improbi nullo tenentur
deſiderio futuri ſæculi, ego verò non ita, nam ſpero & expecto videre faciem
tuam in iuſtitia, & hoc eſt quod dicit: *Ego autem videbo in iuſtitia*, quoniam
ſpero ego & præſtolor videre faciem tuam in futuro ſæculo, ob iuſtitiam quam
fecero in præſenti ſæculo, non edendo, & delicijs indulgendo ſicuti faciunt il-
li. *Satiabor cum expergefacta fuerit imago tua.* Dicit, ſatiabor, contra id quod
de improbis dixit, ſaturantur liberis. Iſti in hoc ſæculo ſatiantur, ego verò
non niſi in futuro ſæculo ſatiabor. *Cùm expergefacta fuerit*, nempe quia non
morietur, aut dormiet perpetuò anima mea: Cùm è contra de improbis di- Ier. 51.
ctum ſit: *Et dormient ſomnum perpetuum, & non euigilabunt.* Illudque: *Et fa-* 29.
ciem tuam videbo, dicit eodem ſenſu quo illud aliud dicitur: *Et Dei imaginem* Num.
aſpicit, hoc eſt, ſimilitudinem Dei vidit: hoc autem de intellectus apprehen- 12. 18.
ſione intelligendum eſt. Dei enim gloria videtur ab anima, quando à corpore
ſeparata eſt, quantum eius facultas patitur. At verò Magiſter noſter Moſes, qui
ſit in pace, hoc fuit expertus dum adhuc in corpore anima eius exiſteret, quod
nulli aliorum Prophetarum contigit, nam intellectus eius fuit intelligens actu,
omnibus corporeis organis ceſſantibus in ipſo. Panem non comedit, & aquam
non bibit, & tunc Dei aſpexit imaginem. Non ſic autem Elias, de ipſo enim
dicitur: *Et in fortitudine cibi illius*, &c. ſicut in Libros Regum expoſuimus 1. Reg. 19. 8.
Cæteris tamen Prophetis & Sanctis, id poſt mortem euenit. Sapiens autem
Magiſter Abraham filius Eſræ, hunc verſum de præſenti ſæculo explicandum
cenſet, hac ſcilicet ratione, teneor deſiderio videndi faciem tuam, iuſtitia enim
quam obſeruaui, cauſa erit cur gaudio perfundar cùm videbo faciem tuam.
Hoc porro vult intelligi conſiſtere in cognitione & contemplatione diuinorum
operum, quæ omnia ſapientiſſimè effecta ſunt, & in perpetuum duratura. Ego
quidem ſatior delicijs imaginis tuæ, non ſicut improbi, qui ſunt homines mun-
do addicti, quibus tum demum eſt factum ſatis, cum ventrem eorum reples.
Hoc autem non contingit in ſomnio, ſed tantùm dum quis expergefactus eſt:
nec iſta contemplatio viſione oculi fit, ſed cognitione intellectus & ſcientia,
quibus verè cognitio Dei efficitur.

PSALMVS DECIMVS OCTAVVS.

Præcentori, ſerui Domini Dauidis, qui locutus eſt Domino, verba cantici huius, in die, quâ, eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saülis.

1. ET dixit, diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus pe-
tra mea & arx mea, & liberator meus, Deus meus.

PSAL. 18. 2. Rupes mea, ſperabo in eum: ſcutum meum & cornu ſalutis meæ, munimentum meum.

3. Laudatum inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.

4. Circumdederunt me dolôres mortis, & torrentes impij terrebant me.

5. Dolores inferni circundederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.

6. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui: exaudiuit de templo ſuo vocem meam, & clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius.

7. Et commota eſt & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt: & commota ſunt, quoniam iratus erat.

8. Aſcendit fumus in ira eius, & ignis ab ore eius deuorauit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

9. Inclinauit cœlos & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.

10. Et equitauit ſuper Cherubim, & volauit: volauit ſuper pennas venti.

11. Poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tegmen eius: tenebroſitas aquarum in nubibus aëris.

12. Præ fulgore in conſpectu eius nubes eius tranſierunt: grando & carbones ignis.

13. Et intonuit in cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam: grandinem & carbones ignis.

14. Et miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos: & fulgura iaculatus eſt & perdidit eos.

15. Et apparuerunt aluei aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum ab increpatione tua, Domine: à flatu ſpiritus iræ tuæ.

16. Miſit de ſublimi, accepit me: extraxit me de aquis multis.

17. Eripuit me de inimico meo forti, & ab ijs qui oderunt me: quoniam fortiores me erant.

18. Præuenerunt me in die calamitatis meæ: & factus eſt Dominus in baculum mihi.

19. Et eduxit me in latitudinem, eruit me: quoniam deſiderauit me.

20. Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam: ſecundùm puritatem manuum mearum reddet mihi.

21. Quia cuſtodiui vias Domini: nec impiè egi à Deo meo. Psal. 18.

22. Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo: & ſtatuta eius non repuli à me.

23. Et fui immaculatus cum eo, & obſeruaui me ab iniquitate mea.

24. Et retribuit mihi Dominum ſecundùm iuſtitiam meam: ſecundùm puritatem manuum mearum coram oculis eius.

25. Cum pio pius eris: &, cum perfecto perfectus eris.

26. Cum mundo mundus eris, cum tortuoſo luctaris.

27. Quoniam tu populum pauperem ſaluum facies: & oculos excelſos humiliabis.

28. Quoniam tu illuminas lucernam meam: Dominus Deus meus illuminat tenebras meas.

29. Quoniam in te conteram exercitum: & in Deo meo tranſiliam murum.

30. Deus, perfecta, eſt, via eius: eloquium Domini igne conflatum: clypeus eſt omnibus ſperantibus in eo.

31. Quoniam quis Deus præter Dominum? & quis petra præter Deum noſtrum?

32. Deus qui accingit me fortitudine: & poſuit perfectam viam meam.

33. Qui ponit pedes meos tanquam ceruarum. & ſuper excelſa mea ſtatuit me.

34. Qui docuit manus meas ad prælium: & contritus eſt arcus chalybeus brachijs meis.

35. Et dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ, & dextera tua fulciuit me: & manſuetudo tua multiplicauit me.

36. Dilataſti greſſus meos ſub me: & non vacillarunt crura mea.

37. Perſequebar inimicos meos, & comprehendebam illos: & non reuertebar donec conſumpſiſſem eos.

38. Transfigebam eos & non poterant ſtare: cadebant ſubtus pedes meos.

39. Et præcinxiſti me virtute ad bellum: incuruaſti inſurgentes in me ſubtus me.

40. Et inimicorum meorum dediſti mihi ceruicem; & odio habentes me diſperdidi.

41. Clamauerunt nec erat, qui ſaluos faceret: ad Dominum, nec exaudiuit eos.

PSAL. 41. Et comminuebam eos vt puluerem ante faciem venti: vt lu-
18. tum platearum extenuabam eos.

—— - 43. Eripuiſti me de contentionibus populi: conſtituiſti me in caput Gentium: populus quem, non cognoui, ſeruiuit mihi.

44. Ad auditum auris obedierunt mihi: filij alieni mentiti ſunt mihi.

45. Filij alieni deciderunt: & expauerunt à clauſuris ſuis.

46. Viuat Dominus & benedicatur petra mea: & exaltetur Deus ſalutis meæ.

47. Deus qui dat vindictas mihi: & deducit populos ſub me.

48. Liberator meus ab inimicis meis, etiam præ inſurgentibus in me exaltaſti me: à viro iniquo eripuiſti me.

49. Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine: & nomini tuo Pſalmum dicam.

50. Magnificans ſalutes Regis ſui, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid: & ſemini eius vſque in ſæculum.

COMMENTARIVS.

SErui Domini, Dauidis. Ille Dei ſeruus meritò appellatur qui totum robur ſuum & intentionem ſuam, in omnibus negotiis ſuis ad Deum benedictum dirigit; at Dauid quocumque iret, quodcumque aggrederetur, omnem ſuam intentionem & fiduciam in Deo benedicto collocauit, ſingulis in rebus; non ſecus ac ſeruus qui in manu Domini ſui ſpem ſuam reponit. Ipſe etiam Deus liberabat eum, in quocumque tandem periculo verſaretur, vt herus ſeruum ſuum ſolet eripere; & ea de cauſa; ſic locutus eſt in hoc Pſalmo: *Serui Domini Dauidis.* Hoc porro canticum reperitur etiam ſcriptum in libro Samuëlis, multis tamen in locis diuerſitas eſt dictionum, ſed idem vbique eſt ſenſus & argumentum. Compoſuit autem Dauid, hoc canticum ſub vitæ ſuæ finem, cùm deuictis omnibus inimicis tranquillum rerum ſtatum dediſſet ipſi Deus. Dicit verò: *De manu omnium hoſtium eius, & de manu Saülis*, ipſe enim Saül erat inſtar omnium inimicorum eius.

V. 1. Dicit igitur: *Diligam te.* ארחמך *erhomca*, cuius vocis litera ח *hheth* afficitur vocali cametshhatouph, iuxta formam huius vocis אזכרך *eſcorca*: *Me-*
Pſal. 42 *mor ero tui de terra Iordanis*; & eius ſignificatio eadem eſt ac vocis אאהבך *eehan-*
7. *ca*, diligam te; hinc Chaldæa Paraphraſtis pro voce Hebræa אהב *ahan*, vtitur verbo רחם *rahham.* Dilectio autem ſummum eſt eorum quæ homo præſtare poteſt in hac vita, vt ad Creatorem accedat: quomodo dicitur: *Semen Abra-*
Eſ. 41. *ham diligentis me.* Et timor quidem amorem antecedit, at vbi quis ſeſe in ti-
8. more, Dei, diu exercuerit, perueniet ad amorem; adeout iam Deo cultum exhibeat ex dilectione, etiamſi nulla inde ſibi merces eſſet expectanda. Porro non deſunt qui vocem אר חמך *erhhomca* explicent, petam à te miſericordiam. *Fortitudo mea*, חזקי *hhizqui*, cum *hhiric*, ſub litera ח *hheth*, eſtque ab abſolu-

ro nomine חזק *hhezee*, ſi enim non nonniſi ab חוזק *hhozee* reperiretur, dicen- PSAL.
dum eſſet חזקי *hhoſqui* cum cametshhatouph, vt in iſto loco ; *Nonne* בחזקנו 18.
behhozquenou, in fortitudine noſtra.

V. 2. *Dominus petra mea.* Hoc eſt, mihi eſt inſtar petræ & propugnaculi quò Amo.6.
quis ſe recipit ab hoſte ſuo fugiens ; ac ſi diceret, mihi non eſt rupes magis in-
acceſſa, arx nulla tutior, in quam, confugiam quàm nomen tuum, vt ſcri-
ptum eſt : *Turris fortitudinis nomen Domini, ad ipſum curret iuſtus. Et liberator* Prou.
meus. Hoc addit, quoniam in rupe vel arce munita, quò quis ad tutelam con- 17.
ſcendit, aliquando quidem eripitur periculis, aliquando tamen non eripitur,
ſæpe enim ibi ab hoſte ſuo comprehenditur, at verò in nomine tuo ſemper fui
ſeruatus, & liberaſti me in quocumque tandem periculo poſitus fuerim. *Deus
meus rupes mea.* Eandem ſententiam alijs verbis repetit : rupis enim nomine
Deum appellat, eóquòd ipſe fortiſſimus ſit & potentiſſimus. *Sperabo in eum.* Et
propterea æquum eſt, vt ſperem in eum. *Scutum meum & cornu ſalutis meæ.*
Mos eſt ſcripturæ, nomine, cornu, robur denotare, vt : *Cornua rhinocerotis,* Deut. 4.
cornua eius. Item, *Et venit vſque ad arietem habentem cornua.* Nempe quia a- Dan. 8.
ries, bos, & rhinoceros, præcipuum robur in cornibus habent, quibus ad
alia animalia ferienda vtuntur. Porro dicit Deum ſibi eſſe inſtar ſcuti, eóquòd
nomine eius contra hoſtes ſuos circumtegatur : ipſum etiam ſibi eſſe tanquam
validum cornu, quo ſuos hoſtes impugnat & ab illis liberatur. *Munimentum
meum*, quoniam ipſe eſt mihi inſtar firmiſſimæ turris & petræ, in qua ex
hoſtium poteſtate eripiar. In Midras ita circa hunc verſum diſſeritur,
Quoniam decem fortiſſimi Dauidis hoſtes coram ipſo proſtrati ſunt, in hoc
propterea cantico Deum celebrat decem laudum nominibus. Iſti autem ſunt
decem inimici Dauidis, Saül, Doëg, Achitophel, Sebaa filius Barachiæ,
Semei filius Gera, & tres fratres Goliath : & ipſe Goliath & homo Ægyptius,
quem percuſſit Banaia filius Iehodiaa : quorum quinque fuerunt Iſraëlitæ, &
quinque Allophyli. Hi verò ſunt decem laudum tituli, quibus Deum afficit,
robur meum, rupes mea, arx mea, liberator meus, Deus meus, petra mea,
ſpes mea, clypeus meus, cornu ſalutis meæ, munimentum meum.

V. 3. *Laudatum inuocabo Dominum.* Quando orationi vaco, Deum inuo-
co à me laudatum, ipſum enim in orationibus meis laudare ſoleo, & tunc ab
inimicis ſaluus efficior.

V. 4. *Circumdederunt me dolores mortis.* Vox אפפוני *aphaphouni*, idem hic
ſignificat ac סבבוני *ſeuauouni*, circumdederunt me ; & litera ח *hheth* vocis
חבלי *hheule*, habet ſegol, vt in illo loco חבלי *heule* ; *Dolores parturientis,* &c. Oſ. 13.
& idem eſt ſenſus. In iſto autem loco חבלי *haule*, *Manaſſe, funes Manaſſe*, li-
tera ח *hheth* eſt cum patahh, & aliud eſt ſignificatum : hoc autem dicit Da-
uid de maximis anguſtijs quibus preſſus fuit, & in vitæ diſcrimen adductus,
vt contigit ipſi in Petra diuiſionum, & in negotio Philiſtæi, quando Abiſai
opem illi attulit. *Et torrentes impij terruerunt me*, hoc eſt, anguſtiæ inſtar
torrentis inundantis ; nomine autem בליעל *beliaal*, quemlibet ſuorum hoſtium
deſignat ; vel *beliaal* eſt nomen ſignificans impium. Et Ionathan Paraphraſtes
vocem illam Chaldaicè vertit in libro Samuëlis, exercitum & turmam ſcelera-
torum : forte etiam poſſet illa dictio נחלי *nahale* explicari ex iſto loco נחלה Ier. 30.
nahala infirma eſt plaga tua.

Psal. 18. V. 5. *Dolores inferni.* Iam ſuperiùs verba iſta explicuimus; Ionathan verò in libro Samuëlis, illa Chaldaicè vertit, cœtum impiorum: vt & illud aliud
—— חבל *cœtui Prophetarum occurres. Præoccupauerunt me laquei mortis.* Qui ſcilicet
1. Sam. 10. ante me proiecti & præparati ſunt. Porro in Deras dicitur quòd loquatur hic Dauid de quatuor regnis: Circumdederunt me laquei mortis, nempe in Babylonia; & torrentes impietatis, in Media: dolores inferni inuenerunt me, inter Græcos: præoccupauerunt me laquei mortis, inter Idumæos. Quare verò in primo & quarto loco apponitur nomen mortis? quia ſcilicet in prima deſolatione euerſum fuit primum templum, in ſecunda verò ſecundum.

V. 6. *In tribulatione mea inuocaui Dominum.* Eo tempore quo preſſus fui calamitate aliquâ, ad nullum alium vindicem, quàm ad ipſum confugi. *Exaudiuit de templo ſuo.* Et ipſe de cœlis vocem meam exaudiuit, quotieſcumque ad ipſum clamaui. *Et clamor meus in conſpectu eius*, clamor quo coram ipſo clamaui, ſtatim peruenit ad aures eius, mihique opem & ſalutem attulit.

V. 7. *Commota eſt & contremuit terra.* Sunt ex Interpretibus, qui ab hoc verſu, vſque ad illa verba: *Miſit de alto, & accepit me*, omnia ita exponant, vt cenſeant Dauidem indicare prodigia quæ Deus ſanctus & benedictus ob Iſraëlitas effecit: & alia etiam portenta quæ ſubinde patrauit; & eadem etiam eſt ſententia Chaldæi interpretis; ſicque verba iſta: *Commota eſt & contremuit*
Deut. 29. 20. *terra*, ſubuerſionem Sodomæ & Gomorrhæ, denotare videntur, vt etiam illa: *Aſcendit fumus in ira eius*, quæ tamen Chaldæus interpres, de hiſtoria Pharaonis explicat: illa verò, *Inclinauit cœlos & deſcendit*, de legis promulgatione: & eadem eſt ſententia authorum Deras: ſic verſus alios conſequentes explicant, vt illum: *Et intonuit de cœlo Dominus*, de grandine quæ Ioſue temporibus è cœlo decidit, iſtum verò: *Et apparuerunt alnei aquarum*, de diuiſione aquarum maris rubri & Iordanis. Dicit ergo Dauid, Deus qui hæc omnia mirabilia olim patrauit, multa etiam in mei gratiam oſtendit ſigna, nam, *Miſit de alto & accepit me.* Et hic ſenſus videtur rectus iuxta ſimplicem explicandi modum; omnes enim hi verſus metaphoricè & figuratè debent intelligi de exitio hoſtium Dauidis & Iſraëlitarum; & quòd Deus pro eis pugnauerit contra hoſtes ipſorum cùm aliqua calamitate premerentur. Hæc autem omnia, terræ commotio, cœli tenebræ, caligo, carbones ignis, ſagittæ & fulgura figuratè ſunt explicanda: ſic etiam ſæpius in ſacris literis reperire eſt calamitatem, metaphoricè ſignificari per caliginem, tenebras, nubem & per ſolis, lunæ & aliorum aſtrorum obſcurationem. Quòd verò dicitur: *Inclinauit cœlos & deſcendit*, indicat Deum ſummâ quaſi feſtinatione adfuiſſe ad illos hoſtes perdendos, cœlis veluti ad eius deſcenſum inclinatis: quod etiam his verbis ſignificatur: *Et equitauit ſuper Cherub & volauit*, vult enim indicare ſubitam excidij celeritatem ex diuino decreto. Sic etiam inuenimus in alio loco in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum P. M. de his iſtis verbis: *Commota eſt & contre-*
Ier. 51. 29. *muit terra.* Dixit Rabbi Samuël filius Nahhman, non vſurpatur verbum רעש *raaſch*, niſi vbi regnorum indicatur excidium, & hinc eſt illud Ieremiæ: *Et contremiſcet & dolebit terra, quia firmata eſt cogitatio Domini contra Babylonem, vt ponat terram Babylonis in ſolitudinem abſque habitatore.*

V. 8. *Aſcendit fumus in ira eius.* Allegoria eſt quâ ira furoris eius, Dei, aduerſùs

uerſùs hoſtes exprimitur, vt in illo loco: *Tunc fumabit ira Domini & zelus eius. Et ignis à facie eius deuorauit.* Ignis qui egreſſus eſt à facie eius conſumpſit eos, & carbones qui eruperunt ab ipſo incenderunt illos. Psal. 18.

V. 9. *Inclinauit cælos & deſcendit.* Hæc verba ſuperiùs explicata ſunt. *Et caligo ſub pedibus eius*, poſuit caliginem & tenebras ſub pedibus ſuis ad illos obcæcandos, quos in furore ſuo calcauit & obtriuit.

V. 10. *Et aſcendit ſuper Cherubim.* Hoc iam explicatum fuit. *Volauit ſuper pennas venti.* Dictio וידא. *vaiede* eſt cum ד *daleth* ex coniugatione *cal* inſtar illius, ſicut ידאה *ide*, volat aquila; & idem habet ſignificatum ac ויעף *vaioph*, & volauit. In libro autem Samuëlis ſcribitur וירא *vaiera*, cum ר *reſch*, ex coniugatione niphal, quaſi diceret, & apparuit: ſed idem eſt ſenſus. Deut. 28. 49.

V. 11. *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Innuit calamitates, quæ, vt iam expoſuimus, illis fuerunt inſtar caliginis. Aut ſenſus eſt, Deum, quando in populos punitiones immittit, ponere tenebras latibulum ſuum. *In circuitu eius tegmen eius.* Itaut non videatur ab ipſis, cùm ſit eis abſconditus. *Tenebroſitas aquarum.* In libro Samuëlis ſcriptum eſt, חשרת *haſcharat*, colligatio aquarum, hoc eſt, nubium congregatio, hinc in Paraphraſi Chaldaica, illud, חשוקיהם *hhaſchouquchem*, colligationes earum, vertitur חשוריהון *hhaſchourehon*; ſed idem vbique ſenſus; ex colligatione enim nubium ad ſe inuicem, fit tenebroſitas & congregatio aquarum, ex quibus nubes aëris condenſantur.

V. 12. *Præ fulgore in conſpectu eius.* Hoc eſt, præ fulgore qui eſt in eius conſpectu erga illos quos diligit, nubes eius tranſierunt contra hoſtes ipſius: hiſque denotantur caligo, grando & carbones ignis, ac ſi diceret, ipſæ nubes effundunt ſuper hoſtes grandinem & carbones ignis; quomodò dicitur alibi: *Et ignis mixtus cum grandine.* Exod. 9.

V. 13. *Et intonuit de cœlo Dominus.* Intonuit de cœlis aduersùs hoſtes, & excitauit tonitrua ſua contra eos: ſenſus autem eſt, metu ac terrore corda illorum percelluit, adeò vt ab illo expaueſcerent, ſicut ſolet homo contremiſcere & perturbari propter tonitrui fragorem. Ideò autem repetiuit hæc verba in hoc verſu, grandinem & carbones ignis, quoniam vnà cum tonitrui fragoribus, quædam erant impreſſiones metheoricæ, quibus ipſi, quaſi grandine & ignitis carbonibus abſumebantur. 24.

V. 14. *Et miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos.* Nempe hoſtes. *Et fulgura iaculatus eſt & perdidit eos.* Hoſtes conſumpſit fulminibus quæ contra eos intorſit. Significatio vocis רב: *rau*, eadem eſt ac in iſto loco: *Et exacerbauerunt eum & iaculati ſunt* ורבו *verauou* רב: *rau* enim idem hîc ſignificat ac ירה *iara*, cuibrauit ſagittas, eſtque verbum actiuum, ordinis duplicantium. Porro per ſagittas & fulgura graues indicantur impreſſiones metheoricæ. Gen. 49 23.

V. 15. *Et apparuerunt alueі aquarum.* Valles intelligit aquis exundantes, vt in illo loco: *Torrentibus & vallibus*: Et, *Super omnes torrentes.* Per aquas verò, graues deſignantur anguſtiæ & diſcrimina, in quibus olim verſatus eſt. Duplici porro ratione poteſt aliquis ex aquis eripi, nimirum, ſi cùm in profundis aquis iacet immerſus, Deus illas ita deſiccat, vt ipſi appareant aluei, & ipſa etiam mundi fundamenta quæ erant aquis cooperta, quod ipſum fit Dei increpatione in aquas, vt ſtatim ſubſequitur: *Ab increpatione tua, Domine*: ſicut etiam alibi Ezec. 6. & 35.

dicitur : *Et increpuit mare rubrum & exſiccatum eſt.* Quò etiam refertur illud :
Psal. 18. *A flatu ſpiritus iræ eius*, nempe quia ventum in ipſas excitauit, quo fuerunt exſiccatæ. Cæterùm hæc figuratè ſunt dicta de excidio & clade quibus hoſtes
Pſal. 78. confecti fuere in bello, ipſe verò Dauid euaſit incolumis. Alia autem ratio quâ quis in aquas demerſus, ſaluus emergere poteſt, ea eſt, ſi quiſpiam Dei nutu occurrat qui ipſum ex aquis extrahat : Sic etiam ſalus Dauidi contigit, nullâ hoſtium ipſius factâ cæde : quòd accidit in petra diuiſionum, cùm Dauid euaſit
1. Sam. 23. incolumis, nemine ex hoſtibus interempto : & hoc eſt quod ſubjungit:

V. 16. *Miſit de ſublimi, accepit me, extraxit me ex aquis multis.* Et de hoc loquitur hîc Dauid, & gratias agit Deo, eóquòd hâc vtrâque ratione ipſum ſaluum fecerit.

V. 17. *Eripuit me de inimico meo forti.* Vtitur numero ſingulari de Goliath, aut collectiuè de incolis vrbis Nob loquens.

V. 18. *Præuenerunt me in die afflictionis meæ.* Paraphraſis Ionathæ in libro Samuel pro dictione אידי *edi* afflictionis meæ, habet præuenerunt me in die טלטולי *taltouli*, migrationis meæ ; quaſi diceret Dauid, eo tempore quo calamitate iactabar, & vagus ac exul factus eram, hoſtes mei ſuis me malis artibus præueniebant, ſicut fecerunt Ziphæi.

V. 19. *Et deduxit me in latitudinem.* Eripuit me ex anguſtia in qua miſerè verſabar, & eduxit me in latitudinem.

V. 20. *Retribuit mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam.* Ipſe enim nouit mecum eſſe iuſtitiam, at cum hoſtibus meis iniuſtitiam ; quare mihi rependit ſecundùm æquitatem meam, ac puritatem manuum mearum, méque ex illorum manibus liberauit.

V. 21. *Quia cuſtodiui vias Domini.* Hoc de mandatis omnibus exponi poteſt, hoc ſenſu : Ego cuſtodiui vias eius, & ipſe me ab hoſtibus meis tutatus eſt. *Nec impiè geſſi à Deo meo.* Non commiſi per malitiam aut ſuperbiam vt à vijs Domini diſcederem ; quòd ſi quid deliquerim, id errans & imprudens feci. Exponi etiam poteſt hoc de negotio Saülis : *Quia cuſtodiui vias Domini, nec impiè geſſi* ; nam cùm à facie eius, Saülis, fuiſſem eiectus & ipſe me inſequeretur, non tamen ipſi manus violentas intuli, cùm facilè poſſem, ipſíque præualerem : quemadmodum ipſe dixit Dauid, quis enim extendit manum ſuam in
1. Sam. 26. Chriſtum Domini ? Iniquum enim eſſe exiſtimabat, ipſum interficere, etiamſi ad mortem ſe inſequeretur, eóquòd Saül Rex eſſet.

V. 22. *Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo.* Nunquam eius ſtatuta obliuiſcebar, ab eis non declinabam, quia nimirum cor meum ad nullas res alias conuertebam, ſed omni tempore, & totis viribus meis cauebam mihi ab omni iniquitate.

V. 23. *Et fui immaculatus cum eo.* Cum Deo immaculatus & ſimplex fui, nec curioſiùs * poſt ipſum cogitaui, etiam cùm me Saül ad necem inſequeretur, nec eius vaticinium in dubium reuocaui, nec vnquam dixi apud me, quomodo fieri poteſt vt me Regem eſſe præceperit, cùm Saül quotidie me

* Alio etiam modo, & huic loco fortè magis accommodo, eandem ſententiam pronunciant Magiſtri, non ſunt curioſiùs perſcrutanda Dei opera, is enim omnia ſapienter facit, etiamſi oculis ſapientum abſcondita ſint.

inſtanter ad necem conquirat? Ita etiam eris immaculatus cum Domino Deo, PSAL.
ſi poſt diuinas eius agendi rationes nimis anxiè non cogites. *Et obſeruaui me ab* 18.
iniquitate mea. Ab illa ſcilicet iniuſtitia quam committere poteram, violentas manus Saüli inferens.

V. 25. *Cum pio pius eris*. Iſte enim tuus eſt mos, ſiquidem cum pio & benefico oſtendis miſericordiam tuam, imò etiam amplius illi retribuis quàm ſit meritus. *Cum viro innocente te oſtendis integrum ſeu innocentem*. Et cum viro integro demonſtras integritatem tuam & rectitudinem.

V. 26. *Cum puro purus eris*. Vt ſuperiùs dictum eſt: Et retribuit mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam, ſecundùm puritatem manuum mearum, &c. *Et cum tortuoſo luctaris*. Inducis ſuper eum pœnas moribus eius & factis callidis & peruerſis debitas.

V. 27. *Quoniam tu populum pauperem ſaluum facies*. Perpetuò pauperes & perſecutionem patientes tutaris ac foues, & elatos deprimis, quia nempe aduersùs tenuiores inſurgunt ferociùs. Conjunxit autem oculos cum elatione; illi enim ſunt cauſa ſuperbiæ & peccatorum: ſicut dicitur, ne ſequamini co- Num.
gitationes veſtras & oculos. Et alio in loco, poſt oculos meos iuit cor meum. 15
V. 28. *Quoniam tu illuminas lucernam meam*. Calamitas eſt veluti caligo Deut.18.
quædam, contrà verò liberatio ab anguſtijs, quoddam veluti lumen & ſplendor; & hoc eſt quod mox ſubjungit: *Illuminas tenebras meas*.

V. 29. *Quoniam in te conteram exercitum*. Tuâ ope adjutus perfringam hoſtium meorum cuneos. Dictio ארוץ *arourſ*, eſt à themate רצץ *ratſatſ*; & ſcribitur hîc cum ſchourec, vt & iſta, iuſtus ירון *iaroun* laudabit & lætabitur: Sic Prou.
etiam ישוד *iaſchoud* vaſtabit meridie. Senſus etiam eſſe poteſt, curram in oc- 29.
curſum hoſtilis agminis, & ab eo non expaueſcam; vt ſtatim ſubjungitur: Pſ.91.6.
Tranſiliam murum; hoc eſt, muros vrbium inimicarum, ad eas ſubigendas, tranſiliam: Cùm vero dicit, tranſiliam, celeritatem denotat, quâ eas expugnauit; ac ſi diceret, ſaltu in eas ingrediar. In Midras autem hic verſus de expugnatione arcis Sion exponitur; verſus verò præcedens de bello contra Amalecitas. Magno inſtructus exercitu venit Princeps Amalech aduersùs Dauid; contra quos ipſe pugnauit per duas noctes & diem vnum, quia ſcriptum eſt: Percuſſit eos Dauid ab aurora vſque ad veſperam alterius diei. Quis por- 1. Sam.
ro lucem ipſi ſuppeditauit per duas noctes illas, & illum diem? Reſpondet 30.17.
Rabbi Ioſue filius Leui: fulgurum ſplendore illuxit ei Deus ſanctus & benedictus, vultque hoc indicari verbis iſtis: *Quoniam tu illuminas lucernam meam*. Illa autem verba: *Quoniam in te conteram exercitum*, ſic ibidem explanantur, quando caſtra mouit Dauid contra Iebuſæum vt cum illo pugnaret, cœpit di- 2. Sam.
cere, quiſquis prior Iebuſæum percuſſerit illum primum Ducem & Principem 5.8.
conſtituam; Quid ergo tum fecit Ioab? iuit nempe & admouit abietem vnam Fabula
viridem quam applicuit muro, ſummum verò faſtigium eius, vt pote tenerum Iudaica.
inflexit, quod ſtatim arripuit Dauid & Ioab ſaliens in caput ipſius Dauidis, & ex abiete dependens in murum inſiluit: tum dixit Dauid, contundat me Pſal.14.
iuſtus & corripiat me; quid tunc fecit Deus ſanctus & benedictus? depreſſit murum, donec poſt Ioab Dauid aſcendiſſet, quia dictum eſt hîc: *Et in Deo tranſiliam murum*.

Psal. 18. V. 30. *Deus, perfecta, eſt, via eius.* Ille eſt Deus meus, in cuius manu eſt poteſtas, & quidquid facit, perfectiſſimè ac rectiſſimè facit, & vnicuique retribuit ſecundùm opera eius, quique mihi rependit iuxta meam iuſtitiam, & meis hoſtibus, ſecundùm malitiam ipſorum, &c, eloquium eius igne conflatum eſt; omniſque ſcoriæ falſitatis expers eſt quodlibet iudiciorum eius,& àd rectitudinis & veritatis amuſſim exactum, & expurgatum atque percolatum ab omni fœce falſitatis.

V. 31. *Quoniam quis Deus.* Alius qui verbum eius poſſit irritum facere, & quod præcepit, impedire, aut eius decreta reſcindere? quoniam non eſt Deus alius, nullum robur diuinum præter ipſum.

V. 32. *Deus qui accingit me fortitudine.* Ipſe eſt ſumma fortitudine præditus, & eam alijs tribuit. *Et pojuit perfectam viam meam.* Tam perfectè fœlicem progreſſum meum in hoſtes effecit, vt ne vnus quidem ex militibus meis in prælio deſideratus fuerit.

V. 33. *Qui ponit pedes meos tanquam ceruarum.* Si quando coactus fui fugâ ſaluti meæ conſulere, poſuit pedes meos quaſi ceruarum, itaut hoſtes mei me non potuerint aſſequi. *Et ſuper excelſa mea ſtatuit me.* Et poſteaquam in eum me locum recepi, in quo poteram euadere pericula, nempe in excelſis meis, ibi me tutiſſimè ſtare conceſſit.

V. 34. *Qui docuit manus meas ad prælium.* Si quando in prælijs victor euaderem, non gloriabar ob meam potentiam, ipſe enim erat qui docebat & aptabat manus meas ad prælium. *Et contritus eſt arcus chalybeus brachijs meis.* Ita manus meas ad bellum inſtruxit, vt ex hoſtium manibus excutere potuerim arcum chalybeum, qui poſtea brachijs meis contritus fuit: quòd verò dicit arcum chalybeum, ſignificat arcum fortem inſtar chalybis; eſtque genus ferri duri, ſicut dicitur: *Et terra veſtra ſicut chalybs.* In Deras ſcribitur quòd ſoleret
Num. 26. 19. Dauid arcum chalybeum geſtare, quem etiam ipſe intenderet. Additur etiam aliud, nempe inueniri potuiſſe aliquem cui ſatis eſſet roboris ad intendendum arcum chalybeum, non tamen ad brachia Dauidis incuruanda.

V. 35. *Et dediſti ſcutum ſalutis tuæ.* In omnibus bellis quæ geſſi, ita me protectio tua, veluti clypeus tutata eſt, vt in tot prælijs nullo vnquam vulnere ſauciatus fuerim; quod non aliunde mihi contigit, quàm quia me nomen tuum ſuſtentabat. *Et manſuetudo tua multiplicauit me.* Ac ſi diceret, benignitas tua, & miſericordia illud effecerunt, nec enim ego tantis beneficijs eram dignus, ſed tua me beneficentia magnificauit; quoniam ego paucis eram copijs inſtructus, hoſtes verò, numeroſiſſimis: tua tamen benignitas me adauxit robore, victorque ſemper euaſi, quantùmuis eſſem inferior hoſtibus meis.

V. 36. *Dilataſti greſſus meos.* Hoc dicitur eodem ſenſu, ac illud, cùm ambu-
Prou. 4. 12. labis non arctabuntur greſſus tui, &c. Et hoc eſt quod ſequitur: *Et non vacillarunt crura mea*, ſi quando coram hoſtibus meis currendum mihi fuit. Idem porro ſignificat hæc vox קרסלי *carſulai*, quod dictio כרעי *cheraai*, crura mea;
Leu. 11. hinc Chaldæus Paraphraſtes, pro voce כרעים *cheraaim*, vertit cui ſunt קרסולין *carſoulin*, crura.

V. 37. *Perſequebar inimicos meos ac comprehendebam eos.* Quemadmodum fecit Amalecitis.

V. 38. *Transfigebam eos.* Non enim potuerunt eius impetum ſuſtinere, ne- Psal.
dum ei reſiſtere, ſed omnes neci tradidit præter quadringentos iuuenes, qui in 18.
camelis fugam arripuerunt.
V. 39. *Et præcinxiſti me virtute.* Robore & potentiâ lumbos meos accinxiſti, 1. Sam.
& non nutaui, ipſi verò vacillarunt, & eos tandem ſub me incuruaſti. 30. 17.
V. 40. *Et inimicos meos dediſti mei ceruicem.* Quoniam à facie mea fuge-
runt, & fugientes, ceruices mihi ſuas obuerterunt.
V. 41. *Clamauerunt nec erat Saluator, ad Dominum.* Hic particula על *aal*,
idem ſignificat ac אל *el*, ad; ſic alibi: Et orabis ad Dominum. *Nec exaudiuit eos.* 1. Sam
Quia cor eorum non erat rectum cum eo. 1.
V. 42. *Et comminuebam eos vt puluerem, vt lutum platearum euacuabam eos.*
In voce ארקים *ariquem*, quies ſeu ' *iod* quieſcens, eſt loco dagues, radix
enim huius vocis eſt רקק *racac*, & eam habet ſignificationem in qua vſurpatur
à Magiſtris noſtris P. M. vt cùm dicunt, auis quæ creata eſt ex luto; & ſen-
ſus eſt, reddebam eos lutum, ſimiles luto platearum. Poſſet etiam deſumi
ſignificatio vocis iſtius ex iſtis verbis ורקות *veracot*: *& tenues carne*; & ex Gen.
illis ורקיקי *ourquique*, & tenuia lagana. 41. 23.
V. 43. *Eripuiſti me de contentionibus populi.* In libro Samuëlis habetur, de Leuit. 7.
contentionibus populi mei, hoc eſt, eripuiſti me à bello Saülis & eorum qui ab 12.
eius ſtabant partibus, quique erant populares mei: ex bello etiam Abſalomi,
ac eorum qui cum ipſo erant. *Conſtituiſti me in caput Gentium.* Eripuiſti me ex
contentionibus populorum, & conſtituiſti me Principem Gentium externa-
rum. *Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi.* Hoc eſt filij quos non noui, eò
quòd minime eſſent ex poſteris Iſraëlis, vt Idumæi & Syri, qui fuerunt ſerui
Dauidis.
V. 44. *Ad auditum auris obedierunt mihi.* Sicut ſcriptum eſt: *Et fecit Dauid*
cùm reuerteretur à cæde Syriæ, &c. Senſus autem huius verbi, obedierunt, eſt, 2. Sam.
congregati ſunt ad me; vt in iſto loco: *Et conuocauit Saul populum.* *Filij alieni* 10.
mentiti ſunt mihi. Præ timore ſuo quo me reformidabant, negarunt, & men- Ibid.
ti[illegible] ne ſe aliquando bellum contra me geſſiſſe, dixeruntque, nuſquam contra
te [illegible]mus, nec à partibus hoſtium tuorum ſtetimus. Vel ſenſus eſt,
me[illegible]is cum quibus inierant fœdus, quos cùm vidiſſent eſſe ſuperatos
ab Iſraelitis, pacem cum eis fecerunt, eiſque ſeruierunt nec deinceps auſi ſunt
Syri auxilium ferre Ammonitis.
V. 45. *Filij alieni deciderunt.* Præ pauore quo me extimeſcebant facti ſunt
quaſi folium marceſcens. *Et expauerunt à ſuis clauſuris.* In ipſo etiam loco in
quo erant quaſi vallo concluſi, expauerunt, ibi, inquam, etiam pertimuerunt.
quòd autem verbum יחרגו, *iahhregou*, ſignificet & formidauerunt, patet ex
Chaldaica Paraphraſi, quæ pro verbis iſtis, *& è conclauibus* אימה *ema*, *pauor* Deut. 32
habet חרגת *hargat*, pauor mortis.
V. 46. *Viuat Dominus & benedictus ſit.* Ac ſi exclamans diceret, omnia
hæc bona, & tota hæc gloria quâ afficior, ad quidnam cùm Deus ſit Petra
mea? quaſi diceret, portio mea, ipſe eſt Deus ſalutis meæ, ipſe viuat, ſit be-
nedictus & exaltatus. Omnia in poteſtate eius ſunt ſita, extollere poteſt & de-
primere; diuitiæ & gloria ſunt ab ipſo.

Psal. 18. V. 47. *Deus qui das vindictas mihi.* Vltiones quibus hoſtes meos vlciſcor, ipſe mihi eas tribuit, quaſi diceret, ad eas mihi vires concedit. *Et deducit populos ſub me.* Verbum וידבר *veiadber* hîc ſignificat & adducit, vt patet ex Chaldaica Paraphraſi, quæ vſurpat hoc verbum pro Hebræo וינהג *veinhag*, & deducit; eſtque ſenſus, deducit populos è locis ſuis ad me; & eos ditioni meæ
2. Par. 22. ſubdit. Vel hoc verbum ſignificat, & perdidit, ſicut in illo loco: *Et perdidit omne ſemen Regium*; deſumpta ſignificatione à nomine דבר *dever*, peſte, exitio.

V. 48. *Liberator meus ab inimicis meis.* Non ſatis ipſi videtur quòd me ab ipſorum injurijs vindicet, nam etiam me ſuper illos extollit; & hoc denotatur iſtis verbis: *Etiam præ inſurgentibus in me, exaltabis me. A viro iniquo eripuiſti me.* Hoc eſt, à Saüle liberaſti me, qui iniquè agebat dum me inſequeretur. Et ex illa liberatione omnis gloria Dauidis initium duxit, vt ipſe in fine Pſalmi enarrat omnem ſuam gloriam inde habuiſſe originem, quòd ipſum Deus ex Saülis manibus eripuerit.

V. 49. *Propterea confitebor tibi in Gentibus.* Eóquòd hæc omnia bona mihi contuleris, confitebor, & celebrabo te coram omnibus Gentibus quæ mihi obediunt & deſeruiunt, palam prædicabo potentiam & fortitudinem mihi à te obueniſſe, & nomini tuo Pſalmos decantabo.

V. 50. *Magnificans ſalutes Regis ſui.* In libro Samuëlis, pro voce מגדיל *magdil*, legitur מגדול *migdol* turris; eſtque nomen ſubſtantiuum, ſed eſt idem ſenſus. Per voces, *Regis ſui*, &, *Chriſto ſuo*, loquitur de ſeipſo, ac dicit, quemadmodum magnificas eius ſalutes effecit, & ſuam in eum miſericordiam exercuit, ita etiam erga ſemen eius facturus eſt in perpetuum.

PSALMVS DECIMVS NONVS.

Præcentori, Pſalmus Dauid.

1. CÆli enarrant gloriam Dei: & opus manuum eius annuntiat firmamentum.

2. Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.

3. Non eſt ſermo, nec ſunt verba: non auditur vox eorum.

4. In omnem terram exiuit linea eorum, & in extremum orbis terræ verba eorum: ſoli poſuit tabernaculum in ipſis.

5. Et ipſe tanquam ſponſus procedens è thalamo ſuo: exultat vt potens ad currendam viam.

6. Ab extremo cœlorum egreſſio eius, & reuolutio eius vſque ad extrema eorum: nec eſt quod abſcondatur à calore eius.

7. Lex Domini perfecta conuertens animam: teſtimonium Domini fidele ſapientem efficiens ſimplicem.

8. Mandata Domini recta, lætificantia cor : præceptum Domini purum, illuminans oculos. PSAL. 19.

9. Timor Domini mundus, permanens in æternum : iudicia Domini veritas, iuſta ſunt pariter.

10. Deſiderabilia ſuper aurum & obryſum multum : & dulcia ſuper mel & ſtillationem fauorum.

11. Etiam ſeruus tuus admonetur per ea : in cuſtodiendis illis merces multa.

12. Errores quis intelligit ? ab occultis munda me.

13. Etiam à ſuperbijs prohibe ſeruum tuum, ne dominentur in me : tunc immaculatus ero, & mundus ero à præuaricatione multa.

14. Sint ad placitum, *tuum*, eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo : Dominus petra mea, & redemptor meus.

COMMENTARIVS.

V. 1. CÆli *enarrant.* Sunt qui hæc verba eadem ratione eſſe intelligenda velint ac iſta : *Aut loquere terræ & docebit te.* Et vt illa : Interroga iumenta, & docebunt te : ita etiam cœlos dici enarrare gloriam Dei, nempe quia ex mirandis & maximis operibus quæ homo in cœlis intuetur, anſam capit enarrandi gloriam Dei ; & hoc eſt quod ſubſequitur : *Non ſunt loquelæ*, &c. ac ſi diceret, non quòd cœli ipſi verbis expreſſis enarrent, ſed quoniam ex his quæ in cœlis ſuſpiciunt homines, ad gloriam Dei alijs enarrandam inducuntur. Imò poſſumus vocem, *enarrant*, de ipſis cœlis & de ipſo firmamento interpretari, quia nimirum ex perpetuo illorum motu, & ordinata & conſtanti circumuolutione apparet Dei exaltandi gloria: hæc porro enarratio & annuntiatio fit eodem modo quo dicitur : *Qui emittit eloquium ſuum terræ velociter currit ſermo eius.* Quòd verò dicit. *Non ſunt loquelæ neque ſermones* ; indicare vult, cœlorum verba non eſſe propriè verba ſimilia humanæ locutioni, ſed ea quæ cœli efficiunt, eſſe verborum loco quæ hîc dicuntur enarratio & annuntiatio : quâ etiam ratione poſtea dicitur : *Et in extremum orbis terræ verba eorum.* Rabbi autem Doctor iuſtitiæ ſapiens Moſes, vocem, *enarrant*, ſimpliciter vt ſonat, de cœlis exponendam cenſet, ipſe enim cum Philoſophis exiſtimat cœlos vita & intellectu eſſe præditos, Deúmque colere, eúmque maximis ac fortiſſimis laudibus concelebrare, & propterea Dauidem dicere ; *Cæli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annuntiat firmamentum* ; Quoniam hæc enarratio aut annuntiatio non fit ore vel linguâ, & hoc eſſe quod ſubditur : *Non eſt ſermo nec ſunt verba, non auditur vox eorum* ; ſed hæc enarratio & annuntiatio, inquit, fit ab illis, ſicut imaginatio quam homo aliquis apud ſe effingit de diuinis laudibus & præconijs, nullis ore verbis prolatis.

Iob. 12. 7.

Pſal. 148. 15.

Psal. Et *opus manuum eius annuntiat firmamentum.* Idem ipſum repetit, hæc enim
19. verba idem ſignificant ac illa: Cœli enarrant gloriam Dei: nam & cœli di-
cuntur רקיע *rachiaa*, firmamentum ſeu expanſio vt dicitur, fulgebunt quaſi
Dan. 12. ſplendor firmamenti. Et alio in loco: *Et poſuit ea, Deus, in firmamento cœ-*
3. *li.* Vnde conſtat id quod dictum eſt hîc, ad explicationem eſſe dictum de ſphæ-
Gen. 1. ris cœleſtibus. Sapiens verò Rabbi Abraham vocem רקיע *rachiaa*, aërem in-
17. terpretatur.

V. 2. *Dies diei eructat verbum.* Vox יביע *iabiaa* idem valet quod ידבר *iedab-*
Pſal. 59. *ber* eloquitur, vt iſto loco: *Ecce loquuntur in ore ſuo.* Et: *Eructabunt labia*
6. *mea hymnum.* Eſt verò ſenſus, dies hic loquitur de ſequenti die, & nox iſta de
Pſal. 119 alia quæ ipſam conſecutura eſt, ac ſi diceret, per ſtatum ordinem motuum
171. qui fiunt per diem & noctem; ſicut enim ſeſe habuerunt à ſex primis diebus
creationis, ſic etiam modò ſunt, & ſic erunt in perpetuum, nihilque in illis
mutabitur aut aliter ſe habebit; ſi ita ſit, dies hic annunciat de craſtino; certum
eſt enim illum eodem modo futurum eſſe. Illa porro verba? *Non ſunt loquelæ*
&c. iam ſuperiùs ſunt explicata.

V. 3. *In omnem terram exiuit linea eorum.* Linea eorum, hoc eſt mira illo-
rum ſtructura; quo etiam ſenſu dicitur, linea ſuper lineam; fit enim ædificium
Eſa. 28. lineæ amuſſi ſeu extenſione; quaſi diceret, ſtructura cœleſtium orbium & ſtel-
10. larum in omni terra extenditur. Eundem quoque ſenſum habent iſta verba: *Et*
in extremum orbis terræ verba eorum, indicatur enim mira illorum opificia,
eſſe illorum verba. *Soli poſuit tabernaculum in eis.* Solis tentorium & locum
in cœlis conſtituit: loquitur autem de enarratione Diuinæ laudis per ſolem,
eòquòd ipſe ſit luminare maximum, & quia maior & copioſior vtilitas ab eo
dimanet in homines cæteraque animantia, per eius lumen & calorem, quàm
à cæteris aſtris. Quòd verò dicit, *in eis*, hoc eſt, in vno ipſorum; ſicut dici-
Iud. 12. 7. tur: *Sepultus eſt in vrbibus Galaad*, hoc eſt, in vna vrbium. Ille porro orbis
eſt quartus ex ſeptem ſphæris in quibus ſunt ſeptem Planetæ. Dicitque, *in ipſis*,
quoniam ipſæ ſtellæ, ſphærarum corpori ſunt affixæ: quo etiam ſenſu dictum
Gen. 1. eſt: *Et poſuit ea, aſtra, in firmamento cœli*; non verò ſupra aut iuxta firma-
17. mentum. Vnde in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum P. M. dicitur, ſtellæ ſunt
affixæ firmamento non ſecus ac claui in portis ſunt infixi.

V. 5. *Et ipſe tanquam ſponſus procedens è thalamo ſuo.* Cùm primùm ſolis iu-
bar illuceſcit, ac ſplendorem & decorem ſuum aperit, eſt ſimilis ſponſo egre-
dienti è thalamo ſuo, ob cuius conſpectum omnes gaudio perfunduntur: ſic
ſole primo mane emicante omnes lætantur. Porro Dominus pater meus F. M.
exiſtimat Dauidem ideò comparare ſolem ſponſo egredienti è thalamo ſuo,
quòd ſicut ipſe ad ſponſam redire cupit, ita ſol quotidie ad locum ortus ſui re-
uertitur. Comparat etiam ſolem viro potenti ac dicit: *Exultat vt potens ad*
currendam viam. Quoniam in ſuo curſu peragendo non impingit. Et dicit:
Exultat vt potens, eòquòd vir fortis geſtiat & lætetur cùm ad prælium progre-
ditur. Sic etiam cùm de equi fortitudine ſcriptura loquitur, dicit: *Exultat auda-*
Iob. 39. *cter, in occurſum pergit armatis.* Ita ſol in ortu ſuo exultare videtur; cuius gau-
24. dium & lætitia quædam eſt ipſius emicatio, ac primò orientis ſcintillatio.

V. 6. *Ab extremo cœlorum egreſſio eius.* Nempe à plaga orientali. *Et reuolu-*

tio

tio eius vſque ad extrema eorum. Per vtrumque cœli extremum circumuoluitur. Psal.
Dictio תקופתו *theecouphatho*, quà vtitur, idem ſignificat ac סיבובו *ſiuouuo*, 19.
hoc eſt, circuitio, circumuolutio eius, vt in iſto loco, *in reuolutione anni*; ——.
nimirum quia ſol per mundi plagas circumuoluitur, & tandem ad locum or- Exod.
tus ſui reuertitur, vt dicit Salomo: *obambulans ad meridiem, conuertitur ad* 34. 22.
Aquilonem. Eius enim circuitus per diem fieri videtur in regione meridionali, Eccl. 1.
& ad occidentem vergere; noctu verò plagam Borealem luſtrare videtur, do-
nec tandem mane reuertatur ad orientalem plagam, ex qua videtur egredi. Et
ita de illo loquuntur Magiſtri noſtri F. M. Ambulat ad meridiem interdiu, no-
cte verò circunfertur ad ſeptemtrionem: hoc autem fit tantùm ſecundùm hu-
mani oculi viſum, re enim ipsâ, tantùm ad Auſtralem plagam inclinatur,
non verò ad ipſum plagæ Meridionalis angulum defertur. Attamen iuxta ſcien-
tiam Aſtronomicam, hoc non dicitur de diei ſed de anni reuolutione, quæ fit
ad Meridiem, hyberno tempore; ad Septentrionem autem, æſtiuo; quod pa-
tet ad oculum, & clarum eſt atque perſpectum. Ita pariter in dictis Magiſtro-
rum noſtrorum F. M. legitur, vt in capite verborum Rabbi Eliezer, voluitur
ad Meridiem in reuolutione menſium * Tiſri & Tebet, & circuit ad Aquilo-
nem in reuolutione menſium Niſan & Thamus. *Nec eſt quod abſcondatur à*
calore eius. Ipſe enim ſol eſt in toto mundo, licet non ſit æqualiter in omni lo-
co. Porro dixit, non eſt quod abſcondatur à calore eius, non autem, à lumi-
ne eius; poteſt enim aliquis ſe ab eius luce ſubducere, non verò ab eius calore;
nam etiam in intimis & abdutiſſimis conclauibus, ſolis calor eum attinget:
hæc eadem verba: *Nec eſt quod abſcondatur à calore eius*; Sapiens Magiſter A-
braham filius Eſræ ſic exponenda cenſet, quòd ſolis calor in mundo ſit ſimi-
lis calori cordis in corpore animantium, ſecundùm rationes ſcientiæ natura-
lis; ille verò cordis calor eſt cauſa vitæ in omnibus corporibus; ſenſus igitur
erit, non eſt quod abſcondatur ab vtilitate caloris ſolis.

V. 7. *Lex Domini perfecta.* Quid eſt quòd poſtquam ſolis mentionem fecit,
conſequenter de lege loquatur? Nempe vult oſtendere quòd ſicut cœli, ſol,
& cœleſtes orbes, Diuinam gloriam & ſapientiam teſtantur & manifeſtant, ita
etiam lex & præcepta quæ Deus populo Iſraëlitico præſcripſit, manifeſta ſint
ſapientiæ & rectitudinis illius indicia, ſicut dicitur: *Quæ eſt alia Gens ſic incly-* Deut. 4.
ta quæ habeat ſtatuta & iudicia iuſta, ſicut eſt vniuerſa lex iſta? Idcirco etiam 8.
legis hoc loco mentionem fecit, quoniam ſicut ſol & cœli multa commoda
conferunt mundo, & ſicut ille per illorum virtutes ſubſiſtit; ſic quoque lex
cùm ſit perfecta, & conuertens animam, per illam anima conſeruatur, non
ſecus ac ſol eſt illud quo mundus ſubſiſtit. Anima enim manens in corpore,
eſt ſimilis homini in terra aliena peregrinanti, cui nulli opem ferunt aut ne-
ceſſitudinem impendunt, ſic prorſus eſt anima exiſtens in corpore, pleraque
enim ex iis quæ ſunt in corpore, & animæ auxilium ferre deberent, prauam
concupiſcentiam conſectantur, adeóque ipſa anima, ſola inter illa, & quaſi
captiua remanet. Ita loquitur Salomo de anima, eamque comparat viro pau- Eccl. 4.
peri & ſapienti. Ecce autem lex Diuina conuertit animam, quia viam rectam 13.

* Septembris & Decembris, Martij & Iunij, magna ſaltem ex parte.

Psal. 19. edocet hominem, eumque reuocat à deſiderijs mundi, & à multis offendiculis & lapſibus illum cohibet, ſicque conuertit animam, eamque ad ipſius originem & ad locum gloriæ propriæ reducit. Præterea de lege, præceptis & iudicijs refert, quòd ſint vera & recta. Et lex quidem regula eſt & norma præcepti cuiuſlibet faciendi; * nomenque & ſignificationem habet à docendo, vt patet ex his locis: *Et non obtemperaui voci docentium me.* Et, *ad docendum dedit in corde eius*; lex enim docet normam & modum rei faciendæ, qualis eſt lex beſtiæ & auis, lex leproſi & parientis & viri ac mulieris fluxum patientis, ac denique lex Nazaræi. Quòd & ſi ita ſe habeat, totus tamen liber, nomine legis appellatur, ab ipſo Geneſeos principio, ad illa vſque verba; *In oculis totius Iſrael*, ſicut ſcriptum eſt. Et ſcripſit Moſes legem iſtam, vbi intelligitur liber huius legis. Liber enim continens opus creationis, & liber continens geſta priorum Patrum, liber etiam in quo res cæteræ ſunt conſcriptæ, hi inquam, omnes libri docent Deum eſſe mundi conditorem; & in ipſis agitur de eius bonitate erga creaturas ſuas, & de prouidentia quâ tam erga malos quàm erga bonos vtitur. De præceptis etiam mentionem facit Dauid, quorum nomine intelligitur id quod Deus faciendum præcepit in ijs quæ ad cultum & amorem eius pertinent, ſicut herus aliquis, ſeruo ſuo mandata praſcriberet. Teſtimonium ſignificat id quod fidem facit eorum quæ ſunt inter Deum & Iſraëlitas, vt quòd ipſi eum in Deum ſibi cooptarunt, ac ipſe viciſſim eos in populum peculiarem accepit: Qualia ſunt Arca teſtimonij, tabernaculum conuentus. Mandata enim quæ Iſraëlitis fuere præſcripta, ſunt teſtimonium, ipſæ etiam tabulæ inter eos aſſeruatæ, quia in iſtis tota lex erat contenta. Et omnes quidem illæ res fuere magnum teſtimonium Iſraëlitis, cùm ſunt intuiti gloriam eius in monte Sina, cum tonitruorum fragoribus & fulgoribus, quæ magna viſio æternum fuit illis illorumque poſteris teſtimonium. Sabbati item obſeruatio aliorúmque feſtorum dierum, eſt teſtimonium, ſignum & memoriale. Anni etiam intermiſſionis & Iubilæi; hæc, inquam, omnia fuere ipſis & eorum poſteris in perpetuum teſtimonium, vt ipſemet dicit. *Quoniam mea eſt omnis terra, & vos ſerui mei. Mandata Domini* פקודי *piccoude.* Hæc denotant præcepta intellectus quæ à Deo poſita ſunt in corde quaſi depoſitum, & quæ ipſe intellectus dictat & præſcribit. Timoris etiam meminit, quia principium eſt & radix præceptorum; nam niſi ſeruus Dominum ſuum timeat, eius præcepta non implebit. Timor autem perfectus, eſt occultus, ſeu eorum quæ clam fiunt. Meminit & *Iudiciorum*, quæ ſunt agendi rationes hominis cum ſuo proximo & viuendi cum ipſo. Hic porro mentionem fecit de omnibus præceptorum ſpeciebus & ea ſuis nominibus expreſſit, præterquam de ijs quæ חקים *hhucchim* appellantur: & ratio eſſe videtur, quia de ſupradictis omnibus loquens, ea nominat perfecta, pura, recta, lætificantia cor, illuminantia oculos, munda, iuſta omnia, deſiderabilia, dulcia; quæ omnia propriè & conuenienter dici non poſſunt niſi de ijs præceptis, quorum ratio aperta eſt & manifeſta. De ſtatutis verò, cuiuſmodi eſt comeſtio porci, indumentum ex varijs contextum & his ſimilia, quorum ratio non eſt nota omnibus, quomodo dice-

Margin notes: Prou. 5.13. (beside "Et non obtemperaui voci docentium me"); Exod. 35. (beside "ad docendum dedit in corde eius"); Deut. 31. 34. (beside "In oculis totius Iſrael"); Exod. 19.5. (beside "Quoniam mea eſt omnis terra").

* Hebraicè enim lex תורה *thora* dicitur, ab ירה *iara* docuit in quinta coniugatione.

retur quòd ſint deſiderabilia, dulcia & pura; licet equidem talia ſint ei, cui ra- Psal.
tio illorum perſpecta eſt, quæ pleriſque hominibus eſt ignota. Dicit etiam, 19.
Dauid, de lege, quòd ſit perfecta, nimirum quia vndequaque completa eſt,
itaut nihil in ea poſſit deſiderari eorum quæ neceſſe eſt præcipi hominibus, cùm
de his quæ ad præſens tum de ijs quæ ad futurum ſæculum pertinent. Additque
conuertens animas, vt ſumus interpretati. Deinde: *Teſtimonium Domini fidele,*
ſapientem efficiens paruulum, quoniam in eo nihil eſt falſitatis, habitauit enim
gloria Domini inter Iſraëlitas in oculis eorum omnium, nec eſt vllus qui hoc
neget aut curioſiùs inquirat. Ideò autem dixit: *Sapientem efficiens ſimplicem*,
quia omnia quæ erant in tabernaculo, mirabilem continebant ſapientiam,
nec enim duntaxat candelabrum, altaria & cortinæ, ſed etiam quælibet omni-
no res ſummam teſtabantur ſapientiam; hincque factum eſt vt antiqui Sa-
pientes tabernaculum appellarint mundum medium, eòquòd mundi ſuperio-
ris & parui quædam eſſet ſimilitudo & idea. Sic etiam obſeruatio Sabbati,
magna eſt ſapientia, ob eam enim inquirit homo & meditatur circa primam
mundi creationem, & circa omnia opera in Geneſi mundi recenſita. Et hæc eſt
ſcientia naturalis. Dicitur etiam alibi de lege. *Hæc eſt ſapientia veſtra & in-* Deut. 4.
telligentia veſtra coram populis. Deinde additur: *Et dicent, En populus ſapiens* 6.
& intelligens gens magna. Licet autem diuidat hæc adjectiua ſeu formalia no- Ibid.
mina, & legem appellet perfectam, & conuertentem animas, & teſtimonium
fidele, & faciens intelligere ſimplicem, & ita de alijs; omnia tamen ſunt æqua-
lia in adjectiuis. Nec dicit hoc adjectiuum de vno, quod ſit iudicium de alio
ſimili, ſed quia conjungit omne denominans cum denominato ipſi propinquo,
& quia oportet ſcire de illo ſecundùm rationem adjectiui, vt explicuimus, &
adhuc explicaturi ſumus.

V. 8. *Mandata Domini recta, lætificantia cor.* Superiùs quidem diximus vo-
cem פקודי *piccoude*, idem ſignificare quod מצות *mitſuath*, quia tamen ſtatim
ſubjungitur מצות *mitſuat* præceptum Domini, ideo cenſemus vocem פקודי
piccoude, exponendam eſſe ex ſenſu iſtius loci, & erit eſca לפקדון *liphcadon*, Gen. 42.
in depoſitum, quod ſignificat quaſi in theſauro repoſitum & conſeruatum: 35.
ſic dictio פקודי *piccoude*, res illas denotabit, quas intellectus dictat & præſcri-
bit. Et has dicit eſſe rectas, & nihil diſtortum & prauum in illis reperiri, quo-
niam niſi eſſent eiuſmodi, non dictarentur ab intellectu; & eam ob cauſam cor
lætificant; Sapiens enim lætatur de ſuo intellectu: & quomagis corpori ſuo
præualet, illúdque ad rationis vias redigere poteſt, eò maior eſt illa lætitia, om-
nemque aliam quamcumque ſuperat: hæc autem lętitia ſpectat ad mentem, hinc
eſt quòd dixerit: *Lætificantia cor ſeu mentem*, non verò lætificantia hominem;
nam mundanis deſiderijs homo delectatur, mens verò ſeu ratio, quæ hic nomine
cordis indicatur, non gaudet niſi propter exercitia rationi conſentanea, ſicque
dicit ea eſſe gaudia cordis ipſius. Addit deinde *Præceptum Domini purum*; nam
quodcumque Dei præceptum, vbicumque ſit traditum, purum & mundum
eſt ab omni ſcoria falſitatis. *Et illuminans oculos*, populi enim Diuinorum
præceptorum cognitione deſtituti, verſantur in tenebris. Præcepta ſiquidem
mentem humanam illuſtrant & ſunt veluti gradus quibus ad magnam gloriam
homines conſcendere poſſunt.

Psal. 19. V. 9. *Timor Domini mundus.* Ille ad ea pertinet quæ quis occultè & nemine conſcio facere poteſt, vt furtum, & menſurarum ac ponderum adulterationem de quibus ſcriptum eſt, *Et Deum tuum timebis.* Et hic timor omni caret im-
Leu. 25. puritate; homo etenim metu hominum cohibetur ab ijs rebus patrandis, quæ palam & apertè ſunt malæ; hæc autem moneta, non eſt pura, ſed multis ſcorijs adulterata: at verò timor ille quo quis illa veretur committere mala, quæ ſunt occulta, propter ſolum Dei metum, purus omnino eſt & omnis expers falſitatis. Additur: *Permanens in æternum*, quædam enim ſunt præcepta quibus certus eſt locus, & tempus determinatum, quæ autem Diuinum ſpectant timorem, permanent in æternum, nec præfinitum habent tempus. Vel fortè iſta verba: *Permanens in æternum.* Sunt de tota lege intelligenda, quia nihil in ea Deus præcepit ad tempus, ſed in omnes ſæculorum ſucceſſiones permanſura eſt. Ea enim mandata, quæ dicunt Gentiles* non eſſe intelligenda ſimpliciter & ad literam, ſed figuratè, Deus clarè & explicatè præcepit, non verò figuratè & parabolicè; ſi ita ſe res habet, non figuratè ſed ſimpliciter & ſecundùm literalem ſenſum, debet homo Diuina intelligere præcepta: Si enim parabolicè fuiſſent præcepta, dubium haberent & incertum ſenſum. Atque alius diceret, myſterium aliquod in hoc præcepto continetur ſic explicandum; alter è contra alio modo intelligendum contenderet; Cùm tamen ſcriptura dicat: *Man-*
Deut. 30. 11. *datum hoc quod ego tibi hodie præcipio, non eſt ſupra te, nec procul poſitum.* Si autem ſint aliqua in præceptis abſcondita myſteria nec ſecundùm ſimplicem & planum ſenſum ſint intelligenda iam profectò erunt difficilia, & à communi ſenſu remota. *Iudicia Domini vera, iuſta ſunt ſimul omnia.* Iam diximus ſupra, Iudicia ſumi pro modis ſeu rationibus agendi hominum in ſuis negotijs; hæc autem omnia ſunt res veræ, omnibus manifeſtæ, & omnes omnino iuſtiſſimæ, nec in vlla earum quidquam ineſt prauitatis. Porro non deſunt qui velint Dauidem idcirco poſt ſolis mentionem, ſtatim egiſſe de lege vt demonſtraret eam eſſe longè vtiliorem ſole, quia nimirum ſunt res aliquæ quibus ſol nocet, Lex verò rebus omnibus eſt vtilis, quapropter de ea dixit: Lex Domini perfecta: ita enim eſt perfecta vt in vijs omnibus cùm hujus ſæculi, tum futuri, nonniſi commoda multa ab illa homo percipiat. Addiditque: *Conuertens animam*; quoniam ſi quando aliquis ad ſolis ardorem diutius ſedeat quàm par erit, in lethiferum morbum incidit, ſicut de Iona dicitur: *Et percuſſit ſol caput Ionæ,*
Ionæ 4. 8. *& defecit.* Non ita autem Diuina Lex, ſed ipſa potius animam reſtituit corpori, eamque in ipſo confirmat. Nonnunquam etiam contingit, vt ſolis ardor vnà cum hominis calore coaleſcens, ipſum reddat amentem. Lex autem non ita, ſed ipſi etiam ſimplici dat ſapientiam: ſi etiam homo longo tempore ad ſolem ſederit, eius calor dolorem ipſi adferet. Non ſic mandata Domini quæ cor humanum lætificant. Cùm etiam voluerit quis corpus ſolis intueri, eius hebetantur oculi; at præceptum Domini oculos illuminat. Solis præterea ſplendor ſæpius obtenebratur nubibus, timor autem Domini mundus eſt ac purus, & nihil eum obuoluere aut occultare valet. Sol interdiu ſolùm, & non noctu illuminat, timor autem Domini manet in æternum. Solis etiam lux & calor

* Gentilis nomine ſeu גוי *goi*, populum omnem non circumciſum olim appellarunt Iſraëlitæ, iam verò Iudæi præ odio, hoc nomine Chriſtianos præſertim deſignant.

non æqualiter ſe habent totâ die, nam à tempore matutino ad meridiem vſque PSAL.
augentur, à media verò die, & deinceps incipiunt decreſcere; Iudicia autem 19.
Domini omnia ſunt iuſta, nec vnum eſt oppoſitum alteri.

V. 10. *Deſiderabilia ſuper aurum & obryſum multum.* Pergit legem & præcepta Diuina extollere, quæ aſſerit multò magis eſſe optabilia quam aurum & obryſum multum. Dictio enim פז *paz*, ſignificat aurum optimum & puriſſimum; quod vox רב *rau*, indicat, vt in iſto loco: *Super omnem* רב *rau magnum* Eſter 1.
domus ſuæ, hoc eſt, magnum exiſtimatione & dignitate: vel exponi poteſt רב 22.
rau, multum numero, copioſum. Hoc autem epitheton appoſuit auro & obryſo, quia multùm auri & obryſi concupiſcere ſolent homines, vt ditentur. Quidam vocem פז *paz* interpretantur, lapides pretioſos, quos etiam homines habere deſiderant. Viri tamen intelligentiâ præditi longè maiori deſiderio legem & ſapientiam proſequuntur; vnde & Salomo dixit: *Omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.* Diuitiæ ſiquidem in hac tantùm vita poſſideri Prou.
3. 15.
poſſunt, non verò in futura: at ſapientia in hoc & in altero ſæculo. Diuitiæ etiam vi poſſunt aufferri, aut furto ſurripi aut ab homine deperdi cùm in mari tum in terra; ſapientiam verò nec aufferre, nec furari, nec eripere quiſquam poteſt ab illo qui eam poſſidet. Si quis prætereа diuitias fuerit elargitus, aut illas pretio commutarit, nihil earum illi ſupererit quod iterum conferat: at verò ſi quis alium ſapientiam edocuerit, non modò eius detrimentum non patitur, quin etiam eiuſdem capiet incrementum. Conſtat igitur legis & ſapientiæ dogmata, longè magis eſſe deſiderabilia & chara viris prudentibus, quàm aurum lapideſue pretioſos. *Et dulciora ſuper mel & ſtillationem fauorum.* Verùm quidem eſt nullum eſſe cibi genus quod magis ſuâ dulcedine hominem comedentem afficiat quàm mel, ſi quis tamen eo ſæpius veſcatur, hoc ipſi nocebit & vomitum prouocabit. Mellis comeſtio ad modicum tempus prodeſt, at non ita ſe res habet de ſapientia, ſed eò magis proderit & in hac vita, & in altera quò quis maiorem in ea progreſſum fecerit.

V. 11. *Etiam ſeruus tuus admonetur per ea.* Quoniam ſupra dixerat legem & mandata Dei eſſe deſiderabilia, & cuinam eſſent optanda & dulcia, nimirum prudentibus & timentibus Deum, idcirco ſubjungit: *Etiam ſeruus tuus admonetur per ea*; Ac ſi diceret, ego etiam ex illis ſum, licet inter Sapientes accenſendus non ſim, ſum tamen ſeruus tuus, & mandata tua reuereor, & per ipſa admoneor, mihique chariſſima ſunt & dulciſſima. Noui etiam eorum obſeruatores multam manere mercedem, præter ſuauem illam & optandam dulcedinem quam in ipſis prudentes deguſtant. Anima enim intellectualis appetit & ſummo deſiderio fertur in ſapientiam, licet illi nullum inde contingeret præmium, quoniam innato appetitu aſpirat ad ſapientiam, non ſecus ac anima ſenſitiua ad cibum dulcem inhiat naturali deſiderio. Si ita ſe res habet, Sapientes viri in lege obſeruanda, & in colenda ſapientia naturaliter occupantur, etiamſi nullam inde mercedem expectarent. Addit verò Dauid: *In cuſtodiendis illis merces multa.* Quod magis adhuc auget legis obſeruandæ deſiderium: quoniam ego & prudentes viri ea deſideramus, maximum prætereа nobis præmium rependitur ob illorum obſeruationem: tu enim beneficijs cumulas eos, qui tua obſeruant mandata, & in hoc & in futuro ſæculo, ſed ſumma

Psal. 19. huius remunerationis in altera vita rependitur ; quapropter ipſa merces nomine עקב *eequen* calcis appellatur, vt enim calcaneus eſt vltima pars corporis, ſic merces eſt finis operis ; opus autem hominis, nempe mandatorum Dei obſeruatio, non conſummatur ante diem mortis ipſius.

V. 12. *Errores quis intelligit?* Verum quidem eſt cor meum & voluntatem meam, ad tua præcepta obſeruanda ſemper fuiſſe procliuia ; illud tamen a te peto, vt me ob occultis erratis meis emundes : errata enim omnia quis valet animaduertere ? nemo profectò eſt qui ea omnia ſciat & intelligat ; aliquando enim aliquibus in locis quiſpiam iacebit, & continget aliquid quòd eius oculos & notitiam fugiet, & propterea ego te rogo vt non me punias ob occulta & ignota mihi peccata, ſed vt me ab iſtis expurges.

V. 13. *Etiam a ſuperbijs probibe ſeruum tuum.* Adhuc vnum aliud à te peto & maius omnibus iſtis quæ à te petiui, nempe vt me prohibeas à ſuperbijs ne in me dominentur, & ne concupiſcentia mea mihi præualeat. Ego quidem totis viribus ab ea mihi caueo, tu etiam quæſo, mihi opem feras ne mihi dominetur praua illa concupiſcentia. Deus enim ſanctus & benedictus opitulatur ei cuius cor rectum fuerit, ſicut dixit Regi Abimelech : Ego etiam te pro-
Gen. 20. 6. hibui ne in me peccares. Et dictio זדים *Zedim*, eſt nomen ſubſtantiuum &
Prou. 30. non adiectiuum, eſtque illius ſingulare זד *zed*, eiuſdem formæ ac illud רש *raſch paupertas & diuitiæ ſunt in manu mea. Tunc immaculatus ero.* Dictio איתם
Ier. 33. 22. *etham*, ſcribitur cum י *iod*, poſt א *aleph*, & eſt illud quieſcens, & loco dagueſch quod alioquin adeſſe deberet ſine illo י *iod*, vt in iſtis vocibus: *Et non* ימד *im-*
Ioſ. 7. 6. *mad, menſurabitur.* Item, *Et cor omnis hominis* ימס *immas diſſolutum elanguit.* In ea porro dictione איתם *etham*, quia denarius numerus literà י *iod* indicatur, Lex verò decem verbis ſeu præceptis contenta & propoſita eſt, quæ ſunt eius integritas & perfectio ; dicit Dauid, cùm expurgaueris me à peccatis ex errore vel ignorantia commiſſis, meque ita adjuueris, vt mihi ſuperbiæ non præualeant, tunc ero immaculatus & perfectus. *Et mundus ero à prænaricatione multa.* Illa autem præuaricatio peior, eſt ſuperbia : nam ipſa oritur ex concupiſcentia hominis in re in qua peccat per ſuperbiam. At verò ſcelus & præuaricatio maxima eſt illa, quâ rebellis fit contra Dominum ſuum, & mandata eius contemnit & peccatum committit, licet concupiſcentiæ motu in illud non feratur: qui autem aſſuetus eſt ſuperbiæ tandem in rebellionem prolabetur: quapropter dicit hìc Dauid, ſi emundaueris me ab erratis & adjuues contra ſuperbiam, itaut mihi non dominetur, hoc modo nunquam ero ſuperbus, ſi verò non fuero ſuperbus ; certiſſimum adhuc eſt, me non fore rebellem. Et hoc eſt quod his verbis ſignificat : *Et mundus ero à præuaricatione multa*, & dictio רב *ran*, eiuſdem eſt ſignificationis ac גדול *gadol*, magnus, maximum enim malorum operum & peccatorum eſt rebellio ſeu defectio. Poſtquam autem hæc à Deo poſtulauit, rogat eum vt ſuas preces & vota acceptet.

V. 14. *Complaceant, tibi, eloquia mea.* Hæc quæ ore meo coram te effudi, & quæ verbis non expoſui, ſed corde ſolo concepi, cogitatio ſiquidem, eſt
Pſal. 51. 17. cordis meditatio, ſint accepta in conſpectu tuo. Multa enim in corde ſuo cogitat homo quæ labijs ſuis aptè non valet efferre; quapropter alibi dixit, Dauid,
Prou. xvi. 1. Domine labia mea aperies ; Et Salomo : A Domino eſt reſponſio linguæ. *Do-*

mine petra mea, & redemptor meus. Fortitudo mea eſt, quia in ipſo confido in Psal.
orationibus meis. *Et redemptor meus*, ab erroribus & ſuperbijs. 20.

PSALMVS VIGESIMVS.

Præcentori, Pſalmus Dauid.

1. EXaudiat te Dominus in die tribulationis: exaltet te nomen Dei Iacob.

2. Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Sion ſuſtentet te.

3. Memor ſit omnis ſacrificij tui: & holocauſtum tuum in cinerem redigat.

4. Tribuat tibi ſecundùm cor tuum: & omne conſilium tuum impleat.

5. Lætabimur in ſalute tua, & in nomine Dei noſtri vexillum erigemus: impleat Dominus omnes petitiones tuas.

6. Nunc cognoui quòd ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum, exaudiuit illum de cœlo ſancto ſuo: in potentijs ſalus dexteræ eius.

7. Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri memorabimus.

8. Ipſi incuruati ſunt, & ceciderunt: nôs autem ſurreximus & erecti ſumus.

9. Domine ſalua, *nos*: Rex exaudiat nos in die quâ inuocabimus.

COMMENTARIVS.

PRæcentori, *Pſalmus Dauid.* Litera ל *lamed*, præpoſita nomini דויד *Dauid*, ſignificat, de, aut propter Dauidem, vt in illo loco, dic לי *li*, de me, *aut in mei gratiam, frater meus eſt*: hunc enim Pſalmum cantor aliquis compoſuit in gratiam Dauidis, cùm ad bellum proficiſceretur, ac dixit. Gen. 20.

V. 1. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis.* Cùm graui premêris anguſtiâ eo in bello quod aduersùs hoſtes ſuſcipis, Exaudiat te Dominus in oratione tua, qua tunc coram illo precaberis. *Exaltet te*; auxilium enim eſt inſtar munitiſſimæ arcis, in qua exaltatur quis, itaut hoſtilis impetus & robur eum inuadere aut expugnare non poſſit. *Nomen Dei Iacob.* Idcirco meminit Iacob, eóquòd ipſe plures ſit expertus anguſtias quàm Abraham aut Iſaac. Sic etiam loquuntur in Deras, non eſt ſcriptum nomen Dei Abraham aut Dei Iſaac, ſed Dei Iacob. Et dixit Riſch Lakiſch parabolam de muliere prægnante, quæ partus

dolore premebatur, diximus illi, neſcimus quid tibi dicere debeamus, niſi for-
Psal. 20. te vt interroges matrem tuam de tempore preſſuræ ipſius, nam ipſa tibi reſpondebit de tua graui afflictione. Ita de Iacob ſcriptum eſt, Deus me exaudiebat tempore calamitatum mearum & propterea dixit Dauid Iſraëlitis; Is qui patrem veſtrum Iacob exaudiuit, vos pariter exaudiet: hinc etiam ipſe hic dicit: *Exaltet te Deus Iacob.* Alio etiam in loco, in eundem ſenſum dicitur, * Poſſeſſor trabis ingreditur in denſitatem trabis. Sic Iacob eſt pater noſter ſolus, ſed Abraham alterum habuit filium, nempe Iſmaëlem, Iſaac etiam habuit Eſaü. Non etiam alienum à ſenſu videtur, dictionem Iacob interpretari de
Eſ. 44. toto Iſraëlitico populo; ſæpe enim appellatur Iacob & Iſraël, vt: *Ne timeas ſerue meus Iacob.* Sic in alijs etiam locis.

V. 2. *Mittat auxilium tuum de ſancto.* Hoc eſt, de loco ſancto, illo nimirum loco vbi erat Arca; ibi enim reſidebat gloria Dei & inde mittet tibi auxilium in bello: *Et de Sion*, quoniam in Sion erat tum Arca. Ita etiam alio in loco
Pſal. 14. 7. dicitur: *Quis dabit ex Sion ſalutem Iſraeli.*

V. 3. *Memor ſit omnis ſacrificij tui.* Memor ſit, hoc eſt, olfaciat, iuxta illud:
Leu. 6. 15. *In monimentum odoris ſuauiſſimi Domino.* Cùm enim Rex bellum aliquod aggrederetur, vt proſperum, ex ope diuina, ſucceſſum haberet, holocauſta & ſacrificia offerebant pro ipſo in excelſis: vnicum autem tum fuit excelſum ſeu
1. Sam. 28. altare magnum, nempe in Gabaon. *In cinerem redigat.* Vox ידשנה *iedaſſehene*, habet ſegol in fine pro cameths: pari modo reperitur in dictione ואקראה *vaeqre*, & vocaui te. Porro dictio illa ידשנה *iedaſehene*, ſignificat illud in cineres redigat, ac ſi diceret, ignem mittat ad comburendum illud, ipſúmque gratum habeat, ſacrificium.

V. 4. *Tribuat tibi ſecundùm cor tuum.* Hoc eſt, hoſtes tibi ſubjiciat, ſicut in votis cordis tui habes. *Et omne conſilium tuum impleat.* Hoc dicitur iuxta illud:
Prou. 24. 6. *Prudentibus conſilijs bella facies*: &, *Conſilium & fortitudo ad bellum.* Et in Deras, ſic dicitur de his verbis: Quoniam Dauid erat vir cordis perfecti coram ſuo conditore, & corde puro ipſum precabatur, idcirco dicebant illi, tribuat tibi Dominus ſecundùm cor tuum; non autem ita oraſſent pro quolibet alio homine; ſæpe enim homo negotium aliquod aggrediens, apud ſeipſum proponit furari, aut peccatum aliquod alienum à recto facere. Quare autem dicunt illi: *Impleat Dominus omnes petitiones tuas?*

V. 5. *Lætabimur in ſalute tua.* Cùm impleuerit Dominus omnes petitiones tuas, & in pace redieris à bello, tunc lætabimur in ſalute tua. *Et in nomine Dei noſtri vexillum erigemus*: Ac ſi dicat, vexillum noſtrum & ſignum exaltabimus.

V. 6. *Nunc cognoui.* Vnuſquiſque Iſraëlitarum dicet, iam cognoui quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum; ac ſi diceret, quòd verè Chriſtus eius & Rex eius ſit, & quòd ipſum percharum habeat. Non ſicut antea dicebant de illo hoſtes eius; iſte eſt peccator, nec Deo eſt acceptus, nempe vt ia-
Pſ. 3. 2. ctabant de ipſo nulla eſt omnino ſalus ipſi in Deo eius: nunc verò cùm me ſaluum fecerit, confitebuntur omnes ipſum eſſe vnctum eius, & eum eſſe ipſius

* Senſus Prouerbij hujus eſt, patrifamilias incumbit cura familiæ, agricolæ, agri, &c.

ſerua-

ſeruatorem. *Et exaudiuit eum de cælo ſancto ſuo, in potentijs ſalus dexteræ eius.* Psal. 20.
Paucis enim copijs inſtructus, tot hoſtium millia fudit; quod nunquam fieri potuiſſet niſi per potentias dexteræ Dei qui miſit ei opem quâ ſaluus euaderet.

V. 7. *Hi in curribus.* Hoſtes noſtri in equis & curribus ad nos veniunt, & in illis totam victoriæ ſpem repoſitam habent, ſicut dicitur: *Et confidunt in multitudine curruum.* Eſ. 31. 1. *Nos autem in nomine Dei noſtri memorabimus.* Statim ac nomen eius memoramus, & ipſum inuocamus, victores efficimur; nos, inquam, etiſ pedites tantùm ſimus, equos & currus ſuperamus.

V. 8. *Ipſi incuruati ſunt.* Ipſi qui ex curribus & equis pugnabant, incuruati ſunt & ceciderunt, nos autem qui coram eis proſternendi & obterendi videbamur, mox vt Dei noſtri nomen inuocauimus, erecti conſtitimus, hoc eſt, gloriati & eleuati ſumus ſupra illos, ſicut alibi dicitur, ſuſcitans manſuetos Dominus. Pſal. 147. 6.

V. 9. *Domine, ſalua nos.* Hoc eſt quod ſinguli dicebant in prælio, & inclamabant, vt ſupra dixit, nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus; dicebant enim: *Domine, ſalua nos, ô Rex! exaudiat nos in die quâ inuocamus.* Dictio המלך *hamelec*, idem ſignificat ac האל *hael*, ô Deus! qui eſt Rex totius mundi, quique nos ſaluare poteſt.

PSALMVS VIGESIMVS PRIMVS.

Præcentori, Pſalmus Dauid.

1. DOmine in virtute tua lætabitur Rex: & in ſalute tua quàm exultabit vehementer!

2. Deſiderium cordis eius tribuiſti ei: & prolationem labiorum eius non prohibuiſti.

3. Quoniam præueniſti eum, in benedictionibus boni: poſuiſti in capite eius coronam de obryſo.

4. Vitam petijt à te, tribuiſti ei: longitudinem dierum in ſæculum & in æternum.

5. Magna eſt gloria eius in ſalute tua: gloriam & decorem impones ſuper eum.

6. Quoniam pones eum benedictiones in æternum: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

7. Quoniam Rex ſperat in Domino: & in miſericordia Altiſſimi non commouebitur.

8. Sufficiet manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua ſufficiet ijs qui te oderunt.

PSAL. 9. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Domi-
21. nus in ira ſua deglutiet eos, & deuorabit eos ignis.

10. Fructum eorum de terra perdes: & ſemen eorum à filijs hominum.

11. Quoniam inclinauerunt in te malum: cogitauerunt conſilia, quæ, non poterunt perficere.

12. Quoniam pones eos humerum: in funibus tuis præparabis contra vultum eorum.

13. Exaltare, Domine, in virtute tua: cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

COMMENTARIVS.

PRæcentori, *Pſalmus*: Hic etiam Pſalmus in gratiam Dauidis eſt editus. Sunt tamen qui de Rege Meſſia ipſum decantatum fuiſſe dicant; & ſi quidem de Dauide fuit editus, dictio illa לדוד *ledauid* idem ſignificabit ac על דוד *aal Dauid*, in gratiam Dauidis, vt ſupra fuit explicatum; dicendùmque erit aliquem è cantoribus ipſum in gratiam Dauidis cecinisse, Spiritus Sancti afflatu. Si verò ſit de Rege Meſſia, illud לדוד *ledauid* ſimpliciter erit explicandum, ſcilicet Dauidis. Erit enim Pſalmus Dauidis, quem ipſe, Spiritu Sancto afflante, compoſuerit de Meſſia filio ſuo. Per hoſtes verò quorum in Pſalmo fit mentio, Gog & Mogog & illorum exercitus ſunt intelligendi, qui Ieroſolyma ſunt obſeſſuri. Vel denique, ipſum לדוד *ledauid*, denotabit
Ezech. ipſum Meſſiam, quoniam appellatur etiam Dauid, vt illo in loco: *Et Dauid*
37. *ſeruus meus, erit vobis Dux in æternum.*

V. 1. *Domine in virtute tua.* Litera ע *aain*, vocis עזך *oozeca*, legitur cum cametſ hhateph: *In virtute tua*, quam ſcilicet tu illi daturus es; & idem eſt dicendum de verbis ſequentibus: *Et in ſalute tua quàm exultabit vehementer.* Et dictio quidem יגיל *iaguel*, ſcribitur cum י *iod* ſicut & illa יגיד *iagued*, annunciabit verbum; litera verò ג *guimel* habet ſegol, quia dictio eſt penacuta, cuius ſignum eſt in litera י *iod*, notâ futuri.

V. 2. *Deſiderium cordis eius tribuiſti ei.* Pro tribues; præteritum ſcilicet loco futuri: ſic & illud, *Non prohibuiſti.* Is enim mos eſt loquendi Scripturæ ſacræ, in rebus propheticis, aut Sancti Spiritus afflatu editis, in pluribus locis, vt iam ſcripſimus. *Et prolationem labiorum eius.* Dictio ארשת *areſchet*, idem ſignificat ac מבטא *minta*, prolatio; nec alibi in ſcriptura occurrit.

V. 3. *Quoniam præueniſti eum, in*, benedictionibus boni. Hoc eſt omnis
Gen. generis boni; ſicut in iſto loco: *Benedictionibus vberum, benedictionibus uuluæ,*
49.25. *benedictionibus abiſſi, benedicet tibi*, ſic in hoc loco, omni benedictionum genere præuenies & cumulabis eum. *Poſuiſti in capite eius coronam de obryzo.* Nempe quia regnum eius ſtabilies gloria & magnitudine.

V. 4. *Vitam petijt à te.* Vt diuturnam illi vitam in hoc ſæculo prorogares. *Longitudinem dierum in ſæculum & in æternum.* Nimirum futuri ſæculi vitam.

V. 5. *Magna eſt gloria eius in ſalute tua.* Cùm ipſum ab hoſtibus eius vindi- PSAL.
caueris, creſcet gloria eius coram omnibus populis : *Gloriam & decorem impo-* 21.
nes ſuper eum, per tuam ſcilicet ſalutem; vniuerſus enim orbis eum gloriâ &
honore afficiet, cùm agnouerint omnes ſalutem ipſi à te contigiſſe.

V. 6. *Quoniam pones eum benedictiones in æternum.* Quod ita intelligendum
eſt ac illud. *Et eris benedictio, ſeu benedictus.* Addit, *in æternum*; quoniam Gen.
etiam poſt mortem ipſius benedicentur in ipſo; ſicut iſto in loco dicitur : *In te* 12. 2.
benedicetur Iſraël, dicendo, faciat tibi Deus ſicut Ephraim & Manaſſe. Vel di- Gen.
citur, in æternum, vt ſermo ſit de ſemine ſeu poſteris eius, quia ſicut benedi- 48. 20.
centur in ipſo, ita etiam in ſemine eius benedicentur, quemadmodum Abra-
hamo dictum eſt, *Et benedicentur in ſemine tuo. Lætificabis eum.* Dictio תחדהו Gen.
thehhadehou, idem ſignificat ac תשמחהו *theſamehhehou*, lætitia afficies eum; 22. 18.
& reperitur hoc verbum in eodem ſignificatu, iſto in loco ויחד *vaihhad*, & Exo. 18.
lætatus eſt Iethro. Quòd verò dicat, in lætitia, poſtquam dixit, lætificabis eum, 9.
id fit ad denotandam lætitiæ iſtius magnitudinem : ſic dicitur : *Macta mactatio-* Gen. 43.
nem. Et prævaricata fuerit prævaricationem. Et, Ieiunauit Dauid ieiunium. Alia- Leu. 6.
que his ſimilia. *Cum vultu tuo*, cùm vultum tuum ſuper illum illuſceſcere fe- 2.
ceris, tum maximâ, quâ poſſit, lætitiâ afficietur; non enim gaudet ob multi- 2. Sam.
tudinem copiarum ſuarum, aut propter auri vel argenti abundantiam, ſed cum 12.
vultu tuo, quem ad illum conuertes, ſicut dicitur : *Et reſpiciam vos*; &, *Illu-* Leu. 26.
ſtrabit vultum tuum ſuper eum. Aſpectus autem Diuini vultus erga aliquem, &
lumen faciei eius, ſignificat fauſtum euentum quem Deus dat ijs omnibus
quæ operatur.

V. 7. *Quoniam Rex ſperat in Domino.* In nulla enim alia re quam in te ſuam fiduciam & gaudium collocat, & non in ſuo numeroſo populo. Ideo autem in miſericordia altiſſimi confidit, quoniam ipſe longè ſupra omnia exaltatus eſt, habetque poteſtatem ſaluandi, & benefaciendi ei quem diligit, ſiue paucis ſiue multis copijs ſit inſtructus, & ea propter ſe non caſurum confidit. Dicit verò, *in miſericordia*, quoniam quidquid boni ſuis creaturis impertit, Deus, hoc totum à benefica eius pietate procedit.

V. 8. *Sufficiet manus tua omnibus inimicis tuis.* Sufficiens robur tua tibi dex-
tera ſuppeditat, itaut non ſit tibi opus alieno auxilio; ita etiam dicitur : *Suffi-* Deut.
cient illi manus eius. Dicit igitur fore vt manus & dextera illius ſufficiat ipſi : 33. 7.
& quia iam præmiſerat : *Quoniam Rex ſperat in Domino*, iam dicit ad ipſum Re-
gem, eòquòd ſperaueris in Domino, ſufficiet manus tua omnibus inimicis
tuis : & rem eamdem repetens, ait : *Dextera tua ſufficiet ijs qui te oderunt*, &
ante dictionem שונאיך *ſoneeca*, ſubintelligitur litera ל *lamed* : & illud quod eſt
in voce לכל *lecol*, fungitur duorum munere, quod ſæpe contingit. Dictio au-
tem תמצא *timtſa*, idem ſignificat ac תספיק *taſpiq*, ſufficiet, vt in iſto loco.
An ſufficiet eis? Dici etiam poteſt, has voces תמצא שנאיך *timtſa ſoneeca*, Num.
aliam habere ſignificationem ſine defectu litteræ ל *lamed*, itaut ſignificatum 11. 22.
verbi תמצא *timtſa*, ſimpliciter & communiter reddendum ſit, dextera tua
inueniet eos qui te oderunt, quaſi diceret, nulla eis virtus aut poteſtas erit euadendi è manibus tuis.

V. 9. *Pones eos vt clibanum ignis.* Inſtar clibani in quo eſt ignis & ligna quæ

Psal. 21. ab ipſo conſumuntur, ſic, inquam, pones eos, illo tempore quo aduersùs illos excandeſces: omnes enim penitus abſumendi ſunt, ac futuri vt clibanus ignitus iniecta omnia abſumens. Ad hunc modum dicitur: *Pone illos vt feſtucam,*
Pſal. 83. 15. *& ſicut ſtipulam ante faciem venti; ſicut ignis qui comburit ſiluam, & ſicut flamma comburens montes.* Non enim dicit eos fore ignem quo alij comburantur, ſed ipſis euenturum ſicut cùm ignis ſyluam inuadit, quo omnia ſylux ligna incenduntur & abſumuntur, ſic illi prorſus abſumendi ſunt & perituri: hoc etiam
Zach. 12. 6. modo dicitur. *Ponam Duces Iuda ſicut focum ignis inter ligna.* Porro dictio פניך *panecha*, vultus tui, eodemmodo hìc eſt explicanda, ac in illo loco: *Et vultus*
1. Sam. 1. 18. *eius non erat illi amplius, &, vultus Domini diuiſit eos.* In quibus locis, *vultus*,
Thren. 4. 16. denotat iram. *Dominus in ira ſua deglutiet eos.* Facili negotio poteris eos ponere vt clibanum ignis, quoniam Dominus tecum eſt qui abſorbebit eos, & ignis eos deuorabit.

V. 10. *Fructum eorum de terra perdes.* Itaut nulla eorum memoria aut ſoboles inter homines remanſura ſit.

V. 11. *Quoniam inclinauerunt in te malum.* Hæc erit illorum merces, quia animum intenderunt vt tibi malum inferrent ſi ipſis poteſtas adfuiſſet. *Et praua cogitarunt conſilia quæ non potuerunt ad exitum perducere*; venerunt enim vt pugnarent contra te, & detrimenti aliquid adferrent.

V. 12. *Quoniam pones eos humerum.* Dictio כי *chi* quoniam, rationem reddit cur ſupra dixerit: *quæ non potuerunt perficere*: quomodo enim non potuerunt? nempe quia tu pones eos omnes ad partem vnam ſeu angulum, adeout non ſit illis poteſtas congrediendi tecum, ſed erunt omnes in altero latere, tu verò ſtabis aduersùs eos cum funibus & ſagittis tuis; præparabis ſagittas tuas in neruis tuis, & vibrabis eas contra vultum eorum. Similis eſt alibi loquendi
Pſal. 11. 3. modus: *Parauerunt ſagittam ſuam ſuper chordam*; ſic hoc loco, aptabis ſagittas tuas in chordis tuis: hìc verò conciſa eſt oratio; is enim mos eſt ſcripturæ in locis in quibus facilè ſenſus intelligitur.

V. 13. *Exaltare, Domine, in virtute tua.* Litera ע *aain*, eſt cum kibbuts puncto labiali. Sic porro ſunt exclamaturi omnes Iſraëlitæ. Exaltare, Domine, ſupra hoſtes propter robur tuum; potentia enim & fortitudo tibi ſunt aſſcribendæ, non verò nobis. *Cantabimus & pſallemus virtutes tuas.* Et propter robur & potentiam tuam quibus nos adjuuiſti & confirmaſti, cantabimus & pſallemus tibi, & confitebimur tibi ac profitebimur omnia à te eſſe accepta & ad te referenda.

PSALMVS VIGESIMVS SECVNDVS.

Præcentori ſuper cerua auroræ, Pſalmus Dauid.

1. DEus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti? longè à ſalute meâ verba rugitus mei.

2. Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, Psal. 21.
&;non, *eſt*, ſilentium mihi.
3. Tu autem, ſanctus: permanens, laudes Iſraëlis.
4. In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt & liberaſti eos.
5. Ad te clamauerunt & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt pudore ſuffuſi.
6. Ego autem, *ſum*, vermis, & non vir: opprobrium hominum & contemptus populi.
7. Omnes videntes me deridentme: emittunt labijs, mouent caput.
8. Deuoluentem ad Dominum, eripit eum: ſaluum facit eum, quoniam vult eum.
9. Quoniam tu es extractor meus de ventre: ſperare faciens me ſuper vbera matris meæ.
10. In te projectus ſum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu.
11. Ne elonges te à me, quoniam anguſtia proxima, *eſt*: quoniam non eſt qui adjuuet.
12. Circundederunt me iuuenci multi: tauri Baſan cinxerunt me.
13. Aperuerunt ſuper me os ſuum: ſicut, leo rapiens & rugiens.
14. Sicut aqua effuſus ſum, & ſeparata ſunt omnia oſſa mea: factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens, in medio viſcerum meorum.
15. Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit palato meo: & in puluerem mortis diſpoſuiſti me.
16. Quoniam circundederunt me canes, conſilium malignantium circundederunt me, *ſicut* leo manus meas & pedes meos.
17. Dinumerauero omnia oſſa mea: ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me.
18. Diuiſerunt, ſibi, veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam proiecerunt ſortem.
19. Tu autem, Domine, ne elongaueris te: fortitudo mea ad auxilium meum feſtina.
20. Erue à gladio animam meam: de manu canis vnicam meam.
21. Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicornium exaudiſti me.
22. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio eccleſiæ laudabo te.

Psal. 22. 23. Qui timetis Dominum, laudate eum, vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum: & timete eum omne ſemen Iſraël.

24. Quoniam non ſpreuit, neque abominatus eſt humilitatem pauperis, nec auertit faciem ſuam ab eo: & cùm clamaret ad eum, exaudiuit.

25. A te laus mea in eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

26. Edent manſueti & ſaturabuntur; laudabunt Dominum qui requirunt eum: viuet cor veſtrum in æternum.

27. Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu tuo vniuerſæ familiæ Gentium.

28. Quoniam Domini, *eſt*, regnum: & ipſe, dominatur Gentium.

29. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius inclinabunt ſe omnes qui deſcendunt in puluerem: & qui animam ſuam non viuificauit.

30. Semen ſeruiet ipſi: annumerabitur Domino in generationem.

31. Venient & annuntiabunt iuſtitiam eius: populo genito, quia fecit.

COMMENTARIVS.

P*Racentori ſuper cerua matutina.* Sunt qui exiſtiment dictiones iſtas אילת חשחר *aielet haſchahhar*, ſignificare aliquod ex muſicis inſtrumentis. Alij ſignificatum vocis אילת *aielet*, deſumendum cenſent ex illo verbo verſus decimi noni אילותי *eialouthi*, fortitudo mea, ad auxilium meum feſtina, quaſi diceret hunc fuiſſe editum de, aut pro robore aſcenſus auroræ. Quidam verò opinantur אילת *aielet* eſſe nomen ſtellæ matutinæ; ſic etiam in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum P. M. ſtella matutina appellatur אילתא *aielta*; vnde & ipſi dicunt Pſamum hunc de Eſtere eſſe compoſitum, & de Iſraëlitis qui tum temporis verſabantur in exilio. Denique non deſunt qui ipſum exponant de Dauide cùm adhuc fugeret à Saüle. Sed rectum videtur ſi dicatur per ceruam auroræ, deſignari congregationem Iſraëlitarum in præſenti exilio poſitorum; & finis Pſalmi hoc ipſum comprobat. Eos autem ceruam appellat Pſaltes, quem-
Cant. 2. admodum in cantico canticorum, ceruis aut hinnulis ceruorum agri comparantur. Per auroram verò denotat pulchritudinem & ſplendorem quæ in
Cant. 6. illis quondam emicabant, vt de illis etiam dicitur in eodem cantico: *Quæ proſpectat vt aurora.* Nunc autem in obſcuritate iacent, quandiu præſens patiuntur exilium, quaſi eſſent prorſus obliuioni traditi & derelicti; vnde & ex hoc exilio clamant.

V. 1. *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Singulari numero vtitur Psal.
de toto populo Iſraëlitico ſimul loquens, ipſi enim omnes ſunt quaſi homo 22.
vnus in exilio, & corde vno: & iſta repetitio, Deus meus, Deus meus, fit eo-
rum more qui clamant & vociferantur, vt: *Exaudi me Domine, exaudi me*; Et, 1. Reg.
Abraham, Abraham; Et, *Moiſes, Moiſes.* Dicit verò, Deus, ſeu fortis meus, 18.
אלי *eli*, quaſi diceret, tu qui fuiſti olim fortitudo mea & petra mea, nunc autem Gen.
quare me dereliquiſti? *Longè à ſalute mea.* Quare longiùs diſtas à ſalute mea, 22. Exod. 5.
vt audias verba rugitus mei. 4.

V. 2. *Deus meus clamabo per diem.* Diu noctuque ad te vociferor, nec eſt mi-
hi ſilentium à clamore; tu verò me non exaudis. Dictio דומיה *doumia*, nomen
eſt ſubſtantiuum & non adjectiuum.

V. 3. *Tu autem Sanctus, permanens.* Quomodo nunc non exaudis, tu qui
Sanctus es, permanens ſemper idem & immutabilis in æternum? fuiſti mul-
toties materia laudum Iſraëlitarum, qui te celebrarunt cùm eos ab ærumnis
ſuis liberaſſes: laus ſiquidem & gratiarum actio propter acceptam ſalutem ex-
hibetur. Quomodo, inquam, modò non liberas nos, cùm ſemper idem om-
nino permaneas, & eadem tibi nunc ſit potentia quæ tunc fuit? Cæterùm
dictio יושב *ioſcheb*, idem ſignificat ac קיים נצח *qaiem* & *netſahh*, ſtabilem,
æternum, ſic: *Tu autem Domine in æternum permanebis.* Tren. 5.

V. 4. *In te ſperauerunt patres noſtri.* Quoties enim ſperauerunt in te patres 19.
noſtri, eos liberaſti ex anguſtijs eorum, nec vana fuit illorum fiducia: eam au-
tem vocem: *Sperauerunt*, repetit ad magnitudinem ſpei ipſorum exprimen-
dam; nempe quia in nullo alio quàm in te fiduciam habuerunt: ſic etiam.

V. 5. *Ad te clamauerunt & fuerunt liberati.* Non verò ad Deos alienos, atque
idcirco non erubuerunt ſpe ſuâ fruſtrati.

V. 6. *Ego autem ſum vermis & non vir.* Ego non minùs vilis & abjectus re-
putor à Gentibus, quàm vermis; neque illis homo eſſe videor, ſed ſum oppro-
brium hominum, & deſpectus à plebecula in hoc exilio.

V. 7. *Omnes videntes me, deridentme.* Ita contingit nunc Iſraëlitis, om-
nes enim qui vident eos, derident ipſos, & caput contra eos per ludibrium agi-
tant, ſubſannationis & contemptus verba labijs aduersùs eos emittentes. Por-
ro dictio יפטירו *iaphtiron*, idem ſignificat quod ישלחו *ieſchalehhou* verba labijs
emittunt, vt patet ex illo loco פוטר *poter*, emittens aquam, &c. Verbum Prou.
etiam שלח *ſchileahh*, vſurpatur de aqua, vt משלח *meſchaleahh*, emittens ex 17.
fontibus: quod verbum שלח *ſchileahh* de verbis quoque dicitur, vt: *Ore tuo* Prou.
emiſiſti malitiam: hinc & Chaldæa Paraphraſis verba iſta, Et homines שלחו 16.
ſchulehou dimiſſi ſunt, reddit per verbum פטר *patar*. Pſal. 50.

V. 8. *Deuoluentem ad Dominum.* Dictio גל *gol*, eſt nomen adjectiuum inſtar Gen. 44.
illius, panem חם *hham*, calidum; item, fortitudo לתום *lathom* ſimplicis, 1. Sam.
via Domini: ſenſus autem eſt, Eum qui omnes vias ſuas, petitiones ac preca- 20.
tiones ſuas ad Deum refert & dirigit, eripit Dominus. *Saluum facit eum quo-* Prou.
niam vult eum. Hoc eſt, quoniam Deus amat eum eius orationem exaudit, 29.
ſicut dicitur alibi: *Si propitius fuerit nobis Dominus.* Vel ſenſus eſſe poteſt, quo- Num.
niam vult ſeu amat Deum iſte homo, iuxta illud: *Quoniam diligit me liberabo* 14. 18.
eum. Perinde ac ſi diceret, hoc vidimus & audiuimus quàm ſæpiſſime, Deum Pſal. 91.
14.

Psal. liberare ſolitum eſſe eum, qui ad ipſum res ſuas & orationem ſuam conuertit:
19. ſi ita eſt cur igitur minimè liberas nos, cùm ad te vnum conuerſi ſint oculi noſtri?

V. 9. *Quoniam tu, es, extractor meus de ventre.* Dictio גוחי *gohbi*, idem valet ac מוציא *motſi*, educens, iuxta illud, erumpis ex fluminibus tuis. Dicit
Ezec. igitur, quomodo nos in libertatem non aſſeris, maximè cùm nos te confiteamur,
32. & ſciamus ac noſcamus omnem potentiam à te emanare? te eſſe qui verè regnas & per quem alij regnant? te eſſe qui fiduciam præbes lactenti, adhuc à maternis vberibus pendenti, cuius victus nonniſi aliorum operâ paratur, & cui tu ſpem das fore vt ſenſim & paulatim accreſcat, & virtus & ſenſus in eo augeantur, vſque dum ſibi ipſi proprijs viribus victum conquirere poſſit. Mira etenim ſapientiâ ſit incrementum hominis ab vberibus matris eius, donec magnus euadat. Quæ omnia fiunt ſecundùm intentionem intendentis, & nutu ſupremi rectoris: non verò ſicut aliqui dicunt, naturæ motu & caſu, ſine vllius intendentis intentione, aut alicujus gubernatoris ductu; non autem ita ſenſit populus tuus, qui te confitetur.

V. 10. *In te projectus ſum ex vtero.* Tu ſiquidem es qui matri meæ alimentum ſuppeditaſti, quo me aleret & educaret. *Projectus ſum*, qui verò me projecit eſt pater meus & mater mea: needum enim infans eâ eſt notitiâ præditus, quâ poſſit ſui curam in Deum projicere, ſicque tu es Deus meus, ipſi enim te pro me confeſſi ſunt & agnouerunt.

V. 11. *Ne elonges te à me.* Ne igitur nunc longè diſcedas à me poſito in exilio; poſtquam creui, ne recedas à me, tempore calamitatis meæ. *Quoniam tribulatio proxima eſt*: Si verò tu accedas ad me, illa recedet, quia non eſt alius qui me adjuuet, præter te ſolum.

V. 12. *Circumdederunt me iuuenci multi.* Hæc eſt illa calamitas proxima & imminens quoniam inquit, circumdederunt me iuuenci; eſt autem allegoria, quâ ſuos hoſtes, pingues, potentes & malos deſignat; & dictio quidem רבים *rabbim*, magnos ſignificat & præſtantes robore. Ita etiam verba illa: *Tauri Bazan, ſeu pingues*, explicanda ſunt; Bazan enim regio fuit in terra Iſraël, paſcendis & ſaginandis pecoribus accommoda; & pecora quæ ibi paſta fuerant, pinguia erant & fortia, quibus improbos, potentes & robuſtos aſſimilat. Eadem figurâ vaccæ pingues appellantur mulieres quæ miſeros affligebant &
Amo. 4. egenos conterebant. *Cinxerunt me.* Dictio illa כתרוני *chitheronni*, idem signi-
1. ficat ac סבבוני *ſejanouni*, circumdederunt me, ſicut corona caput hominis cir-
Iud. 20. cumcingit; quo etiam modo dicitur: circunxerunt Benjamin in modum
20. coronæ.

V. 13. *Aperuerunt ſuper me os ſuum.* Iſti iuuenci ſupra memorati os ſuum aperuerunt vt me dilacerantes deuorarent; licet enim iuuenci non ſoleant ore quidquam diſcerpere, at illi tauri ſimiles ſunt leoni diſcerpenti & rugienti. Porro vox אריה *arie*, leo caret litera כ *caph*, notâ ſimilitudinis, ſicut & in lo-
Gen. 49. cis iſtis catulus leonis Iuda, Iſſachar, aſinus fortis. Nepthali cerua emiſſa.
9. Et ita in multis alijs ſimilibus locis. Cæterùm leo rugire tum ſolet poſtquam
Am. 3. arripuit & diſcerpſit prædam, in lætitiæ & elationis indicium: vnde dicitur, An
4. rugiet leo in ſylua; cùm prædam non habuerit, aut dabit leunculus vocem ſuam

ſuam ? Pari modo , vbi inimici noſtri occiderunt nos & omnia noſtra bona Psal.
diripuerunt, gaudent & gloriantur. 22.
V. 14. *Sicut aqua effuſus ſum.* Nimirum præ metu illorum, metaphora eſt ;
corpus meum , inquit , ſimile fuit aquis deffluentibus. *Et ſeparata ſunt omnia
oßa mea* , quoniam oſſa aquis ſolidiora ſunt , ideò de illis dixit , ſeparata & lu-
xata ſunt , nempe quia viderentur diſiuncta à ligaminibus ſuis per quæ ſibi in-
uicem cohærebant. Sic alio in loco dicitur : *diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus in-* Pſal. 13.
fernum. Factum eſt cor meum tanquam cera. Dictio דונג *donag* idem ſignificat 8.
ac vox שעוה *ſchaana* , nempe ceram , quæ facilè per calorem liqueſcens diſ-
ſoluitur. *In medio viſcerum meorum.* Omnia interiora membra , hoc nomine
מעים *meaaim* denotantur.

V. 15. *Aruit tanquam teſta virtus mea.* Dominus pater meus P. M. vocem
כוחי *cohhi* , ex ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum F. M. ſcribendum eſſe putat ,
כיחי *chibhi* ſputum vel pituita mea. Alij ita exponunt vt ſit literarum metathe-
ſis כחי *chohhi* pro חכי *hhechi* , palatum meum aruit , perinde ac ſi diceret, quo-
niam loqui non poſſum , vt ſtatim ſubjungit : *Et lingua mea adhæſit palato meo.*
Rabbi autem Abraham filius Eſræ dictionem כוחי *cohhi* ſimpliciter & in ſuo
ſenſu literali exponendam cenſet , hoc modo , quoniam vita hominis maximè
per humidum radicale conſeruatur , & tota corporis ipſius firmitas & colliga-
tio , ideò humidum illud innatum potentiæ ſeu virtutis nomine appellauit ;
illud autem ſolet contingere in homine ſene cùm iam multorum annorum fue-
rit. *Lingua mea adhæſit faucibus meis.* Deeſt litera ſeruilis ל *lamed* , ante vo-
cem מלקוחי *malcohhai* , ſic enim ſcribi debuiſſet , *lemalcohhai* , nam dictio
מורבק *mondbac* habet camets , nec eſt conſtructa. Porro illa dictio מלקוחים
malchohhim , ſignificat palatum aut gingiuas , partes ſcilicet oris , ſupra & infra
linguam poſitas ; & ſimile dictum reperitur in iſto loco , lingua eorum adhæſit Iob. 29.
palato eorum. Illæ autem partes oris appellantur מלקוחים *malcohhim* , eóquòd 10.
comeſtionis tempore , cibos complectantur : hæc eadem verba : *adhæſit lingua
mea palato meo* , ſic exponuntur in Deras , quoniam agglutinata eſt lingua mea
œſophago meo. Alia adhuc ibidem datur explicatio , quoniam ablatus ſum
à * duabus Legibus , nempe à Lege ſcriptis conſignatâ , & à Lege in ſola tra-
ditione contentâ. Quoniam ſcriptum eſt , doctrinam bonam tradidi vobis , Prou. 4.
Legem meam ne derelinquatis. Vult dicere , propter excidium exilij. *Et in* 2.
puluerem mortis diſpoſuiſti me. Ac ſi diceret , iam morti ſum proximus , quaſi
tu me præparaueris , & ego diſpoſitus ſim vt conjiciar in ſepulchrum , quod eſt
puluis mortis. Illa verò dictio תשפתני *tiſchepeteni* ſimilis videtur eſſe ſignifica-
ti hìc ac in illo loco : *Diſpone ollam magnam.* In Deras circa eadem verba ſic 2. Reg.
dicitur , Ego ſum ſimilis foco vel furnulo , qui inter duas vias eſt diſpoſitus , ſu- 4.
per quem tranſeuntes & redeuntes diſponere ſolent.

V. 16. *Quoniam circumdiderunt me canes.* De ſuis hoſtibus loquitur , inter
quos ſe ita verſari dicit , ſicut qui à canibus vndique circunſeptus eſt , vt nulla

* Duas quippe Leges agnoſcunt Rabbini , nempe Legem in ſcriptura , & Legem in ore. Scri-
ptam intelligunt quinque libros Moſis ; ore traditam , ſcriptæ interpretationem , quam Moſes
ex ore Dei acceperit , & ex Moſe Ioſua , ex ore Ioſuæ , ſeniores , à ſenioribus , Prophetæ &c.
quæ tandem & ipſa ſcripta fuerit , & in Talmud contineatur.

Psal. 22. ſic ab eis effugiendi facultas : hæc autem verba, circumdederunt me canes, altera allegoria eaque eleganti explicantur, hàc nimirum : *Sicut leo manus meas & pedes meos.* Quoniam circuncinxerunt me hoſtes, ſicut leo [1] qui in ſylua circulum caudâ ſua deſignat, & omnes beſtiæ quæ circulum iſtum aduenerint, inde non audent exilire ob metum & pauorem leonis, ſed collectis manibus pedibúſque ibi hærent, ſicque leo prædam intra circulum ſuum deprehendit. Pari modo nos in exilio quaſi in circulo quodam incluſi ſumus, vnde non poſſumus exire quin in raptorum manus incidamus; nam ſi [2] Iſmaëlitarum manus effugerimus, in poteſtatem incircumciſorum veniemus. Ecce igitur nos collectis manibus pedibúſque, præ metu illorum ſtamus exterriti, nec enim poſſumus pedibus noſtris fugam arripere, nec manibus depugnare, perindeque ſumus ac ſi manus noſtræ ac pedes æneis conſtricti eſſent vinculis,

V. 17. *Enarrabo omnes meas validiſſimas rationes.* Quòd ſi voluero recenſere coram magnatibus eorum aliquid injuriarum quas patior ab illorum minimis, ipſi magnates intuentur me & oculis contemptum & odium teſtantibus, me
Cant. 5. reſpiciunt; ſicut dicitur : *Ne me deſpiciatis quòd ego fuſca ſim.* Et : *Ponam te*
Ezech. 28. 17. *ante Reges vt videant ſeu deſpiciant te* : quibus in locis viſio denotat contemptum & deriſionem. Illud verò עצמותי *aatſemothai*, validas probationes meas
Eſa. 41. 21. exponere oportet, vt locum iſtum : *Afferte litem veſtram, afferte ſi quid forte ſeu validum habetis.* Alij tamen vocem עצמותי *aatſemothai*, in ſimplici eius ſignificatione explicant, oſſa mea, à ſingulari עצם *eetſem*, os; & dictionem אספר *aſaper*, ex ſignificatione מספר *miſpar*, numeri hoc ſenſu, poſſem præ multitudine & magnitudine macerationum mearum, omnia oſſa mea dinumerare. *Ipſi verò conſiderauerunt me*, hoc eſt, carnem meam, & miſerum ſpeciei meæ habitum & deriſerunt me.

V. 18. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea.* Arripiunt facultates noſtras, & quidquid labore comparatum habemus, auide etiam veſtimenta & indumenta noſtra diuidunt ſibi & corripiunt, ac ſuper ea ſortem mittunt.

V. 19. *Tu autem, Domine.* Nunc ergo, Domine, cùm tot miſerias meas intuearis, ne diſcedas à me; tu enim es robur meum & virtus mea, & in te ſolo ſpem meam collocaui, propterea ad auxilium meum feſtina.

V. 20. *Erue à gladio animam meam.* nempe à gladio exilij, ne in exilio penitus deficiam. Hic porro nominibus canis, leonis, vnicornis figuratè Reges Gentium, inter quas ſumus exules, deſignantur; & illorum quemlibet, iuxta magnitudinem eius, denominat. Per vocem, *vnicam meam*; animam intelle-
Iob. 4. ctualem, ſeu mentem intelligit; quæ vnica habitat in domibus luteis, nec ibi ſibi ſimilem habet; anima enim appetitiua, eſt corporea.

V. 21. *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium exaudi me.* Quoniam
Deut. 33. ſuis cornibus feriunt vnicornes, vt de illis ſcriptum eſt : *Populos omnes ſimul cor-*

1 Simile quid de leone refert S. Bern. ſermone 13 in Pſalm. Qui habitat : ſed ſiue hiſtoriâ ſiue fabulâ iſtâ abutitur author vt ineptam Iudæorum lectionem defendat. Antiquos enim Hebræos etiam legiſſe כארו *caron*, vide Ioann. Iſaa. Leuit. German. lib. 2. defenſionis veritat. Hebraicæ, necnon Genebr. & Muſ. in hunc Pſalm.

2. Per Iſmaëlitas, Turcas & per Incircunciſos notat Chriſtianos.

nu petet. Et dictio עניתני *aanitani* eſt pro תענני *taaneni*, exaudies me, præteri- PSAL.
tum, pro futuro, & multa occurrunt ſimilia in libris Propheticis. Vel ſenſus 22.
eſt, quia iam multoties è maximis calamitatibus ſeruaſti me, ex quibus liberari
perinde erat ac ſaluari ex medijs cornibus vnicornium; & ſicut ex alijs exilijs
me eduxiſti, ita etiam ex ore leonis vindica me.

V. 22. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Cùm me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium liberaueris, & ex hoc exilio eduxeris, tunc narrabo nomen tuum fratribus meis: *Et in medio Eccleſiæ laudabo te.* Porro fratres, de quibus hîc loquitur, ſunt filij Edom inter quos exules verſamur: filij etiam Iſmaël & filij Cheturæ, hi enim omnes ſunt nepotes & poſteri Patris noſtri Abraham, vel de nobis ipſis hæc poſſunt intelligi, hoc ſenſu; nos in captiuitate conſtituti ſigna & miracula quæ fecit nobiſcum Deus, enarrabimus olim decem tribubus quæ etiam exulant, ſed ſimul habitant ac vigent, * nec dura Gentium ſibi dominantium tyrannide, ſicuti nos, opprimuntur.

V. 23. *Qui timetis Dominum, laudate eum.* Ita dicent, vbi ſalutem conſecuti fuerint, ſenſuſque horum verborum: *Qui timetis Deum*, eſt, nimirum inter Iſraëlitas. Et hæc diuiſio ſimilis eſt iſti quæ infra habetur: *Qui timetis Dominum, benedicite Dominum; Domus Leui, benedicite Dominum, Domus Aaron, Domus Iſraël*, ſenſuſque eſt, vnuſquiſque ſecundùm dignitatis & intelligentiæ gradum, & iuxta rationem muneris & officij ſui apud Deum. In hoc autem verſu amorem & timorem ſimul commemoraut; vt etiam gloriam & timorem; qui enim timent Deum, tandem à timore ad amorem perueniunt. *Et timete eum omne ſemen Iſraël*, hoc eſt, vos ſcilicet qui amorem nondum eſtis aſſecuti. In Deras verò ſic dicitur de hoc verſu. Dixit Rabbi Ioſuæ filius Leui, timentes Dominum, ſunt qui timent cœlos. Rabbi Samuël, ſunt hi qui timent iuſtitiam, nouiſſimis temporibus futuram. Magiſtri autem noſtri dixerunt, hi qui timent Dominum, ſunt Sacerdotes. *Omne ſemen Iacob*; his verbis Leuitæ deſignantur. At illa verba, *Omne ſemen Iſraël*, ſimpliciter vt ſignificant, ſunt exponenda. (Pſal. 136.)

V. 24. *Quoniam non ſpreuit nec eſt abominatus.* Ita nimirum dicturi ſunt in ſuis gratiarum actionibus, cùm ex hoc exilio in patriam remigrarint, cùm verſaremur in exilio, non ſpreuit nec abominatus eſt; verbum שקץ *ſchiquetſ*, abominationem denotat, vt: *Ne abominemini animas veſtras.* (Leu. 11.) Dictio autem ענות *enout* miſeriam ſeu humilitatem ſignificat & cum voce עוני *oni* conuenit. Sunt tamen qui eam exponant, vocem ſeu clamorem pauperis, ſeu id quod ipſe, (Prou. 16.) ore ſuo profert; iuxta illud מענה *maane*, reſponſio linguæ. Vox שמע *ſchameaa*, verbum eſt temporis præteriti, formæ iſtius, quoniam חפץ *hhaphetſ* ardenter (Gen. 34.) amauit filiam Iacob.

V. 25. *A te laus mea.* Hæc dicturus eſt vnuſquiſque Iſraëlitarum, aut totus Iſraël ſimul quaſi vnus homo, vt Pſalmi verba indicant, laus mea quâ te celebrabo in Eccleſia magna, è gentibus collecta, à te eſt; tu enim mihi laudis ma-

* Simile aliquid refertur in libro apocrypho, qui vulgò quartus Eſdræ appellatur, cap. 13. à verſu 39. ad verſ. 47. Tradunt enim Iudæorum hiſtoriæ decem tribus à Rege Salmanaſar abductas è terra ſua in terram aliam, nempe trans montes Caſpios, vbi regnum ſit ampliſſimum, ſumma pace florentiſſimum, & à reliquis Gentibus fluuio Schabbatione diſterminatum.

Psal. teriam tribuiſti, Cùm me ſaluum feciſti. *Vota mea reddam.* Vota quæ ego voui,
22. reddam coram timentibus eum: tunc enim temporis omnes populi timebunt
—— eum; vt dicitur: *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum omnes fines terræ.*

V. 26. *Edent manſueti & ſaturabuntur.* Nempe Iſraëlitæ ipſi ſunt manſueti & humiles. Gentes enim elatæ & ſuperbæ fuerunt vſque ad redemptionem Iſraëlis. Sic etiam Iſraëlitæ ſunt ij de quibus dicitur hîc: *Qui requirunt eum*; Deum enim in exilio poſiti requiſiuerunt. Cùm autem in libertatem aſſerti fuerint, tunc edent & ſaturabuntur ſpolijs inimicorum ſuorum & delectabuntur, cùm antea in exilio gemuerint; ac dicetur ipſis: *Viuet cor veſtrum in æternum.*
Gen. Quæ verba ſenſum eumdem habent ac iſta: *Reuixit cor Iacob*: Quod oppoſi-
44. tum eſt illis verbis: *Et mortuum eſt cor eius in medio eius*; nempe quia ſpiritus
1. Sam. vitalis in corde reſidet animantis. Cùmque aliquis verſatur in anguſtia, cor
25. Pſal. eius emortuum eſt, ſicut dicitur: *Cor meum vulneratum eſt intra me.* Vbi autem
109. ex anguſtia in latitudinem egreſſus eſt, ſtatim cor reuiuiſcit. Ratio porro cur
apponatur hîc dictio לָעַד *laaed* in æternum, eſt quia non ampliùs è terra ſua emigraturi ſunt Iſraëlitæ, ſed in ea permabunt læti & hilares ipſi & filij eorum vſque in ſæculum.

V. 27. *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum.* Exteræ nationes erunt memores afflictionis & paupertatis quibus affecti fuerunt Iſraëlitæ dum in exilio verſarentur, & videbunt magnam eorum ſalutem & liberationem. *Et conuertentur ad Dominum omnes fines terræ, & adorabunt ad faciem tuam omnes familiæ Gentium.* Verba hæc, ad faciem tuam, ſunt Prophetæ Deum alloquentis.

V. 28. *Quoniam Domini eſt regnum.* Et tunc agnoſcent omnes Gentes Domini eſſe regnum; tunc etiam Deus Gentibus dominabitur, ſicut alibi dicitur,
Zach. *Et Dominus Rex ſuper omnem terram erit.*
14. V. 29. *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* Duobus modis hunc verſum explicat Dominus Pater meus P. M. nimirum quòd Gentes aliquæ quæ antea pingues erant & florentes, poſtquam ad Deum conuerſæ fuerint, tunc in eodem ſtatu ſunt permanſuræ, quia Deus illas ob conuerſionem & pœnitentiam ipſarum, habebit acceptas, & manducabunt & adorabunt eum, & propter accepta bona laudabunt ipſum. Quædam verò ſunt ex Gentibus, quæ etſi coram Deo ſeſe proſternant, eas tamen non excipiet, quoniam Iſraëlitas occiderunt, & hæ ſunt quæ deſcendunt in puluerem, ac ſi dicat, torquendæ ſunt in gehenna, nec cuiuſquam illarum anima à Deo viuificanda eſt, quemadmodum dicit Propheta, & mundabo ſeu vlciſcar ſanguinem quem
Ioel. 3. non mundaueram. Omnia enim mala quibus Iſraëlitas affecerunt, aliquâ com-
Eſa. 60. penſatione poterunt reparare ſicut dictum eſt: *Pro ære inducam aurum.* At ſanguis humanus effuſus compenſari non poterit; quapropter anima eorum erit pro anima ſeu vita, & hæc quidem expoſitio recta videtur. Attamen ſapiens Magiſter Abraham alio ſenſu totum hunc verſum exponit, ait enim pingues terræ, eſſe illos qui in hoc mundo fruuntur delicijs, itaut delicatiſſimis cibis veſcantur, qui etſi in vita præſenti voluptatibus indulgeant, attamen ſub vitæ ſuæ finem incuruabunt & proſternent ſeſe coram Angelo qui auferet ſpiritum illorum, nec valebit vllus eorum viuificare animam ſuam. Quibus verbis innuit illorum animas in futuro ſæculo eſſe perituras; cum è contra de

manſuetis dicatur: *Viuet cor veſtrum in æternum.* Illa autem verba coram Angelo aufferente illos, per modum myſticæ explicationis ſunt dicta: ſic enim in PSAL. Deras ſapientes dixerunt; quoniam omne genu incuruabitur illi, hoc eſt, in 22. die mortis, quoniam ſcriptum eſt, *Coram eo incuruabunt ſe omnes qui deſcendunt in puluerem.*

V. 30. *Semen ſeruiet ipſi.* Attamen ſemen quod ſeruiet ipſi, eſt ſemen Iſraël, nam ipſi continuò illum colunt. *Annumerabitur Domino in generationem*, hoc ſemen vocabitur & numerabitur in nomine Domini, & de ipſis dicetur: Iſte eſt populus Dei. Licet enim omnes aliæ nationes ad Deum ſint conuertendæ, nullæ tamen vocabuntur, Populus Dei, niſi Iſraëlitæ qui ſoli Domino in perpetuum annumerabuntur.

V. 31. *Venient & annuntiabunt iuſtitiam eius.* Eo nempe ſæculo, quod illorum exilium conſequetur, cùm ab omnibus terræ finibus redierint in patriam, tunc annuntiabunt iuſtitiam eius populo qui ex ipſis ortum duxerit; filijs nimirum & nepotibus ſuis annuntiabunt iuſtitiam eius quam illis exhibuit. Ipſi etenim nepotes non viderunt opera Domini quæ fecit cum ipſis, ſed ex patrum relatione didicerunt.

PSALMVS VIGESIMVS TERTIVS.

Pſalmus Dauid.

1. Dominus paſcit me: non indigebo.
2. In tugurijs ſeu paſcuis herbidis facit me accubare: ad aquas quietum deducit me.

3. Animam meam leniter ducit: deducit me per ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum.

4. Et ſi ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum, es: virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.

5. Paraſti in conſpectu meo menſam, ex aduerſo eorum qui tribulant me: impinguas in oleo caput meum, calix meus exuberans.

6. Profectò bonitas & miſericordia proſequentur me omnibus diebus vitæ meæ: & requieſcam in domo Domini, in longitudinem dierum.

PSAL. 23.

COMMENTARIVS.

P*Palmus David.* Pſalmum hunc David edidiſſe de ſeipſo videtur poſtquam ex aliqua anguſtia liberatus, requiem eſſet conſecutus; vel compoſitus fuit pro omnibus Iſraëlitis vt ipſum decantantes ita loquerentur cùm redirent ab exilio; quapropter ipſum præcedenti Pſalmo conjunxit. In Deras au-
1. Sam. tem duobus modis exponitur; & illa quidem verba: *In tugurijs herbæ me collo-*
22. 5. *cauit*, de Dauide dicta videntur cùm Saülem fugeret. Et quod ibi dicitur; *Et abijt David & venit in ſaltum Hareth*; ſed quare vocatur ſaltus Hareth? quia erat aridus inſtar rami palmæ aridi. Ipſum autem Deus ſanctus benedictus humidum effecit & gratum ex rebus futuri ſæculi recogitatis, vt dicitur: ſicut
Pſal. 63. 6. adipe & pinguedine repleatur anima mea. *Animam meam reducit*, hæc verba de regno ſunt intelligenda; quod mihi, inquid David, non propter meritum meum, ſed propter nomen ſuum conceſſit. *Etiamſi ambulauero in valle vmbræ mortis*, hoc Ziphæum deſertum deſignat. *Non timebo malum*, quoniam ſcilicet tu mihi ades. *Virga tua & baculus tuus.* Per virgam, correptiones, & per baculum Lex deſignatur. *Paraſti in conſpectu tuo menſam*, hoc eſt, regnum. *Ex aduerſo eorum qui tribulant me.* Nempe Doëg & Achithophel. *impinguaſti in oleo caput meum*, fortaſſis per correptiones, dicere diſces, profectò bonitas eſt; fortè in præſenti ſæculo diſces dicere: Profectò bonitas & miſericordia proſequentur me in longitudinem dierum. *In domo Domini.* Locus ſanctuarij intelligitur. Magiſtri verò noſtri de Iſraëlitis interpretantur per alia ſcripturæ
Ezech. verba, vt: *Ego paſcam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus*
34. 14. *Deus*, ad iſta Pſalmi verba: *In locis herbidis facit me accubare.* Ad illa verò: *Ad*
Ezech. *aquas quietum deducit me.* Iſta alia applicant: *Et ſuper torrentem orietur ex v-*
47. 12. *traque parte in ripis eius omne lignum pomiferum, &c.* Et, *Folia eius ad curationem, ſeu ad ſanandam contritionem.* Ad curationem Rabbi Samuël, vnus, inquit, dixit ad curationem; alter verò dixit, ad ſoluendum os mutorum. Et Rabbi Iohannes dixit, ad ſoluendum os ſterilium. *Animam meam reficiet*; his verbis exprimitur bonum futuri ſæculi: ſed iam Pſalmum exponam iuxta ſenſum eius literalem.

V. 1. *Dominus paſcit me, non indegebo re vlla.* Seipſum, David, ouiculæ comparat, & Deum, paſtori eius curam agenti, dicitque, Dominus paſcit me, quandoquidem ergo ipſe me ipſe paſcat, nullius omnino rei defectum patiar.

V. 2. *In tugurijs herbidis facit me accubare.* Dictio נאות *neoth* ſignificat locum herbis abundantem; & litera א *aleph*, eſt loco ו *vau*, dicitur enim נוה *naue*, cuius plurale eſt נוות *neuuoth*, & paſtorum caula ſeu tuguriolum hac
2. S. 7. voce denotatur, vt: *Ego tuli te de caula, euntem poſt pecudes.* Et, *Ad habitacu-*
Ier. 49. *lum fortitudinis.* Et, *Habitacula caulæ paſtorum.* Et cum permutatione literæ
Soph. 2. ו *vau* in א *aleph*: *Et excidentur* נאות *neoth caulæ pacis.* Item: *Et ſuper paſcua*
Ier. 35. *deſerti, lamentatio.* Et, *herbida facta ſunt paſcua deſerti.* Bonus autem pa-
Ibid. 9. Ioël. 2. ſtor, greges ſuos deducit & paſcit in locis gramine abundantibus, ibique tuguriolum ſuum figit ouéſque paſcit tempore matutino; meridiano verò, &

cùm iam dies vergit ad veſperam accubare eas facit in vmbra tugurij ſui; ſicut ſcriptum eſt: *Vbi paſcas, vbi accubare facias in meridie.* Cúmque eas adaquare voluerit, ad aquas quietas ſeu leniter fluentes illas deducit, non verò ad inundantem & rapidum torrentem, ne aquæ eas ſuâ rapiditate abripiant, dum accedunt ad potum: hinc eſt quòd dixit: *Ad aquas quietas me deducit.* PSAL. 25. —— Cant. 1. 7.

V. 3. *Animam meam*, ſeu me, *leniter ducit.* Verbum ישובב *ieſchoueu*, idem ſignificat ac ינחו *ianouahh*, quieſcere facit. Nimirum ita ſolet bonus paſtor, qui nimio labore gregem ſuum non conficit, nec acriùs vrget aut impellit, ſed lentè & leniter illum deducit, vt alibi dicitur: *Fœtas leniter deducit, & in brachio ſuo congregat agnos.* Et dictio ישובב *ieſchouen*, recreationem, etiam & quietem denotat. *Deducit me per ſemitas iuſtitiæ.* Boni inſtar paſtoris qui ſuum gregem non deducit per loca montibus aſpera; nec è monte in montem, nec ex monte in collem deſcendere cogit, ſed per vias planas & expeditas. Ita me Deus per æquabiles iuſtitiæ vias deducit. Atque id totum beneficij mihi præſtat, non quia eo dignus ſim, ſed propter nomen ſuum. Iſa. 40.

V. 4. *Etiamſi ambulauero in valle vmbræ mortis.* Tametſi contingat me verſari in loco periculis vndique cincto, quique ſit ſimilis valli vmbræ mortis, quæ aliud non eſt quàm ſepulchrum quod eſt caliginis locus, vt dicitur iſto in loco; *Antequam vadam, non reuertar ad terram tenebrarum & vmbræ mortis*, & Iob. 10. 21. capropter ſepulchro comparat anguſtiam; & ſicut Dauid grauiſſima ſæpenumerò pericula fuit expertus, aſſerit ſe ob maximam in Deo fiduciam numquam timuiſſe ne ſibi mali aliquid eueniret: *Quoniam, inquit, tu mecum es.* Certò enim confidebam te mihi ſemper adfuturum, quemadmodum omnibus te quærentibus ſemper adeſſe ſoles. *Virga tua & baculus tuus.* Quia ſuperiùs Deum paſtori ſimilem eſſe dixerat, eodem ſenſu ſubjungit, virga tua; &c. paſtor enim oues paſcendo, virgam manibus geſtat; cui etiam inniti ſolet ſi quando ſtare voluerit. Dicit autem חמה *hemma*, ipſa licet virga & baculus ſint idem, ſed quia diuerſis nominibus ea expreſſit, & quòd in omni anguſtia conſolantur ipſum, virga quidem dum iter facit, baculus autem dum in loco aliquo conſiſtit.

V. 5. *Paras in conſpectu tuo menſam.* Conuertit iam parabolam in ſimplicem ſed elegantem orationem, dicitque, paras in conſpectu meo menſam ex aduerſo eorum qui tribulant me, illi ſiquidem gloriam meam intuentes, liuore contabeſcunt. *Impinguas in oleo caput meum.* Vox דשן *dejchen*, pinguedinem vna cum humiditate ſignificat; ſi igitur impinguatum fuerit caput, totum etiam corpus impinguabitur. Vult porro indicare nihil omnino ſibi deeſſe, ſed omnia neceſſaria ſibi à Deo abundè ſuppeditari. *Calix meus exuberans.* Dictio רויה *reuaia*, eſt hìc cum tertia ſua radicali perfecta, reperitur enim alibi ſine tertia illa litera radicali expreſſa, vt iſto in loco: *vt addat ebriam ſitienti*; Deut. 29. 19. Senſus autem hìc eſt, poculum meum omnino plenum eſt, ac ſi diceret, ſemper erit exuberans & pleniſſimum & æternum ſatiabuntur ex illo bibentes; hoc autem modo loquitur, vt exprimat bonum quod ſibi Deus & omni populo ſuo elargitur.

V. 6. *Profectò bonum & miſericordia ſubſequantur me.* Grates tibi rependo, pro bonis omnibus, quibus me hactenus cumulaſti: verùm illud à te efflagito,

COMMENTARIVS. PSAL. 24.

D*Auidis Pſalmus.* Pſalmus hic à Dauide fuit compoſitus vt decantaretur,
dum Arca in Sanctum Sanctorum inferenda eſſet: & tum quidem cùm,
poſtquam obtuliſſet holocauſtum in monte Moria, reuelatus eſt ipſi locus in
quo prænouit domum Dei fore ædificandam, ſicut ſcriptum eſt in Verbis die- 1.Paral.
rum. Dixit ergo. 16.

V. 1. *Domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & qui.* Etiamſi vni-
uerſa terra ſit Domini, hic tamen mons appellatur mons Domini, & locus ſancti
tatis eius; veriſſimè enim eſt locus ſanctus eius, quoniam præ cæteris deſtinatus
eſt vt ſit ſolium gloriæ ipſius. Porro dictio ארץ *eretſ*, vniuerſam omnino terram
ſignificat, ſicut cùm dicitur: *In principio creauit Deus cælum & terram*; Vox au- Gen. 1.
tem תבל *thebel*, dicitur propriè de locis terræ habitabilibus: & ea eſt cauſa cur 1.
cum voce, terra, illas alias iungat: *Et plenitudo eius*, cum voce autem, orbis,
iſtas: *Et qui habitant in eo.*

V. 2. *Quoniam ipſe iuxta maria fundauit, & prope flumina ſtabiliuit eam.*
Terram verò ſuper maria, & ſuper flumina ſtabiliuit, ad vſum & commodum
creaturarum quæ in ea verſantur. At montem hunc non diſpoſuit Deus
pro omnibus creaturis; imò nequidem omnibus hominibus deſtinauit,
ſed ſolùmmodo innocenti manibus, & ei qui mundo eſt corde: huiuſmodi
autem ſunt poſteri Iacob, ipſi ſiquidem Deum exquirunt, & ipſis eſt manda-
tum vt iſtam in operibus innocentiam & cordis munditiem ſectarentur: quod
etiam ſæpenumero præſtiterunt; ſicut temporibus Ioſue & ſeniorum qui diu-
tiùs poſt ipſum vitam produxerunt, vt dicitur: *Et coluerunt Dominum cunctis* Ioſ. 24.
diebus Ioſue. Ita etiam Iudicum temporibus, & quamdiu ipſi præfuerunt: 31.
quod etiam ſpectat ad Samuëlis tempus; de illo enim dicitur: *Et ſecuta eſt Do-* 1. Sam.
minum vniuerſa domus Iſrael. Sic pariter Dauide & Salomone regnum mode- 6.
rantibus, & alijs ſimiliter regibus pietatis ſtudio addictis. In nulla autem aliarum
Gentium ſimile quid contigit vt omnes ſimul vni vero Deo cultum exhibe-
rent: Atque ideò dixit non aſcenſuros in hunc ſanctum Domini montem niſi
eos qui Deum quærunt. Iſti verò ſunt poſteri Iacob. Cæterùm in Deras ita
diſſeritur circa iſta verba: *Domini eſt terra & plenitudo eius.* Ipſa eſt terra Iſraël,
Deus enim fundauit eam iuxta maria, quoniam ſita eſt iuxta ſeptem maria, &
iuxta quatuor flumina. * Hæc autem ſunt ſeptem maria, nempe mare ma-
gnum, mare Scaniæ, mare Tiberiadis, &c. Iſta verò ſunt quatuor flumina,
Iordanis, Iarmoch, &c. *Quoniam ipſe iuxta maria fundauit eam*, ſenſus enim

* Authoribus Talmudicis, ſeptem maria & quatuor fluuij ambiunt terram Iſraëliticam. 1. Mare magnum, ſiue Mediterraneum. 2. Mare Tiberiadis 3. Mare Salſum ſeu Bituminoſum; Sodomæ. 4. Mare ſeu Lacus Samochonitis. 5. Mare דחולתא *dhhoulta*. 1. Fortè, mare Arenoſum: quod Sirbonidi optimè conuenit, commentante Diodoro Siculo lib 1. 6. 6. Mare דשליית *dſchelith*, quod ignoratur. 7. Mare ואפמיא *Apamiæ*. Primus fluuiorum eſt Iordanis. 2. Iarmoc, Plinio dicitur Hieramax. 3. Kirmion. 4. פינרה *pina*, Idem, inquit Aruch, cum Pharphar. Videſis Animaduerſiones I. Lightfoot in Tabulas Chorographicas Terræ Sanctæ.

PSAL. 24. eſt iuxta maria & iuxta flumina, & ſic explicanda eſt dictio על *aal*, vt in illo loco ועליו *veaalau*, & iuxta illum tribus Manaſſe. Et aſſerunt quidam nullum eſſe in mundo locum, habitationi aptum, qui à mari diſtet itinere dierum
Num. 2. 10. octodecim: quod ita factum eſt, ad humorem rebus creatis commodiùs deferendum: ob quarum etiam vtilitatem, tot flumina terram interfluunt. Et
Eſa. 45. 18. hoc eſt quod dicitur: *Ad habitandum eam condidit.* Illam enim ita aptauit vt in ipſa res creatæ conſiſtere poſſent. Et ratio eſt quoniam ab ipſo rerum initio, in eo ſtatu non fuit condita, imò itaut omnino ſub aquis poſita lateret; aquæ enim tunc ita illam vndique obuoluebant, ſicut aër aquam vndequaque obtegebat, & aërem ignis. Iacebat igitur terra ſub aquis: ſed præcepit Deus vt media pars eius appareret extra aquas, eſſetque creaturarum habitationi ac-
Gen. 1. 9. commoda: *Dixit enim, Deus, congregentur aquæ in locum vnum & appareat arida.*

V. 3. *Quis aſcendet in montem Domini?* Non enim quilibet homo eſt dignus qui in illum aſcendat, quoniam locus eſt ſanctitatis & pœnitentiæ.

V. 4. *Innocens manibus & mundo corde.* Ecce in hoc verſu tres hominis diſpoſitiones commemorat, operis ſcilicet, ſermonis & cogitationis; in quibus tribus poſita eſt hominis perfectio; ſi nempe fuerit innocens in operibus, mundus in cogitationibus cordis ſui, & in ſermone ſuo fidelis. *Qui non accepit in vanum animam meam.* Vox נפשי *napſchi*, cum י *iod* legenda eſt, Deus enim ipſe loquitur vt in iſto loco, non aſſumes nomen Dei tui in vanum; quo-
Exod. 20. 7. niam anima ipſius, ſeu ipſemet, eſt nomen ſuum, & ſic alibi dicitur: *Iurauit Dominus per animam ſuam.* Scribitur verò נפשו *napſcho* cum ו *vau*, ac ſi vellet
Amo. 6. 8. dicere: Nequidem animam ipſiuſmet iurantis, in vanum aſſumet, nec iurabit in dolum, ſed in veritate & iuſtitia: & hoc iuramenti genus Dei cultoribus eſt
Deut. 6. 13. præceptum, vt dicitur: *Et per nomen eius iurabis.* In alio etiam Scripturæ loco dictum eſt: *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſeruies & per nomen eius iurabis.* Hoc eſt, cùm iſtæ conditiones in te fuerint, tum per eius nomen iu-
Ier. 4. 2. rare poteris. Sic enim ipſe per Prophetam præcipit dicens: *Et iurabis viuit Dominus,* in veritate, in iudicio & in iuſtitia.

V. 5. *Feret benedictionem à Domino.* Dictio ישא *iſſa* idem ſignificat ac
Ruth. 1. 4. יקח *ichahh* accipiet, ſicut & in iſto loco וישאו *vaiſſeou*, & acceperunt ſibi vxores Moabitidas, vt ſit locus hic ſimilis iſti: *Accipe, quæſo, benedictionem*
Gen. 33. 11. *à ſeruo tuo.* Vel dictio ישא *iſſa* debet explicari de eo qui tollit aut capit aliquid vt det illud alteri, ſicut in iſto loco: *Et accepit partes vel dona à conſpectu ſuo,*
Gen. 44. 34. pro vnoquoque illorum, hoc ſenſu: Illi qui aſcendent in domum Domini, accipient benedictionem à Deo, qui dabit ipſis benedictionem ſuam, & miſericordiam ſuam, & eos liberabit ab omni anguſtia, à Deo qui eſt ſalus ipſorum.

V. 6. *Hæc eſt, generatio quærentium eum.* Quiſnam ille eſt qui aſcendet in montem Domini, aut in locum ſanctum eius, quique ſit innocens manibus & mundo corde? eſt generatio quærentium Dominum; hi autem ſunt Iſraëlitæ.
2. Reg. 5. Et hoc contigit Salomonis tempore, qui domum Dei ædificauit. Porro ſcriptum eſt דרשו *doreſcho*, quærentis eum, in ſingulari numero, de Dauide, & quaſi de omnibus generaliter; legitur verò דורשיו *doreſchau*, quærentium eum,

de particularibus, qui fuere innumeri. *Quærentium faciem tuam.* Deum hic Pſaltes alloquitur: Iſti, inquam ſunt, ô Deus qui quærent faciem tuam in Psal. 24.
ſanctuario, nempe Iacob, qui ſunt Iſraëlitæ; omnes enim poſteri Iacob, ipſius
nomine appellantur Iacob, vt in iſto loco: Noli timere ſerue meus Iacob: & 44. 2.
in alijs præterea locis: nec opus eſt ſupplere vocem, ſemen, vt quidam ſolent
interpretes. Explicationem verò dictionis סלה *ſela*, non eſt neceſſe afferre
vbicumque vox illa occurrit, ſed peti poteſt è Pſalmo tertio.

V. 7. *Attollite, ô portæ! capita veſtra.* Allegoria eſt: certum eſt autem
quòd tum valuæ ſibi inuicem clauſæ adhærebant cùm Arcam in locum templi
ſanctiſſimum inferre voluit Salomon. Imò ſimplex ipſe & literalis ſenſus
figuratus eſſe videtur, ſicut etiam in iſtis locis; Commoueatur mare & pleni- Pſal. 97.
tudo eius, lætetur ager & omnia quæ in eo ſunt. Ita quoque dicitur hîc: At- 7.
tollite, ô portæ capita veſtra, & eleuamini portæ ſæculi, immenſam enim Eſa. 26.
gloriam eſtis hodie excepturæ, quoniam per vos ingreſſurus eſt Rex gloriæ.
Idcirco autem Dei Regis gloriæ nomine Arcam appellat, quia ſuper eam inter duo Cherubim reſedit gloria Domini; hinc etiam vocata fuit, nomen Domini, quia ſcilicet nomen Domini ſuper eam fuit vocatum. Ob eam quoque
rationem, appellata eſt: *Dominus vniuerſæ terræ.* De illa etiam dicitur: *Surge* Num.
Domine. Et, *Reuertere, Domine.* Et alio in loco, de illa dicitur: *Aſcendit* 10.
Deus in vociferatione. Cæterùm appellantur hîc portæ ſæculi ſeu æternæ, quia Pſal.
hactenus Arca de loco in locum ſubinde tranſlata fuerat. Primò quidem ex de- 46.
ſerto illata eſt in Galgala: ex Galgalis verò in Silo; è Silo in terram Philiſtæo- 2. Sam.
rum tranſlata eſt, ex terra Philiſtæorum in Beth-ſames, ex Beth-ſames in 18.
Cariathiarim, ex Cariathiarim in domum Obededom. Denique ex domo
Obededom in ciuitatem Dauidis: tunc autem eam inferebant in locum illum
in quo æternùm erat permanſura, & propterea dicuntur hîc portæ ſæculi. Ita
etiam alibi dicitur: ædificaui domum in habitaculum tuum, firmiſſimum ſo- 1. Reg.
lium tuum in ſæcula. Porro vox שער *ſchaar*, ſignificat ſtructuram ex limini- 8.
bus & vtroque poſte conſtantem פתח *petahh* verò dicitur illud omne quod ex
porta ſupereſt à valuis vſque forinſecus: ideo autem vocatur פתח *petahh* aperto,
foramen quòd ſemper ſit apertum.

V. 8. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Quaſi portæ ipſæ inquirerent, quis eſt iſte
Rex gloriæ? & ſtatim daretur hæc reſponſio; Dominus potens in prælio, &c.
Iſtis autem epithetis vtitur, quoniam ſolebant Arcam ſecum in bellum deferre & eius præſentiâ adiuti hoſtes deuincebant.

V. 9. *Attollite, ô portæ!* Eadem verbis diuerſis repetit ex linguæ conſuetudine. Sapiens autem Abraham filius Eſræ, exiſtimat hunc verſum innuere
futurum Diuinæ gloriæ reditum poſt Redemptoris aduentum, & verba iſta:
Attollite, inquam, portæ ſæculi, explicanda vult eſſe vt priora: Attollite, ô
portæ capita veſtra; itaut voces illæ ראשיכם *ra,chechem*, capita veſtra, quæ
in prima parte verſus ponuntur, iterum in ſecunda ſubintelligantur, ex vſu
linguæ.

V. 10. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* In hoc verſu, illæ duæ voces, *Potens in prælio*,
non repetuntur; ratio eſſe videtur, iuxta explicationem noſtram, quoniam ex
quo Arca in domum [illegible]orum fuit repoſita, nunquam deinceps in bellum

Psal. 24. deuecta fuerit: ideóque reſponſio ſubſequens fit quaſi in diuerſa ſignificatione. *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Nempe quia in gloria ſua apparuit in domo ſæculorum ſeu in templo; ſic enim dicit Salomon: *Dominus dixit vt habitet*
1. Reg. 8. 12. *in caligine*: his porro verbis vtitur Dauid, *Dominum exercituum*, quoniam omnes Iſraëlitici populi turmæ in eam ſacram ædem confluebant, nec in vllo alio loco offerebant ſacrificia. At verò ſecundùm ſententiam ſupra memorati doctoris, Dauid in primo verſu dixit: *Dominus potens in prælio*, quia quandiu habitauit Gloria Dei inter Iſraëlitas tutò & confidenter habitarunt, nec fuerunt bellis impediti, eóquòd nullos hoſtes reformidarent. In ſecundo autem verſu non repetit vocem, *in prælio*, propter illa verba: *Et contundent gladios ſuos in*
Eſa. 2. 11. *vomeres, & terra quieſcet ab omni bello.* Ratio autem cur Deum appellet, Dominum exercituum, eſt quoniam illius temporis homines futuri ſunt ſimiles Angelis Dei: ſic enim Deus appellatur, nempe: *Dominus exercituum*, propter cœlorum exercitum.

PSALMVS VIGESIMVS QVINTVS.

Dauid.

1. AD te Domine: animam meam leuabo.
2. Deus meus in te confido: ne erubeſcam, ne exultent de me inimici mei.
3. Etiam vniuerſi qui expectant te non erubeſcent: erubeſcant præuaricantes ſine cauſa.
4. Vias tuas, Domine, demonſtra mihi: ſemitas tuas edoce me.
5. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu, *es*, Deus ſalutis meæ, te expectaui omni die.
6. Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine: & miſericordiarum tuarum, quia à ſæculo ſunt.
7. Delicta iuuentutis meæ, & præuaricationes meas ne memineris, *ſed*, ſecundùm miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam, Domine.
8. Bonus & rectus Dominus: propter hoc docebit peccatores viam.
9. Diriget manſuetos in iudicio: & docebit humiles viam ſuam.
10. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas: cuſtodientibus pactum eius & teſtimonia eius.
11. Propter nomen tuum, Domine: propitiaberis iniquitati meæ, magna eſt enim.

12. Quis, *eſt*, homo qui timet Dominum : docebit eum viam PSAL.
quam eligit. 25.

13. Anima eius in bono pernoctabit : & ſemen eius hæreditabit
terram.

14. Arcanum Domini timentibus eum : & teſtamentum eius ad
docendum eos.

15. Oculi mei ſemper ad Dominum : quoniam ipſe educet è
reti pedes meos.

16. Reſpice in me & miſerere mei : quia vnicus & pauper
ſum, ego.

17. Anguſtiæ cordis mei dilatatæ ſunt: ab anguſtijs meis educ me.

18. Vide miſeriam meam & laborem meum : & dimitte omnia
delicta mea.

19. Reſpice inimicos meos quoniam multiplicati ſunt : & odio
violento oderunt me.

20. Cuſtodi animam meam & erue me : ne erubeſcam, quo-
niam ſperaui in te.

21. Innocentia & rectitudo cuſtodient me : quoniam expe-
ctaui te.

22. Libera Deus Iſaël : ex omnibus anguſtijs eius.

COMMENTARIVS.

PSalmus hic Alphabetico ordine conſcriptus eſt, ſuntque adhuc alij in hoc libro, eadem ratione diſpoſiti. Et eſt vna ex literis Alphabeti in principio cuiuſlibet verſus : imò duæ ſunt in vno & eodem verſu. Cæterùm nobis ignotum eſt cur hi potiùs quàm alij Pſalmi hoc ordine diſpoſiti ſint; niſi fortè quòd Spiritus Sanctus eos ita edendos ori Dauidis ipſius infuderit. Videtur tamen omnis Pſalmus Alphabeticus ita fuiſſe ordinatus ob materiæ illius præſtantiam. In hoc autem Pſalmo nullus eſt verſus qui incipiat à literis ב *beth*, ו *van* & ק *coph* : & duo verſus incipiunt à litera *reſch*. Et ſunt qui dicant literam ב *beth* dictionis בך *beca*, quæ proxima eſt voci אלהי *elohai*, incipere verſum ſecundum : ſic etiam ו *van*, vocis ולמדני *velammedeni*, illum verſum inchoare; nihil tamen de iſtis pro certo conſtat. Porro authores Deras opinantur dictionem בך *beca*, eſſe quaſi ſymbolum viginti duarum literarum Alphabeti.

V. 1. *Ad te, Domine, animam meam leuabo.* Hoc per modum precationis eſt
dictum, ſicut illud, Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum in cœlos. Threu. 3. 41.
Sunt qui idem dictum velint per modum oblationis iuxta illud : Et tulit par- Gen. 43.
tes ſeu dona à facie ſua ad eos. In Deras autem exponitur iuxta illud, quia ad 34.
ipſum, *pretium*, leuat animam ſuam; hoc ſenſu, non ſecus ac mercenarius qui Deut.
expectat pretium operæ ſuæ quo ſuſtentatur; ita ego bonitatem & miſericor- 24. 15.
diam tuam expecto. Alio etiam modo ibidem explicatur : *Animam meam ad*

PSAL. 25. *te leuabo*, idem eſt ac illud quod alibi dicitur : *In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me, Domine, Deus veritatis.* Cùm enim homo ſomno vacare debet, animam ſuam Deo ſancto & benedicto committit, ne fortè quando
Pſal. 31. 6. conſurgit, eam non inueniat, quare ſcriptum eſt: *Domine Deus veritatis.* Dixit Rabbi Alexander, ſecundùm morem huius mundi homo deponit apud ſo-
Ibidem. cium ſuum res nouas ſeu bonas, qui eas ipſi reſtituit veteres ſeu peiores effectas; Deus autem ſanctus & benedictus non ita cum hominibus ſe gerit, homo ſiquidem in opere ſuo faciendo laborat per totum diem, ſub tempus autem veſpertinum anima eius labore fatigata eſt & attrita, quam ipſe dormiturus Deo benedicto committit, quæ matutino tempore in corpus reuertitur quaſi
Threu. 3. 23. innouata & quiete recreata, quoniam ſcriptum eſt : *Noui diluculo.* Rabbi Siman in nomine Rabbi Simeon dixit : Ex eóquòd ſingulis diebus horis matutinis renouas nos, cognoſcimus magnam eſſe fidelitatem promiſſionis tuæ, de mortuis in vitam reuocandis.

V. 2. *Deus meus in te confiſus ſum.* In te ſperaui & non in alio, quare te deprecor vt non erubeſcam: ſi enim precibus meis non annueres meâ expectatione deſtitutus, pudore ſuffunderer, ſicut ille dixit, pudore ſuffuſi ſunt quia
Iob. 6. 22. ſperauerunt; Et: *In te ſperauerunt & non ſunt confuſi.* Si autem meam impleas petitionem quam à te fore implendam certò confiſus ſum; non erubeſ-
Pſal. 22. cam, nec exultabunt de me inimici mei.

V. 3. *Etiam vniuerſi qui te expectant.* Non tantùm pro me deprecor vt non erubeſcam, ſed etiam pro ijs omnibus qui timent nomen tuum, quique etiam in te ſperant : ſed illi potius homines erubeſcant qui ſine cauſa in me præuaricantur; illi, inquam, erubeſcant & à ſpe ſua excidant; ſuam enim fiduciam & expectationem in te collocatam non habent. Porro in Deras circa illa verba : *Etiam omnes qui te expectant*, ſic dicitur ; Iſti ſunt Iſraëlitæ. Et additur: dixit Dauid quando ego ſto coram te in oratione, pro me & pro toto populo meo Iſraël, hæc à te deprecor, ne oratio mea ſit coram te irrita & reprobata, quoniam oculi totius Iſraël ſunt in me intenti, mei autem oculi in te ſunt defixi, ſi ergo meam orationem exaudias, perinde eſt ac ſi oratio illorum eſſet exaudita.

V. 4. *Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* Eandem ſententiam verbis diuerſis enuntiat : & cùm dicit: *doce me*, ſenſus eſt, ita me edoceas vſque dum perfectè cognoſcam: horum autem verborum : *Vias tuas Domine, demonſtra mihi*, ſenſus idem eſt ac illorum quibus Magiſter noſter
Exod. 33. 13. Moſes, qui æternâ pace fruatur, orauit Deum dicens : *Notas fac mihi vias tuas*, quæſo, vt te cognoſcam: qui enim vias Dei nouerit, ipſum etiam cognoſcet. Quod petit à Deo, illud eſt, nempe vt det illi notitiam rerum omnium quæ exiſtunt, itaut naturam pernoſcat & mutuam illarum concatenationem ; vt etiam cognoſcat Diuinam circa eaſdem gubernandas & regendas cùm vniuerſalem tum particularem prouidentiam. Idem etiam à Deo petijt Moſes
Exod. 33. 18. Magiſter noſter, ſuper quem ſit pax : *Oſtende, inquit, mihi gloriam tuam.* Similem hic Dauid petitionem petit dicens : *Dirige me in veritate tua*, nam de veritate exiſtentiæ Dei loquitur.

V. 5. *Dirige me in veritate tua.* Dixerat iam Dauid in prima petitione, de-

monſtra mihi, quod de ſcientia intelligendum eſt quâ poteſt homo cognoſce- PSAL.
re illam Dei exiſtentiam: eſtque ſcientia naturalis per quam homo in notitiam 25.
Creatoris deuenire poteſt: hæc enim eſt quaſi ſcala ad ſcientiam quâ Diuinitas cognoſcitur, & eius beneficio homo Deum noſcit quantùm noſcere poteſt, quandiu eſt in corpore, ſicut dicitur: *Non videbit me homo & viuet*: quapro- Exod.
pter dicit: *Dirige me in veritate tua*, non ſecus ac dirigit aliquis infantem, & 33. 20.
ad incedendum paulatim informat vſque dum aſſueſcat ingredi, & ſolus proprijs viribus & ſuo ductu iter facere poſſit. Eadem etiam eſt ſignificatio vocis, *Doce me*, ſicut & dirige me, hoc eſt, fac vt paulatim aſſueſcam: quo etiam ſenſu illud debet ſumi: *Sicut vitulus non* למד *limmond aſſuetus*: Quorum verbo- Ier. 31.
rum ſignificatio vſum & aſſuefactionem denotat. *Quia tu es Deus ſalutis meæ*, 18.
qui liberabis me ab anguſtijs hujus ſæculi, dabiſque mihi cor ad aſſequendum futurum ſæculum, & hæc eſt notitia veritatis. *Te expectaui omni die*, hæc Pſal.
verba eumdem habent ſenſum, ac illa alia: *Proponebam Dominum in conſpectu* 16. 8.
meo ſemper. Iſta verò, *omni die*, idem valent ac ſi diceretur, ſingulis diebus.

V. 6. *Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine*. Recordare iam tuarum erga me miſerationum & miſericordiarum quibus ſemper in me vſus fuiſti; hoc enim indicatur iſtis verbis: *Quia à ſeculo ſunt*. Perinde ac ſi diceret, in ipſo formationis tempore, in vtero matris meæ tuam expertus ſum benignitatem & clementiam, & in ipſa educatione mea, poſtquam in lucem editus ſum: cùm me igitur educaueris, & ad hanc vſque ætatem perduxeris, congruum eſt vt mihi ignoſcas, quoniam ego ſum opus manuum tuarum; quemadmodum ipſe Iob dicit: *Memento, quæſo, quod ſicut lutum feceris me*: Remi- Iob. 10.
niſcere igitur miſerationum tuarum priorum, & delicta iuuentutis meæ ne re- 9.
corderis.

V. 7. *Delicta iuuentutis meæ, & preuaricationes meas ne memineris*. Senſus horum verborum eſt, ea delicta quæ in iuuentute perpetrantur חטאות *hhataoth* appellantur, quia tunc homo nondum eſt maturi iudicij, nec appellari debent nomine פשע *peſchaa* præuaricationis, quoniam iſtâ voce, rebellio denotatur: cùm enim homo ex ſuperbia peccat, vbi grandior factus eſt, nempe ab anno vigiſimo & vltra cùm iam maturi eſt iudicij, vocatur peccatum eius פשע *peſchaa* rebellio, ſeu præuaricatio: tunc etenim ſcienter & cum notitia mandatum tranſgreditur, & tum etiam in Dominum & authorem præcepti rebellis eſt. Hîc igitur Dauid orat Deum propter ea omnia delicta, vt nullius illorum aduerſùm ſe meminerit, ſed ſuarum potiùs erga ſe miſerationum recordetur; ſibique retribuat ſecundùm benignam clementiam, non verò ſecundùm iudicium. *Propter bonitatem tuam, Domine*. Non propter me, ſed propter bonitatem & miſericordiam tuam, quia tu bonus es & clemens.

V. 8. *Bonus & rectus Dominus*. Quoniam ipſe bonus eſt & rectus, non repellit peccatores, ſed ſi pœnitentiam agere voluerint, illos recipit & viam rectam edocet. Porro litera ב *beth* dictionis בדרך *baderec* cum vocali patahh, de certa & nota via agi denotat: hæc autem eſt via pœnitentiæ quæ iam tum à primis diebus orbis conditi hominibus à Deo demonſtrata fuit: ipſe enim pœnitentiæ viam Cainum peccatorem edocuit, dum illi dixit: *Nonne ſi benefe-* Gen.
ceris erit venia, &c. 4. 6.

Psal. 25. V. 9. *Diriget manſuetos in iudicio.* Eos qui humiliati ſunt, & à peccatis conuerſi per pœnitentiam, diriget in iudicio, hoc eſt, viam pœnitentiæ illis aperiet, & illorum corda diſponet ad iudicia ſua & vias cognoſcendas, & ipſum eſt quod ſequitur: *Et docebit mites vias ſuas*, eſt enim ſententiæ eiuſdem repetitio per alia verba. Ratio verò cur litera ב *beth* in dictione במשפט *bami, chpat*, habeat patahh, eſt quia hoc manifeſtum eſt in lege eius. Sapiens Rabbi Selomo filius Gabirol, dictionem הענוים *haaananim* eos indicare exiſtimat qui Dei beneplacitum ſunt aſſecuti per verecundiæ virtutem, & ſæculum permanſurum apprehenderunt, quique viam eius addiſcunt ſicut hîc dicitur: *Diriget manſuetos in iudicio, docebit mites vias ſuas.*

V. 10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Quoniam omnes viæ eius non ſunt aliud quàm miſericordia & veritas, & hæ ſunt viæ illæ omnes per quas in lege ſua præcepit vt homines incedant, quæ ſunt miſericordia & veritas: nihil eſt in illis prauum aut diſtortum. *Cuſtodientibus pactum eius & teſtimonia eius*, non verò ijs qui quod rectum eſt, deprauant, itaut non poſſint
Oſ. 14. 10. agnoſcere veritatem, ſicut ipſemet dicit: *Rectæ viæ Domini, & iuſti ambulant in eis, præuaricatores verò, corruent in eis.*

V. 11. *Propter nomen tuum, Domine.* Quoniam nomen tuum, *eſt*, Bonus & veniæ largitor, ideó condonabis peccatum meum. *Magnum eſt enim*, peculiare eſt illud peccatum quoniam maius eſt ijs omnibus peccatis quæ vnquam admiſerit. Eſt autem peccatum quod cum Bethſabee commiſerat; dicit igitur, etſi iam petij à te veniam & condonationem pro peccatis & præuaricationibus meis, iterum tamen poſtulo à te veniam huius peccati, eſt enim grauiſſimum.

V. 12. *Quis eſt homo qui timet Dominum?* Quicumque voluerit Deum timere & colere, ipſe præparabit cor illius: Deus enim adiuuabit eum, & docebit illum viam quam ipſe Deus eligit, & probat vt per illam homo incedat, via autem optima eſt. Sunt qui hæc verba ſic exponant, docebit illum viam quam ipſe homo eligat.

V. 13. *Anima eius in bono pernoctabit.* Si viam illam tenuerit quam edocebit illum Deus, anima eius pernoctabit in bono poſt mortem ipſius. Et hæc eſt præcipua & ſumma hominis merces. *Et ſemen eius hæreditabit terram.* Propter iuſtitiam & æquitatem eius, Deus benedicet poſteris illius propter ipſum.

V. 14. *Secretum Domini timentibus eum.* Arcanum Domini non eſt manifeſtum niſi timentibus ipſum; illis enim qui ſcientiæ comparandæ ſtudium impendunt, ſecretum Dei non reuelatur niſi timuerint Deum & perfectè mandata eius obſeruent. *Et pactum eius ad docendum eos.* Ideó reuelat eis ſecretum ſuum vt eis notum faciat pactum ſuum. Porro hoc fœdus quod pangit, *Deus*, cum anima, eſt vt ipſam inſtruat ac intelligentem efficiat, eamque in ſuæ gloriæ fruitionem aſſumat poſtquam à corpore ſeparata fuerit. Et hoc etiam modo appellatur fœdus cùm dicit Deus Moſi Magiſtro noſtro, qui ſit in pace: Ecce ego ferio pactum coram omni populo tuo. Illud autem pactum in eo conſiſtit, quòd illum lumine intelligentiæ donauit, & anima eius adhæſit ſuperioribus. Dixit verò illi: *In conſpectu totius populi tui*, hoc eſt, illud quod feci tecum, eſt ſignum ſpiritale quod nullus homo præter te, poterit agnoſcere: aliud autem corporeum ſignum faciam tecum omni populo tuo manifeſtum;

feſtum; hoc autem fuit irradiatio cutis faciei ipſius; ex quo externo & corporeo ſigno noſcent me tibi ſignum ſpirituale fuiſſe elargitum. PSAL. 25.

V. 15. *Oculi mei ſemper ad Dominum.* Ipſe ſiquidem eſt ſpes mea, idcóque ad illum oculos attollo, non verò ad aliud auxilium inuocandum. *Quoniam ipſe educet è reti pedes meos*; nempe ex reti peccatorum aut ex reti inimicorum; ſcilicet iuxta illorum cogitationem, nam ipſi cogitabant fore vt me caperent. Loquitur autem de hoſtibus qui erant ex mundi nationibus, quique Iſraëlitis aduerſabantur vt in fine Pſalmi dicturus eſt. Hic adhuc loquitur de neceſſitatibus animæ, modò verò aget de corporeis, vt nimirum Deus ipſum ab hoſtibus eripiat, ſicut de ipſis in initio Pſalmi locutus fuerat: *Ne*, inquit, *exultent de me inimici mei.* Nam hi etiam ad animæ neceſſitates pertinent, quoniam ſi in bellis cum hoſtibus gerendis diſtineatur, non erit ipſi liberum neceſſarijs animæ curis vacare.

V. 16. *Reſpice in me & miſerere mei.* Quamquam Rex ſum ego & multus mihi eſt populus, ſum tamen pauper & vnicus, neque enim in copiarum multitudine, ſed in tua fortitudine ſola confido. Dictio עָנִי *aani* abjectum & humiliatum ſignificat, vt in iſto loco: *Eruct humilem in oculis ſuis.* Ac ſi diceret Iob. 36. 15.
Dauid, etiamſi Rex ego ſim, non vanè tamen ob regiam dignitatem extollor, ſed humilem & abjectum me reputo. In Deras ita de iſtis verbis Dauid diſſeritur, Et quomodo Dauid vnicus fuit, nonne de ipſo ſcriptum eſt, Atham ſextus, Dauid ſeptimus? Et quomodo fuit pauper Dauid, cùm de illo ſcriptum legatur, nonne in paupertate mea præparaui pro conſtructione domus Domini 1. Paral. 22.
centum millia talenta auri? ſed dicebat Dauid coram Deo ſancto & benedicto totius mundi Domino, quoniam me Regem ſuper filios tuos conſtituiſti, ideò illorum oculi in me ſunt intenti, ego verò vnicus ſum coram ipſis, & illis omnibus opus habeo, & ego oculos meos in te defixos habeo, quia iſti ſunt filij tui; & propterea dicit hic: *Vnicus & pauper ſum ego.*

V. 17. *Anguſtiæ cordis mei dilatatæ ſunt.* Dilatauerunt anguſtiæ ſedem ſuam in corde meo, ac ſi diceret multæ factæ ſunt, & eapropter ego illis oppreſſus ad te clamo vt me liberes à preſſuris quibus vndique coarctor: ſi enim cor meum anguſtijs & calamitatibus circumſeptum ſit, non mihi licebit liberè cultui tuo vacare.

V. 18. *Vide afflictionem meam & laborem meum.* Vox עָנְיִי *ooni*, id ſignificat vt ſupra explicui, & laborem meum quo in bellis agitandis cogor defungi. *Et dimitte vniuerſa delicta mea*, itaut afflictio & mala quæ patior ſint peccatorum meorum expiatio. Labor enim ille ex præcepto tuo ſuſceptus eſt, quoniam pro propugnandis Iſraëlitis bella gero.

V. 19. *Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt.* Conſidera hoſtes meos nempe Philiſtæos, Idumæos, Ammonitas, Moabitas & Syros. *Et odio iniquo oderunt me.* Nihil enim mali ipſis intuli, illi tamen bello me inuadunt. In Deras, circa hæc verba ſic dicitur: Siquidem Eſau oderit Iacob, eóquòd iura primogeniti abſtulerit ipſi; at quid mali fecit barbaris? quid Philiſtæis? quid Gathinæis? Eheu ipſi etiam odio iniquo oderunt me.

V. 20. *Cuſtodi animam meam & erue me.* Eripe me ex illorum manibus, ipſi enim vitæ meæ inſidiantur eóquòd nihil proſperè geſſerint contra

PSAL. 25. Iſraëlitas, ex quo regni moderamina ſuſcepi.

V. 21. *Innocentia & rectitudo cuſtodiant me.* Quoniam innocentia & rectitudo ſunt mecum, at verò prauitas & iniquitas cum ipſis hoſtibus; innocentia & rectitudo cuſtodiant me ab illorum malitia, nam in omnibus anguſtijs meis in te ſperaui.

V. 22. *Libera Deus Iſraël.* Ecce ego te deprecor vt ſiue dum adhuc in viuis ago, ſiue poſtquam mortuus fuero, liberes Iſraëlitas ab omnibus calamitatibus ipſorum.

PSALMVS VIGESIMVS SEXTVS.

Dauid.

1. IVdica me, Domine, quoniam in innocentia mea ambulaui: & in Domino ſperaui, non nutabo.

2. Proba me, Domine, & tenta me: examina renes meos & cor meum.

3. Quoniam miſericordia tua ante oculos meos, *eſt*, & ambulaui in veritate tua.

4. Non ſedi cum hominibus vanitatis: & cum occultantibus ſe ſe non introiui.

5. Odi cætum improborum hominum: & cum impijs non ſedeo.

6. Lauabo cum puritate manus meas: & circumdabo altare tuum, Domine.

7. Vt audire faciam vocem laudis: & enarrem omnia mirabilia tua.

8. Domine dilexi habitaculum domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ.

9. Ne colligas cum peccatoribus animam meam: & cum viris ſanguinum vitam meam.

10. In quorum manibus ſcelus, eſt, & dextera eorum repleta eſt muneribus.

11. Ego autem in innocentia mea ambulaui: redime me, & miſerere mei.

12. Pes meus ſtetit in rectitudine: in eccleſijs benedicam te, Domine.

COMMENTARIVS.

PSAL. 26.

V. 1. I*Vdica me, Domine.* Iudica me, & vide an non cor meum rectà ad te contendat, & iuxta rationem cordis mei iudica me. *Quoniam ego in innocentia mea ambulaui.* Ac ſi diceret, in innocentia cordis mei, & in omnibus quæ mihi contigerunt ſperaui in Domino, & ea propter non decet vt vacillem. Porro in Deras circa hæc verba ſic habetur, vno in loco ſcriptum legitur: *Iudica me*, alio verò in loco ita legitur ſcriptum: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo.* Pſal. 143. 2. Dicit Dauid coram Deo ſancto & benedicto, quando tu iudicas improbos, iudica me: at quando iuſtos iudicas, non intres in iudicium cum ſeruo tuo.

V. 2. *Proba me, Domine, & tenta me.* Et iuxta cordis mei diſpoſitionem me iudicabis. *Examina renes meos.* Et illos inſtar auri mundi puros comperies. Porro dixit renes meos, quoniam ipſi ſunt ſedes affectuum & conſultationum mentis. Cordis etiam mentionem fecit quia ipſum eſt quod intelligit & cogitationum origo eſt & ſedes. Et dixit; *Examina*, de qualibet earum cogitationum quæ mundæ erant ab omni ſcoria impuritatis. Iudica me igitur inquit, ſecundùm cogitationes meas; nam licet aliquando bona non ſint opera mea, cor meum tamen ſemper eſt rectum. Et illud de operibus intelligendum eſt quod dicit: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo.*

V. 3. *Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt.* Propterea non declinat cor meum à te, quia miſericordia tua meis ſemper oculis obuerſatur: ideò etiam ambulaui in veritate tua ſicut de Noë dicitur: *Cum Deo ambulauit Noë*, nempe quia per vias Dei inceſſit in veritate & rectitudine cordis. Gen. 6. 9.

V. 4. *Non ſedi cum hominibus vanitatis.* Vt ſcilicet mala illorum opera addiſcerem & ſermonibus imbuerer. *Et cum occultantibus ſe ſe.* Cum ijs qui clam peccata perpetrant ſéque ab hominum ſubducunt aſpectibus: ideò dicit; *Non introibo*, non verſabor cum eis in loco abſcondito in quem ipſi occultè conueniunt. Eandem iterum ſententiam repetit alijs verbis, *Cùm dicit.*

V. 5. *Odi cœtum malignantium.* Semper ab improborum conſortio & conceſſu abhorrui, ſed me imprimis delectat frequenter adire domum Domini & ibi ſemper immorari.

V. 6. *Cùmque lauero in puritate manus meas.* Tunc, *circumdabo altare tuum, Domine*, vt mea ibi holocauſta offeram, non ſicut impij qui ſacrificia offerunt manibus ſanguine & cæde pollutis; ego verò cùm puritate manus meas abluo, vt nihil penitus in me iniquitatis ſuperſit cùm ad oblationem ſacrificiorum accedo.

V. 7. *Vt audire faciam vocem laudis.* Dictio לשמיע *laſchmiaa* eſt pro להשמיע *lehaſchmiaa*, vt alibi dicitur לשמיד *laſchmid* pro להשמיד *lehaſchmid*, Eſ. 23. ad diſperdendum fortitudines eius. Dicit ergo Dauid, introibo in locum altarium tuorum vt ibi curem decantari Diuinas laudes tuas altâ voce in conſpectu omnium ſanctorum. Ad hoc nempe, vt coram eis fieret publica confeſſio & prædicatio beneficiorum quæ à Deo acceperat & à quo fuerat ereptus ab omni anguſtia; & vt enarraret omnia mirabilia quæ in ipſius gratiam fecerat quoties in ærumnis & vitæ periculis verſabatur.

Psal. V. 8. *Dilexi habitaculum domus tuæ.* Cœtum malignorum hominum odio
26. habui, at dilexi habitaculum domus tuæ. De illo habitaculo loquitur in quo
——. Arca fuerat repoſita & vbi Leuitæ, Sacerdotes, Prophetæ & pij quique ac
ſancti cultores Dei ſæpius commorabantur, ſicut Aſaph & fratres eius. *Et lo-*
cum habitationis gloriæ tuæ. Nam eo in loco in quo aſſeruabatur Arca, ibi ma-
ximè reſidebat gloria Domini ſuper Prophetas & ſuper viros Sancto Spiritu
afflari ſolitos.

V. 9. *Ne colligas cum peccatoribus animam meam.* Et quandoquidem ego iu-
ſtorum hominum cœtum elegerim, ne congreges cum peccatoribus animam
meam; quaſi diceret, ne, quæſo, moriar morte peccatorum, & hominum
2. Reg. cædibus iniquinatorum & quorum anima ſimilis eſt aquæ in terram effuſæ,
14. quæ non colligitur; at tu animam meam aſſumas in gloriam tuam, in mor-
te mea.

V. 10. *In quorum manibus ſcelus eſt.* Dictio זמה *zimma*, ita hîc ſumenda
Ioſ: 6. eſt ac in iſto loco: *Quoniam fecerunt* זמה *zimma*, hoc eſt, abominationem &
opus malum, cuiuſmodi ſunt cædes & plagæ quas ſuis manibus alijs inferunt
& infligunt, ſicut & munera quæ accipiunt vt mox dicitur: *Et dextera eorum*
plena eſt muneribus. Illa autem verba: *Inquorum manibus*, exponi etiam poſſunt,
in eorum poteſtate, vt illo in loco: *Et abſtulit omnem terram eius à poteſtate*
Deut. *ipſius.* Et in iſto loco: *Et omnia bona Domini ſui, in manu eius*: quaſi diceret
21. in eorum poteſtate ſunt opes rapinis & iniquitate comparatæ quorum prius
Gen. 24 10. opere, poſterius verò prauis cogitationibus perpetratur.

V. 11. *Ego autem in innocentia mea ambulaui.* Nempe quia me non impli-
cui rebus doloſis nec cogitatione nec opere. *Redime me & miſerere mei.* Redi-
me me ex anguſtijs, & miſerere mei, ex tua bonitate, cùm puritatem cordis
mei habeas perſpectam; & tunc confitebor nomini tuo & dicam:

V. 12. *Pes meus ſtetit in rectitudine.* Ac ſi diceret, pes meus non nutauit, nec
à recto deflexit, ac idcirco in eccleſijs benedicam Domino.

PSALMVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

Dauid.

1. Dominus lux mea, & ſalus mea à quo timebo? Dominus for-
titudo vitæ meæ à quo pauebo?

2. Dum appropinquarent aduersùm me maligni, vt ederent
carnem meam, hoſtes mei & inimici mei: ipſi impegerunt & cor-
ruerunt.

3. Si caſtrametata fuerit aduersùm me acies, non timebit cor
meum: ſi exurgat aduersùm me prælium, in hoc ego ſpero.

4. Vnum petij à Domino, hoc requiram, vt inhabitem in do-

mo Domini omnibus diebus vitæ meæ: vt videam voluptatem Domini & explorem templum eius. PASL. 27.

5. Quoniam abſcondet me in tabernaculo ſuo in die mali, abſcondet me in abſcondito tabernaculi ſui: in petram exaltabit me.

6. Et nunc exaltabit caput meum ſuper inimicos meos, qui circum me ſunt, & ſacrificabo in tabernaculo eius ſacrificia vociferationis: cantabo & Pſalmum dicam Domino.

7. Audi, Domine, vocem meam, *quâ*, clamo: & miſerere mei & exaudi me.

8. De te dixit cor meum, require facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.

9. Ne abſcondas faciem tuam à me, ne declinare ſinas in iram ſeruum tuum, auxilium meum fuiſti: ne derelinquas me, neque deſeras me Deus ſalutis meæ.

10. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.

11. Doce me, Domine, viam tuam & deduc me in ſemita recta: propter inimicos meos.

12. Ne tradideris me in animam tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes mendaces & loquens iniuriam.

13. Niſi crediidiſſem videre bonum Domini: in terra viuentium.

14. Expecta Dominum, corrobra te & confortetur cor tuum: & expecta Dominum.

COMMENTARIVS.

V.1. D*ominus lux mea.* Quandoquidem Deus eſt lux mea & ſalus mea à quonam timebo? nihil mihi ab hominibus eſt expaueſcendum. Deum verò appellat lucem ſuam, quoniam calamitas tenebris & liberatio ab eadem, luci eſt ſimilis. Cùm etiam ipſe Deus ſit vitæ meæ fortitudo, à quo mortem mihi inferendam timebo, ſicut enim homo in firmam arcem conſcendit, vt liberet vitam ſuam ab hoſtium ſuorum inſidijs, ne ab illis interficiatur: ita ego Dei protectione vallatus ſum, nec vllus eſt à quo quidquam metuere debeam. Etſi enim aliquis ſeſe munitiſſimâ arce tutetur, adhuc tamen metuit ſibi, timètque ne à ſuis hoſtibus obſideatur ac tandem propugnaculum ſuum expugnetur; aut certè tandiu obſidione cingatur, donec fame tandem aut ſiti oppreſſus intereat. At nihil horum mihi timendum eſt, quandoquidem Deus eſt fortitudo vitæ meæ.

Pſal. V. 2. *Dum appropinquarent aduerſùm me maligni.* Sunt qui vocem בקרוב *bicrob*
27. ex ſignificatione prælij & pugnæ exponant, hoc ſenſu, dum aduersùm me præliarentur: vel debet exponi ex primaria eius & ſimplici ſignificatione, itaut dicat, etiamſi proximè ad me acceſſerint vt me occiderent, hoc enim denotatur illis verbis: *Ad edendam carnem meam*, non tamen illos extimui, eò quòd Deus vitæ meæ protector eſſet, quod ita eſſe multis vicibus ſum expertus cùm in me irruiſſent qui me anguſtijs premebant, & inimici erant mihi; quaſi diceret, eo tantùm conſilio vt me dejicerent, occiderent ac omnino perderent: *Ipſi tamen impegerunt & corruerunt.*

V. 3. *Si caſtrametata fuerit contra me acies.* Etiamſi copioſus hoſtium exercitus caſtris ſuis circa me poſitis me vndequaque cinxerit, ego verò paucis ſim copijs ſtipatus: *Non tamen timebit cor meum*, ſed ipſum cor meum & mea mens me ad ſpem firmam in Deo habendam inducunt. *Si exurgat aduerſùm me prælium, in hoc ego ſpero*, nempe in hoc ſermone quem dixi: *Dominus eſt lux mea & ſalus mea, & fortitudo vitæ meæ.*

V. 4. *Vnum petij à Domino.* Verum quidem eſt illud ſperare me, certò fore vt per ipſum ab omni anguſtia & diſcrimine eripiar, nihilominus tamen vnum eſt quod ab ipſo peto, quod idem rurſus dicens, ait; *Hoc requiram*; vt demonſtret ſe illud toto cordis affectu poſtulare; nempe vt à gerendis bellis vacare poſſet. Et licet certò ſperaret ſe ab omni diſcrimine & damno à Deo eximendum fore, attamen eius ſemper animus de illis anxius erat, & corporeis neceſſitatibus intendere cogebatur, nec illi erat liberum ijs quæ animum ſpectant, curam impendere: orat ergo Deum vt ſe ex bellorum tumultibus in tranquillum ſtatum aſſerat, ne cogatur in illis vlterius occupari, ſed corpore & animo liber poſſit verſari in domo Dei, eo ſcilicet in loco vbi erat Arca, cum Prophetis & viris ſanctis qui ibi frequentes aderant, nempe Sacerdotes & Leuitæ, vt Aſaph & fratres eius, cæterique Dei cultores, quò Diuino cultui & animæ neceſſitatibus vacare poſſit liberiùs, & hoc eſt quod verbis ſequentibus indicat. *Vt videam amœnitatem Domini, & explorem templum eius.* Nempe vt ſibi ſit liberum ſemper inuiſere templum eius, hoc eſt locum in quo erat Arca. Vel exponi etiam poſſet de cœlo, maximè cùm dicat: *Vt videam amœnitatem Domini*, ac ſi diceret, ſit mihi liberum explorare & ſcrutari cum intelligentijs à materia ſecretis, quæ ſunt Angeli cœleſtes? * ex quibus anima deſumpta eſt, & ad quos eſt aliquando reuerſura.

V. 5. *Quoniam abſcondet me in tabernaculo in die mali.* Quia modò cùm neceſſaria corporis procurare cogor, illud mihi beneficij conferet & meam implebit precationem, vt me abſcondat in ſuo tabernaculo ab hoſtium impetu, ne me comprehendant. Et hoc eſt quod ſignificat illis verbis: *In die mali*, ipſi enim malum mihi inferre machinantur; ipſe autem abſcondet me in abſcondito tabernaculi ſui, & in petram exaltabit me, itaut hoſtium meorum manibus non poſſim attingi.

† His verbis tantùm indicare velle videtur animam hominis non eſſe ex materiali principio conditam, nec in illud tandem eſſe reſoluendam; quâ ratione dictum eſt illud: *Et ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Eccl. 12. 7. quaſi apud Deum fuiſſe quodammodo dicatur, à quo ſine materia & ex nihilo diuinitus eſt condita.

V. 6. *Et nunc exaltabit caput meum.* Nempe cùm me ab inimicis eripuerit
qui me circumdant vndique. *Et ſacrificabo in tabernaculo eius ſacrificia vociſe-* PSAL.
rationis, ac ſi diceret, ſacrificia cum lætis canticis & ſacrificium gratiarum 27.
actionis, eóquòd ab hoſtibus quàm plurimis me liberauit. *Cantabo & Pſalmum*
dicam Domino, ob hæc omnia in me collata beneficia. Illam tamen ſupra me-
moratam petitionem ego poſtulo, quare proſequitur dicens.

V. 7. *Audi, Domine, vocem meam.* Hæc eſt petitio mea quam à te peto.

V. 8. *De te dixit cor meum.* Hoc eſt, cor meum ſemper faciei meæ dicit, requi-
re Deum, quo ſenſu dicitur alibi : *Etiam noctibus increpuerunt me renes mei,* Pſal. 16.
ita cor meum increpat me propter te, & dicit faciei meæ vt te requirat, & 7.
totum eius deſiderium ad te contendat ; & propterea ſubdit : *Faciem tuam,*
Domine, requiram. Et illud eſt quod petiui, quoniam ad id ſubinde me exſti-
mulauit cor meum.

V. 9. *Ne abſcondas faciem tuam à me.* Faciem tuam quam ego tam ſtudio-
sè requiro, noli à me abſcondere. *Ne declinare ſinas in iram ſeruum tuum.*
Ne deſeras me nec ſinas diutiùs me implicari huius ſæculi negotijs quæ ſunt
iræ & indignationis occaſio & materia ei qui illis diſtringitur, iuxta illud. *Et*
robur eorum, labor & moleſtia, eſt. *Adiutor meus fuiſti.* Hactenus in corpo- Pſal.
reis neceſſitatibus mihi opem attuliſti; iam verò cùm te pro neceſſitatibus ani- 90. 10.
mæ deprecor : *Ne deſeras, me, nec derelinquas Deus ſalutis meæ.* Sicut libe-
raſti me ab hoſtibus meis, ita me etiam eximas ab ærumnis & labore corporeo,
vt animæ meæ neceſſitatibus liberè poſſim intendere.

V. 10. *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me.* Poſtquam ex
illorum educatione egreſſus ſum, tu me collegiſti, ac ſi diceret, de his quæ
mihi ad victum & cætera erant neceſſaria, prouidiſti, cùm igitur ſim opus
manuum tuarum méque huc vſque collegeris, doce me viam tuam.

V. 11. *Doce me, Domine, viam tuam.* Iam ſuprà explicuimus illam viam quam
edoceri depoſcit, eſſe rectitudinem & æquitatem. *Propter inimicos meos.* Illos
nempe inimicos intelligit, qui ipſum malo ſeu inuido intuebantur oculo ſicut
dicitur : *Et Saul erat obſeruans Danidem.* Et ipſi exiſtimabant nullam eſſe illi 1. Sam.
partem in Domino. 18.

V. 12. *Ne tradideris me in animam tribulantium me.* In animam, hoc eſt,
in voluntatem & deſiderium tribulantium me vt in iſto loco : *Si eſt cum ani-* Gen. 23.
ma veſtra. Illud autem eſt hoſtium deſiderium, vt mihi non liceat diuino cul- 8.
tui liberè vacare, ſed vt bellis continuò gerendis diſtinear ſummo cum labo-
re corporis. *Quoniam inſurrexerunt in me teſtes mendaces, & loquens iniuriam.*
Nam illi teſtantur aduerſùm me & res malas & iniurioſas contra me loquuntur
dicendo me eſſe hominem impium, & virum ſangu[illegible]m, nec vllam mihi eſſe
partem in Deo ſicut & alibi dicitur de ipſo : I[illegible] *uit eum*, &c. vbi & Pſal 71.
illud additur : *Verbum iniquum firmatum eſt in eo.* 11.

V. 13. *Niſi credidiſſem videre bonum Domini.* Ipſi [illegible]ntra me falſi teſtes fue-
runt, & locuti iniquitatem, adeout ferè propter illorum verba perierim, niſi
in te credidiſſem ; ſed anxiè ſolicitus non fui, nam credidi meam in Deo ſpem
non fore vanam, atque me viſurum aliquando bonum eius in futuro ſæculo ;
hoc eſt, quod iſtis verbis denotatur : *In terra viuentium.* Appellat verò vitam

Psal. 27. futuri ſæculi, terram viuentium. Etſi enim non ſit vllus locus animæ in terra determinatus, quia tamen futuri ſæculi beatitudo comparatur horto ſeu Paradiſo Eden ſeu voluptatis, qui eſt certus terræ locus, ita ſolet dici per metaphoram, vt qui audiunt intelligant: ſic etiam pari ratione iudicium ſeu cruciatus impiorum appellatur Gehenna. Fuit autem Gehenna 1 locus quidam in terra, & quidem prope Ieruſalem, & immundus in quem ſordes & cadauera projiciebantur; ibíque ignis perpetuò ardebat quo ſordes ac oſſa comburebantur: quare locus vbi pœnas luunt impij, metaphoricè Gehenna vocatur ſicut è contra locus in quo iuſtis merces rependitur, 2 figuratè per locum terræ totius æmœniſſimum & laudatiſſimum exprimitur. Et hic vocatur, terra viuentium, quoniam ſtatim atque Adamus inde fuit eiectus, morti factus eſt obnoxius. Porro in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum F. M. quæritur ratio cur dictio לולי *loule*, punctis ſupra poſitis hîc præter morem ſit notata. Nempe quia Dauid ita ante Deum ſanctum & benedictum, Dominum totius orbis locutus eſt, certò quidem confido te præmium optimum iuſtis eſſe redditurum in futuro ſæculo; at ignoro vtrum ſit mihi pars futura cum illis nec ne. an non peccata mea id ſint impeditura.

V. 14. *Expecta Dominum.* Et præ magnitudine fidei meæ in Deum quotidie meipſum excitans mihi ipſi dico: Expecta Dominum, ne anxiè turberis aut ſileas propter ſermones inimicorum. *Corroborate & confortetur cor tuum.* Firmiter perſeuera in vijs eius ſectandis, & ipſe cor tuum roborabit ne propter verba inimicorum infirmetur ac robur inuenies. *Et expecta Dominum.* Hac iteratâ eiuſdem ſententiæ repetitione, vult indicare ſe perpetuam in Deo fiduciam habiturum, & quæ nunquam ex corde ſuo ſit receſſura.

1 Gehenna, in nouo Teſtamento Geenni aut Geenna, eliſâ aſpiratione, nam vocatur ab Hebræis גי הנום *Gue Hinnon*, vallis Hinnon, aut vallis filij Hinnon, vallis ſcilicet amœna, & Cedronis aquis rigua; cuius dominus fuit olim Hinnon, aut huius filius. In ea valle erat locus nomine Topheth, vbi filios & filias offerebant idolo Moloch, vt Ethnici Saturno. Ad hanc idololatriam abolendam pius Rex Ioſias illum locum contaminauit, præcipiendo vt in eum equorum & mulorum &c. cadauera & ſordes projicerentur. Vide 2. Reg. 23.

2 De horto Eeden, ſeu paradiſo voluptatis loquitur, de quo paulo ante.

PSALMVS VIGESIMVS OCTAVVS.

Dauid.

1. ADte, Domine, clamabo, Deus meus ne ſileas à me: ne quando taceas à me, & aſſimiler deſcendentibus in foueam.
2. Audi vocem deprecationum mearum dum clamo ad te:

dum

dum attollo manus meas ad adytum ſanctitatis tuæ. Psal.
3. Ne trahas me cum impijs & cum operantibus iniquitatem: 28.
qui loquuntur pacem cum proximis ſuis, malum autem in cor-
de eorum.
4. Da illis ſecundùm opus eorum, & ſecundùm nequitiam fa-
cinorum ipſorum; ſecundùm opus manuum eorum tribue illis:
redde retributionem eorum ipſis.
5. Quoniam non aduertunt ad opera Domini: & ad opus ma-
nuum eius deſtruat illos & non ædificet illos.
6. Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem depre-
cationum mearum.
7. Dominus fortitudo mea & ſcutum meum, in ipſo ſperauit
cor meum & adjutus ſum, & exultauit cor meum & ex cantico
meo confitebor ei.
8. Dominus fortitudo eis: & fortitudo ſalutum Chriſti ſui eſt.
9. Saluum fac populum tuum & benedic hæreditati tuæ: & paſ-
ce eos, & extolle illos vſque in ſæculum.

COMMENTARIVS.

V. 1. **A***D te, Domine, clamabo.* Hic etiam Pſalmus circa eamdem mate-riam verſatur ac præcedens, Deum enim rogat, vt quod iam petiuerat aſſequatur, nimirum vt eius beneficio quieſcere poſſit à curis huius ſæculi ac tranquillam ducere vitam, vt liberè neceſſitatibus animæ intendat; qua in re verus Dei cultus conſiſtit; atque etiam vt hac ratione præteritorum delictorum veniam obtineat, & ipſius anima ad Deum accedat, dicit igitur: *Deus meus ne ſileas à me*, hoc eſt, ab audiendis petitionibus meis, timeo enim: *Ne quando taceas à me & aſſimiler deſcentibus in foueam*, hoc eſt, ne fiam ſicut impij qui deſcendunt in Gehennam, quorum anima in morte ipſorum in perditionem detruditur. Cæterùm dictio תחרש *theheraſch* idem ſignificat ac vox תשתוק *thiſchtoc*, taceas, quaſi diceret, ne te ſimulem ſurdo exhibeas itaut non audias nec me in oratione mea exaudias. Idem etiam ſignificat dictio תחשה *thehheſche* vt patet ex iſto loco, tempus eſt, לחשות *lahhaſchot* tacendi. Eccl. 3. 8.

V. 2. *Audi vocem deprecationum mearum*, &c. Per hæc verba: *Adytum ſanctitatis tuæ*, locum illum denotat, in quo erat Arca; ibi enim gloria Dei reſidebat; ſenſus verò horum verborum: *Dum attollo manus meas*, eſt, ſum ſicut is qui ab alio auxilium efflagitans, ſupplices ad illum manus extendit vt ipſum ſua ope tueatur. Et ita dicitur: *Et manus eius expanſæ ad cœlum*: Et, *Expandam manus meas ad Dominum.* 1. Reg. 8. Illa verò manuum eleuatio in altum fit verſùs cœlum: ſicque iſta verba, ad adytum ſanctitatis tuæ, explicanda erunt, vt illa alia: *Et pones Arcam ſuper teſtimonium quod dabo tibi*. Exod. 25. Vel ſimpliciter ſunt exponenda vt ſonant: nam verſùs illum Arcæ locum expandebat manus ſuas

Psal. 28. quaſi ad cœlum: qui locus figurate erat quaſi ſcala, per quam oratio ad Deum aſcenderet ſeu ad thronum gloriæ: qua ratione dicitur: *Et peruenit oratio eorum ad habitaculum ſanctitatis eius ad cœlum.* Vel denique per adytum ſanctitatis,
2.Paral. 30. cœlum deſignatur quod alibi vocatur templum, & mons ſanctitatis, vt iam ſuperiùs explicuimus.

Pſal. 26.9. V. 3. *Ne trahas me cum impijs.* Ne, quæſo, moriar morte impiorum vt paulò ante dixit: *Ne colligas cum peccatoribus animam meam.* In qua etiam ſignifi-
Iob. 21. 33. catione dicitur: *Et poſt ſe omnem hominem trahet*, quod ſignificat trahet ad mortem. *Qui loquuntur pacem cum proximis ſuis.* Nam plerique omnes improbi ignoti ſunt, ſed pacem cum ſocijs ſuis demonſtrant, cùm interim malum in corde ſuo machinentur.

V. 4. *Da illis ſecundùm opus eorum.* Quoniam nemo eſt qui corda illorum pernouerit niſi tu ſolus, cui occulta omnia ſunt aperta & nota; quapropter da illis ſecundùm opera illorum mala, redde illis enim eorum malitiam.

V. 5. *Quoniam non aduertunt ad opera Domini.* Non dant operam Diuino cultui, nec animi curas adjungunt niſi ad mundi vanitates, circa quas ſapientiſſimos & prudentiſſimos ſeſe exhibent, ſicut contra illos dixerunt Prophetæ, ſapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Contemplatio enim & attenta operum Dei inſpectio & operum manuum eius ad Diuinum cultum pertinent, nempe cùm per naturalem ſcientiam conſiderantur opera eius & quæ ab eo fiunt in cœlo & in terra; ex quibus Dei potentia & quòd ab illo ſint omnia, quòdque ſit prima omnium cauſa manifeſtè declaratur. Quo ſenſu Magiſtri noſtri F. M. dixerunt, opus Domini non cernunt, & opus manuum eius non vident: de illo ſcilicet qui varios orbium cœleſtium & Planetarum motus non conſiderat. *Deſtruat illos & non ædificet illos*: hæc dicit per modum precationis, ſicut ſuperiùs dixit: *Da illis ſecundùm opera illorum. Et non ædificet*, nimirum poſtquam illos deſtruxerit: Et illa quidem verba, *deſtruat illos*, referuntur ad iſta: *Non attenderunt ad opera Domini*: ipſi noluerunt ſuum appellere animum ad contemplanda Dei opera, ille etiam omnia illorum opera, & opus manuum illorum deſtruet.

V. 6. *Benedictus Dominus.* Hæc per modum vaticinij dicuntur, & gratias agit Deo qui ſuas preces audierit, ſicque tandem euenit, nam ſub finem vitæ ipſius, cauſa ei à Deo oblata eſt eiuſmodi, & in vitæ diſcrimen incidit cum Ieſbibenob Philiſtæo, itaut iurarint viri eius quòd non ampliùs cum ipſis ad
2. Sam. 21. bellum exiret.

V. 7. *Dominus fortitudo mea.* In voce עזי *vzzi*, litera *aain* eſt cum ſchourec: dicit ergo Dauid per modum laudis & gratiarum actionis: *Dominus fortitudo mea & ſcutum meum*, quoniam liberauerat eum ab Ieſbibenob qui Dauidem interficere ſtatuerat. *In ipſo ſperauit cor meum.* Nempe quòd mihi opem af-
1. Sam. 21. ferret contra ipſum, quamuis in ſummo vitæ periculo verſarer. *Et adjutus ſum*, ſicut ſcriptum eſt: *Et auxiliatus eſt ei Abiſai filius Saruiæ. Et exultauit cor meum*: Non eſt opus dicere Dauidem ideò lætatum eſſe, quoniam à morte fuiſſet ereptus, ſed ſenſus horum verborum: *Exultauit cor meum*, hic eſt, mens mea, quia propter hanc diſcriminis cauſam me iureiurando obteſtati ſunt viri mei ne impoſterum ad prælia cum ipſis egrederer: vnde mens mea lætata

eſt, quia à curis mundi ſejuncta liberius in vijs Domini exercenda erat. *Et ex* PSAL.
cantico meo confitebor ei. Et propterea gratias illi agam; vnde nam autem illas 28.
deſumam? nempe ex cantico meo, confitebor ei hymnis & Pſalmis meis.

V. 8. *Dominus fortitudo eis.* Cùm igitur ipſe in domo Dei conſiſteret, Deum orabat pro Iſraëlitis vt inuictum robur illis immitteret quando in bellum egrediebantur, ne metu cor illorum diſſolueretur, eoquòd ipſe non intereſſet cum illis in prælio; ſed eam daret ipſis Deus fortitudinem qua in pugna ita ſemper hoſtibus ſuperiores euaderent. *Et fortitudo ſalutum Chriſti ſui eſt.* Dauid loquitur de ſe cùm dicit: *Chriſti ſui*, erat enim Chriſtus Domini, ſicut & ſeipſum alio in loco, Chriſtum Dei Iacob, appellat. Dicit igitur, Deus ſit illorum robur, quemadmodum fuit robur meum quando cum ipſis in prælijs intereram. Litera autem ו *vau* præfixa dictioni מָעוֹז *maaoz* eundem habet ſignificatum ac כאשר *caaſcher*, hoc eſt, cùm, vt in illo loco, cùm non fuerint ſa- Pſal 59.
turati וילינו *veialinou* pernoctent. 16.

V. 9. *Saluum fac populum tuum.* Salua eos ab hoſtibus eorum. Et benedic eis nempe in operibus manuum eorum. *Et rege eos*, eo ſcilicet modo quo Paſtor gregem ſuum paſcendo regere ſolet. *Et extolle illos.* Nempe ſupra cæteros omnes populos. *Vſque in ſæculum*, hæc mea oratio pro illis funditur, non pro eo ſolùm tempore quo ero ſuperſtes in vita, ſed etiam pro illo quod poſt mortem meam conſequetur, omnibus diebus ſæculi: hæc enim verba, *vſque in ſæculum* ſignificant vſque ad finem mundi.

PSALMVS VIGESIMVS NONVS.

Pſalmus Dauid.

1. DAte Domino filij fortium: date Domino gloriam & fortitudinem.

2. Date Domino gloriam nominis eius: adorate Dominum in decore ſanctitatis.

3. Vox Domini ſuper aquas, Deus gloriæ intonat: Dominus ſuper aquas multas.

4. Vox Domini in virtute: vox Domini in decore.

5. Vox Domini confringentis cedros: & confringit Dominus cedros Libani.

6. Et exilire facit eas tanquam vitulum: Libanum & Sarion quemadmodum filium vnicornium.

7. Vox Domini excidit flammas ignis.

8. Vox Domini dolere facit deſertum: concutit Dominus deſertum Cades.

Psal. 9. Vox Domini terrefacit ceruas, & denudat ſyluas: & in tem-
29. plo eius omnes dicunt gloriam.
10. Dominus ad diluuium ſedit: & ſedet Dominus Rex in æ-
ternum.
11. Dominus fortitudinem populo ſuo dabit: Dominus bene-
dicet populo ſuo in pace.

COMMENTARIVS.

V. 1. *Date Domino filij fortium.* Dictio הבו *hauon*, idem hîc ſignificat,
ac date gloriam Domino, date fortitudinem Deo: hoc autem fit
ſermone & laudum prædicatione. Vtitur verò repetitione, ex linguæ ſanctæ
conſuetudine, ad emphaſim & amplificationem repetit adhuc & dicit.
V. 2. *Date Domino gloriam nominis eius.* Hoc eſt, decet vt verbis veſtris
gloriam ipſi & ſanctitatem attribuatis. Dictio enim הדר *heder* gloriam ſi-
gnificat, æquè ac vox כבוד *canod* ſicut patet ex iſto loco: *Et honorem habe-*
Leuit. *bis faciei ſenis. Vox Domini.* Magiſtri noſtri F. M. qui in hunc Pſalmum in-
19. 32. quiſierunt myſticè, illum fuiſſe compoſitum opinantur de ipſo die quo lex fuit
data, dicúntque magnam illam vocem quæ ex cœlis erupit primùm ſuper
aquas fuiſſe delatam, ſuper quas autem aquas? ſuper aquas multas, hoc eſt ſu-
per aquas maris. Addit verò: *Vox Domini in virtute*, ac ſi diceret vox Domi-
ni venit cum vehementia ſuper aquas, & venit cum decore ſuper Iſraëlitas,
hoc eſt, ne Iſraëlitæ morerentur propter vehementiſſimam vocem è cœlis
erumpentem, illam Deus per aquas traduxit vt ibi vehementià eius debilita-
retur & poſtea cum decore peruenit ad Iſraëlitas, vt poſſent eam ſuſtinere: &
nihilominus tamen eâ voce conterriti ſunt, ac dixerunt: *Non loquatur nobis*
Exod. *Dominus, ne fortè moriamur.* Addit etiam: *Vox Domini confringit cedros.* Ea
20. 19. enim vox cedros conterit, & quaſi vitulum diſſilire facit. Sequitur: *Vox Do-*
mini excidit flammas ignis, quâ ratione dicitur alibi tonitrua & faces. Deinde
dicit: *Vox Domini concutit deſertum*: quoniam per eam vocem montes & de-
ſerta commota fuerunt, ita etiam ceruæ & aliæ agreſtes beſtiæ auditâ hac vo-
ce conterritæ fuerunt ac doluêre. *Et denudauit ſyluas*, euulſis enim & disjectis
cedris ſyluæ ſunt denudatæ. *Et in templo eius omnes dicunt gloriam*, hoc eſt,
in monte Sinai; exiſtimabant enim aliæ Gentes mundum tunc fore penitus
euertendum, vt diluuij tempore contigit. Imò etiam tum Angeli miniſterij
dixerunt, Dominus ad diluuium rurſus immittendum ſedit pro tribunali, cùm
tamen iurauerit ſe non vltra mundum diluuio perditurum, vox iſta quam audi-
tis, eſt vox Dei legem dantis populo ſuo Iſraël; quod verbis ſequentibus indi-
catur: *Dominus virtutem populo ſuo dabit*, non eſt enim alia fortitudo quàm
Eſa. 27. lex, vt dicitur: Aut tenebit fortitudinem meam. Intrepretes verò commu-
niter hunc Pſalmum exponunt ſecundùm ſimplicem eius ſenſum, de miris Dei
operibus in terra apparentibus, & ex illorum ſententia: *Filij fortium*, ſunt ſtel-
læ, *Potentes* verò, ſunt Angeli, quorum ſtellæ ſint quaſi filij. Sapiens Rab.
Abrah. F. Eſr. ſcribit rationem cur ſtellarum mentionem fecerit eſſe quia lux-

ta illarum diſpoſitionem, cum Dei adjutorio, pluuiæ cadant. Dictio אלים *elim* potentes ſignificat, loquiturque, Pſaltes, de pluuia & dicit: *Vox Domini ſuper aquas*; pluuiarum enim deſcenſus inter mira opera eſt recenſendus; hinc ſcriptum eſt: *Faciens mirabilia quorum non eſt numerus.* Et mox ſubditur: *Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ*, &c. Et alibi dicit Eliu: *Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter*, &c. Pluuia autem ſæpe cum tonitru decidit & cum fulguribus quæ ſunt flammæ ignis, & cum lapidibus grandinis qui cedros conterant. Aut magnâ commotione cedros agitat eaſque inſtar vituli ſalientis diſijcit. Porro montium Libani & Sarion meminit quia ſunt montes terræ Iſraël, de ipſa enim & de ijs quæ ſunt ei proxima ſermo fieri ſolet: ſic etiam dicit tonitrui ſonitu deſerta commoueri, & deſertum Cades præ alijs nominat quia vaſtum eſt deſertum. Meminit etiam ceruarum eóquòd partus illarum ſit valde difficilis ob vuluæ ipſarum anguſtiam; præ tonitrui autem fragore ita expaueſcunt vt fœtus ſuos edant & vulua earum diſtendatur. *Et denudat ſyluas*, nempe cadentibus cedris & aliò diſiectis. *Et in templo eius*, in cœlo. *Omnes dicunt gloriam.* Sicut initio dixit, *Date Domino filij fortium.* Additur: *Dominus ad diluuium ſedit*, quoniam aquis diluuij perdidit impios, qui regnum eius non agnouerant, cùm ipſe ſedeat Rex in æternum. Noë verò & filios ipſius ab aquis ſeruauit illæſos quia iuſti erant; & nouerunt qui poſtea ſunt exorti, ipſum eſſe Dominatorem mundi; & poſſe mortem inferre, aut in vita ſeruare quos voluerit, denique ſubditur: *Dominus robur populo ſuo dabit*, quoniam liberabit eos ab omni damno tonitrui, fulgurum & terræ motus, & ab omni calamitate quâ mundum laborare continget. Sed iuxta ſententiam meam, hic Pſalmus agit de ijs quæ futuris Meſſiæ temporibus euentura ſunt; & per filios fortium Iſraëlitæ deſignantur, quia ſunt filij Abraham, Iſaac & Iacob. Et ex linguæ conſuetudine Reges Gentium cum cedris comparat, ſic dicitur de Rege Aſſyriorum: *Ecce Aſſur quaſi cedrus in Libano, pulcher ramis & frondibus nemoroſus*, &c. per totam ſectionem. Comparantur etiam montibus, ſicut dicitur: *Montes commouebuntur & valles nutabunt*; quæ eſt metaphora quâ Reges Nationum deſcribuntur. Ita etiam Gentium deuaſtatio, aquarum exſiccationi aſſimilatur; quia nempe Gentes in hoc mundo tranquillæ & abundantes viuunt, bonis omnibus, quaſi aquis maris opertæ, & illarum deſtructio aquarum arefactioni comparatur: *Et ſiccabo mare eius.* Et alio in loco: Et *areſecit Dominus linguam maris Ægypti.* Et fortè hic eſt, ſiimplex & literalis Pſalmi ſenſus, ſic enim aliquando futurum eſt, & quod dicit.

Psal. 29. Iob. 9. Iob. 37. Ezech. 31. Eſa. 54. 19. Ier. 51. 36. Eſa. 11. 15.

V, 3. *Vox Domini ſuper aquas.* Senſus eſt ſuper pacem & abundantiam Nationum, & ſuper multa illarum bona: quod verò ſubjungit, futurum vt Deus gloriæ voce ſuâ ſuper eas intonet, indicat illas aliquando ab ipſo eſſe diſperdendas; Et tunc apparebit gloria eius ijs qui ſuperſtites fuerint, qui ipſum majeſtatis Deum appellabunt.

V. 4. *Vox Domini in virtute.* Ingens ſtrepitus à Deo ſuper illas cum vehementia excitabitur & cum gloria & majeſtate eius, adeòut agnoſcant ſuam potentiam eſſe vanam, nec ſatis ſe habere virium vt ab illo ſeſe liberare valeant. Quòd verò illarum deuaſtatio vehementi vocis ſtrepitui aſſimiletur, ratio eſt quia homo tonitrui ſonum non videt aut percipit niſi dum illum audiens,

Psal. terretur ipſo, proſternitur & ſæpe interficitur. Ita pugnabit Dominus aduer-
29. ſùs illos populos nullis adhibitis enſibus aut haſtis. Et conſentaneum videtur
hæc omnia ſecundùm ſimplicem ſenſum exponere, nam & de bellis quæ Deus
Ezech. geſturus eſt contra Gog & Magog, ita ſcriptum eſt: *Et iudicabo cum peſte &*
38. 22. *ſanguine & imbre vehementi & lapidibus immenſis*, &c. Ille autem ſtrepitus
tantâ vi ſuper Gentiles populos intonabit, vt eos dejiciat & interimat, Iſraë-
litis verò erit decori & gloriæ, quoniam nullo modo ipſis nocebit.

V. 5. *Vox Domini confringit cedros.* His deſignantur Principes & Magnates
Nationum exterarum, quos ideo vocat cedros Libani, quia ſylua eſt in terra
Iſraël in qua ſunt cedri excelſæ. Et licet alijs in locis ſimiles reperiantur & fortè
plures quàm ibi; mos tamen Prophetarum eſt vt loquantur de his quæ ſibi
præſentia extant, aut non longè ſunt remota; ſic Propheta loquens de Rege
Ezech. Aſſur, appellat illum cedrum Libani. Ita etiam Dauid in hoc Pſalmo memo-
23. Pſal. 84 rat, Sarion & Libanum, & in alio dicit: *Thabor & Hermon in nomine tuo*
exultabunt.

V. 6. *Et exilire facit eas tanquam vitulum.* Cedri exiliunt vt vitulus qui
dum paruus eſt adhuc, lenis eſt & ſaltitat hûc atque illuc diſcurrens. Vult au-
tem innuere Deum cedros decutere, & ita è ſuis locis diſijcere, vt præ ſtrepitu
tonitrui & terræ motus vehementiâ exilire videantur, hoc autem cedris ex-
celſioribus ſæpius conti[illegible] I[illegible] etiam exſeretur manus Domini contra Gen-
tes fortes inſtar cedrorum [illegible] montium. Nam & de montibus ſubjungit:
Pſal. *Sicut Libanum & Sarion diſturbabit eas.* Sic & alibi metaphoricè de monti-
114. bus loquitur. *Montes exultabunt ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium:*
Quemadmodum filium vnicornium, Pullus enim vnicornium leuis eſt & ſubin-
de exilit, ita Dominus Gentiles populos è ſuis ſedibus amouebit & aliò
transferet.

V. 7. *Vox Domini excidit flammas ignis.* Sicut ex vehementi ſono tonitrui
erumpunt ignitæ flammæ, quæ ſunt fulgura, obuia quæque comburentia, ita
erumpet ira furoris Dei ſuper Gentes quas incendet ac omnino comburet.

V. 8. *Vox Domini dolere facit deſertum.* Hæc metaphoricè dicta ſunt, vt &
2. Reg. iſta: *Et omnem agrum bonum dolere facietis lapidibus*: ſic etiam alibi: *A facie*
3. 19. *Domini contremiſce terra.* Deſerti verò mentionem facit, quoniam cùm nullus
Pſal. ſit in ipſo locus habitatione hominum cultus, nullúmque ædificium, latiùs
114. 7. protendi videntur lâtitudo eius & longitudo: ſed deſerti Cades præ cæteris
Deut. meminit, quia maximum eſt & horrendum admodùm, vt dicitur: *Deſertum*
1. 19. *illud magnum & terribile*, item; *Sediſtis in deſerto Cades diebus multis.* Sen-
ſus autem eſt, dolore afficiet deſertum Nationum Gentilium & terras ipſarum.

V. 9. *Vox Domini tremere facit ceruas.* Hîc de illis loquitur, quia pedibus
ſuis leues ad curſum aptæ ſunt, vt ſuperiùs fortes & robuſtos cum cedris com-
parauit, ita iam veloces ceruis aſſimilat, quia illæ pedibus citiſſime feruntur:
ſenſus porro eſt, tunc qui velociſſimos inſidebunt equos, citiſſimo illorum cur-
ſu non poterunt effugere ſicut dicitur: *Et velox pedibus ſuis non ſaluabitur &*
Am. 2. 14. *aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam.* Vel fortè quoniam terram Gentilium
populorum aſſimilauit deſerto, ideò incolas eius cum ceruis comparat, quia
illæ deſerta loca incolunt. *Et denudat ſyluas.* In dictione יחשף *iehheſoph*, litera

ſeruilis habet ſegol præter morem verborum huius formæ quæ in ea perſona fu- PSAL.
turi habent patach vt יהלנף *iahaloph*, & ſimilia. Senſus porro eſt, denudat ſyl- 29.
uas, quia dum huc & illuc diſijciuntur cedri, ſyluæ nudatæ remanent. *Et in templo eius omnes dicunt gloriam.* In templo eius Hieroſolymitano dabunt gloriam Deo, quoniam exteros populos iudicauit, eoſque ad hanc vſque diem humiliauit.

V. 10. *Dominus ad diluuium ſedit.* Et omnes tunc ſunt dicturi, Dominus ad diluuium ſedit, dies iſti ſimiles ſunt temporibus diluuij, ſicut enim tunc ſedit ſuper thronum regium, quia homines iſtius ſæculi diuinum eius numen non agnoſcebant, ſed vt ſcriptum eſt, Deo dicebant: *Recede à nobis*, &c. quid Iob. 22.
verò fecit illis Omnipotens? Et cùm aquas diluuij ſuper illos adduxiſſet, & 17.
orbem vniuerſum perdidiſſet, Noë & filij eius, qui generale excidium euaſerant, & qui eos ſunt ſecuti agnouerunt regnum ad Deum pertinere, ipsumque regio throno inſidere, ipsúmque eſſe qui mundum condidit, & qui eum, cùm libuerit, perdere poſſit. Ita etiam Meſſiæ temporibus populi Gentiles qui multis malis affecerunt Iſraëlitas, nec Deum ſunt reueriti nec ipſum vt Regem & Dominum totius mundi agnouerunt, cum ſua in eos iudicia exercebit & ſolos filios Iſraël intactos relinquet, tunc qui ex iſtis ad Deum ſunt conuertendi ipſum agnoſcent, ac dicent: *Sedebit Dominus Rex in æternum*: Sic ipſe per
Prophetam prædixit: *Et erit Dominus Rex ſuper omnem terram: in die illa erit* Zach.
Dominus vnus, & erit nomen eius vnum. 14. 9.

V. 11. *Dominus virtutem populo ſuo dabit.* Et tunc dabit Dominus fortitudinem populo ſuo, & omnes alios populos coram illo deprimet. *Benedicet populo ſuo in pace*, quoniam deinceps nullis amplius bellis agitabuntur.

PSALMVS TRIGESIMVS.

Pſalmus cantici dedicationis domus Dauid.

1. EXaltabo te, Domine, quoniam exaltaſti me: nec delectaſti inimicos meos ſuper me.

2. Domine, Deus meus clamaui ad te: & ſanaſti me.

3. Domine eduxiſti ab inferno animam meam: viuificaſti me à deſcendentibus in lacum.

4. Pſallite Domino Sancti eius: & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.

5. Quoniam momentum in ira eius, vita in voluntate eius: veſperi pernoctabit fletus & manè, *erit*, lætitia.

6. Ego dicebam in quiete mea: non mouebor in æternum.

7. Domine in voluntate tua conſtitueras monti meo fortitu-

PSAL. dinem: abſcondiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.
30. 8. Ad te, Domine, clamaui: & ad Deum meum deprecatus ſum.

9. Quæ vtilitas in ſanguine meo: ſi deſcendero in foueam?

10. Nunquid confitebitur tibi puluis? nunquid annunciabit veritatem tuam?

11. Audi, Domine, & miſerere mei; Domine, eſto adjutor mihi: conuertiſti planctum meum in chorum mihi, diſſoluiſti ſaccum meum, & accinxiſti me lætitiâ.

12. Propterea cantabit tibi gloria, *mea*, & non tacebit: Domine, Deus meus in æternum confitebor tibi.

COMMENTARIVS.

P*Salmus cantici dedicationis domus Dauid.* Hunc Pſalmum compoſuit Dauid vt decantaretur in dedicatione domus Sanctuarij, etiam ſi in ipſo non faciat vllam domus illius mentionem, ſed condonationis præuaricationum ſuarum, quia hoſtes illius non exiſtimabant regnum ipſi aut poſteris eius ſtabile permanſurum in punitionem peccati iſtius grauiſſimi. Et licet per Prophetam ipſi prædictum fuiſſet fore vt filius eius qui poſt eum erat regnaturus, ædificaret iſtam domum, ipſi tamen non credebant fieri poſſe vt filius qui ex eiuſmodi muliere naſceretur Rex eſſet aliquando & domum Sanctuarij ſeu templum Domino conſtrueret quod eſſet locus indulgentiæ & propitiationis. Cúmque ſub finem vitæ Dauidis rebellauit Adonias, regnúmque voluit ex ſeipſo & nulla fretus authoritate occupare, tunc exiſtimarunt Salomonem nunquam fore Regem. At poſtquam inſtitutus fuit Rex, & aduerterunt rem totam proſpero geſtam eſſe auſpicio, quia nempe qui cum Adonia conjurauerant, non perſtabant in ſua rebellione, ſed quilibet eorum fugiebat in tentorium ſuum, tunc demum Iſraëlitæ omnes agnouerunt, Diuino nutu regnum Salomoni fuiſſe verè confirmatum. Cumque ipſis conſtitit velle Deum vt filius, qui natus fuerat Dauidi ex iſta vxore, Rex eſſet ſuper totum Iſraël, iam tandem pro certo habuerunt graue illud peccatum, omnino eſſe illi à Deo condonatum & perfecte deletum. Ipſe verò Dauid typum domus aut templi ædificandi filio ſuo Salomoni coram omnibus Iſraëlitis oſtendit, ac ſponte & liberaliter multa ad ædificij conſtructionem & ornatum obtulit. Ipſi etiám Iſraëlitæ plurima ad idem opus voluntariè donarunt coram ipſo, qui propterea edidit hunc Pſalmum dedicationis domus, eâ nimirum ratione vt in ipſo mentionem faceret ſuorum peccatorum veniæ quæ vera eſſet animæ ſuæ medicina: quoniam ſub ea notione & ſignificatu, nota eſt omnibus hominibus peccati remiſſio.

V. 1. *Exaltabo te, Domine, quoniam exaltaſti me.* Demerſus enim eram in profundam peccati foueam, tu verò me ex illa extrahens alleuaſti. *Nec delectaſti inimicos meos ſuper me.* Nam ſi me non extraxiſſes inde nec mihi peccatum

condo-

raſſes, materiam illis præbuiſſes de me lætandi, nunc verò non eos exhilaraſti, ſed magno potiùs mœrore affeciſti. Pſal. 30.

V. 2. *Domine Deus meus clamaui ad te.* Nempe vt mihi ignoſceres & ita præſtitiſti, hoc enim eſt quod ſubditur: *Et ſanaſti me*, quoniam ſanaſti me à languore & morbo animæ. Etſi enim multis me pœnis & ærumnis in hac vita affeceris, has tamen omnes multùm mihi vtiles reputaui, cùm per ipſas ſanaueris animam meam, ne peccatis mortua, in gehennam detruderetur.

V. 3. *Domine eduxiſti ab inferno animam meam.* Hîc per iſtas voces שאול *ſcheol* & בור *bor*, deſignatur gehenna; locus ſcilicet in quo impij & ſcelerati torquentur. *Viuificaſti ſeu ſeruaſti me à deſcendentibus in lacum.* Dictio מיורדי *miiorde*, ſcribitur in fine, ſicut in iſto alio loco: Et *aſſimilatus ſum eum* יורדי *iorede deſcendentibus in lacum.* Illud autem, viuificaſti me, ſignificat, ſeparaſti me ab eis. At legitur מירדי *miiordi*, ne deſcenderem, eſtque infinitiuus & protrahitur camets ſub litera י *iod*, vt in illo ſimili, *Eoquòd* רדפי *rodpi, ſequebar bonitatem.* Pſal. 28. 1. Pſal. 38. 21.

V. 4. *Pſallite Domino ſancti eius.* Decet vt omnes pij homines Deo hac de re pſallant & gratias agant, quia peccata eorum condonat qui ad ipſum reuertuntur, vt non pereat vir ſanctus poſtquam fortè ſemel in peccatum eſt prolapſus, licet illud ſit graue, modò perfecto cordis dolore conuertatur ad Deum, ab eo enim in gratiam recipietur. *Et confitemini memoriæ ſanctitatis eius*: hoc idem eſt ac: *Confitemini nomini eius*, ipſius namque nomen eſt * memoriale ſanctitatis eius: quia cùm veritatem naturæ eius vt in ſe eſt, perſpectam non habeamus, per nomen eius recordamur ipſius.

V. 5. *Quoniam momentum in ira eius.* Si quando aduerſus hominem iraſcatur, per breue temporis ſpatium extenditur indignatio illius. At verò beneuolentia eius erga dilectos ſuos & ſibi charos, multo tempore durabit, eiſque vitam concedit longiſſimam. Vnde etiam † decem proprietates quæ Deo benedicto attribuuntur omnes in bonum & fauorem feruntur, vnâ exceptâ quâ nempe dicitur: *Viſitans peccata parentum*; ſed & illud tamen vſque in tertiam duntaxat aut quartam generationem. At eius miſericordia & pietas in mille vſque generationes dicitur extendi. Et propter hæc omnia debet homo nomini ſancto illius laudes & gratiarum actiones rependere, & hinc eſt quòd dicat: *Pſallite Domino Sancti eius.* Nempe quia proprietas eius ſeu attributum fauoris & gratiæ longè in plures extenditur, quàm attributum vindictæ. *Veſperi pernoctabit fletus.* Si veſpertino tempore aliquis in luctu verſetur, matutino lætitiâ conſolationis demulcebitur: hîc fletum & laborem ac moleſtiam comparat veſperi, quòd triſte & obſcurum ſit; at ſalutis & felicitatis tempus matutino aſſimilat, nempe quia lucidum eſt & lætitiam præſtans. Et ita hic aſſerit Da-

* Nomen Dei Tetragrammaton intelligit, quod idcirco à Rabbinis vocatur אזכרה *azcara* Recordatio, Memoriale, eòquòd ſit memoriale Dei eſſentiæ & naturæ æternæ, & quia Deus ipſemet Moſi dixit de illo nomine: Hoc eſt, nomen meum in æternum, & hoc eſt memoriale mei, &c. Exod. 3. 15. Et Oſe. 12. 5.

† Illæ proprietates, quas Hebræi vocant מדות *middot*, ſunt ea epitheta quæ Deus ipſe Moſi reuelauit Exod. 34. 6. vt illorum ratione intelligeret ſe ab hominibus exorandum. Multa de illis ſcribunt Cabbaliſtæ.

R

Psal. 30. uid indignationem quam aduerſùm ſe oſtenderat Deus ob ipſius peccatum, & quæ aliud non fuit quàm punitio quâ illum affecit in hac vita, fuiſſe ſibi veluti momentum reputatam: at fauorem illius & conſolationem quam ex peccati condonatione acceperat, viſam ſibi fuiſſe vitam longiſſimam, hoc eſt, vitam alterius ſæculi.

V. 6. *Ego dicebam in quiete mea.* Cùm ſummâ pace animi & tranquillitate frueretur, itaut praua cupiditas mihi non dominaretur, vanè apud meipſum recogitabam fore vt nunquam prolaberer aut peccatum vllum committerem; credebam enim nunquam tantùm potentiæ habituram malam concupiſcentiam vt me à bona via poſſet abducere, quia mens & ratio mea minùs ordinatis meæ naturæ motibus longè ſuperior videbatur; & ea de re in meipſo gloriabar, donec tandem agnoui tuo ſolùm auxilio effectum eſſe vt hactenus in bono ſteterim; & quamdiu mihi adfuit tuus fauor, ſtabiliuiſti monti meo robur; & hoc eſt quod his verbis ſignificat.

V. 7. *Domine in voluntate tua conſtitueras monti meo fortitudinem.* Monti meo, hoc eſt, rationi meæ, quæ erat robur meum; hanc ope tua ſtare feceras inuictam, adeò ut non corruerim, dum in illam ſeu in montem altum me recepi; nec ſatis virium habuit praua cupiditas, vt illum mihi aufferret, quoniam in forti loco conſtitutus erat. At vbi faciem tuam vel per breue momentum à me abſcondiſti, nec menti meæ auxilio fuiſti; vel vt me tentares, quia in meipſo vanè gloriatus fueram, aut ad puniendum peccatum olim à me commiſſum, & robur auxilij tui ſubtraxiſti mihi, ſtatim factus ſum conturbatus, & corrui in cogitatione mea, prauúmque deſiderium rationi meæ præualuit.
Pſal. 19. Inde eſt etiam quòd alibi Dauid ita Deum precatur: *Etiam à ſuperbijs prohibe ſeruum tuum, ne mihi dominentur*, ſicut ibi explicuimus. Vocem autem עז *ooz* exponimus hìc quaſi ſit nomen ſubſtantiuum, quod careat litera ב *beth*, ſeruili, pro בעוז *beooz*: fortè etiam eſt nomen adjectiuum inſtar illorum; *Ad ponen-*
1. Sam. 21. *dum panem* חום *houm*, calidum. Et, *Fortitudo* לתום *lathom immaculato*, eſt,
Prou. 10. *via Domini.*

V. 8. *Ad te, Domine, clamaui.* Cùm ergo peccatum me proſtrauiſſet, quid tum egi? clamaui ad te, noueram ſiquidem à nullo alio mihi eſſe medicinam expectandam; me etiam reum agnoui mortis in gehenna tolerandæ, téque ſum deprecatus ac dixi: *Quæ vtilitas in ſanguine meo*, hoc eſt, in vita mea ſanguis enim eſt anima & anima eſt vita naturalis ſeu animalis; & quia anima intellectualis ſeu rationalis eſt æterna, quod vidit cùm appellauit eam nomine ipſius, & dixit: quæ vtilitas in vita mea, ſi modò deſcendam in corruptionem? ſi vitæ meæ terminus ſit gehenna, illúcque in morte mea ſim deſcenſurus, quid mihi vixiſſe profuit? & quare me in hunc mundum induxiſti? nonne vt fœlicitatem futuri ſæculi mihi compararem? quando enim moriuntur peccatores nihil poſt eos viuum remanet, ſed omnia rediguntur in puluerem, ſicut dicitur: *Et reuertetur puluis in terram, ſicut antea fuit, ſpiritus autem*
Eccl. 12. 7. *reuertetur ad Deum.* At puluis non confitebitur tibi, nec annunciabit veritatem tuam, ſed ſolus id præſtare poteſt ſpiritus, qui reuertetur ad Deum, qui dedit ipſum. Niſi autem purus ſit in hac vita, & eius boni dignus, non reuertetur ad Deum. Iam verò ſi mihi modò ignoſcas, & in vita & in morte con-

ſitebor tibi. Ita etiam iſta verba expoſui : *Dominus abſtulit peccatum tuum , non* PSAL.
morieris ; nempe morte animæ. Sunt tamen qui interpretentur, non morieris 30.
morte corporis, & cenſent ſic illa verba , quæ vtilitas in ſanguine meo, debere
exponi. 2. Sam.
V. 11. *Audi , Domine.* Clamaui ad te & dixi : Audi Domine & miſerere mei, 12.
& ſi quando à recto pes meus vacillet , eſto mihi adjutor & confirma me ac
ignoſce mihi. *Conuertiſti planctum meum* , cùm anxius & triſtis lugerem propter
animam meam ne fortè periret , tu læto me nuntio conſolatus es , dum mihi
per Prophetam dixiſti : *Et Dominus tranſtulit peccatum tuum , non morieris* , tum
conuertiſti planctum meum in chorum mihi. *Diſſoluiſti ſaccum meum.* Cili- 2. Sam.
cium meum quo me accinxeram & quo me affligebam propter peccatum 12.
meum, diſſoluiſti tuâ illâ gratiſſimâ Prophetæ denuntiatione, *Et accinxiſti me
letitiâ* , loco cilicij.

V. 12. *Propterea cantabit tibi gloria mea.* Hoc eſt anima mea, contra quod ſuperius dixit : *Nunquid confitebitur tibi puluis ?* At gloria mea tibi pſallet & confitebitur. *Et non tacebit* , de ea gloria ſeu anima loquitur , quæ ſilentium aut ceſſationem nunquam habitura eſt ; vnde ſubdit : *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.* Omnibus vitæ meæ diebus te laudabo propterea quòd mihi peccatum meum condonaſti. Noui etiam fore vt gloria mea ſeu anima, poſt hanc meam vitam remanſura ſit & tibi laudes in æternum concinat nec vnquam ſileat. Et in Midras ſic ſuper hunc Pſalmum dicitur , ſi quis bonum aliquod opus facere propoſuerit , Deus ſanctus & benedictus illud quaſi effectum cenſet ac reputat , quod manifeſtum conſtat ex Dauidis exemplo , cùm enim apud ſe decreuiſſet ædificare domum ſanctuarij ſeu templum, de nomine eius inſcriptum eſt , dicitur enim Pſalmus cantici dedicationis domus Dauidis.

PSALMVS TRIGESIMVS PRIMVS.

Præcentori , Pſalmus Dauid.

1. IN te , Domine , ſperaui , non pudore afficiar in ſæculum : in iuſtitia tua libera me.

2. Inclina ad me aurem tuam , celeriter erue me , eſto mihi in petram fortitudinis : in domum munitionum , vt ſaluum me facias.

3. Quoniam rupes mea & munitio mea , *es* , tu : & propter nomen tuum duces me & deduces me.

4. Educes me de reti hoc quod abſconderunt mihi : quoniam tu , *es* , fortitudo mea.

PSAL. 5. In manum tuam commendo ſpiritum meum : redemiſti
31. me, Domine, Deus veritatis.

6. Odi obſeruantes vanitates mendacij : & ego in Domino ſperaui.

7. Exultabo & lætabor in miſericordia tua, quoniam reſpexiſti afflictionem meam : agnouiſti in anguſtijs animam meam.

8. Nec concluſiſti me in manum inimici : ſtatuiſti in latitudine pedes meos.

9. Miſerere mei, Domine, quoniam anguſtia mihi, *eſt*: contabuit in ira oculus meus, anima mea & venter meus.

10. Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus : corruit per iniquitatem meam robur meum, & oſſa mea contabuerunt.

11. Propter omnes inimicos meos factus ſum opprobrium & vicinis meis valde, & pauor notis meis : qui videbant me foris, fugerunt à me.

12. Obliuioni datus ſum tanquam mortuus, à corde : factus ſum tanquam vas quod perit.

13. Quoniam audiui contumeliam multorum, pauor circunquaque dum conſultant ſimul aduersùm me : vt capiant animam meam cogitant.

14. Ego autem in te ſperaui, Domine : dixi, Deus meus, *es*, tu.

15. In manu tua tempora mea : eripe me de manu inimicorum meorum & à perſequentibus me.

16. Lucere fac faciem tuam ſuper ſeruum tuum : ſaluum me fac in miſericordia tua.

17. Domine, ne erubeſcam quoniam inuocaui te : erubeſcant impij exſcindantur ad infernum.

18. Muta fiant labia mendacia, quæ loquuntur aduersùs iuſtum, durum in ſuperbia & contemptu.

19. Quàm multa, *eſt*, bonitas tua, quam abſcondiſti timentibus te : quam feciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum!

20. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ ab elationibus viri : occultabis eos in tabernaculo à contentione linguarum.

21. Benedictus Dominus quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita.

22. Et ego dixi in præcipitatione mea, exciſus ſum à conſpectu oculorum tuorum : verùm exaudiſti vocem deprecationum

mearum dum clamarem ad te. Psal. 31.

23. Diligite Dominum omnes ſancti eius: fideles cuſtodit Dominus: & retribuit ſuperabundanter facienti ſuperbiam.

24. Fortes eſtote & roboretur cor veſtrum: omnes qui ſperatis in Domino.

COMMENTARIVS.

PSalmum hunc tum conſcripſit Dauid, cùm Saülem fugeret.
V. 1. *In te, Domine, ſperaui.* Et quandoquidem omnem in te ſpem meam collocatam habeo, ne ſinas vt erubeſcam in ſæculum. *In iuſtitia tua*, non verò propter meam.

V. 2. *Eſto mihi in petram fortitudinis.* Nempe aduerſùs eos qui me inſequuntur, ne me aſſequantur, ſed per te robur accipiam; ſicut homo aliquis in altiſſima petra conſtitutus hoſtibus fortior efficitur. *In domum munitionum*; hoc eſt, in arcem fortiſſimam ſecundùm illud: *Et Dauid erat tunc in præſidio.* Idem etiam ſignificant verba ſequentia; rupes mea & munitio mea.

V. 3. *Quoniam rupes mea & munitio mea, tu.* Quia tu hactenus fuiſti mihi in rupem & munitionem, ita quoque deinceps propter nomen tuum, non verò propter me: *Duces me & deduces me.*

V. 4. *Educes me de reti*, &c. Cur iſta dicit, cùm captus non fuerit in reti quod ipſi abſconderant? verùm ita loquitur: *Educ me*, iuxta id quod ipſi apud ſe cogitabant; iam, inquit, ſibi videntur me captum tenere, nec vnquam ex illorum manibus me poſſe euadere; quemadmodùm Ziphæi dixerunt: *Noſtrum autem erit vt tradamus eum in manus Regis.* Illud autem זו מרשת *mereſchet* zou 1. Sam. 23: 20. de reti hoc ſimpliciter eſt intelligendum, nam rete illorum ſeu inſidiæ contra Dauidem notæ erant omnibus. Sunt etiam qui verba iſta זו טמנו *zou tamenou*, vertant quod abſconderunt, vt vox זו *zou* ſignificet idem quod אשר *aſcher.*

V. 5. *In manum tuam commendo ſpiritum meum.* Ipſi hoſtes mei inſidias ſtruunt animæ ſeu vitæ meæ, ego verò illum manui tuæ committo, certò enim ſcio te me eſſe liberaturum. *Redemiſti me*, præteritum eſt loco futuri. *Domine Deus veritatis*, quoniam tu es אל *el*, hoc eſt, fortis potéſque me redimere. *Veritatis*, quoniam implebitur verbum tuum quo me regnaturem prædixiſti: quod cùm ita ſit certiſſimè ſcio fore vt me ex illorum manibus liberes.

V. 6. *Odi obſeruantes*, &c. Nec enim vnquam adiui augures, quoniam cùm fugerem Saülem non conſului ariolos aut Aſtrologos de fuga mea. *Sed ego in Domino ſola ſperaui*, quoniam iſtos augures odio habeo, quippe qui vanis & falſis obſeruationibus ſunt dediti: *In Domino*, hic particula אל *el* idem ſignificat quod על *aal* ſuper; verba omnia ſperandi conſtruuntur cum dictione על *aal* ſuper vt: *Conſide ſuper Dominum in toto corde tuo*, &c. Prou. 3. 5.

V. 7. *Exultabo & lætabor in miſericordia tua.* Poſteaquam hanc erga me miſericordiam exercueris, méque vindicaueris ex illorum manibus, ita ut ni-

Psal. 31. hil ampliùs mali ab ipſis expaueſcam, tunc exultabo & lætabor in miſericordia tua, tibíque laudes & grates pro tanto beneficio referam. *Quoniam reſpexiſti afflictionem meam*, &, *cognouiſti in anguſtijs animam meam*: ſenſus eſt, vidiſti, hoc eſt, conuertiſti aſpectum tuum ad me, vt ex afflictione in qua verſabar me

Exod. 3 7. educeres, nec abſcondiſti oculos tuos à me, vt dicitur: *Videndo vidi afflictionem populi mei.* Ita pariter, cognouiſti dum eſſet in anguſtijs anima mea, agnouiſti, inquam, eique prouidiſti vt ipſi benefaceres. Sic cognoſcendi ver-

Ibid. Pſal. 144. bum ſæpè vſurpatur vt: *Quoniam noui dolores eius*, &, *Domine quid eſt homo vt cognoſcas eum?* & alibi? *Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum.*

V. 8. *Nec concluſiſti me in manum inimici.* Nimirum Saülis, conſtituerant enim Ziphæi me in manum eius tradere. At quoniam tu noluiſti permittere vt in eius poteſtatem venirem, nullâ vi adhibitâ me in eius manum concludere valuerunt. *Statuiſti in latitudine pedes meos*, ex loco nempe anguſto, in quo preſſus ab hoſte cingebar vndique, me in locum ſpatioſum & tutum eduxiſti. Et propter illa omnia te laudibus celebrabo poſtquam ita ab illorum inſidijs erutus fuero vt nihil ampliùs mihi ab ipſis metuam: nunc verò ad orationem ſuam reuertitur, ac dicit.

V. 9. *Miſerere mei, Domine*, &c. *contabuit in ira oculus meus.* Dictio עששה *aaſcheſcha*, contabuit ſignificatum habet hîc ſimile illi quod eſt in iſto loco:

Eſa. 50. 9. *Tinea conſumet eos*; quaſi diceret, propter iram hoſtis mei aduersùs me, oculi mei conſumpti ſunt & computruerunt præ continuis & nimijs fletibus meis.

1. Sam. 21.5. *Anima mea & venter meus.* Nempe contabuerunt etiam præ fame & ſiti. Multoties enim fame & ſiti Dauid in fuga ſua laborauit: quod vel inde conſtat quia ipſi fame grauiter afflicto Achimelec panes ſacros edendos dederit. Quod verò dicit, *anima mea*, eius facultatem denotat quæ eſt ciborum appetitiua. Per ventrem autem, inteſtina quæ cibos excipiunt & concoquunt, quorum primus eſt ſtomachus in quo eſt maximè locus fami & ſatietati.

V. 10. *Quoniam defecit.* Ab eo enim die quo Dauid percuſſit Philiſtæum

1. Sam. 18. 7. & mulieres ludentes cecinerunt; *Percuſſit Saül mille & Dauid decem millia*, à die etiam illa & deinceps, vt ibidem dictum eſt: *Obſeruabat Saul Dauidem nec*

Ibid. *eum rectis aſpiciebat oculis*: vnde ab illo tempore in continuo mœrore & gemitu fuit, quia quaſi paſſus duntaxat inter ipſum & mortem erat. *Corruit propter*

1. Sam. 20. *iniquitatem meam robur meum.* Dicit ſe concidiſſe præ gemitibus quemadmodum iam ſe id paſſim eſſe teſtatus fuerat ob timorem quo Saülem expaueſcebat, nimius enim gemitus humani corporis vires infringit. Quod verò dicit, propter iniquitatem meam, eſt ex more pij hominis, qui ſolet dicere, ſic & ſic contigit mihi, malum, ob peccata mea. *Et oſſa mea contabuerunt*, quæ cùm præcipuum hominis robur & corporis ipſius columina ſint, illa tamen quaſi in ſe computruiſſe conqueritur.

V. 11. *Propter omnes inimicos meos factus ſum opprobrium.* Propter tot mala quæ mihi inferunt, & quæ contra me machinantur omnes inimici mei, fui opprobrium, eóquòd illos ex loco in locum ſubinde fugio. *Et vicinis meis valdè.* At quibuſnam fui probro? nimirum vicinis meis non populo extraneo, ſed vicinis meis & cognatis qui ſunt Iſraëlitæ & populares mei, ijs, inquam, probro fui & deſpicatui. Ita dicitur alibi: *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris.*

Et pauor notis meis, his qui me diligebant, & qui eiuſdem mecum erant familiæ PSAL. 31.
pauori fui; timebant enim ne aliquando in manus Saülis deueniens, ab ipſo interficerer. *Qui videbant me foris, fugerunt à me*, ſi quis ex familiaribus & notis meis me dum fugerem fortè aduertiſſet, mox à me auffugiebat attonitus, quaſi diceret expaueſcebat propter id quod in ipſo miſeriæ aſpiciebat; eius enim qui tremit corpus agitatur.

V. 12. *Obliuioni datus ſum, tanquam mortuus à corde.* Adeò cognati & amici mei magnum eſſe vitæ meæ diſcrimen arbitrabantur, vt de me omnino deſperarent, & ex corde & memoria illorum deletus ſim, ſicut qui mortuus eſt, ex mente & recordatione amicorum ſuorum expungitur, quia nullo modo ſperant fore vt iterùm ad ipſos reuertatur. Quod idem exprimitur his verbis: *Tanquam vas perditum*, quia penitus domini eius deſperant illud alicui ampliùs futurum vſui. Ita de mea ſalute filij patris mei deſperarunt, nec enim fieri poſſe credebant ut iterum ad ipſos reuerterer incolumis.

V. 13. *Quoniam audiui contumeliam multorum.* Nempe hoſtium eius qui ipſum apud Saülem calumnijs proſcindebant, ideò, inquit: *Pauor eſt mihi circumquaque.* Non enim mihi ex vna tantùm parte incumbit timoris cauſa vt ab ea cauere mihi poſſim, ſed vndique. *Dum conſultant ſimul aduersùm me.* Illi ſiquidem vnà conſilium inierunt aduersùs me & vitam mihi eripere decreuerunt, non enim me tantùm apprehendere & ſeruituti mancipare, ſed me è medio tollere quoquo tandem modo conſtituerunt.

V. 14. *Ego autem in te ſperaui.* Illi quidem mihi vitam aufferre machinabantur; ego verò ſpem omnem meam in te collocatam habui. *Dixi enim Deus meus, es tu*; quaſi diceret, tu es Dominus & Iudex ſuper me non verò ipſi.

V. 15. *In manu tua tempora mea.* Ea tempora quibus ipſi vitæ meæ inſidiantur, & me apprehendere ac perdere poſſe exiſtimant, in tua ſunt, non in illorum manu poſita; Quapropter: *Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me.*

V. 16. *Lucere fac faciem tuam ſuper ſeruum tuum.* Super, id eſt, versùs, ad ſeruum tuum; ſicut dicitur: *Lucere faciat Dominus faciem ſuam ad te.* Eſt por- Num. 25.
ro lux Diuinæ faciei, ſalus & proſperitas à Deo collata. *In miſericordia tua*; licet ego ſim illo beneficio indignus.

V. 17. *Domine, ne erubeſcam quoniam inuocaui te.* Ne, quæſo, permittas vt ſpe meâ fruſtratus à facie tua recedam; ſed impij pudore ſuffuſi à ſpe ſua excidant, quoniam te non inuocauerunt, nec nomen tuum habent præ oculis. *Exſcindantur ad infernum.* Dictio יִדְּמוּ *iddemou*, excidionem ſignificat vt in illo loco: *Ne ſuccedamini in iniquitate eius. Ad infernum*, hoc eſt ad ſepul- Ier. 51. 6.
chrum. Vel ſenſus eſt, anima eorum detrudatur in gehennam.

V. 18. *Muta fiant labia mendacia.* Quæ ſcilicet calumnias aduersùs ipſum proferebant, & falsò apud Saülem dicebant eum de regno ſibi promiſſo inſoleſcere & ſuperbè gloriari. *Aduersùs iuſtum*, de ſeipſo & alijs iuſtis loquitur. *Durum*, nempe verbum durum & graue.

V. 19. *Quàm multum eſt bonum tuum, Domine!* Verba dura & grauia ſuperbè & contemptim loquuntur impij contra iuſtos & eos qui Deum colunt & reuerentur, quoniam illos vident in hac vita depreſſos & imbecilles, ſed non-

Psal. nouerunt quàm magnum ſit bonum quod ipſis abſcondiſti in futurum ſæculum:
31. & ſiquidem in præſenti vitâ abjecti ſint at in futura ſunt eleuandi ; ſed prætera
multis etiam bonis eos in hoc ſæculo ſæpenumero afficere ſoles : & hoc eſt
quod dixit : *In conſpectu filiorum hominum*. Nimirum vt coram ipſis pudore non
ſuffundantur, eóquòd in te ſolo ſpem ſuam collocarint.

V. 20. *Abſcondes eos*. Hoc per modum prophetiæ aut precationis eſt dictum : *In abſcondito faciei tuæ*. Hoc eſt, voluntatis ſeu beneuolentiæ tuæ, eum
enim dicitur aſpicere Deus cui bene vult & quem amat ; ab illo autem oculos
Ier. 18. ſuos abſcondere, quem odio habet ſicut dicitur: *Ceruicem & non faciem oſtendam*
17. *eis in die perditionis eorum*. *Ab elationibus viri*. Hoc eſt à ſuperbijs & arrogantia hominum, vt ſupra dixit, in ſuperbia & contemptu. Hæc explica-
Exod. tio vocis רכסי *ruchſe* deſumi poteſt ex illo loco, וירכסו *veirchecſon* : *Et eleuabunt*
28. 28. *pectorale* ; hoc enim verbum idem ibi ſignificatum habet ac יגבהו *igbehou*, at-
Iſa. 40. tollent : hoc etiam illud referri poteſt : *Et excelſa*, ſeu montes excelſi, *erunt*
4. *in planitiem*. *Occultabis eos in tabernaculo à contentione hominum*. Hoc idem
eſt quod iam ſuperiùs dixit, ab infamia multorum qui loquuntur dura aduerſùs iuſtum.

V. 21. *Benedictus Dominus*. Et tunc laudabo Deum & dicam, benedictus
Dominus, quoniam mirificauit mihi miſericordiam ſuam ; mira enim omnino res fuit liberatio ipſius. Et hoc dicit per modum vaticinij. *In ciuitate munita*, æquè fui ſecurus ab hoſtibus meis, ac ſi fuiſſem in munitiſſima vrbe. Dictio
Zach. מצור *matſod*, fortitudinem ſignificat, ſicuti : *Et ædificauit Tyrus munitionem*
9. 3. *ſibi*.

V. 22. *Et ego dixi in præcipitatione mea*. Hoc eſt quod dicitur : *Et fuit David*
1. Sam. *acceleratus ad eundum à facie Saulis*. Nempe quia tunc in magno verſabatur
23. diſcrimine, quoniam vt ibidem dicitur : Cingebant Dauidem & viros eius ad
Thren. illos comprehendendos. *Exciſus ſum à conſpectu oculorum tuorum*, verbum
3. נגזרתי *nigzarti* in eadem ſignificatione hic ſumitur ac in iſto loco : *Exciſus ſum*,
deſumpto ſignificatu à nomine גרזן *garzen* ſecuri, hoc ſenſu, exiſtimabam eo
tempore me eſſe projectum à conſpectu oculorum tuorum, nec fore vnquam
vt me aſpiceres ; verùm : *Exaudiſti vocem deprecationum mearum*, nam ita effeciſti & res diſpoſuiſti vt me ſaluum eriperes vt ſcriptum eſt : *Et nuntius venit ad*
1. Sam. *Saülem feſtinanter*, eóquòd Philiſtæi ſuper terram irrupiſſent.
23.

V. 23. *Diligite Dominum*. Eſt imperatiuus cum vocali ſegol, licet vt pluri-
mùm habeat patahh propter literam gutturalem, vt in iſta voce ושחטו
veſchahhatou, *& mactate Paſcha*. Dicit igitur æquum eſt vt Deum diligatis cùm
Exo. 12. ea videatis quæ ipſe mei causâ præſtitit. *Fideles cuſtodit Deus*. Me etenim ab
21. omnibus inimicis meis tutatus eſt. Vox אמונים *emounim*, eſt nomen adjectiuum, ſicut in illo alio loco : *Defecerunt veraces*. *Et retribuit*. Veraces cuſto-
Pſal. dit à manu ſuperborum loquentium ſuperbè, vt dicitur, & eos qui ſuperbè ſe
12. 1. gerunt deprimet, illiſque retribuit propter excellentiam & ſuperbiam
eorum.

V. 24. *Fortes eſtote*. Hoc eſt, fortes vos exhibeatis : ô vos omnes qui Dominum expectatis, quoniam ipſe roborabit cor veſtrum.

PSAL-

PSALMVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

Dauidis erudiens.

1. BEatus eſt cuius dimiſſa eſt præuaricatio : cuius tectum eſt peccatum.

2. Beatus homo cui non imputat Dominus iniquitatem : nec eſt in ſpiritu eius dolus.

3. Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea : in gemitu meo tota die.

4. Quoniam die ac nocte aggrauatur ſuper me manus tua : conuerſus eſt humor meus in ſiccitates æſtatis.

5. Peccatum meum cognitum tibi facio, & iniquitatem meam non abſcondi: dixi confitebor ſuper præuaricationibus Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.

6. Propter hoc orabit omnis ſanctus ad te, in tempore inueniendi : profectò in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

7. Tu latibulum mihi à tribulatione cuſtodies me : clamoribus liberationis circundabis me.

8. Intelligere faciam te, & docebo te viam quâ gradiaris : conſulam ſuper te oculo meo.

9. Ne ſitis ſicut equus, ſicut mulus, quibus non eſt intellectus : in chamo & frœno maxilla eorum conſtringenda, ne approximent ad te.

10. Multi dolores impio : ſperantem autem in Domino, miſericordia circundabit.

11. Lætamini in Domino & exultate iuſti : & iubilate in canticis omnes recti corde.

COMMENTARIVS.

V. 1. DAuidis erudiens. *Beatus eſt cuius remiſſa eſt prenaricatio.* Iam ſcripſimus in præfatione & in Pſalmum quartum, quodnam ſit ſignificatum vocis משכיל *maſchil* & aliarum vocum quæ in Pſalmorum titulis occurrunt. Dicit porro hîc Dauid, beatus is eſt cenſendus cui Deus condonauit præuaricationem & texit eius peccatum ob pœnitentiam quâ ipſe ad Deum con-

Psal. 32. uerſus eſt, & per pœnam quâ illum mulctauit in hoc ſæculo: nec enim fit peccati remiſſio abſque punitione minori aut maiori: & pro ratione pœnitentiæ, leuior fit punitio. Ecce autem beatus ille eſt cui contigerit vt ſit mundus à ſcelere in altero ſæculo. Dictio נשוי *neſoni* reperitur hic ſecundùm formam
Ezech. 39. 16. verborum deſinentium in ה *he*; ita etiam iſto in loco: *Et portabunt confuſionem ſuam.* Idem adhuc alijs verbis enuntiat dum dicit.

V. 2. *Beatus homo cui non imputat* Dominus. Hoc eſt, iniquitatem eius non quidquam reputauit ſeu nihili duxit: ac ſi diceret, cui Deus pepercit, dum vidit rectitudinem cordis ipſius quâ ad ipſum ſeſe conuertit in toto corde ſuo. Et hoc eſt quod ſubjicitur: *Nec eſt in ſpiritu eius dolus.* Hoc eſt, non fit cum dolo eius pœnitentia ſicut illius qui dicit, peccabo, deinde pœnitentiam agam: aut illius cuius talis eſt pœnitentia, vt conuertatur quidem ſed vt iterum peccet. Hæc autem de ſeipſo Dauid protulit; nam de ſuis peccatis valde erat ſollicitus, vnde illum beatum pronuntiat, qui nouit ſua ſibi à Deo condonata eſſe peccata. Dominus autem pater meus F. M. ita hunc locum explicat, dicitque Dauidem tres iuſtorum gradus recenſuiſſe & ab inferiori gradu duxiſſe initium, eius ſcilicet cuius remiſſa eſt præuaricatio, qui peccauit quidem & peruerſè egit, & quamplurima commiſit ſcelera, poſtea tamen conuerſus & perfectam agens pœnitentiam, veniam eſt conſecutus. Deinde dixiſſe. *Cuius tectum eſt peccatum*, illum deſignans cui ſunt merita multa & iuſtitiæ multæ, nec eſt illi niſi exiguum aliquod peccatum quòd tectum eſt & in tantis eius iuſtitijs non apparet, quòdque ſimile eſt paucis granis milij quæ ſunt in modio tritici, quod ita granula iſta obtegit vt nullo modo videantur. Denique dixiſſe Dauidem: *Cui non imputauit Dominus iniquitatem*, & illum denotaſſe qui non peccauit omnino, ac nequidem de peccando cogitauit, & hoc iſtis verbis indicari. *Nec eſt in ſpiritu eius dolus.* Addit verò Dauidem initium feciſſe ab eo cui condonata eſt præuaricatio ipſius, eóquòd plerique omnes iuſti in iſto gradu reperiantur; & longè pauciores ſint quorum tecta dici poſſint peccata; pauciſſimi & ferè nulli quibus Deus non imputauerit peccatum, ſeu qui non peccarint omnino.

V. 3. *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea.* Particula כי *chi* hic idem ſi-
Deut. 4. 25. gnificat quod כאשר *caaſcher* cùm, ſicut in iſto loco כי *chi*, *cùm genueris filios*, & ita in alijs; ſenſus igitur eſt, cùm tacitus apud me conſiderarem iniquitatem meam, inueterauerunt oſſa mea præ magnitudine anxietatis meæ, & ego propter peccata mea tota die eiulatus effundo.

V. 4. *Quoniam die ac nocte.* Diu noctúque de iniquitate mea ſum grauiter ſollicitus, hoc enim eſt quod verbis iſtis ſignificat: *Aggrauatur ſuper me manus tua*, ego enim anxie admodum timeo plagam tuam, nimirum ne magna me punitione afficias ſicut peccatum meum eſt magnum. Et propter meæ ſolicitudinis magnitudinem caro mea emarcuit & iecur meum, & mutata eſt pinguedo mea in ſiccitatem & ariditatem. Vox לשד *leſchad* illud ſignificat quod optimum eſt & humidum pinguedinis, ſic dicitur: *Et erat ſapor eius ſicut*
Num. 11. 8. *ſapor recentis aut viridis olei.* Porro dicit: *In ſiccitates æſtatis*, quoniam æſtatis tempore res maximè ſolent exareſcere. Et quamuis Dauid ſciret pœnam ſibi infligi propter iniquitatem magnam, libentérque illam in præſenti vita ſuſti-

neret, de ea tamen erat ſollicitus, ne fortè perfecta non eſſet * abſterſio ſeu purgatio iniquitatis in hoc ſæculo, ſed fortaſſis de ea puniendus eſſet in futuro ſæculo. PSAL. 32.

V. 5. *Peccatum meum cognitum tibi faciam.* Licet abſcondita quæque pernouerit, dicit tamen cognitum tibi faciam, humano ſcilicet more de Deo loquens, ac ſi diceret, confitebor de illo ore meo coram te, nec illud abſcondam. *Dixi*, hoc eſt, ſtatui apud me, quoniam id mihi vtiliſſimum eſt, vt poſtquam peccaui, confitear ſuper præuaricationibus meis, tu verò propter illam confeſſionem meam, & perfectam ac ſinceram pœnitentiam meam, remittes iniquitatem peccati mei. *Remiſiſti*, tempus eſt præteritum loco futuri, cuiuſmodi plura reperiuntur apud Prophetas; vel ipſemet loquitur per modum vaticinij. Iſta autem nominum idem ſignificantium conjunctio, iniquitas peccati mei, fit ad indicandam peccati grauitatem, iuxta illud: *Qui dormiunt in terræ puluere*, &, *de luto cœni.* Dan. 12. 2.

V. 6. *Propter hoc.* Quandoquidem viderunt te meam orationem exaudiuiſſe Pſal. 40. 3.
& peccatum mihi condonaſſe: *Orabit omnis ſanctus ad te*, ſi quando in peccatum inciderit. *In tempore inueniendi*, eo ſcilicet tempore, quo inuenietur cor eius liberum, quando cor ipſius perfectâ pœnitentiâ emundatum fuerit. *Profecto in diluuio aquarum multarum*, ſi hoc præſtiterit, non eſt neceſſe dicere fore vt non pereat propter peccatum ſuum; imò etiamſi calamitates quamplurimæ mundum vniuerſum inundent, ſimiles inundationi aquarum multarum omnia inundantium, ad eum tamen non pertingent, ſicut ad me non pertigerunt.

V. 7. *Tu latibulum mihi, es, à tribulatione.* Quoniam fuiſti mihi latibulum, & me eripis ab anguſtijs quoties in illis verſari me permittis in pœnam iniquitatis meæ, nec me hactenus ita deſeruiſti vt in poteſtatem hoſtium meorum venirem. *Acclamationibus liberationis circundabis me.* Ouationibus & clamoribus liberationis circumcinges me coram hoſtibus meis qui me vndique circuncingunt.

V. 8. *Intelligere faciam te.* Arguit his verbis eum omnem qui ipſius increpationes auditurus erat, ſiue plures ſiue pauci forent: *Conſulam ſuper te oculo meo*, conſilium tibi dabo ex ijs quæ oculis meis vidi in meipſo, peccaui enim & per viam non bonam ambulaui, poſtea verò hoc apud me recogitans pœnitentia ductus ſum, & ad Deum in toto corde meo conuerſus ſum qui mihi pepercit ac me propter pœnitentiam recepit, tibi autor fuerim vt idem quoque facias.

V. 9. *Ne ſitis ſicut.* Ne fueritis ſimiles brutis animantibus quæ cùm ſint intellectu deſtituta non agnoſcunt an malè faciant, & neſciunt quando nocent: quorum ora frœno & chamo ſunt conſtringenda ne ad te accedant, téque mordeant, & quæ fruſtra verbis corriperes aut increpares, vt pote intellectu caren-

* De ijs pœnis loqui videtur, quibus abſterguntur peccata in altero ſæculo: quòd enim Hebræi conſtanter Purgatorium aſſerant, patet ex his verbis R. Ioſeph Albo: Neceſſe eſt venire in infernum ad deradendum & expurgandum inquinamenta tranſgreſſionum quas feceris, homo, donec mundetur & aſcendat in locum quietis ſuæ. lib. 4. Ickarim cap. 34. vbi exponit verba verſus 48. Pſal. 89. *Eruet animam ſuam de manu inferi.*

Psal. tia, niſi aliquid aliud adhibeatur, quo fiat vt impediantur ne malum faciant.
32. Vos autem ne ſic vos geratis, ſed adhibitâ mentis intelligentiâ vos ipſos ar-
——. guite & corripite & recedentes ab operibus veſtris malis, conuertimini ad Deum & ipſe indulgebit vobis. Porro meminit equi & muli præ cæteris animantibus quia ipſis inſidere ſolent homines, ac frœnum ori ipſorum impoſitum manu tenere, vt eos ſubigant & deducant quócumque voluerint, abducántque ab eo loco in quem proprio feruntur impetu, cohibeantque ne quid mali inferant alicui. Cæterùm voces מתג *meteg* & רסן *resen*, idem prorſus ſignificant: illud nempe inſtrumentum, quo iumentorum ora conſtringuntur; eius tamen diuerſæ ſunt formæ, pro varijs quibus confici poſſunt artificijs. Dictio verò עדיו *ecdio*, idem habet ſignificatum ac פיו *piu* os eius ſecundùm iſtud. *Qui satiat bonis os tuum.*

Pſal. 102. 5. V. 10. *Multi dolores*, ſunt, *impio.* Illi qui ſuarum virium magnitudini innititur nec reſpicit ad Deum, neque de iniquitatibus & peccatis ſuis cogitat, multi dolores eueniunt, nemóque eſt qui ipſum ab illis eripiat: ſed qui ſperat in Domino & agnoſcit nullum ſibi aliunde quàm ab ipſo poſſe eſſe ſubſidium, debet conuerti à ſuis peccatis & à rebus illis recedere quæ ipſum impediunt: illud etiam agnoſcat, nempe quidquid ſibi boni vel mali contigit eſſe à Deo pro ratione ſuorum operum, & in eo ſolo confidat; & hunc miſericordia circundat; contra verò dolores multi cingunt & opprimunt impios.

V. 11. *Lætamini in Domino.* Qui confidit in Domino, lætetur præ bonis quàm plurimis quæ ab ipſo eſt accepturus: vel ſenſus eſt, quoniam inueniet animam ſuam lætam in cultu Dei & ſpe eius quam habet in ipſo. *iubilare facite.* Vox enim הרנינו *harninou* eſt tranſitiua, vos, inquit, lætamini & ad iubilandum excitate omnes qui recto ſunt corde; & vt velint vijs veſtris inſiſtere, annuntiate eis bona quæ à Deo ſunt danda, & ad celebrandas Dei laudes incitate illos.

PSALMVS TRIGESIMVS TERTIVS.

1. EXultate iuſti in Domino: rectos decet laudatio.
2. Confitemini Domino in cithara: in pſalterio decem chordarum pſallite illi.
3. Cantate Domino canticum nouum: bene pulſate cum clangore.
4. Quia rectum, *eſt*, verbum Domini: & omne opus eius in fidelitate.
5. Diligit iuſtitiam & iudicium: miſericordiâ Domini plena eſt terra.
6. Verbo Domini cœli facti ſunt: & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum.

7. Congregat ſicut aceruum aquas maris: ponit in theſauris abyſſos. PSAL. 33.

8. Timeat Dominum omnis terra: ab eo paueant omnes inhabitantes orbem.

9. Quoniam ipſe dixit & fuit: ipſe mandauit & ſtetit.

10. Dominus diſſoluit conſilium Gentium: irritas facit cogitationes populorum.

11. Conſilium, autem, Domini in æternum permanet: cogitationes cordis eius in generationem & generationem.

12. Beata Gens cuius, *eſt*, Dominus Deus eius: populus, *quem*, elegit in hæreditatem ſibi.

13. De cœlo reſpicit Dominus: videt omnes filios hominum.

14. De firma ſede habitationis ſuæ proſpicit: ſuper omnes qui habitant terram.

15. Qui format ſimul cor eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

16. Non ſaluatur Rex in multitudine exercitus: & potens non liberabitur in multitudine virtutis.

17. Fallax equus ad ſalutem: & in multitudine roboris ſui non ſaluabit.

18. Ecce oculi Domini ad metuentes eum: ad eos qui ſperant ſuper miſericordia eius.

19. Vt eruat à morte animas eorum: & viuificet eos in fame.

20. Anima noſtra ſuſtinet Dominum: auxilium noſtrum & clypeus noſter ipſe.

21. Quia in eo lætabitur cor noſtrum: quia in nomine ſancto eius ſperauimus.

22. Sit miſericordia tua, Domine, ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

COMMENTARIVS.

V. 1. EXultate iuſti in Domino. Litera ב *beth* in voce ביהוה *badonai* eſt poſita loco ל *lamed*, ita etiam iſto in loco, Mittet h[...]d[...]m במדבר *hammidbar* in deſertum. Vel litera ב *beth* ſuam habet ſimplicem ſignificationem hoc modo, veſtra iubilatio & laudatio in ipſo ſint & non in alio. *Rectos decet.* Litera א *aleph* vocis נאוה *naua* eſt quieſcens, & à themate אוה *aua*, vnde etiam eſt illud נאוו *naauou*. *Pulchræ ſunt genæ tuæ*. Et illud: *Non* נאוה *naue*, *decora eſt ſtulto delectatio*, & non נאוה *naua decorum eſt ſtulto labium excellentiæ*. Et in his omnibus & ſimilibus א *aleph* eſt quieſcens, præterquam in iſto loco:

Leu. 16. Cant. 1. 9 Prou. 19. ibid. c. 17. Pſal. 93.

PSAL. 33. *Domui tuæ* נאוה *naaua*, *decora fuit ſanctitas*, vbi litera א *aleph* mouetur ſeu
legitur. Et communis eſt Grammaticorum ſententia, literam א *aleph* eſſe ra-
dicalem, & pertinere ad ordinem verborum habentium primam radicalem
א *aleph* quieſcens & literam נ *nun* eſſe ſecundæ coniugationis indicem. Re-
ctiùs tamen dicendum videtur literam נ *nun* eſſe radicalem, & thema eſſe
נאה *naa*. Reperitur etiam in Paraphraſi Ionathan, ad oſtendendam tertiam ver-
bi radicalem, inſtar נאוה *naaua*. Et apud Magiſtros noſtros frequens eſt vſus hu-
ius vocis in ſignificatione verbi נאה *naa*, decens fuit, &c. videtur enim ille eſſe
iſtius radicis vſus apud eos cùm dicunt V. G. Citrus eſt pulchra, pulcher eſt ra-
mus, quàm pulchra ſunt opera eius! & ita ſæpe aliàs: ſignificationiſque iſtius
ſenſus per verbum יפה *iapha* pulcher fuit, exponendus eſt ac ſi diceret, bo-
num eſt & decorum vt iuſti & recti celebrent & decantent laudes Domini; ipſi
enim contemplantur & intelligunt opus Dei, & opera manuum eius, & bene-
ficia quæ ſuis creaturis continuò impertitur: qua in re totum illorum ſtudium
& occupatio impenditur, non verò in cupiditatibus huius ſæculi; quare dicit
eos maximè decere Deum laudare & prædicare pro notitia quam habent eius
operum præ cæteris, vt pergit in hoc Pſalmo enarrare.

V. 2. *Confitemini Domino in cithara.* Nempe quia muſica inſtrumenta ani-
mam ſapientem ſeu rationalem excitant & eam adjuuant. In pſalterio deca-
chordo, litera ſeruilis ו *vau* & hic deeſt; perinde enim eſt ac ſi diceretur, in
Pſal. 92. pſalterio & decachordo, ſicut legitur alio in loco: *Super pſalterio & deca-*
Aba. 3. 11. *chordo.* Ita etiam hæc particula deeſt in iſto loco, ſol luna, pro & luna; ſunt-
que multa ijs ſimilia. Eſt porro decachordum, muſicum inſtrumentum decem
chordis conſtans; vnde etiam dicitur עשור *aaſor.*

V. 3. *Cantate Domino canticum nouum.* Nouis ſemper canticis ipſum cele-
brate. *Bene pſallite* &c. ore & manu contendite vt rectè eum laudetis.

V. 4. *Quia rectum.* Decreta Dei & iudicia eius recta ſunt, & omnia cum fi-
delitate & ſine vlla prorſus iniquitate quemadmodum dixit Moſes Magiſter
Deut. 32. 4. noſter, ſuper quem ſit pax: *Deus veritatis eſt & non iniquitatis, iuſtus & re-*
ctus eſt. Iuſti autem & recti nouerunt hoc & eius profitentur ac prædicant iuſti-
tiam & rectitudinem. Et ſi quid mali aut aduerſi fortè ipſis obueniat, Deum
laudant, ac eius iuſtitiæ & æquitati gratias agunt & agnoſcunt id ſibi ad maius
bonum immitti, & omnia à Deo fieri in veritate & fidelitate; vnde Propheta
Eſ. 12. 1. ſic loquitur: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es in me.* Et Dauid ipſe
Pſal. 101. 1. alibi: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi.*

V. 5. *Diligit iuſtitiam & iudicium.* Ipſe in hoc ſuo mundo exercet modò iu-
ſtitiam, aliquando iudicium, at miſericordia ſemper vtrique præualet; & pro-
pterea ſubjunxit: *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Vt autem ipſe agit, amat
Ier. 9. 24. etiam vt ſuæ creaturæ eodem modo agant, vnde Propheta dixit: *Quoniam*
ego Dominus facio miſericordiam & iudicium & iuſtitiam in terra, quia nimirum
illis valde oblector. Perinde ac ſi diceret, ſicut ego virtutes illas libenter exer-
ceo, ita etiam à vobis eas exerceri percupio.

V. 6. *Verbo Domini*, &c. Vt dictum eſt in opere creationis: *Et dixit Deus*,
&c. Quibus Diuina voluntas & beneplacitum indicantur. Et idem iſtis deſi-
gnantur: *Et ſpiritu oris eius*, eſt enim rei eiuſdem repetitio: hoc autem ex

Dei miſericordia effectum eſt, qui creaturas produxit & bonis illis eas inſtruxit cum quibus exiſtere poterant iuxta ipſius ſapientiæ decretum, ſicut dicitur: *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona.* Ecce enim cœli & omnis exercitus eorum verbo eius conditi ſunt, & terra etiam cum omnibus in ea contentis; nam ſphæra cœleſtis non circumuoluitur niſi ſuper rem fixam & ſtabilem, ea autem eſt terra. Porro quidquid eſt in terra, à cœlorum pendet exercitu, & ab illis ex Dei nutu & beneplacito dirigitur. Psal. 33. Gen. 1. 31.

V. 7. *Congregat ſicut acervum.* Illud etiam beneficentiæ Dei & miſericordiæ erga creaturas ſuas adſcribendum eſt quòd aquas toti terræ ſuperfuſas congregauerit, & eas in locum vnum collegerit & cohibuerit, itaut appareret arida ſeu terra, in qua, niſi hoc modo fuiſſet factum, nullæ aliæ extarent creaturæ quàm piſces. Dicit verò: *Sicut acervum*, hoc eſt cumulum ſeu molem, vt dicitur: *Steterunt fluenta quaſi in acervo*, Et, *Aquæ in vna mole conſiſtent*: ad Exod. oſtendendum aquas fuiſſe terrâ ſuperiores: hinc etiam apparet aquas, quæ ab 15. 8. initio ſuper vniuerſam terram erant expanſæ, etiam in locum vnum collectas, Ioſ. 3. verè adhuc eſſe ipsâ terrâ longe altiores; nec enim eo in loco in quem aquæ 13. ſunt congregatæ, eſt profunditas, etiam ſi in extremas terræ partes exundent & deſcendant, quia ipſa eſt ſphæricæ formæ. Quòd verò dicitur alibi: *Qui deſcendunt mare in nauibus*, illud ſolùm de littore eſt intelligendum, terra enim Pſal. littoribus maris eſt altior. Et hoc inter Conditoris miracula recenſeri debet, 107. quòd aquæ ſic elatæ conſiſtant, & quòd fluctus maris ad eum vſque locum qui littus eſt ipſius, deuoluantur, nec tamen illum præterfluant ſicut dicitur: *Me* Ier. 5. *ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non contremiſcetis? qui poſui* 22. *arenam terminum mari, preceptum ſempiternum quod non præteribit*, &c. Quapropter ſubjungit: *Ponit in theſauris abyſſos*, hoc eſt, quaſi in theſauris concluſæ ſunt, itaut inde non poſſint exire. In his porro verſibus de quatuor elementis mentionem fecit, nam per vocem cœli, elementarem ignem deſignauit, & per vocem, ſpiritus, aërem. Terram verò indicauit in duobus verſibus, iam enim illius ſuperiùs expreſsè meminit cùm dixit: *Miſericordia Domini plena eſt terra*, & mox cùm ſubdidit.

V. 8. *Timeat Dominum omnis terra.* Cùm igitur hæc ita ſint, æquiſſimum eſt vt omnes incolæ terræ Deum reuereantur & colant, ipſe enim diſpoſuit ipſis locum habitationi commodum, vt ſupradictum fuit, congregat ſicut acervum aquas. Si ergo ita ſe res habeat: *Paueant ab eo omnes inhabitantes orbem.* Et hoc maximè illorum ſermones confutat qui legis Diuinæ veritati detrahunt aſſerúntque mundum eſſe æternum.

V. 9. *Quoniam ipſe dixit.* Verſus hic eodem ſenſu ac præcedens exponi poteſt nimirum de creatione mundi, vel ſenſu eius qui ſubſequitur: *Dominus diſſoluit conſilium Gentium.* Dicit ergo Deum creaſſe hunc mundum, & omnia infinitæ illius potentiæ eſſe ſubjecta, nec in vllius hominis poteſtate ſitum eſſe vt mutet aut efficiat vt res aliqua in hoc mundo aliter ſe habeat quàm ipſe dixit & iuſſit. Ita enim erunt omnia & permanebunt, nec valebit quiſquam vllà vi aut opum copia ea à ſe depellere quæ in ipſum ventura à Deo decreta ſunt. Et quæ ipſe homo ſolerti conſilio proponit efficere, niſi Deus annuerit, non ſuccedent, & hoc eſt quod mox dicitur.

V. 10. *Dominus diſſoluit conſilium Gentium.* Dixit, Gentium, quaſi volens
Psal. 33. indicare quod ſi Gentes omnes vnius eſſent conſilij & paris ſententiæ circa rem
aliquam, Deum tamen poſſe irritum reddere ipſorum conſilium ſi velit: ſicut
dicitur: *Omnes Gentes quaſi nihilum præ ipſo.* Vel dixit, Gentium, habitâ ra-
Eſ. 40. 17. tione eius quod deinde erat dicturus: *Beata Gens cuius Dominus Deus eius.* Cæ-
teræ enim Gentes ſummam potentiam Dijs alienis attribuunt. Et hæc eſt vulga-
ris & communis opinio. Quidam etiam ex illis, & hi ſunt ſingulares, dicunt
Deum non curare nec cognoſcere humana opera, quapropter dixit: *Dominus
diſſoluit conſilium Gentium.* Addit præterea: *Irritas facit cogitationes populo-
rum.* Eandem ſententiam de more linguæ alijs verbis enuntians,

V. 11. *Conſilium autem Domini.* Hoc per modum comparationis dicitur, &
oppoſitum eſt illi quod dixerat ante, *Dominus diſſoluit conſilium Gentium,* &c.

V. 12. *Beata Gens.* Quia nempe ſimilis non eſt inſanis illis Nationibus,
ſed profitetur ac credit Dominum eſſe Deum ſeu Elohim, hoc eſt iudicem &
moderatorem, & eumdem rebus omnibus aſſiduè prouidere. Dicit verò: *Deus
eius*, quoniam ipſum in Deum ſuum elegit & aſſumpſit; quo etiam ſenſu ſub-
Deut. jungitur: *Populus quem elegit in hæreditatem ſibi*, ſicut dicitur: *Dominum ele-*
26. 17. *giſti hodie vt ſit tibi Deus, & Dominus elegit te hodie, vt ſis ei populus peculiaris.*
Populus verò qui eiuſmodi eſt, alienus eſt a prauis ritibus & falſis religionibus
aliorum, eique præceptum eſt vt mente ſua concipiat, certò credat & animo
intelligat, ſibi à Deo ſuo contingere omne bonum vel malum, illúdque iuxta
Deut. meritum ſuorum operum, ſicut dicitur: *Sed recorderis Domini Dei tui, quia ipſe*
8. 17. *eſt qui dat tibi vires ad faciendam virtutem.* Et alio in loco: *Oculi Domini Dei tui
in ea*, terra tua, *ſunt à principio anni vſque ad finem eius.* Sic è contra, de ad-
uerſis caſibus dicitur: *Quomodo perſequitur vnus mille, nonne ideo quia Deus*
Ibid. c. 32. 30. *ſuus vendidit eos?* Perinde ac ſi diceretur, id caſu non contigiſſe. Pari modo be-
nedictiones omnes & maledictiones quas conteſtatus eſt & denuntiauit eis, ipſæ
ex mundana conſuetudine ſunt exceptæ, vt certò ſcirent omnia quæ contin-
gunt, ipſius nutu & moderamine dirigi, beata autem eſt illa Gens quæ fidem
eiuſmodi & religionem habet.

V. 13. *De cœlo reſpicit Dominus.* Iſta eſt ſcientia quam Deo attribuit Gens
illa cuius iam meminerat: non verò ſic illæ Gentes quæ de Deo ita loquuntur:
Nubes illi, ſunt, *latibulum & non videt & ambitum cœli perambulat*, &c.
Iob. 22. 13. V. 14. *De firma ſede habitationis ſuæ.* Idem alijs verbis repetit ad maiorem
huius veritatis fidem faciendam, nempe Deum videre & cognoſcere omnia quæ
faciunt homines. Verbum autem השגיח *hiſchgiah* idem ſignificat ac הביט *hibbit*
Cant. 2. 9. proſpexit, vt iſto in loco: *Proſpiciens per feneſtras.*
V. 15. *Qui fingit ſimul cor eorum.* Hoc eſt, quoniam qui cor eorum fingit,
illos proculdubiò pernoſcit; ac ſi diceret, qui fieri poteſt vt cogitationes cor-
dis ſui abſcondant ab eo qui eſt illorum conditor: quâ ratione dicitur alibi:
Pſal. *An qui finxit oculum non videbit?* Quòd vero dicit, *ſimul*, ſenſus eſt eum om-
94. 9. nia omnino perſpicere quaſi ſummatim ſeu vniuerſaliter, ſicque dixerunt Ma-
giſtri noſtri F. M. & acute diſcutientes vocem יחד *iahhad*, dixerunt per eam
indicari omnia hominum corda Deum vno intuitu inſpicere. Cùm autem cor
eorum cognoſcat quantomagis illorum opera? Et hoc eſt quod ſubjungitur:
Qui

Qui intelligit omnia opera eorum. Poteſt etiam dictio יוצר *iotſer* exponi in eo
ſignificatu quo accipitur in iſto loco : *Et proieci illud*, argentum, *in domum* Psal.
Domini ad theſaurarium, vbi dictio יוצר *iotſer* idem eſt ac אוצר *otſer* theſaura- 31.
rius ; & ſenſus erit, qui recondit ſimul cor eorum. Perinde ac ſi diceret in eius Zach.
theſauro & gazis ſunt omnia hominum corda, ſicut illud alicui eſt notiſſi- 11. 13.
mum & in eius poteſtate ſitum quod eſt in ipſius theſauro repoſitum.

V. 16. *Non ſaluatur Rex in multitudine exercitus.* Sed nunquid non manifeſtum videtur Reges certò ſaluari & victores euadere quia numeroſis copijs & exercitibus ſunt inſtructi? verùm indicare vult Dauid homines poſſe agnoſcere Deum ipſos Reges ſuâ prouidentiâ complecti, & omnia illorum opera noſſe & inſpicere, & cuique eorum bene aut ſecus facere vt ſibi libuerit. Aliquando enim videre eſt maximum aliquem Regem & omnium hominum potentiſſimum & innumeris cinctum copijs, earum tamen præſidio & robore non ſeruari incolumem, ſed cum omnibus armatorum turmis fundi & debellari à modica hominum manu; quî autem id fieri poſſet ſi nullus eſſet qui humana opera, prouidentiâ ſuâ dirigeret? Exemplo ſit Aſſyriorum Rex qui eo toto tempore quo Deo fuit gratus, omnes deuincebat populos & omnes regiones ſuo
ſubjiciebat imperio, & Deus ipſum appellabat, *Virgam furoris ſui & indigna-* Eſa. 10.
tionis ſuæ, perinde ac ſi ab illo miſſus & iuſſus, omnia quæ agebat, fuiſſet executus. At vbi cœpit inſoleſcere & efferri, & quæ faciebat ſuis viribus & conſi-
lijs non autem Deo aſcribere ac dicere auſus eſt. *Fortitudine manus meæ & ſa-* Ibid.
pientiâ quâ polleo maximâ, hæc ſum exequutus, venítque contra Ieroſolyma
cum numeroſiſſimo exercitu, tum de illo dictum eſt: *Et mane ſurrexerunt, &* Eſa. 37.
ecce omnia plena cadaueribus mortuorum. Iſte igitur non eſt ſaluatus per multam 36.
virtutem ſuam, ſed corruit poſtquam in ipſum iratus fuit Deus. Et plura eiuſmodi exempla in libris Prophetarum referuntur, vt ſint in ſignum & teſtimonium quòd non ſaluetur potens quilibet in multitudine virtutis ſuæ: cùm & Sennacherib proptij filij gladio ſit interfectus, & Goliath nominatiſſimus robore & mole corporis, manu Dauidis pueri delicati cæſus occubuerit. Clarum eſt igitur nullum quantumuis robur aut potentiam poſſe homini cuilibet prodeſſe, niſi ex Dei beneplacito & fauore.

V. 17. *Fallax equus ad ſalutem.* Quoniam Deus illo quo pollet robore in-
ſtruxit eum, ſicut dicitur: *An dabis equo fortitudinem?* ac ſi diceret, ſicuti Iob. 39.
ego dedi ipſi eam; cúmque Deo non placuerit illa fortitudo equi, ipſam infringet, tumque eius ope non ſaluabitur, qui ipſi inſidet. *In multitudine roboris ſui non ſaluabit.* Etiamſi magni ſit roboris ſuum tamen ſeſſorem non liberabit à periculis.

V. 18. *Ecce oculus Domini.* Qui, inquit, ſuis nituntur viribus non ſeruantur, qui verò Deum timent, & benignam eius miſericordiæ opem expectant, tutelâ eius proteguuntur & ab hoſtium, vt vt potentium viribus liberantur.

V. 19. *Vt eruat à morte animam eorum.* Nempe in bello; & ſi fames mundum afflixerit, eos alet & in vita ſeruabit, quia in eius miſericordia fiduciam ſuam collocarunt; nempe cauſas ita prouidè diſponet, vt cæteris fame confectis ipſi cibis abundent.

PSAL. 34. V. 20. *Anima noſtra.* Ideò nos, qui Deum colimus, in eius miſericordia ſperamus. Anima noſtra patienter expectat Dominum, & eapropter ipſe eſt auxilium noſtrum & clypeus noſter.

V. 21. *Quia in eo lætabitur cor noſtrum.* Nempe quia certò ſperamus nos eius beneficio à malis & aduerſis eruendos, idcirco in eo lætatur cor noſtrum, quoniam ſalutem nobis ab ipſo euenturam certò confidimus, cóquòd in nomine ſancto eius ſperemus, illam enim ob cauſam nos eruet.

V. 22. *Sit miſericordia.* Ita erga nos miſericordia tua in omni tempore & occaſione exhibeatur quemadmodum nos futurum eſſe ſperamus.

PSALMVS TRIGESIMVS QVARTVS.

Dauidis, cùm immutauit ſenſum ſeu ſpeciem ſuam coram Abimelech, & expulit eum & abijt.

1. BEnedicam Dominum in omni tempore; ſemper laus eius in ore meo.

2. In Domino laudabit ſe anima mea: audient manſueti & lætabuntur.

3. Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius ſimul.

4. Quæſiui Dominum & exaudiuit me: & ex omnibus pauoribus meis eripuit me.

5. Aſpexerunt ad eum & confluxerunt: & facies eorum non ſuffundentur pudore.

6. Iſte pauper clamauit & Dominus exaudiuit: & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.

7. Caſtrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripit eos.

8. Guſtate & videte quòd bonus eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo.

9. Timete Dominum ſancti eius: quoniam non, *eſt*, inopia timentibus eum.

10. Leunculi eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.

11. Venite filij audite me: timorem Domini docebo vos.

12. Quis eſt homo qui vult vitam; diligit dies vt videat bonum?

13. Cuſtodi linguam tuam à malo : & labia tua ne loquantu- Psal.
dolum. 34.

14. Diuerte à malo & fac bonum : inquire pacem & perſequere eam.

15. Oculi Domini ſuper iuſtos : & aures eius ad clamorem eorum.

16. Vultus Domini in facientes malà : vt ſuccidat de terra memoriam eorum.

17. Clamant iuſti & Dominus exaudit : & ex omnibus tribulationibus eorum liberat eos.

18. Propinquus , *eſt*, Dominus confractis corde : & contritos ſpiritu ſaluat.

19. Multa , *ſunt* , mala iuſti : & de omnibus his liberabit eum Dominus.

20. Cuſtodit omnia oſſa eius : vnum ex his non conteritur.

21. Interimet impium malitia : & qui oderunt iuſtum , deuaſtabuntur.

22. Redimit Dominus animam ſeruorum ſuorum : & non deuaſtabuntur omnes qui ſperant in eo.

COMMENTARIVS.

D*Auidis cùm immutauit*, &c. Achis , cuius hîc fit mentio Rex erat Geth , qui duplicis fuit nominis. Vel fortè Abimelech fuit cognomen omnium Regum Philiſtæorum , ita enim illos appellatos fuiſſe reperimus Abrahami & Iſaaci temporibus. *Et expulit eum & abijt.* In maximo vitæ peticulo conſtitutus fuit , ideóque ſenſum ſuum & verba immutauit : dictio enim טעמו *taamo* idem ſignificat ac דעתו *daato* ſententiam , ſenſum ſuum vt conſtat ex iſto lo-
co : *Et clamauit & dixit , ex ſententia Regis & Principum.* Ita verò ſe geſſit Ion. 3.
Dauid , ne ab ipſis agnoſceretur Philiſtæis : vel vt habitus ab eis ſtultus & in- 7.
ſanus , vnà cùm ſuis turmis negligeretur & eâ ratione mortem effugeret. At-
que vbi expuliſſet eum Achis , & ſeruis ſuis dixiſſet : *Hiccine ingredietur do-* 1. Sam.
mum meam? gratias egit Deo , Dauid , & hunc Pſalmum edidit , Alphabeti- 21.
co ordine , itaut quilibet verſus ab vna alphabeti litera inchoetur , niſi quòd litera ו *vau* , ſit in medio ſui verſiculi. Porro in Deras ſcribunt Dauidem Pſalmum hunc ordine Alphabetico compoſuiſſe præ magnitudine lætitiæ quâ fuit affectus, dum ex præſenti vitæ periculo ſenſit ſe eſſe ereptum.

V. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Quoniam ipſe mira ſemper opera mei causâ facit , oportet etiam vt illum ſemper & omni tempore laudem ac celebrem. In Deras quæritur quid denotet vox illa , *ſemper*, & reſpondetur
eſſe illud quod dicit ſcriptura : *Omnia fecit bona in tempore ſuo.* Etiam ſtultitia Eccl. 3.
11.

Psal. bona eſt in tempore ſuo. Heu Dauid dum immutaret ſenſum ſuum coram
34. Abimelech, ſeipſum quaſi inſanum exhibuit & quaſi alium oſtendit, & ſcribebat in foribus portæ, Achis Rex Geth mihi debet centum myriadas aureorum nummorum.

V. 2. *In Domino laudabit ſe.* Non in alio vllo ſaluatore, nullum enim alium præter ipſum vindicem habeo; ipſe eſt qui eam cogitationem in animum Achis immiſit, vt me à ſe ejiceret, nec de me vlterius inquireret. *Audient manſueti & lætabuntur.* Manſueti cùm audient liberationem meam, gaudebunt, non verò ſuperbi iſti qui Dauidem odio proſequuntur.

V. 3. *Magnificate.* Alloquitur manſuetos, magnificate, inquit, Dominum mecum ob liberationem quâ me ſaluum fecit: & ego & vos pariter exaltemus nomen eius.

V. 4. *Quæſiui Dominum.* Dum enim inter eorum, hoſtium, manus verſaretur Deum corde ſuo quærebat, & cum intra ſe mente precabatur vt ex illorum manibus eriperetur. *Et ex omnibus pauoribus meis eripuit me.* Nimirum ex iſto & ex metu ipſi à Saüle incuſſo, qui miſerat ſeruos vt ipſum interficerent in domo ipſius.

V. 5. *Aſpexerunt ad eum.* Præteritum eſt loco futuri, cuiuſmodi plurima
occurrunt: ſenſus ergo eſt, quotquot deinceps in anguſtijs fuerint, adſpicient
ad eum & ad eum current, verbum enim illud נהרו *naharou* idem hîc ſignifi-
Eſa. 2. 2. cat ac in iſtis locis: *Et confluent ad eum & ad bonum eius in nouiſſimo dierum;*
vbi deſignatur progreſſus cum curſu qualis eſt fluminis fluxus, & quemadmo-
dum currit aliquis ad munitiſſimam arcem vt in ea ſuæ ſaluti conſulat. Adſpi-
cient ad Dominum & ad ipſum current, nec erubeſcent à ſpe ſua: Et hoc eſt
quod ſubjungitur, *Et facies eorum pudore non ſuffundentur.* Non erubeſcent
autem quia videbunt quòd iſte pauper clamauit & Dominus exaudiuit eum.
Dictio יהפרו *iahhperou* pudorem ſignificat, ſicut & in illo loco, *& luna*
Eſa. 24. וחפרה *hhapera erubeſcet.* Ideò verò dixit: *Facies eorum*, quoniam pudor in
23. vultu potiſſimùm apparet iuxta illud: *Neque nunc facies eius erubeſcet.* Non
Eſa. 29. deſunt etiam qui vocem נהרו *naharou* explicent ex lucis ſignificatione ex illo
22. loco: *Et non ſplendeat lux ſuper eum*; ac ſi diceret, aſpicient ad eum, qui ip-
Iob. 3. 4. ſius auxilio indigent & illuminabuntur, hoc eſt, ſaluabuntur.

V. 6. *Iſte pauper clamauit.* De ſeipſo loquitur, vt iam fuit dictum.

V. 7. *Caſtrametatur Angelus Domini.* Quando nimirum ab hoſtibus vndique
circumcincti obſidentur, ita ut ab ipſis attingi non poſſint, ſed illæſi per eum
Dan. 6. liberentur. Hoc etiam ſenſu dixit Daniel: *Deus meus miſit Angelum ſuum & con-*
21. *cluſit ora leonum*; ſic & alibi: *Et Angelus faciei eius ſaluauit eos.* Et alio in lo-
Eſa. 63. co: *Angelus qui redemit me ab omni malo.*
9.
Gen. V. 8. *Guſtate.* Cognitio intellectus & eius experientia hîc appellatur guſtus,
48. 16. Ita alio in loco: *Guſtat quia bona eſt negotiatio ſua.* Quemadmodum homo ci-
Prou. bos per ſeipſum deguſtat & probat eos an amari ſint aut dulces, an ſaliti an in-
3. 18. ſulſi, ſic dicit etiam, conſiderate mentis intuitu, aut oculi viſu, & videte oculis
veſtris quòd bonus eſt Dominus, & bonis eos afficit qui ſperant in ipſo, &
agnoſcite & certò tenete illum verè beatum eſſe virum qui ſpem ſuam in eo
reponit.

V. 9. *Timete Dominum.* Dictio יראו *ieron* habet א *aleph* quieſcens, quod PSAL.
enim eſt expreſſum eſt iuxta formam שמרו *ſchimron*, זכרו *zicron*; vt autem di- 34.
ſtinguatur ab וראו *iron* videbunt, א *aleph* fit quieſcens. *Sancti eius*; hi ſunt
qui ſeipſos cohibent à multis concupiſcentiæ motibus; ſic qui ſeipſum ſeparat
ab vſu vini ſanctus appellatur, de illo enim dicitur: *Sanctus eſt Domino.* Ita Num.
igitur iſtos alloquitur, vos qui ſancti eſtis Dei Altiſſimi, & qui pauciſſimis 6. 5.
huius mundi rebus eſtis contenti, nec auidè & ſollicitè rebus ad vitam neceſſarijs intenditis, ne metuatis ne vobis deſint neceſſaria ad victum, ſolùm timete Dominum, & ipſe vobis ſuppeditabit quidquid opus erit ad victum: *Quoniam non eſt inopia timentibus eum.* Hæc porrò ideò dixit Dauid, quia dum inter Philiſtæos exularet nullos habebat notos aut amicos à quibus cibos accipere poſſet, quoniam verò timebat Dominum, rebus ad victum neceſſarijs minimè deſtitutus fuit.

V. 10. *Leunculi eguerunt.* Videre eſt aliquando leunculos, qui magnas habent vires ad victum ſibi comparandum, tamen ſæpe egere & fame premi nihilque ipſis vires ſuas prodeſſe; vnde dicitur: *Leo perit eò quòd non habet prædam, & catuli leonis diſperguntur.* Inquirentes autem Dominum non deficient Iob 4. 11.
omni bono.

V. 11. *Venite filij.* Non rarò ſignificatum inceſſus vſurpatur ad indicandam
excitationem ad aliquid faciendum; non quòd in eo propriè requiratur inceſ-
ſus, ſic: *Age nunc affluam delicijs.* Et, *Venite & cogitemus contra Ieremiam co-* Eccl. 2.
gitationes. Et, *venite nunc & increpemus nos*, & cætera his ſimilia: hoc etiam 1.
ſenſu dicitur hîc, venite filij, audite me. Illos porro filios vocat qui eius diſci- Ier. 18.
plinam & doctrinam audituri erant & obſeruaturi, quo etiam modo Prophe- 18.
tarum diſcipuli eorum filij appellantur. *Timorem Domini docebo vos.* Quo- Eſa. 1.
niam ſupra dixerat, in circuitu timentium eum & non eſt inopia timentibus 18.
eum dicit iam, ſi quis ſit qui de iſto timentium Deum numero eſſe velit, timo- 2. Reg.
rem Dei ipſum edocebo. 2. 3.

V. 12. *Quis, eſt, homo qui vult vitam.* Ac ſi diceret, quicumque vitam illam, eóſque dies deſiderat in quibus bonum videre poſſit, is audiat timorem Domini quem illum edocturus ſum. Porro vita illa & dies boni, tam de præſenti quàm de futuro ſæculo intelligendi ſunt. Quis demum eſt ille timor?

V. 13. *Cuſtodi linguam tuam à malo.* In his duobus verſiculis ſummatim complexus eſt præcepta negatiua ſeu prohibitiua quoad verba, cogitationes & opera: *Prohibe linguam tuam à malo*, nempe vt nihil mali aduersùs quemquam hominum loquaris. Et in hoc generali præcepto comprehenduntur falſum teſtimonium, maledictio patris aut matris, iudicis item ac Regis, & multò magis Diuini nominis irreligioſa prolatio. *Et labia tua ne loquantur dolum*, hoc eſt, ne vnum ore proferas & aliud corde tecum cogites, hæc enim ſunt verè labia doloſa, cùm quis fraudulenter ſocium ſuum aggreſſus bona quidem cum ipſo loquitur, at interim in corde ſuo malum aduersùs ipſum machinatur ſicut dicit
Scriptura: *Pacem ore ſuo loquitur, intimo autem cordis receſſu molitur inſidias.* Leu. 19.
Et hoc eſt prohibitiuum præceptum circa ea quæ ad animum ſpectant; quale Ier. 9.
eſt illud, non odio habebis fratrem tuum in corde tuo. Et illud, ne cogites malum aduersùs proximum tuum cùm ipſe tecum habitet confidenter.

Psal. 34. V. 14. *Diuerte à malo.* Nempe faciendo, & ſub hoc generali mandato omnia præcepta negatiua circa opera ſeu actus externos continentur. *Et fac bonum*, & ſub iſto complectitur omnia præcepta affirmantia circa actiones. *Inquire pacem & perſequere eam.* Quære pacem verbis tuis, & cordis affectibus eam proſequaris. Et ille eſt Dei timor quem vos edocere ſtatueram: quemadmodum ſeruus qui dominum ſuum reueretur, & eius præcepta ſedulò exequitur, & ſtudioſe cauet ne quidquam ex ijs quæ ſibi ab ipſo fuerunt imperata, tranſgrediatur.

V. 15. *Oculi Domini ſuper iuſtos.* Quiſquis hæc vitæ & morum inſtituta ſectatus fuerit, meritò Dei cultor & iuſtus appellabitur. Quænam verò merces ipſi à Deo eſt rependenda? Illa nimirum quòd prouidæ Dei tutelæ beneficio ſemper erit ſeruandus in omnibus vitæ ſuæ negotijs, & hoc eſt quod verbis iſtis deſignatur: *Oculi Domini ſuper iuſtos.* Si verò infauſti aliquid ipſi euenerit, clamet ad ipſum, certò enim clamorem eius exaudiet, & ex anguſtijs illum eruet: hoc nimirum iſtis verbis: *Et aures eius ad clamorem eorum.*

V. 16. *Vultus Domini in facientes mala.* Benigni Diuinæ prouidentiæ & cuſtodiæ oculi ſuper iuſtos in eorum bonum ſunt intenti; at contra facientes malum, vultus eius irà exardeſcit vt ſuccidat de terra memoriam eorum. Quo
Leuit. 20. 3. ſenſu dicitur: *Et ponam vultum meum contra virum iſtum & perdam illum.*

V. 17. *Clamant & Dominus exaudit*: Verbum, clamant, refertur ad vocem, iuſti, paulo ſuperiùs poſitam, non verò ad proximam facientes mala. Ita etiam in his locis quædam voces non cum proximis cohærent, ſed cum paulo
Deut. 15. remotioribus. *Sic quoque ancillæ tuæ pariter facies.* Item, *Et ſi tria iſta non fecerit*, &c.
Exod. 21.

V. 18. *Propinquus*, eſt, *Dominus confractis corde.* Nempe ad audiendum clamorem illorum & orationes eorum. *Et contritos ſpiritu ſaluat.* Idem alijs verbis enuntiatur.

V. 19. *Multa*, ſunt, *mala iuſti.* Nam ſæpenumerò Deus tentat & probat iuſtum in eius bonum, atque vt eius iuſtitiam cæteris notam efficiat, quoniam ſcilicet eius animus non eſt vacillaturus, nec à veritatis ſemita declinaturus propter ſibi immiſſas calamitates. *Et de omnibus illis liberabit eum Dominus.*
Prou. 24. 16. Nempe ne in vlla earum offendat, ſicut dicitur alibi: *Septies cadet iuſtus & reſurget, impij autem corruent in malum.*

V. 20. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eius.* Oſſa enim ſeu corporis baſis & fundamentum, illius molem ſuſtinent. *Vnum ex ijs non eſt confractum.* Vox נשברה *niſchbara* in hoc loco eſt præteritum conjugationis niphaal, quia ha-
Pſal. 51. 19. bet accentum in penultima, at in iſto loco: *Spiritum contritum Deus non deſpicies*, eſt participium, quia habet accentum in vltima.

V. 21. *Interimit improbum malitia.* Malum quod improbus iuſto inferre decernit, illud ipſummet interficiet, ſicut alibi dicitur: *Cecidit in foueam quam*
Pſal. 7. 16. *fecit.* *Deſolabuntur.* In dictione יאשמו *ieſchamou*, litera א *aleph* eſt cum ſolo ſeu ſimplici ſcheua, legitúrque ſono tenuiſſimo: habet hoc loco verbum אשם *aſcham* ſignificationem vocis שממה *ſchemama* deſolationis, vt etiam ibi: *Et*
Of. 14. 1. *deſolabitur Samaria.* Duo enim illa verba אשם *aſcham* & שמם *ſchamam*, idem habent ſignificatum.

V. 22. *Redimit Dominus animam ſeruorum ſuorum.* Multa quidem mala contra illos moliuntur improbi, at Deus illos redimit ex eorum manibus. Dixit verò animam, quoniam improbi vitæ iuſtorum ſtruunt inſidias vt eam auffectant. *Et non deuaſtabuntur.* Impij quidem deuaſtabuntur, non verò omnes qui ſperant in eo.

PSALMVS TRIGESIMVS QVINTVS.

Dauidis.

1. LItiga, Domine, cum litigatoribus meis: præliare cum præliantibus mecum.

2. Apprehende clypeum & ſcutum: & exurge in adjutorium meum.

3. Educ lanceam, & conclude in occurſum eorum qui perſequuntur me: dic animæ meæ ſalus tua ego, *ſum.*

4. Pudefient & ignominiâ afficientur quærentes animam meam: auertentur retrorſum & pudore afficientur cogitantes malum meum.

5. Sint tanquam gluma ad faciem venti: & Angelus Dominî impellens.

6. Sit via illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Dominî perſequens eos.

7. Quoniam ſine cauſa abſconderunt mihi foueam retis ſui: immeritò foderunt animæ meæ.

8. Veniat ei calamitas, *quam*, ignoret, & rete ipſius quod abſcondit, apprehendat eum: & in ipſam vaſtitatem cadat.

9. Anima autem mea exultabit in Domino: lætabitur in ſalute eius.

10. Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſicut tu, eripiens afflictum à fortiori eo: & egenum & pauperem à diripiente eum.

11. Inſurgunt teſtes iniqui: quæ ignoro, interrogant me.

12. Retribuunt mihi mala pro bonis: orbitatem animæ meæ.

13. Ego autem cùm ægrotarent ipſi, indumentum mihi erat ſaccus, affligebam in ieiunio animam meam: & oratio mea in ſinum meum reuertatur.

14. Quaſi ſocius, quaſi frater mihi, *eſſet*, ambulabam cum eo:

PSAL. quaſi lugens matrem pullatus incuruabam me.

35. 15. At in claudicatione mea lætati ſunt & conuenerunt; conuenerunt aduersùm me abjecti & ignorabam : proſciderunt me nec ſiluerunt.

16. Cum hypocritis ſubſannatoribus placentæ: frendendo aduersùm me dentibus ſuis.

17. Domine quandiu reſpicies? reduc animam meam à deſolationibus eorum : à leonibus vnicam meam.

18. Confitebor tibi in congregatione magna : in populo numeroſo laudabo te.

19. Ne lætentur de me qui aduerſantur mihi immeritò : qui oderunt me gratis ne nictent oculo.

20. Quoniam non pacem loquuntur, & cum quietis terræ verba doloſa cogitant.

21. Et dilatauerunt ſuper me os ſuum : dixerunt, euge, euge vidit oculus noſter.

22. Vidiſti, Domine, ne ſileas : Domine ne elonges te à me.

23. Expergiſcere & euigila ad iudicium meum : Deus mi & Domine ad cauſam meam.

24. Iudica me ſecundùm iuſtitiam tuam, Domine: Deus meus: & ne lætentur de me.

25. Ne dicant in corde ſuo, euge anima noſtra : ne dicant deuorauimus eum.

26. Erubeſcant & pudore afficiantur ſimul qui lætantur malo meo, induantur pudore & rubore : qui magna loquuntur contra me.

27. Iubilent & lætentur qui volunt iuſtitiam meam : & dicant ſemper, magnificetur Dominus qui vult pacem ſerui ſui.

28. Et lingua mea loquetur iuſtitiam tuam : totâ die laudem tuam.

COMMENTARIVS.

V. 1. L*itiga, Domine, cum litigatoribus meis.* In hoc etiam Pſalmo agit de ſua fuga à Saüle. Dictio ריבה *rina* habet accentum in vltima & eſt imperatiuus coniugationis hiphil; & eius forma integra eſt הריבה *harina.* Vox etiam יריבי *ierinai* habet י *iod* addititium, vt & iſtæ aliæ voces יקום *iecom.* יבול *ienoul*; ſignificatque litigantes; & eſt nomen adiectiuum : & hoc
Eſa. 49. 25. quoque ſenſu reperitur alibi vt : *Contendam contra litigatores tuos. Preliare cum pre-*

præliantibus meis. Idem alijs verbis enuntiat. PSAL.
V. 2. *Apprehende clypeum.* Per modum comparationis Deum alloquitur 35.
quaſi hominem armis ſeſe accingentem ad prælium; dictio etiam החזק *habbazee*
apprehenſionem cum alacri incitatione deſignat, iuxta illud: *Surge, accipe* Gen.
puerum & tene eum manu tuâ. Et occurrit hæc dictio conſtructa cum particu- 21. 18.
la ב *beth* & aliquando ſine illa, etiam cùm apprehenſionem ſignificat. *Et*
exurge. Vox קומה *coumа* penacuta eſt, nec alias in hoc libro reperitur cum
ſimili accentu.

V. 3. *Educ lanceam.* Hoc eſt, exere, expedi ad præliandum; ſic dicitur: Ezech.
Gladium euaginabo, exeram poſt vos. Et conclude. Vox סגור *ſegor* ſignificare vide- 5.
tur bellicum aliquod inſtrumentum: ſunt tamen intepretes qui illam in ſignifi-
catione claudendi exponant, hoc ſenſu, præclude viam contra eorum occurſum,
quando me inſequuntur ne me poſſint alloqui. *Dic animæ meæ*, quia ipſi hoſtes
vitam mihi aufferre moliuntur, ſicut mox dicturus eſt: *Quærentes animam*,
tu contra ſolare animam meam iſtâ lætâ promiſſione, & dic illi, ne expaueſcas,
quoniam ego ſalus tua, *ſum.* Innuit autem optare ſe vt ſuus animus diuinâ ope
roboretur. Contrà quàm minatur alibi Deus: Mollem languorem in cor ve- Leu. 26.
ſtrum inducam.

V. 4. *Pudeſiant.* Hoc eſt, robùr illorum quo mihi præualent, & fiducia
eorum ſint ipſis pudori. *Auertantur retrorſum*, ſpe fruſtrati à me aliò conuer-
tantur. Illo ſenſu dicitur etiam illud: *Et non receſſit retro cor noſtrum.* Dicit Pſal. 43.
enim Dauid, cùm illis obuiam iueris gladio & haſtâ armatus, ipſi retrocedere 19.
cogentur, & à me perſequendo ceſſabunt: *Et pudore afficientur quærentes malum*
meum, erubeſcent ij qui malum mihi inferre meditantur, nec ſuum aduersùs
me conſilium valebunt exequi.

V. 5. *Sint tanquam gluma.* Gluma eſt tenuiſſima illa paleola quæ hinc inde
à vento diſijci ſolet. *Et Angelus Domini impellens*: gluma enim aliquando
conſiſtit alicubi, & à ventis agitari deſinit, cùm nempe murum vel rem aliam
reperit cui fixa adhæreat; at hoſtes mei nihil reperient in quo fixi conſiſtere
poſſint, Angelus enim Domini illos perpetuò inſectabitur & propellet.

V. 6. *Sit via illorum tenebræ & lubricum.* Hæc quidem ſunt duo grauia in-
commoda quibus tertium additur. *Et Angelus Domini perſequens eos*: qui enim
in tenebris incedit, non rarò in obuium lapidem aut aliquod aliud offendicu-
lum viæ impingit & cadit. Ita qui per viam lubricam graditur vix fieri poteſt
quin nutet aliquando & prolapſus cadat. His tamen omnibus incommodis
non obſtantibus ſi pedetentim & lente incedat, fortè ſine caſu aut prolapſione
euadet. At verò ſi quis alius illum à tergo inſequatur & premat, neceſſe eſt vt
currens incedat, atque adeò fieri nequit, quin tandem corruat.

V. 7. *Quoniam ſine cauſa abſconderunt mihi.* Sunt qui illud, ſine cauſa, ſic
exponant, cùm ego nullâ eos iniuriâ affecerim, mihi abſconduntur foueam retis
ſui, hoc eſt foueam cum reti ſuo, ac ſi diceret, foueam effoderunt & os eius
reti ſuo texerunt & abſconderunt, vt ego ſuper illam tranſiens nec illud aduer-
tens, in illam corruam: quemadmodum agunt venatores cùm feras agreſtes
venatione capere ſatagunt, hi enim in agris & ſyluis multas effodiunt foueas
quas retibus ſuis & terrâ injectâ contegunt ne aduertantur à feris, ſed vt ſuper

Pſal. illas tranſeuntes in earum medium incidant. *Immeritò foderunt animæ meæ*, cùm
35. nihil iniqui in illos admiſerim, abſconderunt rete & foueam cum terra, ſicut
—— modò explicuimus. *Animæ meæ*, hoc eſt corpori meo, ſic illud explicandum videtur. Nec verò ipſis ego hæc gratis imprecor, ſed ipſi ſine vlla prorſus cauſa me perſequuntur & me retibus ſuis intercipere tentant: hîc ſubintelligendum eſt, foueam & rete ſuum, quæ ſunt duæ res diſtinctæ שחת *ſchahhat* enim
Pſal 94. eſt defoſſio ſeu fouea ſicut dicitur: *Donec fodiatur peccatori fouea*; &, *In*
13. *fouea eorum captus eſt*. Hoc etiam nomine appellatur ſepulchrum quia eſt de-
Ezech. foſſio: ſenſúſque eſt, immeritò foueam & rete mihi aptarunt: rete quidem
19. 9. abſconderunt mihi vt eo caperer, & foueam foderunt animæ meæ vt in eam inciderem. Poteſt tamen vox שחת *ſchahhat*, retis ſignificationem habere
Thren. iuxta illud: *Et ipſe captus eſt in foueis eorum*. Et ſic in dictis Magiſtrorum no-
4. 20. ſtrorum P. M. reperitur, quoddam שתיא *ſchitta* rete de quo litigabant duo: ſchata verò eſt pro ſchahhata, quia ipſi ſolent abſcondere literas gutturales, ſicque dixerunt, ne vobis excidat שותא *ſchaonta*, hoc eſt, שעותא *ſchaaonta* verbum loquelæ; vnde etiam Targum, vocem illam ויספר & narrauit, per verbum ואשתעי *vaſchtaai*, traduxit. Porro iſta conjunctio duarum vocum iſtarum, foueam retis ſui, fit ad magis exprimendum acre illorum ſtudium ad
Pſal. comprehendendum ipſum. Idem fit in iſtis ſimilium nominum copulis: *Lu-*
40. *tum cœni*, &, *terra pulueris*. Deinde poſtea ſubdit: *Foderunt animæ meæ*. Eo
Dan. 12. enim conſilio foueam effoderunt vt in illam ego inciderem; ſenſus autem eſt, quacunque tandem ratione, inquit Dauid, excogitare aliquid & operari accommodum ad me intercipiendum potuerunt, illud ſedulò ſunt executi.

V. 8. *Veniat ei vaſtatio*. Hoc pronomen ſingulare, *ei*, eſt pro quolibet hoſtium illius; vel etiam ad Saülem refertur. *Quam ignoret*, hoc eſt, quam ante non præuideat quam illà opprimatur, ne illam poſſit effugere. *Et in ipſam vaſtitatem cadet*, hoc eſt, in ipſum rete quod mihi occultè parauit. Cæterùm vox שואה *ſchoa* ruinam ſubitam, & improuiſam diuexationem deſignat, ſic in iſtô
Prou. loco: *Et à repentina vaſtatione improborum, cùm venerit*.
3. 25.

V. 9. *Anima autem mea exultabit in Domino*. Cùm me de hoſtibus meis vltus fuerit, vitámque meam, quam ipſi tam ſollicitè mihi eripere conati ſunt ab ipſis incolumem ſeruauerit, tum verò exultabit anima mea in Domino & lætabitur de ſalute mihi ab eo allatâ.

V. 10. *Omnia oſſa mea dicent*. Dictio כל *col* hoc in loco, non legitur cum camets rapto, vt ſolet alijs in locis, ſed legitur cum cameths lato; vt etiam in
Prou. illo loco: *Omnes fratres pauperis oderunt eum*. Cæteris autem omnibus in locis,
19. 7. in quibus ea vox afficitur vocali cameths, raptim debet legi præterquam in his duobus. Porro per oſſa corpus ipſum debet accipi cuius oſſa baſis ſunt & fulcimen quibus corpus firmiter ſubſiſtit. Senſus autem eſt, anima mea & corpus tibi grates de ſua liberatione referent. Et hæc quidem corporis confeſſio, figuratè eſt accipienda ſicut & iſto in loco: *Cor meum & caro mea exultant in*
Pſal. *Deum viuum*. Senſus etiam eſſe poteſt, vt per iſta verba: *Oſſa mea indicentur* om-
84. 3. nium corporis membrorum commotio in ipſa orationis & gratiarum actionis contentione, præ quâ videntur etiam ipſa Diuinas laudes celebrare: vel etiam dixit, omnia oſſa mea &c. quoniam ex aptâ & naturali formatione & diſpoſi-

tione omni in corporis membrorum inſpecta, laudat homo Creatorem quod PSAL.
perinde eſt ac ſi ipſamet laudarent. Et hoc modo locum hunc explicuit ſapiens 35.
Magiſter noſter Bechai: necnon ſapientiſſimus doctor Rabbi Moſes filius Rabbi Maimon, memoria iuſti ſit benedicta. Et hæc quidem expoſitio bona eſt, non tamen ſenſui huius loci conuenit. *Quis ſicut tu eripiens?* qui eripis afflictum à fortiori eo, qui liberaſti me ab hoſtibus meis, qui me potentia longè ſuperabant. In Deras ſic myſticè exponuntur iſta verba: *Eripiens inopem à fortiori* * concupiſcentiam bonam à concupiſcentia mala. *Et egenum & pauperem à diripiente eum*, nam quis illà eſt maior prædo?

V. 11. *Inſurgunt teſtes mendaces.* Multos in Iſraël David inimicos habuit, ex quibus quidam fuerunt qui pecuniam ab ipſo per falſos teſtes exigerent: & licèt hoc in libro Samuëlis ſcriptum non legamus, ecce tamen videmus eum commemorare illud iniuriæ genus ſibi illatum ab inimicis ſuis inter cætera quæ ſe ab ipſis paſſum eſſe conqueritur.

V. 12. *Retribuunt mihi mala pro bonis.* Nempe quia pecuniam à me repoſcunt, cùm numquam aliquid illorum apud me fuiſſe nouerim. Imò plurima hominibus iſtis beneficia contuli, pro quibus iam mihi malum rependunt. *Orbitatem animæ meæ*, quæ res non minùs grauis mihi eſt quàm ipſa mors animæ meæ; vel ſenſus eſt, pecuniam à me per iniuriam inique extorquent & quærunt quâ tandem ratione poſſint animam meam tollere, & eam vndequaque obſident ſi fortè poſſint eam aliquando capere.

V. 13. *Ego autem cùm ipſi ægrotarent.* Iam bona recenſet quæ ipſis exoptabat & præſtabat: ſi quiſpiam illorum, inquit, ægrotaret, ego dolens & anxius cilicium induebam, méque ipſum grauiter macerabam ipſius causâ, vt Deus ſanaret illum. *Et oratio*, quam pro ipſis fundo, *in ſinum meum conuertatur.* Ac ſi diceret, bonum quod ipſis exoptaui, mihi eueniat, ne quis forte exiſtimet me palam hæc agere, & meipſum triſtem & dolentem de illorum morbo foris exhibere, clam verò & in abſcondito, aliud me pro eis orare & malum ipſorum exoptare, idcirco dixit, Oratio mea in ſinum meum conuertatur. Quod autem addit: *Affligebam in ieiunio animam meam*, cum litera ב beth in בצום *batſoum* habeat vocalem patahh, indicare vult certum & notum ieiunium illius ſcilicet diei quo amici & cognati ipſius ægrotantis, ieiunio ſeſe macerabant: eo etiam die, inquit, cum ipſis afflixi animam meam, non ſecus ac ſi meus frater aut propinquus fuiſſet.

V. 14. *Quaſi ſocius, quaſi frater mihi eſſet.* Sic mœſtus & atrâ veſte indutus incedebam quoties eorum aliquis ægrotaret, eodem modo quo amicus pro amico ſuo, aut frater pro fratre ſuo præſtaret: & ſicut lugere ſolet filius matrem ſuam defunctam. Matrem verò dixit non patrem, quod maiori dolore afficiatur filius propter mortem matris ſuæ; eóquòd in vtero illius formatus fuerit, ab ea lactatus & educatus vſque dum grandior ſit effectus. Imò etiam poſtea. Matris etiam officium eſt familiæ curam gerere, & ea præparat quæ filio neceſſaria ſunt tum in cibo tum in potu. Quo etiam ſenſu explicanda ſunt iſta duo: *Incuruabam me & obſcurus incedebam*, qui enim in luctu aut anxio

* Concupiſcentiam bonam vocant Talmudici affectum bonum quo homo ad bonum inclinatur, malam verò quâ in malum.

Psal. dolore verſatur, incuruatus ſolet incedere. Ratio autem cur idem dicatur ob-
35. ſcurus vel ater, eſt quia præ luctu & mœrore fugit ſplendor humanæ faciei vul-
—— túſque atrorem contrahit. Vel fortè etiam dixit obſcurus propter veſtes nigras quibus indui ſolent lugentes. Dominus verò Pater meus P. M. iſta verba: *Quaſi lugens matrem*, ſic exponit, quaſi lactens mortuâ matre cùm non adſunt quæ ei mammas præbeant, luget & nigreſcit.

V. 15. *At in claudicatione mea lætati ſunt & conuenerunt.* Ego quidem dolui de illorum morbis, ipſi verò de mea ægritudine lætati ſunt quando claudicare cœpi propter membrorum meorum dolorem. *Et conuenerunt*, vnà conueniebant vt ſimul differerent & de mea ægritudine collætarentur. *Conuenerunt aduersùm me abiecti.* Vox נכים *necchim* homines plebeios & viles ſignificat vt conſtat ex iſto loco: *Filij ſtultorum & ignobilium*, qui, נכאו *niccecu*, *abjecti ſunt pluſquam ipſa terra*; ac ſi diceret, qui deſpecti & ab omnibus propulſi ob
Iob. 30. ſuam vilitatem. *Et ignorabam*, hoc eſt, & neſciui cur ita aduersùm me conue-
8. nerint, vt de meis anguſtijs lætarentur, cùm nullas eis vnquam ego injurias intulerim. *Sciderunt & non ſiluerunt*, os ſuum præ nimio riſu ſciderunt & non ſiluerunt à me deridendo. Aut ſcindendi ſignificatum hîc apertionem deſi-
Ier. 4. gnat, eodem modo quo in iſto loco: *Si aperueris ſtibio oculos tuos*, ſic etiam: *Et*
30. *aperiet ſibi feneſtras.* Alij ſic exponunt, contra me mala locuti ſunt quaſi car-
Ibid. 22. nem meam ſcinderent. Dominus Pater meus P. M. ita explicat, ſciderunt quod non poterunt ſuere quantumuis ſe pœnitentiâ conficiant; quod ſic dicitur metaphoricè de verbis & operibus malis.

V. 16. *Cum hypocritis ſubſannatoribus otioſi ſermonis.* Hic ponitur nomen
Iob. 20. conſtructum cum alio conſtructo ſicut & in iſtis locis: *Non videat riuulos flumi-*
17. *nis torrentes mellis & butyri.* Et, *Sapientes conſiliarij Pharaonis*, &c. Iſtis por-
Eſa. 19. ro verbis deſignantur homines hypocritæ & ſubſannatores addicti ſermonibus
11. otioſis & inanibus; illud enim ſignificat vox מעוג *maog*, nempe verba inutilia & vana, cui ſimilis ſignificati dictio reperitur in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum F. M. nempe vbi de terminis & de verbo ioci aut otioſo differunt. Litera verò ב *beth* in dictione בחנפי *behhaphne*, eſt loco עם *im*, cum ſicut in
Pſal. 45. illo loco בך *beca*, in te, hoc eſt: *Tecum inimicos noſtros ventilabimus cornu.*
6. Senſus verſiculi eſt, iſti homines abjecti conueniunt cum hypocritis & ſannionibus, méque derident, frendendo contra me dentibus ſuis. Sunt qui vocem
1. Reg. מעוג *maog* idem ſignificare velint quod עוגה *cuga* placenta iuxta illud: *Si eſt*
17. 12. *mihi panis*, & ſenſus erit, homines delicijs & gulæ illecebris dediti: vel denique locutio eſt metaphorica quâ malum conſilium & opus ſic appellantur, eo
Oſ. 7. modo quo dicitur: *Ephraim factus eſt ſubcinericius panis qui non reuerſatur.* Et
8. paulò ante: quieuit paululùm à commiſtione dum fermentata ſit. *Frendendo*,
Ibid. vox חרוק *hharoc* eſt infinitiuus, quo denotatur geſtus hominis frendentis den-
Tren. 2. tibus ſuis dum videt vindictam contra ſuos hoſtes exerceri, iuxta illud: *Fren-*
16. *duerunt dentibus & dixerunt iſta eſt dies quam expectabamus.*

V. 17. *Domine quandiu reſpicies?* Vſquequo intueberis afflictionem meam & oppreſſionem quam ab illis patior? ac ſi diceret quamdiu videbis afflictionem
Iob. 21. & oppreſſionem meam? ſic dicitur: *Quoties lucerna impiorum extinguetur?*
17. *Redde animam meam à vaſtationibus eorum.* Hoc ſimile eſt iſti loco: Dixit Do-

minus ex Baſan reducam, reducam ex profundis maris : Quibus verbis liberatio Psal.
deſignatur. Porro illud : *A vaſtationibus eorum*, ſignificat à tumultuoſo eorum
impetu, à diuexatione illorum, eſtque משואיהם *miſcheochem*, vox pluralis 35.
numeri à ſingulari שואה *ſchoa*, & eiuſdem formæ cum יורה *iore* & מלקוש Pſal. 68.
malcoſch. *A leonibus vnicam meam.* Sunt enim iſti, hoſtes mei, leonibus præ- 23.
dam delacerantibus ſimiles : *Vnicam meam*, hoc eſt, animam meam, vt iam
ſuperiùs explicatum eſt.

V. 18. *Confitebor tibi in congregatione magna.* Cùm me ab iſtis leonibus eri-
pueris. Cœtum autem & populum numeroſum appellat Iſraëlitas quando om-
nes in vnum coaluerint.

V. 19. *Ne lætentur de me.* Ne quæſo adhuc vlteriùs propter me gaudeant,
multùm enim hucvſque de me lætati ſunt inimici mei. Dictio שקר *ſchequer*
habet vocalem ſegol cum accentu atnahh; quo etiam modo reperitur in iſto
loco : *Roborati ſunt qui diſperdunt me inimici mei* שקר *ſchequer iniuſtè* : de qui- Pſal. 69.
bus ita loquitur, quia ſine cauſa odio proſequebantur ipſum, vt ſubditur : *Qui
oderunt me gratis* : Sic dicitur : *Verè fruſtra ſeruaui omnia quæ eius erant*, hoc 1. Sam.
eſt, gratis ſine cauſa. *Nictant oculis.* Mutuis oculorum nutibus me derident, 21.
nictatio oculi, quam verbum קרץ *caratſ* denotat, oculorum agitationem ſigni-
ficat in alicuius irriſionem aut contemptum. Quo etiam ſenſu de labijs dici-
tur vt : *Motitans labia ſua*, &c. Ita quoque de impio dicitur : *Annuit oculis*, Prou. 6.
loquitur pedibus, digitis docet. 13.

V. 20. *Quoniam non pacem loquuntur.* Sic dicitur nec poterant ei quidquam
pacificè loqui. *Et eàm quietis terræ.* Dictio ארץ *eretſ* habet vocalem ſegol cum Gen.
accentu athnahh, & quatuor huiuſmodi annotantur in * Maſſora : ſignifica- 37. 4.
tum autem vocis רגעי *rigee*, quidam volunt deſumendum eſſe ex illo loco:
Ego Dominus ſcindens mare; itaut terræ ſciſſura hîc denotetur, ac ſi diceret, in Eſa. 51.
locis occultis dolos machinantur : ſed hoc non rectum videtur, non enim co- 15.
gitationi, ſed ſermonibus & operibus, locus occultus quæritur. Alij ſignifica-
tionem eiuſdem vocis interpretantur ex nomine מרגוע *margoaa* quod quietem
deſignat, itaut ſignificet humiles ſeu manſuetos terræ, qui ſic appellentur
quia manſueti ſolent eſſe tranquilli & mente quietâ. Poteſt adhuc eadem vox
רגעי *rigee* denotare pingues & opulentes, quòd vitam ducant pacatam &
quietam; ſicque dictio על *al* erit vertenda, cum hoc modo, cum quietis ter-
ræ, vt in iſto loco : *Et venerunt viri* על *aal vnà cum mulieribus*; ſenſúſque erit, Exod.
hypochritæ iſti & ſanniones cum illis opulentos & impijs, dolos & fraudes ad- 35. 29.
uersùm me excogitant, & ipſi quidem pacatiſſimè viuunt, ego verò exul & æ-
rumnis oppreſſus.

V. 21. *Et dilatauerunt ſuper me os ſuum.* Nempe cùm viderent extorrem &
huc illuc diffugientem, deridebant me ac læti dicebant : *Euge, euge, vidit ocu-
lus noſter*, illud ſcilicet quod dudum cogitabamus & expetebamus ipſi con-

* Vox iſta Maſora traditionem ſignificat doctrinam ſcilicet à maioribus traditam & ad poſteros tranſmiſſam : & hoc quidem loco deſignat notas ſeu Scholion Bibliorum marginale quo ſingularum dictionum ſcriptio & lectio, cæteræque affectiones grammaticæ, & quot locis reperiantur, notantur. Eius authores Maſoritæ dicuntur; qui & quando fuerint, grauis quæſtio eſt de qua Buxtorfius in Tiberiade ſua.

PSAL. tingere : quo etiam ſenſu alibi dicitur : *Et in hoſtibus meis vidit oculus meus* , &
35. dictio האח *healch* lætitiam indicat , & repetitur ad maius gaudium hoſtium de-
ſignandum , ita etiam.

Pſal 54. V. 22. *Vidiſti , Domine , ne ſileas.* Ne taceas ad clamorem meum , ne tan-
2. quam ſurdum te exhibeas , ſed oſtende te audiuiſſe me & ſaluum me facias ; vidi-
ſti enim ſannas eorum & malos aduersùm me ſermones.

V. 23. *Expergiſcere & euigila ad iudicium meum.* Eandem rem diuerſis verbis ad auxeſim enuntiat ; ſensúſque eſt , ne ſis ampliùs quaſi dormiens , ſed aſſume iudicium meum & cauſam meam contra illos propugnandam. *Deus meus,* tu enim es Deus iudex meus , nec alium præter te iudicem habeo : quia etiam tu es Dominus meus , eſt autem Domini vindictam ſerui ſui proſequi.

V. 24. *Iudica me ſecundùm iuſtitiam tuam.* Iudica me de illis pro tua iuſtitia & æquitate , ſiquidem tu noviſti mecum eſſe veritatem , cum illis verò iniuſtitiam & iniquitatem , & ne quæſo , de me vlterius gaudeant.

V. 25. *Ne dicant in corde ſuo.* Fac vt nequidem in cordibus ſuis de me lætari poſſint , ac dicere : *Euge anima noſtra* , hoc eſt , animam noſtram gaudio perfudimus : nec dicant ampliùs ſicut modò iactitant : *Deuorauimus eum* , ipſum omnino perdidimus.

V. 26. *Erubeſcant & pudore afficiantur ſimul.* Idem bis repetit , ad emphaſim : additque , *ſimul* , hoc ſenſu quemadmodum ſimul conuenerunt aduersùm me vt me deriderent , ita ſimul erubeſcant ſpe ſuâ fruſtrati qui magnificant os ſuum contra me , vt ante dixerat : *Dilatauerunt aduersùm me os ſuum.*

V. 27. *Iubilent & lætentur.* Illi erubeſcant & pudore afficiantur , quoniam lætantur de malo meo ; qui verò iuſtitiam meam volunt , videant & lætentur. Porro per iuſtitiam , æquitatem ſuam , quodque ſibi ex iure conſentaneum eſt intelligit. *Et dicant ſemper magnificetur Dominus* , hi continuò Deum mei cauſâ laudibus extollant , & dicant : Magnificetur Dominus qui voluit pacem ſerui ſui , hoc eſt Dauidis , cuius pacem & otium voluit , cùmque ab hoſtibus ipſius eripuit.

V. 28. *Et lingua mea loquetur iuſtitiam tuam.* Ipſi quidem Deum propter me celebrabunt , quantò magis æquum eſt vt lingua mea loquatur iuſtitiam tuam , & totâ die tuas laudes decantet ſicut ipſi te continuò & palam prædicabunt.

PSALMVS TRIGESIMVS SEXTVS.

Præcentori ſerui Domini Dauidis.

1. DIctum præuaricationis ad impium , in medio cordis mei : *eſt hoc* , non , *ſit* , timor Dei ante oculos eius.

2. Quoniam blanditur ei in oculis eius : vt inueniat iniquitatem ſuam ad odium.

3. Verba oris eius iniquitas & dolus: deſiit intelligere ad bene agendum. Psal. 36.

4. Iniquitatem meditatur ſuper cubili ſuo: ſtat ſuper via non bona, malitiam non auerſatur.

5. Domine in cœlo miſericordia tua: veritas tua vſque ad nubes.

6. Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa: homines & iumenta ſaluas Domine.

7. Quam pretioſa, *eſt*, miſericordia tua Deus! & filii hominum in vmbra alarum tuarum ſperabunt.

8. Inebriabuntur pinguedine domus tuæ: & torrente voluptatum tuarum potabis eos.

9. Quoniam apud te eſt fons vitæ: in lumine tuo videbimus lumen.

10. Protende miſericordiam tuam ſcientibus te: & iuſtitiam tuam rectis corde.

11. Non veniat mihi pes ſuperbiæ: & manus peccatorum non moueat me.

12. Ibi ceciderunt operarii iniquitatis: impulſi ſunt nec potuerunt ſurgere.

COMMENTARIVS.

P*Racentori, ſerui Domini Dauidis.* Quoniam in hoc Pſalmo Dauid de impio loquitur qui nullum ſibi eſſe dominum opinatur à quo ſit puniendus ob malum quod operatur, idcirco his verbis vſus eſt: *Serui Domini*, quaſi velit innuere ſe multùm ab illa prauorum ſententia abhorrere, veréque Dei ſe ſeruum eſſe profiteatur, & agnoſcere ſe habere Dominum qui vnicuique rependat ſecundùm bonum aut malum quod fuerit operatus.

V. 1. *Dictum præuaricationis ad impium.* Ego ſic apud me cogito in medio cordis mei, quòd præuaricatio, hoc eſt concupiſcentia mala dicat impio, fac quidquid libuerit tibi, quia non eſt timor &c. Ipſam verò concupiſcentiam malam, præuaricationem appellat, ſicut in iſto loco appellatur peccatum: *Statim in foribus peccatum aderit.* Gen. 4. 7.

V. 2. *Quoniam blanditur ei in oculis eius.* Blanditur ei coram ipſo concupiſcentia & prauum opus ei vt decorum, oſtentat. *Vt inueniat iniquitatem*, hoc eſt, illicit eum vt ſtudioſè quærat occaſionem mali operis perpetrandi, donec illam inueniat: quo ſenſu dicitur: *Vade, fac inuenias ſagittas.* *Ad odium.* Itaut 1. Sam. 20. 21. præ nimia peccandi frequentia ipſum peccatum faſtidiat, & odio habeat: hoc etiam modo poſſunt hæc verba exponi, ſuadet ei concupiſcentia, vt inueniat iniquitatem ſuam, & vt odio habeat contrarium eius, nempe viam bonam:

quo ſenſu illud dicitur: *Quoniam Dominum dereliquerunt ad cuſtodiendum.*
PSAL. 36. Hoc eſt, ad cuſtodiendas vias Deorum aliorum. In Deras etiam circa eadem hæc verba ita diſſeritur, impij indagantes conſiderant oculis ſuis & manibus ſcrutantur, atque in corde ſuo ſollicitè cogitando exquirunt vt inueniant iniquitatem, quam Deus ſanctus & benedictus odio habet, vt eam perpetrent. Quâ de re ipſe conquerens ſic loquitur: *Omnem abominationem quam auerſatur Dominus Dijs ſuis exhibuerunt.*

Oſ. 4. 10. Exod. 12. 31.

V. 3. *Verba oris eius iniquitas & dolus.* Hæc ſunt in corde illius qui continuò malum cogitat. *Deſiit intelligere*, hoc eſt, recipere diſciplinam ad animum ſuum inſtruendum, & ad conuertendam viam & mores ſuos.

V. 4. *Iniquitatem meditatur ſuper cubili ſuo.* Eſt enim lectus locus agitandis cogitationibus accommodus quando homo adhuc vigil eſt nec ſomno obrutus; tum enim nulli operi vacare poteſt. At diurno tempore: *Stat in via non bona.*
Gen. 7. 8. Dicit verò, non bona, eo ſenſu quo illud accipitur: *De animantibus autem quæ non munda ſunt*, &c. Quoniam non munda eſt via illorum qui ambulant per viam non bonam. Aut ita locutus eſt ne bis conſequenter diceret malâ. Vel ſenſus eſt, in vijs eius ſeu moribus nihil prorſus eſſe boni, ſed eos eſſe omnino malos & corruptos, nec vllum eſſe tempus quo malum perpetrare recuſet.

V. 5. *Domine in cælo.* Dictio השמים *haſſchamaim* eſt cum ה *he* notâ emphaſeos vt ſolet: & illud, *In cælo*, idem ſignificat ac vſque ad cœlum: ſic etiam,
Thren. 4. 14. *Cùm non poſſent*, accedentes contingere in veſtimentis eorum. Dei autem miſericordia & veritas in æternum ſunt permanſuræ, quia Dei veritas, eſt ſtabilis ſpecierum conſeruatio, ne deſtruantur. Licèt enim res particulares defectui obnoxiæ pereant, at ſpecies ſeu natura communis ſtabilis in æternum
Pſal. 119. perdurat, vnde ſcriptum eſt: *In generationem & generationem veritas tua.* Et,
Eccl. 1. 4. *Firmaſti terram quæ permanet.* Et, *Terra autem in æternum ſtat.* At Diuinæ miſericordiæ opus eſt præparatio & ſubminiſtratio eorum quibus ſubſiſtit hic mundus; vnicuique enim animanti præparat eſcam propriam, & modo ei congruo, nec magno cum labore ſumendam: non enim poteſt mundum conſeruare cum multa fatigatione, cùm ſit veritas ipſa ſeu Dei fidelitas perpetuò ſtabilis; ſed miſericordia à qua præcipuè bona emanant omnia, eſt quæ procurat mundi
Pſal. 104. huius ſubſiſtentiam, quemadmodum alibi dicit Dauid: *Producens fœnum iumentis.* Et, *Qui producit in montibus fœnum.* Montes enim ſunt loca animantium ſylueſtrium habitationi accommoda, ibíque Deus pabulum ipſorum
Ibidem. enaſci procurat. Ita etiam dicit de Deo: *Qui emittit fontes* &c. Et, *Potabunt omnes beſtiæ agri.* Nam eſcam illarum & potum præparat ipſis in eo loco vbi verſari ſolent. Et hæc eſt miſericordis Dei beneficentia erga creaturas: ſed & ipſa adhuc elucet in prouidendis ad mundi conſeruationem neceſſarijs. Nam quod magis eſt neceſſarium ad res huius mundi fouendas & ſuſtentandas illud etiam copioſiùs prouiſum & præparatum eſt: ſic quia potus magis eſt neceſſarius ad vitam animantium conſeruandam quàm eſca, idcirco aquæ copioſiùs in locis ſuis repoſitæ inueniuntur quàm cibi, & quidem ſine vlla opera vel artis diſpoſitione. Ita pariter quoniam aër magis eſt neceſſarius cuilibet animali quàm cibus aut potus, ideò etiam longè magis obuius & copioſus reperitur,

quia

quia ne per horam vnam ſine illo animantium vllum ſubſiſtere poſſet. Vbi ergo Dauid impiorum facta & cogitationes enarrauit, magnas eſſe Dei miſericordias dicit; quia licèt iſti ſuperiùs recenſita benefi .ia Deo accepta non referant, ipſe tamen continuò iiſdem procurat quæ ad victum ſunt neceſſaria, atque Dei benedicti miſericordiam magnam eſſe vſque ad cœlos; Sic etiam & veritatem ſeu fidelitatem eius: hîc ..nim per cœlos & nubes idem intelligit, nam is eſt mos linguæ ſanctæ, voces varias vſurpare quando idem repetitur: ſic miſericordiam & veritatem Dei extollens in vno & eodem verſu dixit: *Quoniam magna eſt ſuper cælos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua.* Dixit verò, ſuper cœlos, vt magis illam extolleret; ſenſus enim eſt, vſque ad cœlos. Ita etiam dicit, ab ipſa terra vſque ad cœlos. Et alio in loco, quantùm cœlum ſupra terram eleuatum eſt, tantum corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.

Psal. 36. Pſal. 57. Pſal. 103.

V. 6. *Iuſtitia tua ſicut montes Dei.* Hoc eſt montes alti; ea enim eſt linguæ ſanctæ conſuetudo cùm rem aliquam eximiam vult demonſtrare, vt illam cum Dei nomine conjungat; ſic: *Et Niniue ciuitas erat magna Deo.* Et, *& fuit in pauore Dei.* Et, *Num terra caliginis Dei?* Et, *Prunæ eius prunæ ignitæ flammæ Dei.* Ita etiam: *Cedri Dei.* Cæterùm dicit: Iuſtitia tua ſicut montes Dei, quia dixerat, Domine in cœlo miſericordia tua. Etſi, inquit, magna ſit miſericordia tua erga omnes tam bonos quàm malos, diſcrimen tamen illorum facis, quando ita tibi viſum fuerit, & magnificas iuſtitiam tuam erga bonos ſicut montes excelſos & magnos, ſic magna eſt iuſtitia tua erga bonos. Magnificas autem iudicia tua contra malos, cùm vides id exigere tempus vt illos punias, & demergis illos vſque ad abyſſum multam, vnde nunquam poſſint emergere. Comparat verò Dei beneficia, montibus qui ſunt locus refugij & azyli aduerſus hoſtes: illis enim ſimilia ſunt Dei benedicti beneficia & liberatio; ſicut dicitur: *Turris fortiſſima nomen Domini ad ipſum curret iuſtus & exaltabitur.* Et, *Dominus petra mea & munitio mea*; ſecurus enim ſtatus in quo bonos conſtituit, eſt ſimilis montibus, adeòut non poſſint vllis hominum viribus ab illo dimoueri, aut illius detrimentum pati. Pœnas verò quibus afficiuntur mali, comparat abyſſo multæ quæ eſt locus perditionis ex quo nullus homo poteſt eripi, ſicut dicitur: *Quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam, infixus ſum in limo profundi*, &c. Quod verò ſubjungit: *Homines & iumenta ſaluas, Domine.* Perinde eſt ac ſi diceret, quamuis diuerſo modo agas in hac vita cum probis & cum improbis, dum tua prouidentia efficis vt bonis bona, malis mala eueniant, vnicuique ſecundùm eius opera: aliquando tamen tua etiam beneficia improbis clargiris, eoſque ab anguſtijs liberas; vnde ſic ego ſentio ac dico eam beneficentiam quâ erga impios vteris qui te abnegant, ſimilem eſſe beneficentiæ quâ vteris erga beſtias quæ tuam miſericordiam non agnoſcunt, cùm tamen tu omnia illis neceſſaria ſuppedites. Illudque eſſe exiſtimo quod illis verbis indicatur: *Homines & iumenta ſaluas, Domine.* Impius enim aut ſtultus homo, bruto non eſt abſimilis ſub humana figura, & ipſe habet ſpeciem beſtiæ ad ſpeciem hominis probi. Sapiens verò Rabbi Abraham F. Eſræ putat illa verba, homines & iumenta ſaluabis, Domine, ſignificare Deum fore omnium ſenſibilium iudicem iuxta illud: Et de manu omnis beſtiæ requiram il-

Ion. 3. 1. Sam. 14. Ier. 2. Cant. 8. Pſal. 80. Prou. 18. 9. Pſal. 68. 1.

X

PSAL. 36. lum, ſanguinem. Magiſtri etiam noſtri hoc modo circa eadem verba diſſe-
runt, niſi iuſtitia tua eſſet ſicut montes Dei, quis ſtare poſſet ante iudicia tua, quæ ſunt ſicut abyſſus multa? Inter illorum dicta illud quoque refertur de quodam Rabbi Ioanne filio Nouri, quòd cùm videret mergum, ſolebat dicere: Iudicia tua abyſſus multa: cùm verò formicam exclamabat, iudicia tua ſicut montes Dei.

V. 7. *Quàm pretioſa*, eſt, *miſericordia tua*, *Deus*. Illa, inquit, benignitas tua, quam æqualiter aliquando in bonos & malos effundis, ad præſens tantummodo ſæculum pertinet: At beneficentia quam in futuro ſæculo exhibebis, ad ſolos probos ſpectat, improbi verò nullo modo eius erunt participes. Et ea quidem miſericordia pretioſa eſt, longéque excellentior miſericordia huius ſæculi, quia eſt bonum bonorum tuorum, & illa miſericordia eſt bonum ſtabile & æternum; at miſericordia vitæ præſentis, tranſiens. Dictio illa מה *ma* quàm, emphaſim habet & amplificationem denotat, ſicut in iſto loco:
Pſal. 31. *Quàm multa bonitas tua quam abſcondiſti timentibus te*. Et de miſericordia qui-
20. dem ad hoc ſæculum pertinente dixit, vſque ad cœlos miſericordia tua, ſed miſericordiæ alterius ſæculi, nulla eſt menſura, quemadmodum alius Prophe-
Eſa. 64. ta dixit: *Oculus non vidit Deus*, *abſque te*, &c. *Filij autem hominum in vm-*
4. *bra alarum tuarum ſe recipient*. Nempe in futuro ſæculo, & illi quidem qui ſe verè hominum filios præbent, non verò ij qui vt bruta animantia ſeſe gerunt ſicut ſupra dictum fuit. His enim aliquando bona aliqua in hoc mundo contingent, at non in futuro; quapropter Deum hoc loco expreſſit nomine אלהים *elohim*, quod iudicem ſignificat, quoniam ibi continget vnicuique ſicut Diuino iudicio decretum fuerit.

V. 8. *Inebriabuntur pinguedine domus tuæ*. Hæc omnia de venturo ſæculo debent intelligi, de mundo ſcilicet Animarum & Angelorum quique eſt domus Dei, ſicut alibi appellatur, vt, & templum Domini, mons ſanctitatis eius, mons Domini, amœnitas Domini, ſicut explicuimus ſuis locis. Per illas autem voces, pinguedinem & voluptatem, fruitio cognitionis Dei benedicti indicatur, quæ bonum eſt quod nullum ſequetur malum, & ſatietas quam nulla ſequetur fames aut ſitis. Vtitur porro voce, *torrentis*, quoniam ibi deliciæ copioſiſſimæ erunt, ſicut aquæ torrentis. Quòd verò dicat, *potabis eos*, ſenſus eſt, adjuuabis eos ad tui cognitionem.

V. 9. *Quoniam apud te*, eſt, *fons vitæ*. Sicut aquæ fontis perennes & indeficientes ſunt, at verò deficiunt aquæ varijs in locis collectæ, ita futuri ſæculi vita nunquam ceſſabit, ſed eſt vita quam nulla ſubſequetur mors, lumen eſt poſt quod nullæ futuræ ſunt tenebræ: & hoc eſt quod his verbis indicatur: *In lumine tuo videbimus lumen*.

V. 10. *Protende miſericordiam tuam*. Protenſio, hoc loco, inclinationem
Ier. 31. ſignificat, vt & in iſto: *Protraxi ad te miſericordiam*; quod eumdem habet ſen-
26. ſum ac iſta verba, Et inclinauit ad eum miſericordiam. Dixit igitur, inclina
Gen. miſericordiam ad illos qui te cognoſcunt in hac vita, vt ita ſapientiæ & man-
39. 21. datorum obſeruationi vacare poſſint, vt nullis mundi huius negotijs ab ea exercitatione impediantur: vel etiam hic verſus de vita futuri ſæculi poteſt intelligi. Per illa autem verba: *Scientibus te*, illi denotantur qui ſtudium & operam

ſuam impendunt legi & præceptis, nec-non ſcientiæ diuinitatis Creatoris be- PSAL.
nedicti, quantùm eorum vires permittunt. Et per, *rectos corde*, deſignantur 36.
illi qui corde perfecto & ſimplici ambulant, & cum rectitudine in lege &
præceptis occupantur, ſed qui ad eam Diuinitatis ſcientiam minimè peruene-
runt, vt conditorem aliter quam per traditionem cognoſcant. Petit igitur à
Deo vt inclinet miſericordiam ſuam, quæ præcellentiſſimum eſt bonum, ijs
qui ipſum in altero ſæculo ſunt inſpecturi. Iuſtitia verò eius eſt bonum quo
ſunt digni ij qui recto ſunt corde.

V. 11. *Non veniat mihi.* Dictio תבואני *tenoeni* eſt pro תבוא לי *tauo li*, ſicut in præcedenti Pſalmo תבואהו *tenochou* eſt pro תבוא לו *tauo lo*. Petit autem Dauid vt non veniat contra ſe pes hoſtium qui cum ſuperbia ipſum aggredi & laceſſere ſolebant, & in bellis continuò diſtinere, adeòut non poſſet liberè cultui Diuino intendere. *Et manus peccatorum non moueat me*, ſcilicet è loco meo in quo ſolitarius & quietus dego ad viarum tuarum cognitioni incumbendum. Pedes autem & manus nominat quia pedibus hoſtes illum inuadebant & manibus contra ipſum præliabantur.

V. 12. *Ibi ceciderunt.* Eſt præteritum loco futuri vt fieri ſolet in ijs quæ per Prophetiam aut Spiritus Sancti afflatum prædicuntur. Eſt verò ſenſus, in loco ſuo corruent itaut non poſſint in noſtram regionem irrumpere nóſque bello impetere. *Impulſi ſunt & non potuerunt ſurgere*, tali impulſu & ruinâ concident vt non poſſint vnquam inde ſurgere: contra quàm de viro iuſto dicitur: *Septies cadet iuſtus & reſurget.* Eſtque dictio דחו *dohhou* breuis cum accentu remaa ſupra literam ח *hheth* & ex coniugatione pual affecta puncto dagueſch: Et eiuſdem eſt formæ cum iſta voce כלו *collou*, finitæ ſunt orationes Dauidis, niſi quod litera ח *hheth* non eſt affecta puncto dagueſ.

Prou. 24. 16. Pſal. 72

PSALMVS TRIGESIMVS SEPTIMVS.

1. NE contendas cum malignis, neque zelaueris facientes iniquitatem.

2. Quoniam tanquam gramen velociter ſuccidentur: & quemadmodum viror herbæ decident.

3. Spera in Domino & fac bonitatem: inhabita terram, & paſce fidem.

4. Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.

5. Volue ſuper Dominum viam tuam: & ſpera in eo, & ipſe faciet.

6. Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam: & iudicia tua tanquam meridiem.

7. Sile Domino, & expecta eum: ne irriteris ob eum qui pro-

PSAL. 37. ſperatur in via ſua, ob hominem facientem ſcelera.

8. Deſine ab ira, & derelinque furorem: ne te immiſceas, tantùm ad malè agendum.

9. Quoniam malè agentes excidentur: expectantes autem Dominum ipſi hereditabunt terram.

10. Et adhuc paululum & non, *erit*, peccator: & conſiderabis locum eius, & non ipſe.

11. Manſueti autem hereditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis.

12. Malignè cogitat improbus in iuſtum: & ſtridet contra eum dentibus ſuis.

13. Dominus autem irridet eum: quoniam proſpicit quod venit dies eius.

14. Gladium euaginauerunt improbi, & intenderunt arcum ſuum, vt dejiciant afflictum & inopem, & mactent rectos viâ.

15. Gladius eorum intrabit in cor eorum: & arcus eorùm confringentur.

16. Melius, *eſt*, modicum iuſto, præ diuitijs peccatorum multis.

17. Quoniam brachia peccatorum contererentur: ſuſtentat autem iuſtos Dominus.

18. Nouit Dominus dies innocentium: & hereditas eorum in æternum erit.

19. Non pudeficent in tempore malo: & in diebus famis ſaturabuntur.

20. Quia peccatores peribunt, & inimici Domini ſicut pretioſum agnorum deficient: in fumum deficient.

21. Mutuatur peccator & non ſoluit: iuſtus autem miſeretur & tribuit.

22. Quia benedicti eius hereditabunt terram: maledicti autem eius excidentur.

23. A Domino greſſus viri diriguntur: & viam eius vult.

24. Cùm ceciderit non projicietur: quia Dominus ſuſtentat manum eius.

25. Puer fui, etiam ſenui, & non vidi iuſtum derelictum: nec ſemen eius quærens panem.

26. Omni die miſeretur & commodat: & ſemen illius in benedictione erit.

27. Declina à malo & fac bonum & inhabita in ſæculum. Psal. 37.

28. Quia Dominus amat iudicium & non derelinquet ſanctos ſuos, in æternum conſeruabuntur: ſemen autem impiorum ſuccidetur.

29. Iuſti hereditabunt terram: & inhabitabunt in ſæculum ſuper eam.

30. Os iuſti proferet ſapientiam: & lingua eius loquetur iudicium.

31. Lex Dei eius in corde ipſius: non nutabunt greſſus eius.

32. Speculatur peccator iuſtum: & quærit morti tradere eum.

33. Dominus autem non derelinquet eum in manu eius: nec damnari ſinet, cùm iudicabitur ipſe.

34. Expecta Dominum & cuſtodi viam eius, & exaltabit te vt hereditate capias terram: cùm ſucciſi fuerint peccatores videbis.

35. Vidi impium fortem & diffundentem ſe inſtar lauri viridis.

36. Et tranſiuit, & ecce non ipſe, *erat*, & quæſiui eum & non eſt inuentus.

37. Obſerua innocentem & vide æquum: quia nouiſſimum homini, *tali*, pax.

38. Præuaricantes autem diſperduntur ſimul: nouiſſimum impiorum ſucciditur.

39. Salus autem iuſtorum à Domino: fortitudo eorum in tempore tribulationis.

40. Et adiuuit eos Dominus & liberauit eos; eruet eos à peccatoribus & ſaluabit eos: quia ſperauerunt in eo.

COMMENTARIVS.

V. 1. N*E contendas cum malignis.* Quoniam ſuperiùs cogitationes & opera improborum commemorauerat, monet hîc ne quis eorum fœlicitatem videns decipiatur, eóquòd non diu ſit permanſura. *Ne contendas*, hoc eſt, ne te immiſceas: dictio תתחר *tithhar*, eiuſdem eſt formæ ac תפעל *tiphaal*, radix eius eſt תחר *tahar* & eiuſdem ſignificationis ac vox תתחרה *tetahhare* in iſto loco: *Et quomodo inflammabis equos?* licet eiuſdem non ſit coniugationis. Ier. 12. 5. *Nec zelaueris facientes iniquitatem*, nempe cùm eos tranquillâ proſperitate fruentes aduerteris.

V. 2. *Quoniam tanquam gramen citò ſuccidentur.* Vox ימלו *immalon* idem ſignificat quod יכרתו *iccareton*, exſcindentur, eſtque coniugationis cal, à themathe נמל *namal* quod eſt verbum neutrum; ſic etiam hoc ſenſu dicitur: *Succidetur ramus eius.* Iob. 18. *Et quemadmodum olus herbæ decident*, hæ duæ voces ירק *ierec*

Psal. & דשא *deſche*, conjungi ſolent, vt ex illic: *Omne olus herbæ ad veſcendum*;
37. nec enim iumenta edunt radicem herbæ aut oleris, ſed illud tantùm quod ex
illa ſupra terram erumpit, quod eſt viride & tenerum ex radice enaſcens quódque
Gen. cito deſiccatur & [illegible]ceſcit, radix verò in terra remanet quæ rurſus po-
1. 11. ſtea pullulat [illegible] res quælibet velociter deficiens, germini iſtius & herbulæ
ſolet aſſimilari, nam radix ipſa, diu conſeruari poteſt.

V. 3. *Spera in Domino.* Senſus eſt ſic inuertendus, fac bonum, & ſpera, & paſce &c. Nam merces poſt opus bonum conſequitur. Et hi omnes verſus de bono opere explicari poſſunt. *Spera in Domino.* His verbis internus animi cultus exprimitur, quo homo ex toto corde ſuo ſperat in Deo, & agnoſcit omne auxilium & fœlicem rerum ſucceſſum ab illo contingere, non ſicut impij & operarij iniquitatis, qui in ſolis diuitijs ſuis & proprio robore confidunt vt in præcedenti Pſalmo iam dictum fuit. *Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Et fac bonum*, hic opera externa deſignantur. Nempe vt homo eleemoſynam largiatur & Diuina mandata obſeruet. *Inhabita terram & paſce.* Hoc eſt, in quocumque loco habitaueris, ibi paſce fidem & veram Religionem ac Dei cultum quam plurimos edoce ſicut Abraham præſtitit. Ita enim de ipſo dictum eſt
Gen. 13. *Et ibi inuocauit nomen Domini*, hoc eſt, multos viam Domini edocebat; qui
4. enim homines docet, illos paſcit, vt verbis iſtis indicatur: *Et paſcent vos*
Ier. 3. 15. *ſcientiâ & intelligentia.* Et hoc eſt præcipuum eorum quæ pertinent ad Dei cultum ore exhibendum, nam eorum quæ debet homo præſtare ſuo ore in Diuino cultu, quoad ſeipſum, puta vnitatis Dei profeſſionis, orationum & laudationum, horum, inquam, cor eſt radix & præcipuum organum: & licet homo iſta verbis non proferat, ſuo tamen officio & debito defungitur: At verò vt alios doceat, ad hoc aptus non eſt niſi per oris locutionem. Cæterùm
Gen. litera ו *vau* in ורעה *ourec*, eſt ſicut in iſta voce וישא *vaiſcha. Et leuauit*
22. 13. *Abraham oculos ſuos.*

V. 4. *Delecta te in Domino.* Si ea præſtiteris quæ tibi præſcripſi, in Deo delectaberis; ac ſi diceret, delectationis cauſam in eo inuenies in ijs omnibus quæ deſiderabis, quia ipſe: *Dabit tibi petitiones cordis tui.* Eſt autem vox התענג
Deut. *hitanag* delectare, imperatiuus loco futuri, ſicut illa, *Et morere in monte*, pro,
32. *Et morieris.* Et iſta, *Pone in petra nidum tuum*, pro, *Et pones.* Vel ſenſus eſt,
Num. delectaberis, quia gaudebis in exhibendo cultu tuo Diuino numini, & ex illo
24. multùm emolumenti capies, & Deus ipſe tua vota implebit.

V. 5. *Volue ſuper Dominum viam tuam.* Quidquid neceſſitatis patieris, projice & deuolue ſuper eum, & confide in ipſo non verò in vllo alio fiduciam colloces, ipſe enim faciet & perficiet omnia.

V. 6. *Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam.* Et faciet vt omnibus manifeſta ſit iuſtitia tua, non ſecus ac lumen toti mundo conſpicuum eſt. Imò inſtar meridianæ lucis quæ eſt clariſſima & fulgentiſſima, fiet omnibus hominibus euidentiſſimum te vitam ducere iuſtitiâ & iudicio, ſeu omni probitate directam.

1. Sam V. 7. *Sile Domino.* Hoc eſt, expecta Dominum, vt in iſto loco: *Expectate*
14. *donec pergamus ad vos.* Ita etiam vox ſequens התחולל *hithollel* expectationem
Iud. 3. ſignificat à themate חול *hhil* vt illo in loco: *Expectauerunt vſque dum erube-*
25.

cerent. Et, *Et expectauit adhuc ſeptem diebus.* Sunt tamen qui ſic exponant, PSAL.
dole ei ſicut parturiens, hoc eſt, grauiſſimos quoſque dolores & cruciatus pro- 37.
pter ipſum ſuſtine. *Ne irriteris.* Si irà accendaris eoquòd videas improbum ━.
in quem fœlici rerum ſucceſſu vti, ſua omnia conſilia exequi & cuncta illi pro Gen. 8.
animi ſententia contingere, noli cum illo habere commercium, & caue ne 10.
ei ſuper opera imiteris, ſed ſpera in Domino & ipſe te educet ex anguſtijs.

V. 8. *Deſine ab ira.* Caue ne contra Deum indigneris, ſi res tuæ non ſem-
per ex animi ſententia ſuccedant. Is enim mos eſt ſtulti vt dicitur: *Stultitia* Prou.
hominis peruertit viam eius, & contra Dominum indignatur cor eius. Quòd verò 19. 3.
addit: *Et derelinque furorem*, eandem rem alijs verbis repetit. Sapiens verò
Rabbi Salomo, filius Rabbi Gabirol verba iſta: *Deſine ab ira*, ſic exponit,
compeſce affectum iracundiæ. Illa autem: *Derelinque furorem*, pœnitentiâ
ducaris, eóquòd plaga iſta & affectus te ſuperauerit. *Ne te immiſceas tantùm*
ad malè agendum. Ne cum improbis commercium habeas, aut mala illorum
opera velis imitari vt bene etiam tibi contingat, ſicut illis. Proprium vocis
אך *ac* ſignificatum hoc eſt, quaſi diceret, age quod agere ſoles, & facito quod
dixi, at tantummodò ne praua opera æmuleris; ſic dicitur illud: *Tantummodò* Num.
nolite rebelles eſſe contra Dominum. 14. 9.

V. 9. *Quoniam malè agentes excidentur.* Ne te moueat improborum fœli-
citas, dum citò excidentur nec diu in ſuo fœlici ſtatu durabunt; at qui Deum
expectant firmiter poſt illos conſiſtent: *Ipſique hereditabunt terram*, quod
eodem ſenſu dicitur ac illud: *Præparabit quidem impius veſtimentum, ſed iuſtus* Iob. 27.
veſtietur, & argentum innocens diuidet. Porro in dictione קוי *quoue* litera ו *vau* 17.
mouetur ſeu legitur quæ eſt ſecunda thematis à radice קוה *quaua*, litera verò
י *iod* eſt nota pluralis numeri: at in iſto loco וקוי *vequoie*: *At expectantes Do-* Eſa. 40.
minum mutabunt fortitudinem, litera י *iod* legitur, quia eſt loco ſecundæ radi- 31.
calis & ו *vau* eſt tantùm ad protractionem, ſicut ו *vau* dictionis שומרי *ſchomere*:
litera verò י *iod* pluralis numeri nota, ex ſcriptura excidit.

V. 10. *Et adhuc paululum.* Expecta pauliſper & non videbis amplius im-
probum: *Et conſiderabis locum eius, & non ipſe*, hoc eſt, cùm etiam cu-
rioſe aduerteris num radix aliqua aut ſtirps ex ipſo ſuperſit, nihil prorſus ex illo
reliquum inuenies, quia prorſus euanuit.

V. 11. *Manſueti autem.* Qui in depreſſione iacuerunt coram improbis, cùm
ipſi perierint impij, hereditabunt terram. *Et delectabuntur in multitudine pa-*
cis. Nam improbis è medio ſublatis, pace & lætitiâ mundus fruitur; iuxta il-
lud: *Et in perditione impiorum erit exultatio.* Prou. 11.

V. 12. *Malignè cogitat.* Aſſiduè machinatur improbus quâ tandem ratio- 10.
ne multis malis poſſit iuſtum afficere, cùmque ſe id efficere poſſe aduerterit:
Stridet contra eum dentibus ſuis, ac ſi diceret, quando illi dicere poteſt, iam
tandem te inueni in mea poteſtate.

V. 13. *Dominus autem irridet eum.* Ipſe enim nouit quidnam ſit ei euenturum.
Quia proſpicit quod venit dies eius, dum impius contra iuſtum inſoleſcit, tum
eueniet ipſi interitus eius, & debita illi punitio.

V. 14. *Gladium euaginauerunt improbi.* Sunt qui vocem פתחו *patehhou*, Ezec.
interpretentur ex ſignificatione expoliendi & acuendi, ſicut & illud: *Mucro* 21. 28.

Psal. *mucro* פתחוה *petouhha exacute* : vt etiam iſtud , *Et ipſa* , nimirum verba *Sunt*
37. *gladij acuti*. Sed rectius eſſe videtur explicare illam vocem ex ſignificatu edu-
ctionis gladij e vagina ſua , hæc enim apertio vocatur non ſecus ac eductio vin-
Pſal. cti ex carcere appellatur etiam apertio , ut ; Et vinctis ſuis non aperuit carce-
55. rem. Et, Claudit virum , & non aperietur ei. Gladius autem illorum alio eſt
Eſa. 14. conuerſus quàm cogitarent , quemadmodum alibi ſimiliter de impio dictum
17
Iob. 12. eſt : *Incidit in foueam quam fecit.*

Pſal. V. 15. *Et arcus eorum confringentur.* Itaut ipſis non contingat iuxta prauas
7. 16. illorum machinationes quibus miſeris & rectis hominibus mala inferre con-
ſtituerant.

V. 16. *Melius eſt modicum iuſto.* Quoniam iuſtus & ſi parum admodum re-
rum huius mundi poſſideat , earum tamen fruitione lætatur , illiſque eſt con-
tentus , at improbi nihil gaudij ex magna diuitiarum ſuarum copiâ percipiunt ,
imò plures ſemper appetunt , nec impletur illorum habendi cupiditas , ſicut di-
Prou. 13 citur : *Iuſtus comedit ad ſaturitatem animæ ſuæ , venter autem impiorum indiget.*
25. Adde quòd magna opum affluentia , non raro improbis eſt cauſa excidij , ob eas
enim vt plurimùm ita extolluntur & ſuperbiunt ſuper cæteros homines , vt
ipſi in eos concitati inſurgant eiſque necem inferant , ac omnia illorum diri-
piant. Dictio autem המון *hamon* idem quod ממון *mamon* ſignificat nempe
Eccl. 5 diuitias ſicut in iſto loco : *Qui diligit diuitias.* Aut ſignificabit illa vox multi-
9. tudinem , & apponetur ei quod prius dictum eſt : *Melius eſt modicum* : ſecun-
dùm illam expoſitionem , dictio רבים *rabbim* ſignificabit , magnas : quem
Ier. 41. etiam ſignificatum habet in illo loco. *Et Principes ſeu optimates Regis* , hoc eſt,
Magnates , magni apud Regem ; Sed iuxta priorem ſenſum vox רבים *rabbim*
referetur ad diuitias ante memoratas , etſi nomine ſingularis numeri expri-
Eſter. 9. mantur , multa enim ſimilia occurrunt , vt illud : *Et recepit Iudæi.* Et , *iuſti*
27.
Prou. *tanquam leo confidet* ; & alia præter iſta : & ſenſus erit ſuper diuitias multas.
28. 1. V. 17. *Quoniam brachia peccatorum conterentur.* Nempe vt illis non adſit po-
tentia , qua iuſtos inique opprimant ; ipſos enim ſuſtentat ac roborat ne præ
improborum pauore concidant.

V. 18. *Nouit Dominus dies innocentium.* Hoc eſt agnoſcit & ſingulari pro-
uidentia procurat , vt longum vitæ curſum det ipſis , & eis in bonum proſpicit.
Pſal. 1. Ita dicitur : *Nouit Dominus viam iuſtorum* , ſicut ibi expoſuimus. Eodem quo-
6
Pſal. que ſenſu dicitur : *Quis eſt homo quod noueris illum* ? Et , *Agnouiſti in anguſtijs*
144. *animam meam* , &c his ſimilia , quæ expoſuimus de cura Dei & eius fauore er-
ga iuſtos , quorum bona ſimiliter non deficient ſed in æternum permanebunt,
quod verbis illis indicatur : *Et hereditas eorum in æternum erit* , nempe in altero
ſæculo. Dominus pater meus F. M. totum verſum de futuro ſæculo interpre-
tatur. At ſapiens Rabbi Abraham F. E. de præſenti vita. Et illa verba . *Et*
hereditas illorum in æternum erit , ita exponit , quoniam bona ſua filijs ſuis trans-
mittent.

V. 19. *Non pudefient in tempore malo.* Famis ſcilicet aut belli , vel ferâ ali-
quâ ſæuiente. Dictio רעבון *raabon* eiuſdem eſt formæ , ac פרזון *perazon* &
Gen. conſtruitur cum alia voce , vt : *Fractionem famis domorum veſtrarum.*
42. 33. V. 20. *Quia peccatores peribunt.* Ideóque pudore non ſuffundentur innocen-
tes.

Sicut pretioſum agnorum conſumentur. Dictione iſtâ יקר *icear* deſignatur id quod eſt in agnis optimum, nempe adeps, qui in medio altaris impoſitus igne abſumitur, atque in fumum euaneſcit; pari modo hoſtes Dei penitus conſumentur. Et repetitio vocis כלו *calou*, conſumentur, maximam indicat conſumptionem: & primoquidem loco accentum habet in vltima ſyllaba, in ſecundo in penultima ſub finem verſus. PSAL. 37.

V. 21. *Mutuatur peccator & non ſoluit.* Aliquos hîc prauos improbi mores enarrat, quòd ſcilicet cùm aliquid mutuò acceperit, illud non reddat; fruſtra igitur diceretur illum aliquid ex ſuo elargiri. At de iuſto contrarium aſſerit, nempe quòd liberaliter alijs det, & ex ſuis opibus impertiatur, ideóque non eſt neceſſe dicere ipſum reddere quod mutuò accepit. Porro duplici verbo donum iuſti commendat ad illud amplificandum, & oſtendendum multa ſubinde beneficia illum conferre & ſæpenumero. Vel dictio חונן *honen* miſericordem ſignificabit, ac ſenſus erit, duas illas bonas dotes, nempe miſericordiam & liberalitatem in homine iuſto reperiri.

V. 22. *Quia benedicti eius hæreditabunt.* Nempe Dei extollendi ſecundùm id quod ſuperiùs dixerat *Nouit Dominus dies innocentium*, iam dicit eos qui ab ipſo ſunt benedicti, nempe iuſtos, terram hæreditate poſſeſſuros; quia enim ipſi alijs miſerentur & donis afficiunt, bonoque ſunt oculo ſeu non inuidi & auari, Deus ipſis opes, & gloriam abundantiùs impertietur eiſque benedicet. *Hæreditabunt terram.* Perinde ac ſi diceret ſtabilem fore illorum fœlicitatem inſtar illius hæreditatis quæ à parentibus contingit liberis & nepotibus. *Maledicti autem eius*, nempe impij, quorum oculus parcus eſt & auarus, qui etiam quod ab alijs mutuò acceperunt, non reſtituunt. *Excidentur*, nec illorum diuitiæ diu in ipſorum poteſtate permanebunt, quoniam à Deo ſunt maledicti, & opes ipſorum & bona peribunt, ipſi à Deo excidentur, tum ab hoc ſæculo cùm à futuro.

V. 23. *A Domino greſſus viri.* Iuſti ſcilicet qui bonis operibus ſuis & virtutibus improbum ſuperauit, greſſus eius diſponentur, & viæ eius, & agendi ratio gratæ habebuntur: quo ſenſu dicitur etiam illud: *Et omnia quęcumque faciet proſperabit?* Senſus verò iſtius vocis, *vult*, eſt quod Deus benedictus ſuâ prouidentiâ & beneuolentiâ vias eius dirigat, ſuóque fauore proſperum ſemper habere ſucceſſum efficiat. Per greſſus & viam indicatur Deum proſperare quidquid vir iuſtus conſilij & negotij aggrediatur. Sapiens autem Rabbi Salomo filius Gabirol per greſſus viri, vias Diuini cultus intelligendas exiſtimat. Addit-que neminem debere ſuſpicari per illa verba: *A Domino greſſus viri diriguntur*, ſignificari coactionem in cultu Dei benedicti, ſed ipſum exhiberi ab homine propter bonum ipſi ignotum & abſconditum, vel propter malum quod retribuitur in punitionem ſcelerum, nihilque aliud per verba prædicta: *A Deo greſſus hominis diriguntur*, indicari, quàm Deum creaſſe animam hominis perfectam & nullo defectu laborantem. Cùmque, ait, homo ad excellentiſſimas dignitates & ad verum bonum contendit, quod voce iſtâ, *diriguntur*, exprimitur, tum conditoris voluntati eſt acceptus: ac iſtud eſt quod dicit: *Et viam eius vult.* Pſal. 1. 3.

V. 24. *Cùm ceciderit.* Si quid infortunij euenerit iuſto, imò ſi ex opum ſua-

Psal. rum poſſeſſiône exciderit, non propterea omnino euertetur; ac ſi diceret,
37. non proſternetur in terram. *Quia Dominus ſuſtentat manu ſua.* Et quòd aduer-
—— ſi aliquid in illum immittat, fit id per modum caſtigationis & amoris ſicut di-
Prou. citur: *Quem diligit Deus caſtigat, & quaſi pater filium quem amat.* Illúdque
3. 12. eſt diſcriminis iuſtum inter & improbum, quòd cùm impius ceciderit, pror-
Prou. ſus elidatur nec à ſua ruina poſſit reſurgere, at de iuſto dictum eſt: *Septies cadet*
24. *iuſtus & reſurget.*

V. 25. *Puer fui.* Perinde ac ſi diceret, neque in iuuentute mea, neque in ſenectute memini me vidiſſe iuſtum omni ope deſtitutum, nec ſemen eius coactum oſtiatim quærere panem. *Et ſemen eius*, hoc eſt, & liberos quos poſt ſe relinquit, non eos deſerit Deus benedictus, propter illius meritum, etiam ſi permittat ipſum graui laborare aliquando inopiâ, non ſecus ac improbum. Per derelictum is denotatur, qui prorſus deſtituitur rebus ad victum & veſti-
Gen. tum neceſſarijs. Et ita Iacob pater noſter petiuit: *Si dederit mihi Dominus pa-*
28. 6. *nem ad veſcendum, & veſtem ad induendum*, quaſi diceret, illud tantùm quod
Ibid. ad vitam conſeruandam mihi neceſſarium eſt. Cui reſpondit Deus, non te de-
27. relinquam. Ex quibus apparet illum derelictum appellari, qui rerum iſtarum penuriam patitur.

V. 26. *Omni die miſeretur.* Hoc eſt, ſingulis diebus: quo ſenſu illud dici-
Pſal. tur: *Te expectaui tota die*, perinde ac ſi diceret, etiam afflictationis meæ tem-
25. pore. *Ipſe miſeretur & commodat.* Nempe quantùm facultates eius patiuntur. *Et ſemen eius*, ſic etiam fit vt filij eius ediſcant ac imitentur mores ipſius, vnde continuis benedictionibus afficientur, quia & ipſi ſuarum facultatum alios participes efficiunt, eorúmque miſerentur qui laborant inopiâ: túncque illud quod dicitur, in illis implebitur, benedictio quam alijs impertieris erit ex tuis benedictionibus. Vel ſenſus eſt, ipſis benedicent homines, illíſque viſis ita bene precabuntur, iſti ſunt poſteri iuſti illius, his Deus benedictus ob patris eorum merita benedicat.

V. 27. *Declina à malo.* Repetit exhortationes ſuas ſicut iam initio Pſalmi inceperat cùm dixit, ne irriteris, ac ita monet, attentè animo & oculis conſidera viam iuſtorum & improborum, quòd nempe Deus illis ſecundùm ipſorum opera rependat, & vide iuſtorum exitum ſemper eſſe fœlicem, malorum autem infauſtum; & eapropter iuſtorum veſtigijs inſiſte, & declina à malo & fac bonum, hæc eſt enim illorum via. *Et inhabita in ſeculum.* Cùmque id præſtiteris, habitabis in ſæculum, ac ſi diceret, ſecurus & tranquillus viues; vel tutus & nullius rei defectum patiens: qui enim malis affligatur, nunquam tranquillus in vno loco conſiſtere & quiete permanere poteſt, ſed huc & illuc diuagari cogitur. Porro illa verba: *Declina à malo*, ſummatim præcepta omnia negatiua complectuntur, iſta verò: *Et fac bonum*, omnia affirmatiua. Nam licèt aliquis à malo declinet, non tamen perfectus erit niſi etiam bonum operetur, vt diſſeruimus ad illa verba Pſalmi primi: *Sed in lege Domini voluntas*
Deut. *eius.* Cæterùm illud: *Et inhabita*, eſt pro, inhabitabis, vt: *Aſcende in mon-*
32. *tem* & morere, pro, & morieris.

V. 28. *Quia Dominus amat iudicium.* Per iudicium opus rectum intelligitur, & quiſquis opera ſua iudicio & rectitudini conſentanea reddit à Deo non

deſeretur, hoc eſt ſingularis Dei protectio ab eo non recedet, ſed continuò ipſi PSAL.
adhærens tranquillum conſeruabit. Non ſic autem impij ſoboli contiget, 37.
quia ipſe vbi dies eius aduenerit, prorſus exſcindetur, vtitur verò hac voce, ſeminis, quoniam impijs exciſis, ſimul cum ipſis illorum progenies extinguetur. Quòd autem dicat: *Sanctos*, ſeu *pios ſuos*, poſtquam præmiſit iudicium, ratio eſt, quia miſericordia ſeu pietas maior eſt æquitate quæ res eſt intra menſuram iudicij, cùm enim quis ſe ſe aſſuefecerit exercendis operibus rectitudinis & iudicij, tum non declinabit à linea & norma veritatis, ac omnino virtutem pietatis aſſequetur quæ hominem inducit, vt illi etiam bona tribuat, cui non eſt obſtrictus.

V. 29. *Iuſti hereditabunt terram.* Intellige vt ſuprà expoſuimus. *Et inhabitabunt in ſæculum ſuper eam.* Idem repetit ad magis aſſerendum fore vt iuſtorum fœlicitas & dignitas ſtabilis ſit & permanens.

V. 30. *Os iuſti.* Præterquam quòd iuſtus ſupradicta præſtat, nempe de ſuo gratis elargitur & alijs mutuò dat, quia oculus eius bonus eſt, ſeu quia eſt liberalis, ſuam quoque ſapientiam alios edocet, eóſque ad rectam viuendi rationem informat. *Et lingua eius loquetur iudicium.* Scientiam ſuam alios docet, & quod in artibus & ſcientijs eſt aſſecutus illis impertitur: docet etiam quæ ſint opera recta, quæ vnuſquiſque erga proximum ſuum exercere tenetur.

V. 31. *Lex Dei eius.* Idem prorſus quod alios verbis edocet, in animo ſuo ſentit, ſicque legem in corde ſuo habet inſcriptam, & talis eſt interiùs qualem ſe exteriùs exhibet. *Non nutabit greſſus eius*, hoc eſt, ne vnus quidem greſſuum eius.

V. 32. *Speculatur peccator iuſtum.* Senſus eſt, obſeruat pedes eius; ſi aduertat improbus iuſtum proſperè res ſuas agentem, ipſi mox inuidet, & à ſe ipſo decidens, ſtudioſè explorat num aliqua ſibi detur occaſio quâ illi apud Principem, calumniam paret, vt ipſum morti addicat; nimirum quia zelo inuidiæ aduersùs eum accenſus eſt videns ipſum bonâ vti fortunâ, ſe verò aduersâ.

V. 33. *Dominus autem non derelinquit eum in manu eius.* Quando improbus coram Principe malum iuſto machinatur, Dominus ipſum non deſerit in manu eius & prauis conſilijs, nec ſinit ipſum condemnari cum eius cauſa diſcutitur apud Principem, ob quam ab improbo fuerat delatus; imò efficit vt innocens & iuſtus ab eo diſcedat, ſintque irrita improbi contra ipſum conſilia.

V. 34. *Expecta Dominum*, &c. Suam iterum admonitionem vrget, ſi, inquit, confidas in Deo & viam eius obſerues, itaut non declines ab illo eorum quæ tibi præcepit, tandem ipſe: *Exaltabit te vt terram hereditate poſſideas, & videas improborum excidium*, eorum enim proſperitas nulla firmitate ſtabilita eſt.

V. 35. *Vidi impium*, &c. Ego enim ipſe id ſum intuitus, quare fidem dictis meis adhibeas, quoniam ego vidi impium robuſtum ac prævalidum, & maiora ſubinde proſperitatis incrementa recipientem, hoc eſt quod iſtis verbis indicatur: *Et expandentem ſe inſtar lauri*, vel arboris viridis, hoc eſt vireſcentem, ſicut arbor quæ eſt viridis & ſucciſa: hoc porro nomine אזרח *eſrahh* arbor viridis appellatur, quòd ob ipſius pulchritudinem & viriditatem ſit omnibus

conſpicua & manifeſta, ſicut eodem nomine inſignitur homo indigena, cò-
PSAL. quòd omnibus ſit notus & manifeſtus quis ſit, & quæ eius familia, cui opponi-
37. tur aduena ſeu peregrinus.

V. 36. *Et tranſiuit, & ecce non ipſe.* Vidi quidem ipſum impium florentem & præualidum: ſed paruo temporis interiecto ſpatio, in illum oculos conjicere volui, & ecce defecerat. *Et quæſiui eum & non eſt inuentus.* Imò ne locus quidem eius repertus eſt: quantò magis ipſe cum ſua prole penitus euanuit?

V. 37. *Obſerua innocentem & vide æquum.* Non ita contigit homini perfecto & recto, imò nouiſſimum eius eſt pax. Et dictio hæc לאיש *leiſch* hunc habet ſenſum, & hominem huic ſimilem conſidera, & videbis nouiſſimum illorum eſſe pacificum.

V. 38. *Præuaricantes autem.* At verò qui præuaricatores & impij fuerint, omnes ad vnum diſperdentur, & è medio tolletur eorum poſteritas.

V. 39. *Salus autem.* At iuſtorum ſalus eſt à Domino, quique eſt robur illorum tempore calamitatis, ideóque non corruent in perpetuum.

V. 40. *Et adiuuat eos Dominus.* Ipſis auxilio eſt contra improbos: *Et liberat eos & ſaluat eos, quia ſperauerunt in eo.* Vtitur repetitione eiuſdem ad denotandam maioris auxilij & ſalutis copiam; hanc porro ſententiam in hoc Pſalmo multoties repetijt Dauid, nempe quòd ſciret nouiſſimum improborum futurum malum, & non fore ſtabilem illorum fœlicitatem; at è contra iuſtorum finem, beatum fore. Nimirum vt impiorum fœlicitas non ſeducat homines, quorum plerique non rarò improborum proſperitatem appetunt, eorùmque facta æmulantur, eapropter ita ſuas exhortationes inculcat.

PSALMVS TRIGESIMVS OCTAVVS.

Pſalmus Dauid ad commemorandum.

1. Domine ne in ira tua arguas me: neque in furore tuo corripias me.

2. Quoniam ſagittæ tuæ defixæ ſunt in me: & deſcendit ſuper me manus tua.

3. Non, *eſt*, integritas in carne mea à facie iræ tuæ: non, *eſt*, pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

4. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: ſicut onus graue grauatæ ſuper me.

5. Putruerunt, contabuerunt liuores mei, à facie inſipientiæ meæ.

6. Diſtortus factus ſum, incuruatus ſum vehementiſſimè: omni die pullatus incedo.

7. Quoniam ilia mea impleta ſunt ignominiâ: & non, *eſt*, integritas in carne mea. PSAL. 38.

8. Debilitatus ſum & attritus ſum vehementiſſimè: rugij præ fremitu cordis mei.

9. Domine ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

10. Cor meum palpitat, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, etiam ipſi non, *ſunt*, mecum.

11. Amici mei & proximi mei ex aduerſo plagæ meæ ſtant: & propinqui mei de longè ſtant.

12. Et laqueos tendunt qui quærunt animam meam, & qui quærunt animam meam loquuntur ærumnas: & dolos omni die meditantur.

13. Ego autem tanquam ſurdus non audio: &, *ſum*, ſicut ſurdus non aperiens os ſuum.

14. Et fui ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

15. Quoniam te, Domine, expectaui: tu exaudies me, Domine, Deus meus.

16. quia dixi, ne forte lætentur de me, *qui*, dum vacillat pes meus, aduersùm me magna locuti ſunt.

17. Quoniam ego ad claudicationem paratus, *ſum*: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

18. Quoniam iniquitatem meam annuncio: ſollicitus ſum de peccato meo.

19. Inimici autem mei viuentes roborantur: & multiplicantur qui oderunt me immeritò.

20. Et qui retribunt malum pro bono, aduerſantur mihi: quoniam ſequor bonum.

21. Ne derelinquas me, Domine: Deus meus ne elongeris à me.

22. Feſtina in adiutorium meum, Domine, ſalus mea.

COMMENTARIVS.

P*Salmus Dauidis*; *ad commemorandum.* Dictio לְהַזְכִּיר *lehazchir* aliquam fortaſſe muſicarum modulationum ſpeciem denotat, vt ſuper Pſalmum quartum ſcripſimus. Sunt tamen qui eam ſic interpretentur, ad confitendum, ſicut illud: *Mementote, quoniam excelſum eſt nomen eius.* Sed iuxta ſententiam Eſa. 12.

Psal. meam Dauid hunc Pſalmum edidit vt illo ad orandum vteretur quiſquis aut
38. morbis eſſet attritus, aut animi anxietate oppreſſus: ſenſus ergo eſt, ad commonefaciendum & docendum omnem hominem afflictum & contritum, vt Deum cum illo Pſalmo precetur.

V. 1. *Domine ne in ira tua.* Litera ק *coph* vocis קצפך *quetſpeea* eſt affecta vocali ſegol, vt א *aleph* dictionis אשתך *eſchteca* in iſto loco, vxor tua ſicut
Pſal. vitis fructificans. *Et in furore tuo*, hoc eſt, & ne in furore tuo: particula
128. 3. enim אל *al* ne, quæ in prima parte verſus poſita eſt, fungitur munere duarum.
Pſal. 9. Quod etiam reperitur in iſto loco: *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis,*
19. *patientia afflictorum*, non, *peribit in finem.*

V. 2. *Quoniam ſagittæ tuæ.* Hoc eſt morbi, qui inſtar ſagittarum ſunt. *Defixæ ſunt in me*, vox נחתו *nihhatou* eſt conjugationis niphal, cuius perfecta forma eſſet ננחתו *ninnhhatou*, & niſi litera ח *hheth* eſſet gutturalis, afficeretur puncto dagueſch ſicut iſtæ voces נצבו *nittſeuon*, נגשו *niggeſchon*. *Et deſcendit ſuper me.* Dictio תנחת *tinhhat* ſpectat ad conjugationem cal; & vox vtraque deſcenſum ſignificat, vnde Chaldaica Paraphraſis vocem וירד *vaiired*, *& deſcendit Abraham in Ægyptum*, vertit per vocem ונחת *vnhhat*.
Gen. 12. *Manus tua*, hoc eſt plaga tua, quia enim plaga manu infligitur, idcirco nomi-
2. ne manus, ipſa plaga deſignatur.

V. 3. *Non eſt integritas.* Hoc eſt perfectio, ſanitas. Indicare vult carnem ſuam omnino fuiſſe ſauciatam, & vulneribus afflictam: Litera autem מ *mem* vocis מתום *metom* priori loco eſt ſeruilis, & radix ipſa, eſt תמם *tamam*. Scribit tamen Dominus Pater meus F. M. [illegible] iſtud מ *mem* eſſe radicale, & à nomine מתים *metim*, quod ſignificat homines quaſi à themate מתה *mata*; & cuius forma perfecta eſſet מתיום *methiom* inſtar שלשום *ſchilſchom* & פתאם *pithom*, ac iſtum eſſe ſenſum non reſtare in ipſo humanam formam propter plagarum multitudinem. *Non*, eſt, *pax oſſibus meis.* Ipſa etiam oſſa mea, quæ ſunt partes duriſſimæ corporis, non tamen ſunt ſana & integra, ſed ſuos habent cruciatus. *A facie iræ tuæ*, ſenſus eſt, propter peccatum meum, non enim ſine cauſa contra me iratus fuiſti, ſed propter peccata mea; homo ſiquidem Diuinum iudicium ſemper iuſtum agnoſcere debet ſiue ſua cognoſcat peccata, ſiue non.

V. 4. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* Comparat ſua peccata cum aquis profundiſſimis quæ ſuperant caput illius qui in ipſis demerſus eſt. Illa etiam dicit eſſe ſimilia grauiſſimo oneri, eóquòd ipſa portare nequeat. *Super me*, ac ſi diceret, non eſt in me ſatis roboris ad illorum molem ſuſtinendam: hâc autem allegoriâ vult ſignificare non tot in ſe bona opera eſſe, vt peccatis poſſint præponderare.

V. 5. *Putruerunt.* Dictio quidem הבאיש *hiniſchon*, pertinet ad conjugationem hiphil, habet tamen ſignificationem intraſitiuam; ſic etiam illo in lo-
Exo. 16. co: *Et non computruit*, manna. Sunt verò חבורות *hhauourot*, tumores qui
24. fiunt in carne, quique concretâ ſanie ſunt oppleti: ſic etiam plaga, in qua ſanguis colligitur חבורה *hhaucura* nuncupatur, hoc eſt, vibex ſeu liuor. Contabeſcunt autem iſti liuores, quia poſtquam multus humor diu in illis fuit, cutis tabeſcit & diſſoluitur, donec exeat ſanies & fœteat. Et hoc totum mihi,

inquit, contigit propter inſipientiam meam, nimirum quoniam Dei viam PSAL.
non cuſtodiui. 38.

V. 6. *Diſtortus factus ſum, incuruatus ſum.* Propter vim morborum corpus
incuruatur, & homo depreſſo corpore incedit, facieſque eius obſcura & mœrore ſubnigra efficitur. *Tota die*, ſenſus eſt, ne per vnam quidem diei horam quieſcere poſſum, ſed per totum diei ſpatium doloribus & cruciatibus torqueor. Porro verbum הלכתי *hillacti* incedo eſt intranſitiuum hoc loco, licèt ſit ex conjugatione affecta puncto daguesch, & actionis frequentiam tantùm denotat.

V. 7. *Quoniam ilia mea impleta ſunt.* Sita ſunt ilia ſub lumbis ſupra femorum radices, ac renibus ſunt conjuncta, variiſque doloribus & morbis obnoxia. Dictio autem נקלה *nicle* plagam ſeu vlcus vile & contemptibile ſigni-
ficat, & caret nomine ſubſtantiuo denominante, ſicut illud: *Quoniam deſide-* Dan. 9.
rabilium tu es. Et illud: *Grex tonſarum*; & his ſimilia. Dominus verò pater 23.
meus P. M. exiſtimat vocem illam נקלה *nicle*, eſſe nomen ſubſtantiuum, & Cant.
habere ſignificationem iſti loco ſimilem: *Toſtas igni*, hoc eſt, ſignificare ardo- 42.
rem, & Dauidem ita loqui propter nimiam morbi vel vlceris inflammatio- Leu. 2.
nem; quo etiam modo Iob loquebatur: *Et dolore exæſtuo.* Ac idem iterum re- 14.
petit: *Non eſt integritas in carne mea.* Is enim eſt mos eorum qui flent ac ge- Iob. 6.
munt vt verba ſua repetant. 4.

V. 8. *Debilitatus ſum & attritus.* Deliquium, & virium debilitationem
indicat quammaximam: ſic etiam dicitur: *Defecit animus eius.* Et, *Propterea* Gen.
debilitatur lex. Et: *Ne des intermiſſionem tibi.* *Rugii præ fremitu cordis mei.* 45. 26.
Rugij voce mea, & clamaui propter multitudinem gemituum cordis mei: Aba. 1.
gemit enim cor meum propter morbum, & propter anguſtias quibus vndi- 4.
que premor. Thren.
2. 18.

V. 9. *Domine coram te.* Non te latet deſiderium meum quo ego, ex morbo meo conualeſcere cupio. Et quia ſuperiùs dixerat, gemui, iam deſiderium ſuum, quod locum habet in corde, hic expromit ſiue rugiam, ſiue à rugitu abſtineam, tu noſti cordis mei deſiderium & ipſum eſt coram te. *Et gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Quo nempe in medio mei gemo propter languores meos. Sapiens autem Magiſter Abraham filius Eſræ; ſic exponit, coram te ſolo eſt omne deſiderium meum, ſi fortè ex morbo meo conualeſcam, non verò coram medicis.

V. 10. *Cor meum circumagitatur.* Quoniam firmum non habeo ſtatum; qui enim tranquillo rerum ſtatu fruitur, quietâ eſt mente & pacato corde, at qui multis anguſtijs afficitur, ipſius cogitationes huc & illuc diuagantur & circumeunt. Dictio סחרחר *ſebarhar* motum in gyrum ſignificat; & vox Hebræa circum, per סחור *ſehbor* Chaldaicè exponitur; & in ea voce ſecunda & tertia radicalis litera repetuntur. *Dereliquit me virtus mea*, eius etenim qui ægrotat, & graues anguſtias patitur, membra & totum corpus debilitari ſolent, imò ipſum etiam oculorum lumen non mediocriter infirmatur. Quod verò dicat: *Etiam ipſi non mecum*, ſunt, & non, etiam ipſum, fit hoc ex lin-
guæ Hebraicæ conſuetudine, quæ in multis locis apparet, vt: *Arcus fortium* 1. Sam.
confracti ſunt, pro confractus eſt. Et, *vox ducum ſupprimebantur.* Et alia his 2. 4.

PSAL. 38. ſimilia. Eſt autem ſenſus, ipſi etiam oculi mei patiuntur defectum ſui luminis, quod non eſt ampliùs mecum.

V. 11. *Amici mei & proximi mei.* Sæpius quidem contingit vt homines grauibus affecti morbis negligantur & quaſi obliuioni dentur ab amicis & conſanguineis, non enim valent illorum calamitates & miſerias coram intueri, & ipſorum animus longè ab ipſis auertitur, ſicut dicitur iſto in loco: *Omnes fratres pauperis oderunt eum:* quantò magis amici eius elongabunt ſe ab eo? *E regione plagæ meæ ſtant.* Quoniam non me viſitant, viſitatio enim animum ægroti roborat. *Et propinqui mei à longè ſtant.* Idem enuntiat alijs verbis, hîc enim per propinquos, eos deſignat quos priùs ſocios appellauerat, nam ſocius ſeu ſodalis dicitur propinquus, eóquòd ad amici ſententiam & voluntatem accedat & ſe accommodet: vel quia negotium aliquod inter illos agitur, aut quia vicini ſunt, aut carnis cognatione conjuncti.

Iob. 29. 10. Prou. 19. 7.

V. 12. *Et laqueos tendunt.* Amici & ſocij mei longè ſtant à me auerſi, & inimici mei mala aduersùm me loquuntur: Senſus autem huius vocis: *Et laqueos tendunt*, eſt, laqueum verbis ſuis parant animæ meæ ad perdendam illam: illud enim: *Qui quærunt animam meam*, ſignificat ad illam perdendam, quod hic ſubintelligi debet, ſicut & in iſto loco: *Qui quærit animam mam, quærit & tuam.* Dictio הוות *hhauot*, contritionem & res malas deſignat.

2. Sam. 22.

V. 13. *Ego autem tanquam ſurdus non audio.* Ego quidem illorum ſermones audio ex aliorum relatione vel etiam ex ipſiſmet, nam ſe non ſubducunt à me vt contra me loquantur, ego verò tanquam ſurdum me gero, & quaſi non audiam quæ ipſi palam loquuntur. Ita ſimiliter me quaſi mutum exhibeo cuius os in verba ſolui non poteſt; ſic ego audio quidem probra quibus me impetunt, ſed nihil repono.

V. 14. *Et fui ſicut homo non audiens.* Hoc eſt, non intelligens linguam eorum qui loquuntur, ſicut dicitur iſto in loco: *Gentem cuius non audies vocem.* Factus ſum etiam ſimilis homini non habenti in ore ſuo redargutiones; qui audit quidem verba eorum qui ſibi loquuntur, ſed nullæ ſuppetunt ipſi rationes quibus poſſit ſecum contendentes arguere & conuincere.

Deut. 28. 49.

V. 15. *Quoniam te, Domine, expectaui.* Ad quid enim mihi connitendum eſt vt cum illis diſceptem, & verba illorum confutem, nihil ſiquidem me ab illis ſpero vtilitatis aut opis conſecuturum, ſed in te vno fiduciam habeo: ac ſicut in te ſpero ita etiam tu me exaudies, quia tu Dominus es ſuper omnia, túque Deus ſeu iudex meus. qui me de improbis iſtis vlciſceris.

V. 16. *Quia dixi nequando lætentur.* Dixi apud me, vereor ne fortè de me lætentur, ſi me non audias, nec à mea calamitate liberes, ſi periero, de me ſunt gauiſuri, quia dum ſolùm vacillat pes meus; linguam ſuam aduersùm me magnificant; quid igitur facturi ſunt ſi penitus emotus fuero, & omnino peream? quapropter valde timeo ne meus hic morbus mihi mortem afferat.

V. 17. *Quoniam ego.* Idcirco metuo ne moriar ex morbo meo, quia ego ſemper ſum paratus ad claudicationem, vt vadam claudus propter dolores meos. *Et dolor meus in conſpectu meo ſemper*, quoniam dolor meus non recedit.

V. 18. *Quoniam iniquitatem meam ego annuntio.* Idcirco anxiè timeo cùm ini-

iniquitatem meam recordor, & eam apud me ſubinde recogito, nē fortè pro- PSAL.
pter eam moriar. *Et ſollicitus ſum de peccato meo*, ne mihi ſit in perniciem. 38.
V. 19. *Inimici viuentes roborantur.* Ego continuis affligor doloribus, ipſi ècontra
viuunt robuſti & ſani. *Et multiplicantur qui oderunt me gratis.* Dictio שקר *ſchequer*
hic ſignificat ſine cauſa: & ipſi liberis & opibus in dies augentur, ego autem
miſer ſum & attritus: & ipſi ſunt qui oderunt me ſine cauſa, cùm tamen æ-
quitati conſentaneum eſſet vt me diligerent, quia ego affeci ipſos beneficijs,
malum tamen pro bono mihi retribuunt, nec noui ego cauſam propter quam
mihi aduerſentur, niſi fortè ideò malo zelo in me accenduntur, quoniam ſector
bonitatem, ipſi verò malo ſunt addicti, & propterea mihi ſunt infenſi. Cæte-
rùm dictio רדפי *rodphi*, ſcripta eſt רודפי *rodpi*, vt ſit ſenſus, bonum me
ſequitur, quia ego illud proſequor, ſed legitur רדפי *rodpi*, eſtque infiniti-
uus actionem denotans & litera ר *reſch* protrahitur per accentum, ſicut in
iſto loco מירדי *miiordi*, à deſcendendo in lacum. Pſal. 34.

V. 21. *Ne derelinquas me.* Sicut ipſi exiſtimant nullum mihi eſſe adjutorem.
Ne elongeris à me. Sed eſto propinquus clamori meo.

V. 22. *Feſtina in adjutorium meum.* Accelera ad adjutorium meum. *Domi-
ne ſalus mea*, tu qui es Dominus ſalutis meæ & non alius. Vel ſenſus eſt, fe-
ſtina in ſalutem meam, itaut ל *lamed* ſit loco ב *beth*, & vox ארני *adonai*
ſit vocatiui caſus: hunc porro Pſalmum compoſuit Dauid, & ipſum dedit
Idouton cantori.

PSALMVS TRIGESIMVS NONVS.

Præcentori ipſi Iditun, Pſalmus Dauid.

1. DIxi, cuſtodiam vias meas, vt non peccem in lingua mea: ſeruabo ori meo capiſtrum, quandiu fuerit coram me impius.

2. Obmutui ſilentio, tacui à bono: & dolor meus turbatus eſt.

3. Concaluit cor meum intra me, in meditatione mea exarſit ignis: locutus ſum in lingua mea.

4. Notum fac mihi, Domine, finem meum, & menſuram dierum meorum quæ ſit: ſciam quàm temporalis ſim.

5. Ecce palmares poſuiſti dies meos, & æuum meum tanquam nihilum ante te: profectò vniuerſa vanitas omnis homo ſtans.

6. Profectò in imagine ambulat homo, profectò in vanum tumultuantur: coaceruat, & ignorat quis ſit ea collecturus.

7. Et nunc quid expecto, Domine? ſpes mea in te eſt.

PSAL. 39. 8. Ab omnibus præuaricationibus meis erue me: opprobrium inſipientis ne ponas me.

9. Obmutui, non aperiam os meum: quoniam tu feciſti.

10. Amoue à me plagam tuam: à conflictu manus tuæ ego defeci.

11. Increpationibus propter iniquitatem corripis hominem, & liqueſcere facis ſicut tineam deſiderabile eius: profectò vanitas eſt omnis homo.

12. Audi orationem meam, Domine, & deprecationem meam auribus percipe, ad lachrymas meas ne ſurdum agas: quoniam aduena ego ſum apud te, incola ſicut omnes patres mei.

13. Ceſſa à me & roborabo me: priuſquàm abeam & non ſim.

COMMENTARIVS.

P*Recentori, ipſi Iditun.* Hunc etiam Pſalmum compoſuit Dauid, & cantori Iditun tradidit, & eius argumentum idem eſt ac Pſalmi præcedentis.

V. 1. *Dixi.* Conſtitui apud me diligenter obſeruare vias meas, hoc eſt, mores & agendi rationes ac negotia mea: quo ſenſu dicitur: *Ne facias vias tuas.* (Eſa. 58. 13.) Et, *vias meas enuntiaui.* (Pſal. 119.) Et his ſimilia. *Vt non peccem in lingua mea.* Ne verbum aliquod minùs rectum proferam præ calamitate mea & morbi doloribus, ſicut de Iob dicitur: *In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis.* (Iob. 1. 22.) Et tum maximè quandiu aliquis improbus, qui venerit ad me inuiſendum, & dolorem meum & calamitatem agnoſcendam, fuerit coram me. Cauebo ne prorſus loquar ac ſi os meum capiſtro eſſet conſtrictum. Imò etiam obſeruabo me, ne gemitum edam vt ægrotus, qui vt plurimùm clamat aut grauiter ingemit propter graues morbi aut calamitatis ſenſus, ego, inquam, ab ijs me cohibebo, quandiu ſtabit coram me improbus, ne ipſe de me lætetur.

V. 2. *Obmutui ſilentio.* Hoc eſt, vſque adeò ſilui vt mutus haberi poſſem. *Silui à bono.* Etiam cohibui me ne quod bonum erat, dicerem. *Et dolor meus turbatus eſt.* Etiam ſi dolor meus recruduerit, & grauiter motus ſit, ego tamen os meum obturaui, & continui ne etiam bonum loqueretur, ne fortè vi calamitatis meæ & doloris, aliquid effunderet mali. Exponi etiam poteſt, ſilui à bono loquendo, quia nihil boni mihi eueniebat, de quo loquerer. Vel etiam ſenſus eſſe poteſt, reticui cogitationes cordis mei, quoniam nullam adhuc boni ſpem haberem, ideò tacui & ſilui de ipſo; quod verò dicit: *Turbatus eſt*, de carne ſua loquitur, in qua locus erat dolori, non autem de ipſo dolore.

V. 3. *Concaluit cor meum intra me.* Præ doloris grauitate, adeò incaluit cor meum, vt in meditatione mea exardeſcat ignis, quia calor ex ore meo exhalans in mea meditatione æſtuat inſtar ignis, itaut ignis ardere intra me videatur. *Locutus ſum in lingua mea.* Eſt eiuſdem rei repetitio, ſenſus enim eſt, cùm lingua mea ſum locutus.

V. 4. *Notum fac mihi, Domine.* Ita loquitur etiam Iob: *Quis finis meus,* PSAL.
quòd prolongem vitam meam? Siquidem finem meum prorogaturus ſim ſecundùm 39.
annos hominis, patienter dolores perferam vſque dum mihi ſanitatem reſtitueris, & ero poſtea ſanus. Verùm ſi breui tantùm tempore ſuperuicturus ſim, Iob. 6.
peto à te vt quantocyus moriar ex hocce morbo, non enim ſuſtinere poſſum 11.
grauiſſimos eius dolores niſi ſperem fore, vt poſtea in hoc ſæculo viuam. *Vt ſciam quom temporalis ſim.* Dictio חדל *hhadel*, eſt hoc loco nomen adjectiuum, eſt verò in iſto alio loco, ſubſtantiuum: *Cum habitatoribus temporis.* Significat Eſa. 38.
autem tempus humanæ vitæ in hoc ſæculo, eſtque ſenſus hîc, quantùm futurum eſt ſpatium vitæ meæ in hoc mundo.

V. 5. *Ecce palmares.* Omnium menſurarum minima eſt palmaris menſura, ſic dies mei, & dies vitæ omnium hominum ſunt pauciſſimi. *Et æuum meum,* hoc eſt ſpatium vitæ meæ, tanquam nihilum ante te; quoniam tu viuis & permanes in æternum. *Profectò vanitas omnis homo.* Totum temporis ſpatium quo homo ſubſiſtit in hoc ſæculo, eſt vanitas: dicit verò, vniuerſa vanitas hoc eſt, minimum, quod eſt in vanitate, ac ſi diceret, quod alio in loco dicitur: *Vanitas vanitatum.* Quæ omnia dicuntur eodem ſenſu ac illud: *Vniuerſum opus non facietis.* Et, *Omnis pinguedo & omnis ſanguis,* & his ſimilia. Eccl. 1. 2.

V. 6. *Profectò in umbra.* Hoc eſt, in caligine ambulat homo quilibet om- Leu. 3.
nibus vitæ ſuæ diebus, neſcit enim diem mortis ſuæ. Dictio צלם *tſelem* ca- & 16.
liginem ſignificat. Hoc etiam habet ſignificatum in lingua Arabica, quando ſcribitur cum צ *tſade* punctato. Sunt qui vocem iſtam deductam opinentur à nomine צלמות *tſalmauet*, quod ſignificat tenebras, ſed hoc minùs rectum videtur, quia nomen iſtud duarum vocum vmbræ ſcilicet & mortis, ſignificatum complectitur. Alij ſimpliciter explicant, in imagine, hoc nimirum ſenſu homo mutatur de die in diem, de tempore in tempus, in ſua imagine: ſicut flumen quod mutatur & ambulat, ſtante eius ſimilitudine. Sapiens autem Rabbi Abraham F. E. vult eſſe ſenſum, quod homo ambulet ſecundùm imaginem, hoc eſt diſpoſitionem ſtellarum erraticarum, ſeu miniſtrantium quæ nec vno momento, manent in eadem diſpoſitione, ſic homo continuò mutatur. *Profectò in vanum tumultuantur.* Verè fruſtra tantum in congerendis diuitijs commouentur; eſt enim qui paulatim coaceruat opes, & ignorat quiſnam illas ſit collecturus, nempe cùm ipſe morietur, & è domo ſua efferetur.

V. 7. *Et nunc quid expecto, Domine?* Modò cum morbis affligor, quid expecto? In nullo alio ſpem & fiduciam habeo quàm in te vno, nullo autem modo in medicis.

V. 8. *Ab omnibus prænaricationibus meis.* Quoniam illæ ſunt cauſa ægritudinis meæ & dolorum quibus crucior, eripe me ab ipſis, vt has mihi condones. *Opprobrium inſipientis ne ponas me.* Nam inſipiens mihi in corde ſuo exprobrat, quando me inuiſit; ſicut ſuperiùs dixit, quandiu ſtat coram me improbus; foris autem, palam me probris onerat, quoniam vir dolorum ego ſum, ipſe verò ſanus eſt & incolumis.

V. 9. *Obmutui non aperiam.* Nemo eſt à quo conqueri meritò poſſim hoc mihi illatum eſſe malum, non enim ab aliquo homine dolores inflicti ſunt, ſed tua manu; idcirco obmuteſco, nec tamen iuſtam aduersùm te immur-

PSAL. murandi cauſam habeo: hæc enim omnia mihi propter peccata mea contigerunt.

39. V. 10. *Amoue à me plagam tuam.* Eam plagam quam mihi inflixiſti: ſuperiùs verò vbi dixit, ſtant eregione plagæ meæ, ſenſus eſt, plagæ quam ego patior; literæ enim pronominum poſſeſſiuorum indices, modò actiuè, modò

Eſa. 56. & 38. paſſiuè ſignificant, & ſic iſta ſunt intelligenda: *Lætificaui eos in domo orationis meæ.* Et, *Audiui orationem tuam.* Et multa alia his occurrunt ſimilia. *A conflictu manus tuæ.* hoc eſt, à bello manus tuæ, quo ſenſu illud dicitur: *Ne ineas bellum cum illis.*

Deut. 2. 9.

V. 11. *Increpationibus.* Homines enim increpationibus caſtigare ſoles propter illorum iniquitatem, quemadmodum in me egiſti, ſicut dicitur: *Doloribus caſtigabitur ſuper lectum ſuum.* Quoniam morbi aliæque pœnæ ſunt quædam quaſi increpationes, & veluti aduocati ſeu interpretes Deum inter & homines. *Et liqueſcere facis ſicut tinea, deſiderabile eius.* Ilico diſſoluiſti deſiderabile eius, hoc eſt pinguedinem carnis eius, & robur omne corporis ipſius, ſicut tinea citò veſtem erodit, ſic tu caſtigationibus hominem in tabem redigis, vt dicitur: *Deficiet caro eius*, itaut non videatur: *Profectò vanitas*, eſt, *omnis homo.* Cùm tam ſubitò diffluat quod in eo eximium eſt.

Iob. 33. 19.

Iob. 33. 25.

V. 12. *Audi orationem meam, Domine.* Quandoquidem lubens acceperim increpationes tuas, & patienter correptiones ac pœnas mihi à te immiſſas pertulerim, audi orationem meam quâ precor vt me à peccatis meis emundes, & ſanitati reſtituas. *Quoniam aduena ego ſum.* Ita etiam alibi loquitur

1. Paral. 29. Dauid. *Peregrini enim ſumus coram te, & incolæ, ſicut omnes patres noſtri.* Porro ſenſus eſt, homo in mundo eſt tanquam peregrinus in terra non ſua, ſemper enim ex loco vno in alium demigrat; non enim habet in hoc mundo fixam habitationem aut certam ſtationem, quoniam in via quotidie eſt vt ab eo diſcedat, nec nouit diem ſuum. Vocat tamen hominem, incolam, quoniam ipſe mundum inhabitat, quaſi multo tempore in eo ſit manſurus. Cæterùm dicit, *tecum*, hoc eſt, coram te, vt indicet ex Dei benedicti nutu & poteſtate pendere manſionem hominis in mundo aut eius diſceſſum ab illo. Quod verò

Eccl. 1. addit: *Sicut omnes patres mei*, &, *ſicut omnes patres noſtri*, ſignificat poſteriores ætates & tempora, eſſe eiuſdem rationis, ac priora, nec vllum inter vtraque eſſe diſcrimen; ſed generationem præterire, & generationem aduenire, & ſic ſemper factum fuiſſe, & in æternum futurum. Senſus autem horum verborum. *Quoniam peregrinus ſum*, hic eſt, Audi orationem meam, quâ oro vt ex hoc morbo conualeſcam, quoniam pauci ſunt dies hominis in hoc mundo, nam veluti peregrinus in ipſo reputandus eſt, & eapropter ſubjungit.

V. 13. *Ceſſa à me.* Quaſi diceret, deſine tandem à me caſtigando per ægritudines. *Vt corroborer*, hoc eſt, vt confirmer ex hoc morbo, atque iterum tuam voluntatem exequar; agnoſco enim mea peccata huius morbi fuiſſe cauſas, quapropter à te efflagito vt ea mihi condones, & ſanitati reſtituas, antequam abeam ad ſepulchrum, & non ſim, hoc eſt, in eo ſtatuquo tuam poſſim exequi voluntatem: mundus enim hic, eſt mundus operis, alter verò mun-

Eccl. 9. 10. dus præmij, & non operis, ſicut dicitur: *Quia nec opus nec cogitatio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt in ſepulchro, ad quod tu pergis.* Rabbini eti

noſtri F. M. ad iſta verba: *Cuſtodi ergo præcepta, quæ tibi mando hodie vt faciat*, ſic diſſerunt, hodie faciendum eſt, cras verò merces eſt accipienda. Deut. 7. 11.

PSALMVS QVADRAGESIMVS. Psal. 40.

Præcentori Dauidis Pſalmus.

1. EXpectando expectaui Dominum: & inclinauit mihi, & audiuit clamorem meum.

2. Et extraxit me de foſſa ſtrepitus, de luto cœni: ſtatuit ſuper petram pedes meos, direxit greſſus meos.

3. Et poſuit in ore meo canticum nouum, laudem Deo noſtro: videbunt multi & timebunt, & ſperabunt in Domino.

4. Beatus vir qui poſuit Dominum ſpem ſuam: & non reſpexit ad ſuperbos & declinantes ad mendacium.

5. Multa feciſti tu, Domine, Deus meus mirabilia tua, & cogitationes tuas erga nos, non eſt ordinare tibi: annuntiabo & loquar, plura ſunt quàm vt narrentur.

6. Sacrificium & oblationem noluiſti, aures perfodiſti mihi: holocauſtum & ſacrificium pro peccato non poſtulaſti.

7. Tunc dixi, ecce veni: In volumine libri ſcriptum eſt de me.

8. Facere voluntatem tuam Deus meus volo: & lex tua in medio viſcerum meorum, *eſt*.

9. Annuntiaui iuſtitiam tuam in cœtu multo: ecce labia mea non prohibeo, Domine, tu ſcis.

10. Iuſtitiam tuam non abſcondi in medio cordis mei, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi: non celaui miſericordiam tuam & veritatem tuam, in cœtu multo.

11. Tu, Domine, ne cohibeas miſerationes tuas à me: miſericordia tua & veritas tua ſemper cuſtodiant me.

12. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre: multiplicatæ ſunt præ capillis capitis mei, & cor meum dereliquit me.

13. Velis, Domine, eruere me: Domine, ad auxilium meum feſtina.

PSAL. 40. 14. Pudore afficiantur & erubeſcant pariter, qui quærunt animam meam vt perdant eam: conuertantur retrorſum & erubeſcant qui volunt malum meum.

15. Deſolentur pro mercede pudoris ſui: qui dicunt de me, euge euge.

16. Exultent & lætentur omnes quærentes te: dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutem tuam.

17. Ego autem miſer ſum & pauper, Dominus cogitet de me: auxilium meum & liberator meus tu, *es*, Deus meus ne tardaueris.

COMMENTARIVS.

V. 1. E*Xpectando expectaui Dominum.* Hic etiam Pſalmus idem cum duobus præcedentibus argumentum complectitur, & aptus eſt vt recitetur ab homine pio, morbis attrito vbi conualuerit, qui eius recitatione Deum benedictum laudet ac dicat: *Expectando expectaui Dominum.* Sicut expectaui illum vt inclinaret aurem ſuam ad precem meam, & audiret clamorem meum, ita ipſe fecit. Senſus horum verborum: *Et inclinauit ad me*: eſt hic, fuit mihi propinquus ſicut ſcriptum eſt: *Propinquus eſt Dominus inuocantibus ipſum.*

V. 2. *Et eduxit me de foſſa ſtrepitus.* Per foſſam metaphoricè morbos ſignificat, quemadmodum enim qui in foueam decidit, timet ne immergatur aquis illius, aut luto, quod in ea eſt fixus inhæreat, ſic qui ægrotat, metuit ne morbo quo affligatur, intereat. Eſt verò foſſa ſtrepitus, foſſa in qua multæ
Eſa. 17 12. ſunt aquæ iuxta illud: *Sicut ſonitus aquarum multarum.* Ita etiam: *E luto cæni*, foſſam denotat profundiſſimo luto oppletam. Eodem enim ſenſu hîc lutum
Dan. 12. Eſa. 28. cum cœno conjungitur, quo alibi terra cum puluere, & puluis cum terra. Ac vult indicare lutum omnis generis denſum & tenue, eſſe in iſta foſſa. *Et ſtatuit ſuper petram pedes meos.* Hoc dicitur, contra iſtud: *De foſſa ſtrepitus. Direxit greſſus meos*, poſtquam ſcilicet me ex foſſa extraxit, ne nutarent tali mei & greſſus mei, hoc eſt, ne ex vno morbo in alium inciderem.

V. 3. *Et poſuit in ore meo canticum nouum.* Vbi me ex malis eripuit, nouum in eius laudem edidi canticum cuius ipſe materiam ori meo obtulit, nam me beneficio affecit propter quod grates ei & laudes referre debui. Aut ſenſus huius vocis, *Et poſuit*, eſt, quoniam me adjuuit in edendo cantico, vnde factum eſt vt ex ore meo exiret canticum rerum bonarum, quale Spiritus Sancti afflatu ſolet concipi. Idcirco autem dixit, *nouum*, vt indicet hominem teneri ad nouum gratiarum actionis & laudis canticum edendum pro ſingulis beneuolentiæ ſignis ſibi à Deo exhibitis. Quod porro dicat: *Deo noſtro*, de pluribus, innuit fore vt omnes Dei cultores & ſancti, eum etiam ſecum laudent & grates rependant. *Videbunt multi.* Præterea alij plurimi eorum qui ad illum vſque diem Deum benedictum non coluerunt, cùm viderint illa quæ mei causâ effecit, conuertentur, ac Deum revereri & in eo ſperare incipient ac dicent: *Beatus vir.*

V. 4. *Et non reſpexit ad ſuperbos, & declinantes ad mendacium.* Et non Psal. 40.
conuertit ſe ad homines potentes & elatos vt ab illis opem emendicaret : nec
etiam ad homines qui declinant ad mendacium, hoc eſt, qui deflectunt ad viam
mendacij ; cuiuſmodi ſunt homines diuinationibus addicti, & qui non
confidunt in Deo vero. Eſt autem vox רהבים *rehanim* nomen adjectiuum,
eiuſdem formæ ac רשעים *reſchaim* : & dictio שטי *ſate*, parem hìc habet ſi-
gnificationem, ac in iſto loco : *Cùm declinauerit vxor eius* : ſunt quidem duo Num.
themata, nempe שוט *ſouth* & שטא *ſata*, ſed idem habent ſignificatum : 5. 12.
Nam vox שטי *ſate*, hoc loco, eſt à themate שוט *ſout* inſtar גרי, *habitantes* Iob. 19.
in domo mea, à themate גור *gour* : ſi enim eſſet à radice שטא *ſata*, prima 15.
litera haberet punctum ſcheua ſicut à voce פנים *panim*, quæ eſt à themate
פנה *pana* fit פני *pene* à דוים *danim* דוי *dene*, &c.

V. 5. *Multa feciſti.* Multa ſimilia iſti, feciſti mecum, Domine Deus meus.
Mirabilia tua, & cogitationes tuas erga nos. Sunt quidem mirablia quæ opera-
tionis tempore exhibentur, ſed cogitatio antecedit opus. Loquitur autem
de Deo benedicto, quaſi ipſe diu cogitaret ante opus ; nam verba legis hu-
mano loquendi more exprimuntur : vnde illud : *Ecce ego cogito contra vos* Ier. 18.
cogitationem. Dicit porro, *Erga nos*, ac ſi diceret, erga ſeipſum, & erga eos 11.
omnes qui Diuinam miſericordiam expectant. *Non eſt ordinare*, hoc eſt ordi-
nare tibi & coram te omnia mirabilia tua quæ facis nobiſcum, quia plura
ſunt, quàm ordinari, ſeu ordinatè narrari, aut numerari poſſint, ſicut ſub-
jungit. *Annuntiabo & eloquar.* Ac ſi diceret, ſi annuntiare & eloqui velim
mirabilia, plura ſunt quàm vt narrentur : vel dictio æquare ſignificat, non eſt
æquare tibi, ſecundùm illud : *Non eſt ſicut tu in Dijs, Domine, & non eſt ſe-* Pſal. 86.
cundum opera tua. Et, *Quoniam quis in cælo æquabitur Domino ſimilis erit Deo* 8.
in filijs fortium. Pſal. 89.

V. 6. *Sacrificium & oblationem.* Sacrificium hac voce זבח *zeuahh* denota- 7.
tum, eſt ſacrificium pacificorum. Oblatio autem ſeu מנחה *minhha*, eſt obla-
tio ſimilæ oleo conſperſæ, vt ſcriptum eſt. Holocauſtum עולה *Oola*, inſti- Leuit.
tutum eſt ad expianda delicta contra præcepta affirmatiua, commiſſa. De- 2. 1.
nique ſacrificium dictum חטאה *hhattaa* peccatum, eſt donum pro peccato
oblatum, vt ſcriptum eſt. At verò de his omnibus hìc dicitur : *Non voluiſti*, Leu. 4.
& non poſtulaſti ea. Apud Ieremiam etiam dictum eſt : *Non ſum locutus pa-* Ier. 7.
tribus veſtris, & non præcepi eis die qua eduxi eos de terra Ægypti, de holocau- 22.
ſtis & victimis. Cùm tamen in lege inueniamus Deum præcepiſſe iuge ſacri- Exod.
ficium, vt ſingulis diebus offerretur. Sed huic objectioni & dubio ita reſpon- 29 38.
dendum eſt, primùm quidem quando data ſunt præcepta Iſraëlitis, illud ſo-
lùm fuiſſe illis mandatum ab initio, vt Diuinæ voci obtemperarent, vnde in
Mara dixit : *Si audiendo audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt in*
oculis eius feceris. * At quando cœperunt peccare, tum præcepit eis de obla-

* Sic Rabbi Moſes Ægyptius parte 3. cap. 32. libri More ſeu Doctoris perplexorum, agens de cauſa inſtitutionis ſacrificiorum externorum, docet ea fuiſſe tantùm inſtituta ſecundùm intentionem ſecundam, ſic etiam S. Hieron. in caput 7. Ier. & SS. PP. & interpretes docent legem de ſacrificijs datam fuiſſe Iudæis ex occaſione idololatriæ à populo commiſſæ circa vitulum, ne deinceps ad idola defluerent. Vide S. Thom. 1 2. q. 102. art. 3. in corp.

Psal. tionibus faciendis, tum pro ſingularibus, tum pro cœtu vniuerſo. Et oblatio-
40. nes quidem ſingularium ab ijs qui peccarent offerri præcepit, & pro cœtu vni-
uerſo mandauit vt iugia ſacrificia quotidiè offerrentur, quia fieri non pote-
rat quin multi inter omnes Iſraëlitas quotidiè peccarent, quorum plurimi
neſcirent quid ſibi eſſet offerendum, qui per communia ſacrificia expiabantur,
ſi tamen illos peccati ſui pœniteret; niſi autem peccaſſent Iſraëlitæ in deſer-
to, nihil ipſis Deus benedictus de oblationibus præcepiſſet, nam ab initio nul-
lum de iſtis mandatum dedit ipſis, vt dicit idem Ieremias in fine citati verſicu-
li, ſed hoc verbum præcepi eis dicens, audite vocem meam. Ita etiam in De-
calogo, in quo tota lex continetur, nulla prorſus fit mentio ſacrificiorum. Et
niſi peccaſſet homo, neceſſaria non fuiſſet oblatio; quod longe Deo benedi-
cto gratius quàm peccatum & ſacrificium pro peccato, vt dixit Samuël:
1. Sam. *Nunquid voluntas Domini in holocauſtis & victimis, ſicut vt obediatur voci Do-*
15. 22. *mini?* Ecce obedientia, ſacrificio præponitur. Ita etiam dicitur in hoc Pſal-
mo, ſacrificium & oblationem noluiſti, & non poſtulaſti holocauſtum & ſa-
crificium pro peccato. *Aures perfodiſti mihi.* Quaſi diceret, aperuiſti mihi,
vt audiam vocem tuam. Imò etiam in retributionem beneficiorum quæ mihi
contuliſti, non poſtulaſti à me holocauſtum aut oblationem, ſed tantùm vt
facerem voluntatem tuam, & ita volui. Porro vox illa כרית *carita* fodiſti
Exod. ſimile hìc ſignificatum habet ac in iſto loco, *Si quis ciſternam foderit.*
21 33. V. 7. *Tunc dixi.* Nempè cùm ex morbo meo con: alui:ſem & ex anguſtijs
meis fuiſſem ereptus, tunc, inquam, apud me dixi nolle te ſacrificium aut
oblationem, ſed vt facerem ea quæ mihi præceperas, & ecce veni ante faciem
tuam. *In volumine libri ſcriptum eſt de me*, & de quolibet ex filijs populi mei;
ecce ego veni ad præſtandum quod de me ſcriptum eſt. Cæterùm per volumen
libri, liber legis deſignatur: quòd verò dixerit כתוב *catoau* generis maſculini
& mox מגלת *megilla* dicat, fœminini generis, ratio eſt quia illud כתוב *catoau*
refertur ad vocem ספר *ſepher* quæ eſt maſculina: & ſic etiam dicitur, liber iſte
legis; vel liber legis iſtius generis fœminini.

V. 8. *Facere voluntatem tuam.* Studium meum & voluntas eò tendunt vt
faciam voluntatem tuam. *In medio viſcerum meorum*, hoc eſt in medio cordis
mei, eſt enim cor ipſum vnum ex viſceribus. Porro illud, in medio viſcerum
meorum, hunc habet ſenſum, vt non recedat cogitatio mea ab ipſa lege tua.

V. 9. *Annuntiaui iuſtitiam.* Aliud quoque præter conſtantem legis & præ-
ceptorum obſeruantiam præſtandum eſt, ſcilicet vt enarrem beneficia & mi-
ſericordiæ ſigna quæ in me contuliſti; & ita præſtiti, & annuntiaui iuſtitiam
quam erga me feciſti in cœtu multo, vt quamplurimi audirent hoc, & nomi-
ni tuo gratias agerent. Quiſquis aduenit vt nouos euentus annuntiet ſiue fau-
ſtos, ſiue infauſtos, appellatur מבשר *menaſſeher*, hoc eſt nuntius, ſæpius qui-
1. Sam. dem de bono euentu; aliquando etiam de malo, iuxta illud: *Et reſpondit nun-*
4. 17. *tius*, &c. Ecce igitur ipſe Dauid dicit ſe in cœtu multo enarraturum noua
beneficia quæ à Deo Benedicto acceperat, & ecce ea hìc annuntiat, quapro-
pter dixit, annuntiaui. *Labia mea non prohibeo*, non cohibebo labia mea quin
continuò tua erga me beneficia & miſericordias enarrent. *Domine tu noſti.* Illa
quæ labijs meis commemoro, norunt multi: At quæ meditatur cor meum de
iuſti-

iuſtitia & miſericordijs tuis, tu perſpecta habes & præter te, nemo alius. Et PSAL.
hoc eſt quod ſubjungit.
V. 10. *Iuſtitiam tuam non abſcondi.* Niſi continuò de illa apud me cogitarem 40.
& meditarer tum illam occultarem, & hoc eſt, non abſcondi in corde meo.
Vel ſenſus eſt, & iuſtitiam tuam, ſicut ipſa eſt in corde meo, ita illam hominibus dixi; non illam occultam ab ipſis. Et hoc eſt quod iſtis verbis indicatur: *Veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.* Dei autem veritas & ſalus erga ſanctos ipſius eſt, quòd bona quæ illis promiſit certò præſtet; veritas enim aliquid firmum & fidele ſignificat iuxta illud: *Et ſtabilis erit domus tua.* Et, *In loco fideli*, ſeu firmo. Et alia his ſimilia. Hoc etiam eſt quod dicit hoc loco: *Miſeri-* 2. Sam. 7. 16.
cordia tua & veritas tua, hæc eſt firma certitudo boni quod promiſit; illa verò Eſa. 22.
ſc. miſericordia, eſt bonum illud quod ſupra promiſſionem præſtat. Porro di- 23.
ctio illa, cœtui multo; conſtruenda eſt, cum verbo, dixi non cum, celaui; ſi enim cum hoc verbo eſſet iungenda dicere debuiſſet, à cœtu multo. Et plures aliæ voces ſimiliter conſtruuntur cum remoto verbo & non cum proximo, vt ſcripſimus in libro Michlol in ea parte vbi de grammaticis agitur.

V. 11. *Tu Domine.* Quemadmodum liberaſti me ab iſta anguſtia ſic etiam eripe me ab omni calamitate. *Et ne cohibeas miſerationes tuas a me.* Quando id mihi opus fuerit, ſemper enim indigeo miſericordiâ tuâ, & veritate vt ipſæ me cuſtodiant, ſicut mox exponit.

V. 12. *Quoniam circumdederunt me mala.* Verbum illud אפפו *aphephu*, idem
ſignificat quod הקיפו *hecquiphu*, vt in illo loco: *Quoniam circumdederunt me* 2. Sam.
contritiones mortis, homo ſiquidem varijs temporis & mundi caſibus, qui ſunt 22.
innumeri, obnoxius eſt & expoſitus, & æquum eſt vt magnopere timeat ne per ipſos in peccatum inducatur. Non enim eſt homo qui non peccet, nec in periculoſos incidit caſus niſi per peccatum: vnde ſubjungit. *Comprehenderunt me iniquitates meæ.* Quod perinde eſt ac ſi diceret, inuenerunt me in loco ſupplicij, nec eas effugere potero. *Et non potui videre.* Non valebo omnia omnino peccata mea videre, ſunt enim quampluríma. Quod vero ſubdit: *Et cor meum dereliquit me*, hoc eſt, virtus mea, quaſi diceret, mens, & cogitatio mea, ita me deſtituit vt illa dinumerare non poſſim, adeò multa ſunt. Sic homo pius in ſuis ad Deum precibus, iniquitates ſuas debet augere & amplificare; ſua vero merita extenuare, itaut ſe peccatis oppletum profiteatur, & veniam ac Dei miſerationes exoret. Vel illa fortaſſis verba, non potui videre, &, cor meum dereliquit me, per hyperbolem ſunt dicta, hoc ſenſu, caligauerunt oculi mei & cor meum non eſt mecum, præ timore quem mihi afferunt peccata mea.

V. 13. *Velis Domine.* Placeat tibi, Domine, ſemper eruere me ab omnibus anguſtijs & periculis quæ occurrunt vndique & ad opem mihi ferendam accelerare.

V. 14. *Pudore afficiantur.* Et inde fiet vt erubeſcant inimici mei, qui quærunt animam meam, quando viderint te mihi adeſſe, nec ſibi ſatis eſſe roboris quo aliquid damni mihi inferant. Dictio autem לספותה *liſpotah*, idem habet ſignificatum ac לכלותה *lcelotah* ad illam omnino perdendam. Ita ſu-
mitur & hoc loco: *An perimes etiam iuſtum?* Gen.
V. 15. *Deſolentur pro mercede pudoris ſui.* Sit illis exitium in mercedem pu- 18. 23.

Psal. 40. doris quo me ſuffuderunt tempore meæ calamitatis, nam de me per ludibrium
dixerunt, euge euge, lætare lætare: ſic etiam ſuperiùs dictum eſt: *Euge vidit oculus*
noſter. Dictio עקב *equeb* mercedem ſignificat iuxta illud: *Et erit propterea*
Deut. 7. 12. *quod audiueritis*, &c. Et illud: *Eò quòd deſpexeris me.*
2. Sam. 12. V. 16. *Exultent & lætentur.* Hoſtes exſcindentur, at omnes qui te quærunt,
lætabuntur & dicent ſemper: *Magnificetur Dominus*, hoc eſt, quando mira ſuis
ſanctis beneficia exhibet, ipſe nomen ſuum celebre & magnum efficit apud
homines, & de illo dicunt, Magnus eſt, & faciens mirabilia. Sunt verò *Quærentes te*: &, *qui diligunt ſalutare tuum*, illi qui à nullo alio opem & ſalutem
quærunt & expectant.

V. 17. *Ego autem miſer ſum.* Quamuis enim Rex eſſet, tamen erat miſer & egenus, homo quippe Dei benedicti auxilio & ſalute magnopere ſemper indiget. *Dominus cogitet de me*; nempe vt mihi benefaciat, méque adjuuet & liberet in anguſtiæ tempore. Et iam explicui, quid ſit, cogitet de me vbi antea vocem iſtam: *Et cogitationes tuas*, expoſui. Vel ſenſus eſt cogitet de me in afflictione mea in qua verſor in mearum iniquitatum expiationem. Vel ſenſus
Eſa. 33. 8. eſt, qualis in iſto loco: *Non reputauit hominem*, ac ſi diceret, ſim coram te
reputatus & bonus. *Deus meus ne tardaueris*, ſed quantocyus ſaluum me fac vt ſuperiùs dixit: *Ad auxilium meum feſtina.*

PSALMVS QVADRAGESIMVS PRIMVS.

Præcentori Pſalmus Dauidis.

1. BEatus qui attendit ad atteuuatum: in die mala liberet eum Dominus.

2. Dominus conſeruet & viuificet eum: beatus ſit in terra, & ne tradas eum in animam inimicorum eius.

3. Dominus ſuſtentet eum ſuper lectum doloris: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in morbo eius.

4. Ego dixi, Domine, miſerere mei: ſana animam meam quia peccaui tibi.

5. Inimici mei dicunt malum de me: quando morietur & peribit nomen eius?

6. Et ſi veniebat, *aliquis eorum*, ad inuiſendum, *me*, mendacium loquebatur: cor eius congregabat iniquitatem ſibi, egrediebatur foras, eloquebatur.

7. Simul aduerſùm me ſuſurrabant omnes odio habentes me: aduerſùm me cogitant malum mihi.

8. Res peſſima adhæret ei : & qui decumbit non adjiciet vt reſurgat. PSAL. 41.

9. Etiam vir pacis meæ in quo ſperaui : & qui comedit panem meum, magnificauit aduerſùm me calcaneum.

10. Tu autem, Domine, miſerere mei & reſſuſcita me : & retribuam eis.

11. In hoc cognoui quòd dilexiſti me : quoniam non iubilabit inimicus meus ſuper me.

12. Et me propter innocentiam meam ſuſtentaſti : & conſtituiſti me in conſpectu tuo in ſæculum.

13. Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo vſque in ſæculum, amen, amen.

COMMENTARIVS.

HIc etiam Pſalmus eiuſdem eſt argumenti ac ſuperiores, affirmántque nonnulli Dauidem eum de ſuis morbis edidiſſe.

V. 1. *Qui attendit ad attenuatum.* Hoc eſt, ad ægrotum, iuxta illud : *Quare ſic attenuatus es, fili Regis?* Qui attendit, hoc eſt qui proſpicit ac intuetur, ac ſi diceret, qui venit ad eum inuiſendum, & ſollicitè inquirit de ſtatu morbi ipſius, cùm ille morti eſt proximus. *Liberet eum Dominus*, hoc per modum orationis dicitur, ſicut & illud. *Conſeruet eum, fulciat eum.* Et hanc explicationem confirmant iſta verba : Et *ne tradas eum.* Particula enim אל *al* vſurpatur in ſenſu deprecandi, petendi, aut per modum imperandi. Sed rectum videtur hos verſus exponere in ſenſu præſentis temporis, hoc modo, quia ſic faciet Deus ægroto, ipſe nempe liberabit eum, ſuſtentabit eum & viuificabit eum, & non medici : nihil enim ipſi proſunt exhibita à medicis pharmaca, ſed Dei auxilio conualeſcet. Et particulam quidem אל *al* multis in locis inuenimus in ſignificatione deprecationis & imperij, ſed in aliquibus idem non ſignificat vt in iſto loco : Et *via ſemitæ eius* אל *al*, *non eſt mors.* Dominus verò pater meus P. M. exiſtimat his verſibus contineri verba eius qui ægrotum inuiſit, quibus eum conſolatur, eique dicit ne ſibi metuat ab illo morbo, ſed bono ſit animo, fore enim vt in die mala liberet ipſum Deus, & conſeruet. 2. Sam. 12. 4. Prou. 22. 28.

V. 2. *Dominus conſeruet eum.* Nempe à morte. *Et viuificet eum*, hoc eſt, & ſanum efficiat, nec ſinat vt eius morbus longiùs extendatur. *Beatus ſit in terra.* Sic quidem ſcriptum eſt cum י *iod*, ſed legitur cum ו *vau* ; ſed idem eſt ſenſus ; ſcilicet, itaut beatus ſit ; hoc eſt, adeout bona opera faciat, proſpere in ſuis negotiis agat, vnde & acclament ei homines & de illo dicant, beatus eſt. *In animam inimicorum eius*, hoc eſt, in deſiderium ipſorum ; ipſi enim exoptant vt tandem moriatur.

V. 3. *Dominus ſuſtentet eum.* Quamquam iacet in lecto languidus, grauibuſque morbis & doloribus affligatur, Dominus tamen eum ſuſtentabit, ne deficiat & moriatur. Vel ſenſus eſt, vires ei præbebit, quibus corroboratus

PSAL. 41. poſſit ſeipſam in vtrumlibet latus conuertere. *Vniuerſum ſtratum eius verſaſti.* Deum his verbis alloquitur, tu qui totum cubatum conuertiſti in morbo ipſius, ſuſtentabis eum. Ratio autem cur dicat, vniuerſum cubatum eius, eſt quia cubatus hominis ſuper lectum ſuum eſt ad quietem capiendam, quandiu ſanus eſt. Et ecce tu conuertiſti cubatum eius in morbo ipſius ex quiete in ærumnam. Dicit verò, *vniuerſum*, quoniam ipſe factus æger, iam die noctéque decumbit. Poteſt etiam illud verbum, *conuertiſti*, per modum orationis exponi hoc ſenſu, omnem cubatum eius in infirmitate eius, conuertas in ſanitatem & quietem.

V. 4. *Ego dixi, Domine, miſerere mei.* Ad hunc vſque verſum verba ſunt eius qui ægrotum viſitat; ab hoc autem verſu ad illa verba: *Conſtituiſti me in conſpectu tuo in ſæculum*, verba ſunt ægroti. Ego attollo ad Deum oculos meos, eique dico ſupplex vt mei miſereatur. Loquor autem de animæ meæ, non de corporis mei ſanitate; huius enim morbi cauſæ ſunt illius peccata: & ſi Deus animam ſanet à morbo illius, nimirum per condonationem peccatorum, ipſum etiam corpus ſanum euadet.

V. 5. *Inimici mei dicunt malum.* Contrà quàm fecit probus vir qui me priùs inuiſit: de quo ſic ægrotus loquitur, tu bona de me dixiſti & optaſti, ſed certò noui fore vt inimici mei malum de me dicant, & contraria ijs quæ tu dixiſti, nempe dicent: *Quando morietur & peribit nomen eius.* Mea enim ægritudo longior ipſis videtur, & exoptant ac petunt vt quantocyus ex hoc morbo interea.

V. 6. *Et ſi venit*, aliquis, *ad me videndum.* Si quiſpiam illorum ad me inuiſendum & viſitandum accedat, mendacium loquitur mecum, nam ſi bona mihi ore ſuo imprecari videtur, at nihil boni habet in animo ſuo, nam: *Cor eius congregat ſibi iniquitatem.* Dominus Pater P. M. ſic exponit iſta verba: *Mendacium loquitur*, quoniam vnum ſuaue ac molle mecum loquitur, & aliud durum, ad infringendum animum meum; quemadmodum ſi quiſpiam ad viſitandum ægrotum ingreſſus dicat ipſi, grauis admodum & periculoſus eſſe mihi videtur morbus tuus, nam ſimili ægritudine correptus pater meus, extinctus eſt. *Congregabat iniquitatem ſibi*, hoc eſt, in ſeipſo congregat iniquitatem in corde ſuo: quia illam non profert labijs ſuis, nec palam alijs enuntiat. At ſtatim ac egreſſus eſt foras alijs eloquitur & aperit malum quod animo ſuo complectebatur.

V. 7. *Simul aduerſùm me ſuſurrabant.* Poſtquam fictus ille amicus à me viſitando foras eſt egreſſus, ſtatim cum cæteris qui me odio habent conuenit, ac ſimul omnes inuicem aduerſùm me muſſitant. Porro verbum לחש *lahhaſch* locutionem ſubmiſſam, & clam factam denotat. Illa autem verba, *aduerſùm me*, bis dicit, perinde ac ſi diceret, præter quàm quòd ipſi contra me clam muſſitant, etiam malum in corde ſuo aduerſùm me cogitant.

V. 8. *Res peſſima adhæret ei.* Hæc vna eſt ex malis rebus quas aduerſùm me loquebantur & cogitabant. Quid verò ſibi volunt dicentes, res peſſima adhæſit ei; ſenſus eſt, grauis morbus & periculoſus inhæret ipſi, nec ampliùs è lecto ſuo conſurget, ſed ægritudine iſtâ extinguetur, eſt enim grauiſſima. Dictio יצוק *iatſouc*, idem quod adhæret, denotat iuxta illud: *Cor eius fir-*

mum eſt ſicut lapis, firmum ſicut mola inferior. Aut per rem peſſimam, pecca- Psal.
tum indicatur hoc ſenſu, grauiſſimum aliquod ſcelus firmiter inhæret in eo 41
propter quod grauiſſimam pœnam meretur, & idcirco nunquam è lecto ſuo ſa-
nus conſurget. Iob. 41.

V. 9. *Etiam vir pacis meæ.* Hæc omnia ſunt verba ægroti: omnis ſiquidem 15.
homo odio eſt aliquibus, & cùm morbo correptus fuerit, aut nutauerit pes
ipſius, etiam ipſi quos ſibi eſſe amicos exiſtimabat, fiunt illius inimici & inſi-
diatores, ſicut dicit Scriptura: *Omnes fratres pauperis ipſum oderunt.* Ipſe Prou.
etiam qui veſcitur pane eius, & in quo ſperat, magis ipſi eſt perfidus. Illa au- 19. 7.
tem verba: *Magnificauit aduersùm me calcaneum,* hunc ſenſum habent, ac ſi ego
ſub pede eius eſſem, ita contra me ſeſe extulit vt me, ſicut par erat, non inui-
ſeret ægrotantem.

V. 10. *Tu autem, Domine, miſerere mei, & reſſuſcita me.* Ipſi enim dicunt
fore vt non conualeſcam, tu igitur erige me & retribuam eis quod locuti
ſunt contra me malum dum adhuc ægrotarem. Non minatur his verbis ſe ali-
quid mali illis illaturum, cùm alibi dicat, imò eripui eum qui me oppugnabat Pſal. 7.
ſine cauſa, ſed ita ſe eis retributurum, vt oſtendat ipſis quòd malè fecerint eó- 5.
quòd malum contra ſe cogitauerint dum morbo eſſet afflictus. Vel illud ſe illis
retributurum dicit, quia ſaccum non induet quando ipſi ægrotauerint, nec
orabit pro illis nec ægre feret ipſorum ærumnas. Vidi etiam in ſcriptis excel-
lentis Doctoris hanc expoſitionem, & rependam eis bona pro malis, ſicut
moris illius fuit, & quemadmodum ipſe dicit: *Ego autem cum ægrotarent illi,
induebar ſacco.*

V. 11. *Quoniam non iubilabit inimicus meus ſuper me.* Si me ex lecto erexe-
ris, clarè agnoſcam & experiar quòd verè me diligas, quia nolueris vt inimicus
meus triumpharet de me ac lætaretur, quemadmodum iam multi aſſerebant
me hoc morbo fore opprimendum, & ſperabant ſe multùm gauiſuros de me
& os ſuum in riſu exaltaturos, hoc enim ſignificat illud verbum, *Iubilabit.*

V. 12. *Et me propter innocentiam.* Quoniam me purum & rectum inueniſti.
Suſtentaſti me, cùm ſcilicet æger in lectum decidiſſem. *Et conſtituiſti me coram
te in ſæculum*, quaſi diceret, erexiſti me, ac viuum & incolumem conſtituiſti
me in conſpectu tuo, hoc eſt, ad tuum cultum exercendum: hic porro vtitur
præterito loco futuri de more, in iſtis verbis ſuſtentaſti, conſtituiſti. Illud verò
in ſæculum, vitæ humanæ ſpatium denotat, quaſi diceret fore vt non moriatur
ante ſuum tempus. Huc vſque ſunt verba ægroti. Sequens autem verſus: *Benedi-
ctus Dominus*, &c. continet verba Cantoris gratias agentis Deo, quòd eius
beneficio librum ſuum abſoluerit, is enim eſt mos Scriptorum. Idem etiam
præſtat in fine librorum quatuor: at in fine libri quinti, qui eſt finis totius libri,
laudes Dei celebrat tredecim ſpeciebus laudationum, ac ita dicit: *Benedictus
Dominus Deus Iſraël*; ac ſi diceret, qui me huc vſque adjuuit. *A ſæculo & vſ-
que in ſæculum*, hoc eſt à tempore primo vſque ad poſtremum; omnibus die-
bus. *Amen & amen*, hoc eſt, certum & ratum ſit. Quo ſenſu, reſpondet ho-
mo, Amen poſt benedictionem, ad eius certum ſucceſſum poſtulandum. Di- 2. Sam.
ctio enim, Amen, certitudinem & firmitatem ſignificat, iuxta illud, firma 7.
erit domus tua. Et illud, *in loco firmo.* Eſa. 22.

Psal. 42.

LIBER SECVNDVS.

PSALMVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

Præcentori, erudiens, filÿs Core.

1. QVemadmodum clamat ceruus ad alueos aquarum: ita anima mea vociferatur ad te Deus.

2. Sitiuit anima mea ad Deum, ad Deum viuum: ecquando veniam & apparebo ante faciem Dei.

3. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie vbi, *eſt*, Deus tuus.

4. Hæc cùm recordor, effundo in me animam meam, quoniam tranſibam in numero, incedebam cum illis vſque ad domum Dei, in voce exultationis & confeſſionis, *cum*, multitudine feſta celebrante.

5. Quare dejiceris anima mea, & tumultuaris aduersùm me? ſpera in Deo, quoniam adhuc celebrabo eum, *ob*, ſalutes vultus eius.

6. Deus meus anima mea apud me dejicitur: propterea memor ſum tui de terra Iordanis & Hermonim, de monte Mitſaar.

7. Abyſſus abyſſum vocat ad vocem cataractarum tuarum: omnes procellæ tuæ & fluctus tui ſuper me tranſierunt.

8. In die mandabat Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius mecum: oratio Deo vitæ meæ.

9. Dicam Deo petræ meæ, quare oblitus es mei? quare mœrens incedo propter oppreſſionem inimici?

10. Cum gladio oſſa mea, *penetrant*, dum exprobrant mihi tribulantes me: nempe cùm dicunt mihi per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus?

11. Quare dejiceris anima mea, & tumultuaris in me? ſpera in Deo, quoniam adhuc celebrabo eum qui eſt ſalus vultus mei, & Deus meus.

COMMENTARIVS.

PRæcentori, erudiens, Filijs Core. Tres fuerunt filij Core, nimirum Aſir, Elcana & Abiaſaph: quos ſi dicamus Spiritus Sancti afflatu hunc Pſalmum compoſuiſſe, & Dauidem ipſum ſuo libro inſeruiſſe; & ſi idem etiam dicamus de cæteris Pſalmis qui inſcribuntur, filijs Core; ſicut dicitur de Pſalmo qui ita inſcriptus eſt, oratio Moſis, mirum videtur & quæri meritò poteſt quomodo tres ipſi ſimul ediderint Pſalmos iſtos. Et quidam hæc verba, filijs Core, ſic exponunt, vt ſit hic ſenſus, vni ex filijs Core. Sed hæc explicatio ratione caret, cur enim in omnibus his Pſalmis ita diceretur & in nullo ipſorum, vnus ſaltem cantor vel author non nominaretur. Sic etiam cenſendum eſt de illorum verbis qui dicunt hos Pſalmos authorem habere vnum ex fililijs Heman nepotis Samuëlis Prophetæ, adhuc enim magis mirum videtur quare non accenſeantur familiæ Samuëlis ſed Core. Rationi ergo magis conſentaneum videtur aſſerere Dauidem Spiritus Sancti inſtinctu hos Pſalmos edidiſſe, eóſque decantandos dediſſe filijs Core cantoribus, qui ſuo tempore extabant. Et quoniam filij Core, fuerunt Prophetæ, idcirco iſtos filiorum ipſorum nepotes ipſis accenſet, ac breuitatis causâ dixit, filijs Core. Sunt qui exiſtiment Dauidem compoſuiſſe hunc Pſalmum dum inter Philiſtæos exularet. Alij aſſerunt eſſe ſcriptum de ijs qui in præſenti exilio verſantur, & hoc rectius videtur: loquitúrque in numero ſingulari vt exprimat quemlibet exulum infrementem ac exclamantem in exilio, præ deſiderio quo anhelat ad terram ſanctam, atque ad reditum gloriæ Dei in ipſam; quod iſtis verbis exprimitur: *Ad te Deus.*

V. 1. *Quemadmodùm ceruus.* Cerui deſerta incolunt loca in quibus aquæ non reperiuntur, quare ipſi magno deſiderio aquas expetere ſolent. Præterea veſcuntur ſerpentibus vnde calore maximo incenſi, aquas ad refrigerationem, auidiſſime quærunt. Illis autem verbis אפיקי מים *a, hique maim*, denotantur loca per quæ vehementi impetu decurrunt aquæ. Ferunt etiam ceruos à canibus agitatos veloci curſu effugere donec profundos torrentes inueniant, ad quos anhelantes & glocitantes contendunt, ac tum in medias aquas curſu defatigatos ingredi, & ſic canes euadere. In Deras verò illud refertur, cerua hæc quando ſiti laborat, foueam effodit, in eamque cornua ſua immittens glocitat, & tum abyſſus aquas ipſi effundit; quia ſcriptum eſt: Sicut clamat ceruus ad alueos aquarum. Quod autem dicat, ceruus in genere maſculino, & תערג *taarog* in fœminino, ratio eſt quia vox איל *ail* ceruus communis eſt, mares ſimul & fœminas complectens ſuo ſignificatu, ac ſi ego dicerem bos & aſinus generaliter. Vtitur verò verbo fœminini generis תערוג *taarog* glocitat, vt ceruorum gregem deſignet, ſicut cùm dicitur formâ fœminina ותהי *vatehi* & fuit Iſraël, hoc eſt congregatio Iſraëlitarum. Cerui enim gregatim incedunt, & quamplurimi ſimul. Vel dicit תערוג *taarog* clamat, in fœminino genere, quia fieri poteſt vt cerua magis clamet quàm ceruus. Vox autem תערוג *taarog* ſignificat fremit, vociferatur, præ nimio deſiderio aquarum. Et dictio quidem עריגה *eeriga* glocitatio proprium ceruorum clamo-

rem denotat ſic געיה *gneiia* mugitus vocem boum. *Ad alueos aquarum.*
Psal. 42. Particula על *aal*, idem hîc ſignificat, ac אל *el* ad, & ita in multis locis reperitur.

V. 2. *Sitiuit anima mea.* Quemadmodum deſiderat aquas anima eius qui ſiti laborat; & ceruorum deſiderium quo ad aquas anhelant maius eſt quàm aliorum animantium, dum ſitiunt ſicut memoratum eſt. Præterea appetitus aquæ in ſitibundo, longè maior eſt quam cibi appetitus in famelico; quapropter dixit: *Sitiuit*, non verò eſurijt: nam poteſt homo per duos aut tres dies vitam ſine cibo ducere, at ſine potu vitam conſeruare non poteſt. Cumque animal aliquod vbi diu ſiti laborauit inuentas aquas bibit, vitam & animam recuperare videtur. Porro ſitis qua intellectualis anima ad ſuam gloriam aſpirat, grauior eſt ſiti qua preſſum corpus aquas appetit. *Ad Deum*, hoc eſt, vt ſtatim explicat ipſe, Ad Deum viuum; dij enim illarum gentium, inter quas exulabat, ſunt omni vita deſtituti. *Ecquando veniam & apparebo*? Eo nempe ritu quo ſolebant Iſraëlitæ dum in terra ſua verſarentur, ter in anno adire ſanctuarium ſeu templum.

V. 3. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ.* Nam flere ſoleo propter verba inimicorum meorum, & continuò diu noctuque erumpentes lacrymæ æquè frequentes ipſi erant ac cibus; perinde ac ſi diceret, nullus eſt dies quo non multoties effundam lacrymas. Alij exponunt quaſi diceret ſe etiam eo tempore flere, quo cibos ſumebat. *Dum dicitur mihi quotidie.* Propter exilij mei longitudinem, ita mihi hoſtes objectant: *Vbi eſt Deus tuus*? Si verus enim eſſet Deus & tu verus cultor illius, te profectò liberaret, & ex iſto exilio educeret.

V. 4. *Hæc cùm recordor.* Quando nempe recolo quomodo lentè & placidè aſcenderemus ad templum cum gaudio: *Effundo in me animam meam, quoniam tranſibam in numero.* Nam etſi qui erant in exilio non adfuiſſent cùm ita fieret, ſic tamen dicebant quia patres ipſorum tum adfuerunt & eam lætitiam erant experti. Quo etiam ſenſu iſta dicuntur: *Et malè fecerunt nobis Ægyptij*
Deut. 26. *& nos afflixerunt.* Et, *Clamauimus ad Dominum & eduxit nos.* Hæc autem verba: *Quoniam incedebam in numero*, ſunt ipſorum exulum, quorum vnuſ-
Num. 20. quiſque ſic dicit, quando in mentem reuoco me olim vnà cum aliorum aſcendentium multitudine aſcendiſſe in templum. *Incedebam cum illis.* Dictio אדדם *edadem* eſt pro אתדדה עמהם *etdadde immahem* incedebam cum eis, hoc eſt leniter gradiebar, perinde ac ſi diceret, cùm leniter per regionem noſtram incederemus vt pedites aſcenderemus; tum enim nullus timebatur aduerſarius, nec vllus in via caſus infeſtus; ſed cum voce exultationis & confeſſionis iter faciebamus. Eo ſiquidem tempore gratias agebamus & laudabamus Deum, per viam quæ nos deducebat ſecuros. *Cum multitudine feſta celebrante*, omnis illa multitudo eramus feriantes. Solebant enim cum ſuis oblationibus aſcendere ad templum, vt eas in die feſto offerrent, vel dictio חוגג *hhogeg* ſignificat tripudiantem turbam præ lætitiæ magnitudine. Quo ſenſu
1. Sam. 30. 16. dicitur: *Ecce illi diſcumbebant ſuper faciem terræ comedentes & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem pro cuncta præda*, &c.

V. 5. *Quare dejiceris anima mea*? Poſtquam ob triſtitiam effudit ſe in me anima mea in recordatione iſtorum gaudiorum, eam rurſus conſolatione demulceo

mulceo, ita ipſam alloquens, quare ſic dejiceris, anima mea ? ſpera in Deo. Psal.
Salutes vultus eius. Ac ſi diceret, adhuc faciam ſicut olim faciebam quoniam 42.
ſaluabit nos, Deus, & ex hoc exilio vindicabit. Porro ſenſus horum verbo-
rum: *Salutes vultus eius*, idem eſt ac illorum: *Et Angelus faciei eius ſaluabit* Eſa. 63.
eos, hoc eſt ab eo miſſus. 9.

V. 6. *Deus meus, anima mea apud me dejicitur propterea memor ſum tui.* Hoc eſt, propterea quando recordor tui, perinde ac ſi diceret, ideò mœrore dejicitur in me anima mea & conturbatur, quando tui recordor, ac in mentem reuoco quòd ſoliti eſſemus proficiſci è terra Iordanis, & inde conſcendere ad locum Sanctuarij, ſeu templum. Et idem ſentiendum de ijs qui incolebant montem Hermon & montem Mitſaar. Commemorat autem Iſraëliticæ terræ fines vnde ad feſta ſolebant aſcendere, mons enim Hermon ſitus eſt trans Iordanem ad ortum, montis verò Mitſaar nullibi fit mentio, fortaſſis etiam fuit vltra Iordanem. Aut fortè Mitſaar fuit aliqua ex vrbibus Iuda, quæ fuerit in monte ſita.

V. 7. *Abyſſus abyſſum.* His verbis indicat ærumnas quas in exilio Iſraëlitæ patiuntur; miſeriæ enim aquis ſolent comparari, quemadmodùm ſuperiùs dicitur, torrentes iniquitatis conturbauerunt me, & ſic in permultis Scripturæ locis: ac ſi diceret, dum mente recolo bona quibus olim fruebantur Iſraëlitæ, & calamitates quibus nunc in exilio poſiti opprimuntur, anima mea dejicitur. Senſus verò horum verborum: *Abyſſus abyſſum*, eſt, variæ grauéſque miſeriæ quaſi ſeſe mutuò accerſere in nos videntur. Ita etiam intelligenda ſunt iſta verba: *Ad vocem cataractarum tuarum*, ac ſi diceret, anima dejicitur ad ſonitum cataractarum tuarum, hoc ſenſu, ſic effunduntur ſuper nos ærumnæ quemadmodum aquæ ex tecto per canales decidunt magnum edentes ſonitum. Dici etiam poſſet per canales deſignari nubes è quibus imber effunditur. Et his omnibus variæ calamitates metaphoricè deſignantur; ſicut & per iſta verba: *Omnes procellæ tuæ & fluctus tui.* Procellæ & fluctus maris ſuper me tranſierunt, hoc eſt, ingentes miſeriæ nos oppreſſerunt. Dicit verò: *Procellæ tuæ & fluctus tui*, quoniam tu hæc omnia induxiſti ſuper nos propter iniquitates noſtras.

V. 8. *In die mandabat Dominus miſericordiam ſuam.* Sunt qui velint Pſalmographum loqui de profectione ipſorum Iſraëlitarum, nam interdiu cùm iter facerent, Deus ſuam erga illos miſericordiam exhibebat, efficiens vt per viam ſecuri & tuti incederent, ac proſpiciens vt omnia ſibi neceſſaria inuenirent. Nocte verò cùm eſſent in diuerſorio, Deum benedictum præconijs & canticis celebrabant, & quilibet ipſorum coram Deo viuenti ſuas preces effundebat. Poteſt etiam dici quòd in hoc verſu adhuc conſoletur animam ſuam quæ tot miſerijs dejecta erat; nempe ſibi proponens fore vt Deus ſuam iterum in nos miſericordiam noſtris temporibus mandaret. Et hæc ſunt liberationis tempora, quæ diurnæ luci comparantur, vt ipſum exilium nocti. Sic ergo loquitur: Noli ô anima mea, ſpem abjicere adfuturi nobis vindicis, quoniam adhuc Deus miſericordiæ ſuæ mandauit de nobis, & nos tandem liberabit. *Et nocte canticum eius mecum*, hoc eſt, quandiu verſamur in nocte, quæ eſt exilium hoc, erit canticum eius mecum; nempe quo Dei benedicti laudes decantabi-

mus pro omnibus beneficijs quibus olim affecit Patres noſtros, & quibus nos
PSAL. 42. quotidie in exilio cumulat. *Et adhuc oratio Deo vitæ meæ*, ac ſi diceret, adhuc deprecabimur Deum vitæ noſtræ, vt nos in vita conſeruet vſque dum Redemptor veniat, & videamus ſalutem ab ipſo afferendam, tumque in noſtris orationibus hæc verba dicemus.

V. 9. *Dicam Deo petræ meæ.* Hoc eſt, Deus qui iam ab initio fuit mihi inſtar petræ & arcis fortiſſimæ contra hoſtes meos, quare nunc mei, in exilio poſiti oblitus es? Dicit verò mœrens incedo, propter oppreſſionem inimicorum quâ nos in exilio affligunt. *Quare*, vox למה *lama* primo loco eſt lenis & habet accentum in vltima: ſecundo autem loco, afficitur puncto dagueſch & accentu in penultima.

V. 10. *Cum occiſorio gladio.* Quemadmodùm ſi occiſorium gladium infigerent oſſibus meis inimici, ſic affici mihi videor dum mihi dicunt: *Vbi eſt Deus tuus?* Si eſt tibi Deus aliquis, quomodo te tamdiu in exilio verſari patitur? Et illud probrum perinde mihi moleſtum eſt ac ſi me occiſorio gladio transfoderent. Porro dixit: *In oſſibus meis*, quoniam ipſa ſunt fundamenta corporis, & dictio רצח *retſahh*, eſt nomen adjectiuum gladij quo occiſores vtuntur.

V. 11. *Quare dejiceris anima mea?* Iterum animum ſuum conſolatur, illique dicit contra probrum illud hoſtium: *Vbi eſt Deus tuus?* Spera in Deo, quoniam eſt Deus verax; & adhuc ipſi gratias agam pro ſalute quam mihi allaturus eſt, ipſe enim tandem erit ſalus vultus mei, ac ſi diceret, quia ipſe opem & ſalutem faciei meæ adducet, & erit Deus meus, nam agnoſcent omnes gentes, quòd verus ſit Deus. Vel ſenſus vocis iſtius, *vultus mei*, erit vt in illo lo-
Gen. 11. 28. co: *Et mortuus eſt ad faciem Thare patris ſui*; ac ſi diceret, mihi adhuc viuenti ſalutem allaturus eſt. *Et Deus meus*, hoc eſt, & ipſe verè erit & agnoſcetur Deus meus nec ampliùs mihi dicturi ſunt: *Vbi eſt Deus tuus?*

PSALMVS QVADRAGESIMVS TERTIVS.

1. IVdica me Deus & diſcepta cauſam meam de gente non ſancta ab homine doloſo & iniquo crue me.

2. Quia tu, *es*, Deus fortitudinis meæ, quare me repuliſti? quare mœſtus incedo dum opprimit me inimicus?

3. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam ipſa me deducant: adducant me in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

4. Et introibo ad altare Dei, ad Deum lætiam exultationis meæ: & confitebor tibi in cithara Deus Deus meus.

5. Quare deiecta es anima mea, & quare perſonas in me? Spe-

ra in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, qui eſt ſalus vultus mei & Deus meus. Pſal. 43.

COMMENTARIVS.

V. 1. *IVdica me Deus.* Hic etiam Pſalmus in perſona exulum eſt editus. *Indica me*, vindica me, & iudicium exerce pro me aduersùs hoſtes meos. *Et diſcepta cauſam meam*, non enim ſatis habeo virium ad cauſam meam contra eos defendendam. *De gente non ſancta.* Si enim gentes illæ, quarum dominio ſubjectus ſum, ſanctæ eſſent & piæ, vltro ſic dicerem, veritas ſtat à partibus earum non verò à meis, & meæ iniquitates plures ſunt & grauiores quàm veſtræ, & propterea verſor ego in exilio, earum poteſtati ſuppoſitus. Verùm iſtæ gentes non ſunt ſanctæ; imò tantùm abeſt vt pietatem colant, aut bona opera exerceant, quin etiam homines ſunt fraudibus & iniquis operibus addicti. Porro illud: *Ab homine*, collectiuè ſumendum eſt, ſicut & illud, *vir Iſraël*, Iob.
de omnibus Iſraëlitis. 6.

V. 2. *Quia tu es Deus fortitudinis meæ.* Litera ו *vau* retinetur in dictione מעוזי *maaozzi*, licet ſequatur dagueſ. Dicit verò, cùm hactenus ſemper fueris robur meum, quomodo nunc me in exilio deſeris? *Quare*, primum למה *lama* eſt lene & habet accentum in vltima; ſecundum verò habet dagues; & accentum in penultima.

V. 3. *Emitte lucem tuam.* Hoc dicit contra illud, triſtis ſeu atratus incedo. Liberatio enim à miſerijs, lux quædam eſſe videtur. *Et veritatem tuam.* Promiſiſti ſiquidem te aliquando nos ex omnibus nationibus congregaturum, verba autem tua ſunt veriſſima. *Ipſa me deducant adducant.* Deeſt hoc loco particula conjungens, vt & in iſto: *Paſcam greges tuos, cuſtodiam. Ad montem ſanctum tuum*, hoc eſt domum ſanctuarij, quæ erat in monte Moria. Gen. 30. 31.

V. 4. *Et introibo ad altare Dei.* Atque iterum ſacrificia offeram ſicut olim facere ſolebam. *Ad Deum lætitiam exultationis meæ*, quoniam nulla eſt mihi lætitia aut exultatio præter ipſum, & ipſe eſt lætitia omnium lætitiarum mearum; hæc enim nominum eiuſdem ſignificati conjunctio fit ad exprimendam lætitiæ magnitudinem, ſicut cùm dicitur, Rex Regum. Cúmque ad eum acceſſero, lætabor in ipſo in ipſius domo. *Confitebor tibi in cithara.* Quemadmodum olim faciebant muſica inſtrumenta pulſantes, & cantica ad laudem tuam & cultum concinentes. *Deus Deus meus.* Nam tunc omnes ſunt dicturi, ipſum verè eſſe Deum meum, nec me in exilio deſeruiſſe.

V. 5. *Quare dejiceris anima mea.* Etiam ſi in hoc Pſalmo non expreſſa ſint hæc verba, Anima mea apud me dejecta eſt, in eo tamen dicitur dejiceris; nam hi duo Pſalmi idem habent argumentum, & eadem fere verba.

PSAL. 44.

PSALMVS QVADRAGESIMVS QVARTVS.

Præcentori Filijs Core, Erudiens.

1. DEus auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri narrauerunt nobis, opus, *quod*, operatus in diebus eorum: in] diebus antiquis.

2. Tu manu tuâ gentes ejeciſti, & plantaſti eos: afflixiſti populos & expuliſti eos.

3. Non enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos: ſed dextera tua & brachium, & lux vultus tui, quoniam complacuiſti in eis.

4. Tu, *es*, ipſe Rex meus, ô Deus! manda ſalutes Iacob.

5. In te inimicos noſtros cornu petemus: in nomine tuo conculcabimus inſurgentes in nos.

6. Non enim in arcu meo ſperabo: & gladius meus non ſaluabit me.

7. Sed tu ſaluaſti nos de affligentibus nos: & oſores noſtros pudefeciſti.

8. In Domino gloriabimur omni die: & nomen tuum in ſæculum celebrabimus.

9. At etiam repuliſti & ignominiâ affeciſti nos: & non egrederis cum exercitibus noſtris.

10. Auertiſti nos retrorſum ab hoſte: & qui oderunt nos diripuerunt ſibi.

11. Dediſti nos tanquam oues eſcæ: & in Gentibus diſperſiſti nos.

12. Vendis populum tuum ſine diuitijs: & non fœneratus es in pretijs eorum.

13. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris: ſubſannationem & deriſum iis qui ſunt in circuitu noſtro.

14. Poſuiſti nos in prouerbium Gentibus: commotionem capitis in populis.

15. Omni die ignominia mea coram me, *eſt*, & pudor faciei meæ cooperuit me.

16. A voce exprobrantis & conuitiantis ; à facie inimici & vltoris. PSAL. 44.

17. Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te : & non mentiti ſumus in pactum tuum.

18. Non receſſit retro cor noſtrum : &, *non*, declinauit greſſus noſter à via tua.

19. Quoniam attriuiſti nos in loco draconum : & operuiſti nos vmbrâ mortis.

20. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri : & ſi expandimus manus noſtras ad deum alienum.

21. Nonne Deus requiret iſtud ? ipſe enim nouit abſcondita cordis.

22. Quoniam propter te morti tradimur omni die : æſtimati ſumus ſicut oues mactationis.

23. Euigila quare obdormis Domine ? expergiſcere, ne repellas in æternum.

24. Quare faciem tuam abſcondis : obliuiſceris afflictionis noſtræ & tribulationis noſtræ ?

25. Quoniam deiecta eſt in puluerem anima noſtra : adhæſit terræ venter noſter.

26. Surge in auxilium nobis : & redime nos propter miſericordiam tuam.

COMMENTARIVS.

P*Recentori Filijs Core, Erudiens.* Hic etiam Pſalmus in perſona exulum Iſraëlitarum eſt editus.

V. 1. *Deus auribus noſtris audiuimus.* Hoc eſt, audiuimus quia Patres noſtri enarrauerunt nobis. Et illud : *In diebus eorum*, debet referri ad antiquiſſimos majores Iſraëlitarum, nam tempore patrum eorum qui erant in exilio res illæ quæ hic referuntur, non contigerunt, ſed maiorum illorum qui in terram promiſſam ingreſſi ſunt, quoniam horum tempeſtate mira & ſtupenda patrata ſunt, ipſque viderunt ſigna magna quæ Deus benedictus Iſraëlitarum gratiâ fecit, nam terram ſibi ſubjecerunt ſine vlla bellandi neceſſitate : quod quidem ipſi filijs ſuis narrauerunt, & filij ipſorum ſuis iterum poſteris, & tandem poſt longam generationum ſeriem vſque ad eos qui in captiuitatem fuerunt abducti.

V. 2. *Tu manu tuâ.* Deeſt hoc loco ב *beth* ſeruile ſicut iſtis in locis : *Nu-* 2. Rex.
merabant pecuniam quæ inueniebatur, in, *domo Domini.* Et, *Animâ meâ de-* 12. 10.
ſideraui te. Dicit ergo, tu manu tuâ eieciſti gentes, nempe quia Iſraëlitarum Iſa. 26.
manibus non fuerunt eiecti, non enim bellis opus habuerunt, & in locum illa- 9.

Psal. 44. rum plantaſti Iſraëlitas. Vtitur autem plantationis voce ad indicandum fore
vt ibi in ſæculum permaneant. Sic etiam alibi dictum eſt: *Introduces eos & plantabis eos.* Item: *Et plantabo vos in terra veſtra.* *Affixiſti populos.* Li-
Exod. 15 17. tera ל *lamed* in dictione לאמים *leummim* eſt ſeruilis, nam ea vox reperitur
ſine ל *lamed*, & eius thema eſt אומים *oumim*, vt iſto in loco: *Laudent eum*
Amo. 9. 14. *omnes populi.* *Et expuliſti eos.* Populos ſcilicet expuliſti à facie Iſraëlitarum.
Pſal. 150. Sunt qui verba iſta, ejeciſti eos, interpretentur, occidiſti eos, ex iſto loco: *Per arma tranſibunt.*

V. 3. *Non enim in gladio ſuo.* Tu ipſe gentes ejeciſti non verò Iſraëlitæ ſuo gladio ejecerunt eos vt terram earum virtute ſuâ occuparent. Et idem eſt ſenſus horum verborum: *Brachium eorum non ſaluauit eos. Sed dextera tua*, &c. Idem prorſus alijs verbis enuntiat: dextram verò manum præſertim nominat, quia illius operâ variæ exercentur artes & bella geruntur. *Et lux vultus tui.* Hoc eſt lux illa, quæ à vultu tuo ad illos diffundebatur; ſalus enim & fœlix rerum ſtatus luci comparari ſolet, calamitates verò tenebris. *Quoniam complacuiſti in eis.* Tuâ nimirum beneuolentiâ proſecutus es Iſraëlitas, & pro ipſis prœliatus es.

V. 4. *Tu ipſe, es, Rex meus, ô Deus.* Quia loquitur de omnibus in exilio poſitis, ideò vtitur aliquando plurali num. de ſingulis, aliquando ſingulari, de ijſdem collectiuè; dicit igitur, tu ipſe qui feciſti olim omnia hæc mirabilia cum Patribus noſtris, ſicut tunc fuiſti Rex meus, ſic etiam modò tu es Rex meus. Et tu es Deus iudex iudicans ex veritate & æquitate; ſi ita eſt, ſicut olim
Pſal. 91. 11. ſeruaſti Patres noſtros, ſic etiam nunc ſerua nos. Porro hæc verba: *Manda ſalutes Iacob*, eundem habent ſenſum ac illa, quoniam Angelis ſuis mandauit de te.

V. 5. *In te inimicos noſtros cornu feriemus.* Etiamſi ſub eorum ditione ſimus poſiti in exilio. Quod verò dicit, Cornu feriemus, idem loquendi mo-
Deut. 33. 17. dus occurrit iſto in loco: *Cornua rhinocerotis cornua eius, ipſis populos impetet.* *Conculcabimus.* Hoc eſt, ipſos pedibus noſtris obteremus; & dictio, *inſurgentes*, idem ſignificat ac hoſtes, qui ita nominantur eóquòd aduersùs homines inſurgant vt ipſis mala inferant.

V. 6. *Non enim in arcu meo ſperabo.* Vtitur numero ſingulari per modum ſignificati collectiui ac dicit, non ſperamus nos poſſe proprijs viribus egredi ex iſta captiuitate, ſed Dei noſtri ope, tuo inquam auxilio & ſalute.

V. 7. *Sed tu ſaluaſti nos.* Multoties enim Patres noſtros & nos ipſos in hoc etiam exilio ſaluaſti dum ſtarent aduersùs nos hoſtes noſtri, vt nos omnino perderent, ſed tu praua illorum conſilia irrita reddidiſti, & hoc iſtis verbis indicatur: *Et oſores noſtros pudefeciſti*, qui enim decreuit aliquid exequi, nec tamen poteſt, pudore & rubore ſolet affici.

V. 8. *In Domino gloriabimur.* Coram ipſis hoſtibus noſtris laudamus nos ipſos in te, ac nobis eſſe Deum prædicamus qui nos ex illorum manibus eſt crepturus. *Et nomen tuum celebrabimus in ſæculum.* Non enim recedet ex ore noſtro propter exilij noſtri longitudinem & tædium. Illud verò, *omni die*
Pſal. 7. idem eſt ac ſi diceret omnibus diebus, ſicut alibi dixit: *Te expectaui omni die.*

V. 9. *At etiam repuliſti.* Ecce nos ſpeculamur & expectamus totâ die Psal.
ſalutem & liberationem, verùm non modo nos in libertatem non aſſeruiſti, 44.
quin etiam repuliſti nos & hoſtium noſtrorum poteſtati tradidiſti vt nos pro arbitrio malis afficiant. *Et nos ignominiâ affeciſti.* Nam de te gloriamur apud hoſtes, eiſque dicimus quotidiè fore tandem vt nos liberes, ecce autem ſalus & liberatio longè à nobis ablatæ ſunt, vnde coram ipſis pudore ſuffundimur, dicunt enim irridentes nos, vbi ſunt verba veſtra, & vbi eſt ille qui vos in libertatem erat aſſerturus. *Et non egrederis cum exercitibus noſtris.* Nempe vt iactaueramus apud inimicos noſtros, fore ſcilicet vt egredereris cum copijs noſtris, tuâ enim ope & ductu ſperabamus exercitus & turmas Iſraëlitarum ex hoc exilio exituras ſicut olim ex Ægypto exiuerunt.

V. 10. *Auertiſti nos retrorſum.* Si quando ipſis hoſtibus reſiſtere tentemus cùm ad nos affligendos irruunt, nos viribus deſtitutos ſentimus, & quamdiu nos non adjuuas perinde eſt ac ſi nos retrorſum poſt illos conuerteres. *Diripuerunt ſibi.* Eſt hoc ſimile illi loco: *Et ipſi deripiebant areas*, 1. Sam.
eiuſdem eſt conjugationis & ab eodem themate, ex ordine quieſcentium in 23. 1.
tertia radicali vt עשו *aaſou* & בנו *banou*, habétque accentum in penultima propter adjunctam vocem למו *lamo* quæ etiam penacuta eſt, ſicut etiam fit in iſtis vocibus ולא עשו חסד *velo aaſou hheſed* & non fecerunt miſericordiam. Porro ſenſus eſt, facultates noſtras ſibi diripuerunt.

V. 11. *Dediſti nos tanquam oues eſcæ.* Sicut oues eſui deſtinatæ ſunt, ita nos expoſuiſti vt eſſemus præda & cibus Gentium, nec vnius ſolùm Gentis ſed plurimarum, nam, *in Gentibus diſperſiſti nos.*

V. 12. *Vendis populum tuum.* Qui enim rem aliquam vendit nullum ſibi ad illam reuertendi locum relinquit, ſic longa illa captiuitas noſtra videtur indicare te nos vendidiſſe Gentibus: & quidem pecuniam recipit venditor, tu verò non ita ſicut Propheta dixit: *Gratis venundaſti eſtis. Et non multi-* Iſa. 52.
plicaſti in pretijs eorum. Nulla enim res eſt propter quam indigeas opibus quia 3.
tuum eſt argentum & aurum ſicut dicitur: *Si eſuriero non dicam tibi meus eſt* Pſal. 50.
enim orbis terræ & plenitudo eius. Senſus autem verbi, non multiplicaſti, eſt 12.
non auxiſti opes tuas eò quod accepiſti ex pretijs eorum.

V. 13. *Poſuiſti nos opprobrium.* Omnes enim Gentes inter quas verſamur nos vbique probris afficiunt, ipſiſque ſubſannationi & ludibrio ſumus.

V. 14. *Poſuiſti nos ſimilitudinem Gentibus.* Nam rei cuiuſlibet malæ & deſpicabilis ſimilitudinem applicant Iudæis. *Commotionem capitis*, quia capita ſuper nos agitant, vt alibi etiam dicitur: *Omnes videntes me derident me,* Pſal. 22.
deducunt labium, mouent caput. In dictione verò לאמים *leummim* populis 8.
litera ל *lamed* eſt radicalis ſicut in & in iſto loco ולאום *ouleoum. Et populus*
populo robuſtior erit. Gen. 25.
23.

V. 15. *Omni die.* Hoc eſt ſingulis diebus. *Ignominia mea.* Vox eſt ſingularis collectiuè ſumpta hoc ſenſu. Et ecce pudore ſuffundimur propter verba eorum qui nos probris & conuicijs dilacerant ob exilij noſtri longitudinem. Et hoc eſt quod verſu ſequenti dicitur.

V 16. *A voce exprobrantis & conuiciantis, & vlciſcentis.* Vltionem & pœnas nobis infligunt quaſi ipſis injuriam aliquam intulerimus.

Psal. 44. V. 17. *Hæc omnia.* Etiamſi hæ omnes moleſtiæ nobis euenerint, tui tamen obliti minime ſumus; & licet continuam gentium aliarum felicitatem & noſtram infelicitatem videamus.

V. 18. *Non tamen receſsit retro cor noſtrum.* Non receſſit retro à fide tua cor noſtrum. *Et*, non, *declinauit greſſus noſter à vijs tuis.* Particula, non, ſemel poſita eſt loco duarum.

V. 17. *Quoniam attriuiſti nos.* Quando tantâ nos affeciſti calamitate, vt nos contriueris in loco draconum, ſi obliti ſumus nomen Dei noſtri in tantam anguſtiam redacti. Illud porro, *in loco draconum*, ſignificat inter Gentes: Tren. 4. 5. comparat enim Gentes quarum dominio ſubditi ſumus, cum draconibus & vlulis deſertorum feriſſimis, ſicut dicitur: *Sed etiam dracones educunt mammas. Et operuiſti nos vmbrâ mortis.* Ecce nos densâ exilij caligine obducti ſumus.

V. 20. *Si obliti ſumus.* In omnibus iſtis calamitatibus quibus modò ſumus oppreſſi, ſi obliti ſumus nomen Dei noſtri in corde noſtro, perinde ac ſi diceret, ſi tantùm apud nos cogitauerimus Gentes iſtas quæ nos opprimunt nec credunt in Deum noſtrum, pacatâ nihilominus felicitate frui, nos verò qui in ipſum credimus verſari in anguſtijs, ſic eius obliuiſcimur ex corde noſtro & ad deos illarum conuertimur, ſi hoc fecerimus.

V. 21. *Nonne Deus requiret iſtud?* Ipſe enim nouit abſcondita quæque, nec eum latet ſi vel praua aliqua cogitatio abnegandi fidem eius propter ſupradicta, in corda noſtra aſcenderit. Senſus horum verborum: *Si expandimus manus noſtras ad Deum alienum*, eſt, etiam vi & coactione nobis adhibitâ non expandimus manus noſtras ad Deum alienum, ſed nos ipſos occiſioni tradidimus. Nam ſi in corde noſtro Deum noſtrum non ſumus obliti, quomodo expandemus manus noſtras ad Deum alienum? & hoc eſt quod ſubjungit. *Quoniam propter te morti tradimur omni die.* Nonne Deus requiret iſta? Nempe ſi eum ex cordis noſtri memoria delemus.

V. 22. *Quoniam propter te tradimur.* Scilicet propter nominis tui vnitatem, quia te nolumus abnegare, nos propter hoc morte afficiunt, *omni die*, hoc eſt ſemper. *Sicut oues mactationis*, ſicut oues laniorum, hi enim mactationi & non paſtui aut conſeruationi oues deſtinare ſolent.

V. 23. *Euigila.* Quando enim nos non exaudis & tamen noſtras calamitates intueris, perinde eſt ac ſi dormires, & non aduerteres ea quæ patimur. Et ſiquidem per quamplurimos iam annos dormienti ſimilem te exhibueris, at modò ſaltem ac deinceps, expergiſcere & ne repellas nos in æternum.

V. 24. *Quare faciem tuam abſcondis?* Nempe inſtar hominis qui alienam calamitatem non vult inſpicere, vel ſi inſpexeris quare oblitus videris? hoc enim notatur iſtis verbis: *Obliuiſcens afflictionis noſtræ.* Hæc autem omnia figuratè ſunt dicta, quia ſæpe humanum loquendi morem Lex imitatur.

V. 25. *Quoniam deiecta eſt.* Ac ſi diceret, parum à morte diſtamus, ecquando nos ſeruabis? iam enim vſque in puluerem deiecta eſt anima noſtra, hoc eſt, iam iam è corpore eſt egreſſura. *Adhæſit terræ venter noſter.* Qui in terram cadit nititur ſuis ſe fulcire manibus; verùm ſi manus ipſæ nutauerint, terræ venter alliditur.

V. 26.

V. 16. *Exurge.* Vox קומה *quouma* breuis eſt. *Auxilium*, pro ad auxilium. *Propter miſericordiam tuam.* Si nulla ſint in nobis bona opera propter quæ nos redimas, at propter teipſum id præſtiteris, nempe propter miſericordiam tuam. Psal. 45.

PSALMVS QVADRAGESIMVS QVINTVS.

Præcentori ſuper Schoſchamnim, Filijs Core, Erudiens, canticum amorum.

1. ERuctat cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi: lingua mea calamus ſcribæ velocis.

2. Pulcher fuiſti valde præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

3. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, ô potens: gloria tua & decore tuo.

4. Et decore tuo proſperare, equita ſuper verbum veritatis & manſuetudinem iuſtitiæ: & docebit te terribilia dextera tua.

5. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in cor inimicorum Regis.

6. Solium tuum Deus in ſæculum & in æternum: virga æquitatis, virga regni tui.

7. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætiæ præ conſortibus tuis.

8. Myrrha & aloës & caſiæ omnia veſtimenta tua: ex palatiis eburneis, vnde lætificauerunt te.

9. Filiæ Regum inter honorabiles tuas: aſtat coniux ad dexteram tuam in auro obrizo.

10. Audi filia & vide & inclina aurem tuam: & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui.

11. Et concupiſcet Rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus tuus, & tu adora ipſum.

12. Filia Tyri in munere: vultum tuum deprecabuntur diuites populi.

13. Tota glorioſa eſt filia Regis intus, ex veſtibus auro intertextis veſtimentum eius.

14. In veſtibus acupictis adducentur Regi, virgines poſt eam

Psal. ſociæ eius adducentur tibi.

45. 15. Adducentur in lætitiis & exultatione: ingredientur in palatium Regis.

16. Pro patribus tuis erunt filii tui: conſtitues eos Principes in omni terra.

17. Memorabo nomen tuum in omni generatione & generatione: propterea populi confitebuntur te in ſæculum & perpetuò.

COMMENTARIVS.

P*Ræcentori ſuper Schoſchannim.* Inſtrumentum eſt muſicum quod habebat id nominis Schoſchannim ſeu lilia. Et hic Pſalmus de Rege Meſſia eſt editus, appellatúrque canticum amorum, ac ſi diceretur, Dilectionis Dei erga Meſſiam ſeu Chriſtum.

V. 1. *Eructat cor meum.* Verbi רחש *rahhaſch* ſignificatum peti poteſt ex his verbis Magiſtrorum noſtrorum F. M. num forte mouendo mouentur labia ipſorum in hoc mundo? nempe in ſepulchro hoc ſenſu, emouere facit cor meum, ac ſi diceret, quòd mouebat labia ſua, & non audiebatur ſermo. Idcirco vſurpatur hæc vox de ſermone cordis, quia non auditur donec egrediatur per labia & quaſi diſſcindatur. Cor enim eſt ſcaturigo ſermonum, ſicut fons & vena aquarum. Et cantor ſtatim ab initio laudat verba ſua, quoniam ſermones quos de Rege Meſſia edere inſtituit, ſunt de rebus præſtantiſſimis. *Dico ego opera mea Regi*, hoc eſt, in ipſo ſermonis ſeu carminis mei exordio profiteor hæc mea laudum opera eſſe propter Regem, hoc nempe canticum quod iam compono. *Lingua mea calamus ſcribæ velocis.* Perinde ac ſi diceret feſtinanter de ipſo loquitur lingua mea, ſicut calamus ſcribæ velocis qui ſcribit ſine morâ, ita ego ſermones iſtos de Rege.

V. 2. *Pulcher valde fuiſti.* Iamdudum docuimus in libro Miclol omnem
Leu. 13. duplicationem literarum radicalium fieri amplificandæ ſignificationis rei gra-
49. tiâ, vt in iſtis vocibus ירקרק *ieracrac* viridis admodùm. אדמדם *adamdam*, valde rubens. Alloquitur ergo Regem Meſſiam video, inquit, cùm ſpeciem tuam inſpicio, te cæteros homines longe pulchritudine antecedere. Ita etiam cum loqueris, verba tua ſunt verba gratiæ, non ſecus ac ſi gratia ipſa tuis in labijs eſſet infuſa. *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Ac idcirco ego dico Deum te benedixiſſe in æternum cóquòd inueneris gratiam in oculis omnium. * Et hoc modo Dei benedictionem alicui affuſam eſſe veriſſimè conſtat.

V. 3. *Accingere gladio tuo.* Sunt quidam gladij qui ſuper lumbos accin-
2. Sam. guntur ſicut de Ioab ſcriptum eſt: *Et ſuper illam*, tunicam, *cingulum gla-*
20. 8. *dij coniuncti ſuper lumbos eius.* Alij ſunt qui ſuper femur accinguntur, vt de
Iud. 3. Aod dicitur: *Qui fecit ſibi gladium ancipitem, & accinctus eo ſubter ſagum*
16.

* Alludere videtur ad tritum illud Sapientum Hebræorum dictum, Qui amatur infernè amatur etiam supernè, & ad illud, Super quem Spiritus hominum quieſcit, ſuper eum etiam quieſcit Spiritus Dei. i. Quem hic homines præſertim probi amant, & cui illi fauent, hunc & Deus amat & illi fauet.

in dextro femore. Vox, potens, eſt vocatiui caſus, húncque habet ſenſum, ô
tu qui potens es gloriâ tuâ & decore tuo; & gladius tuus non eſt alius quàm
gloria tua & decus tuum. Nam etiamſi tempore Meſſiæ pacata & quieta fu- PSAL.
tura ſint omnia, vt Prophetæ vaticinati ſunt, initio tamen regni illius bel- 45.
lum erit aduersùs Gog & Magog. Dominus autem Pater meus P. M. verba
iſta: *Accingere gladio tuo*, metaphoricè intelligenda eſſe exiſtimat, & gla-
dium eſſe ipſam gloriam & decorem. Perinde ac ſi diceret, timeant te po-
puli propter gloriam & decorem tuum, quemadmodum potentem virum gla-
dio accinctum reuerentur. Hoc etiam modo illa verba exponit: *Et decore tuo
proſperare equita*, currus eius erit veritas, manſuetudo & iuſtitia. At Magi-
ſtri noſtri F. M. verſum hunc explicant de verbis legis, itaut figuratè hîc bel-
lum legis deſignetur, imò ipſi affirmant eum eſſe verſus huius ſenſum li-
teralem.

V. 4. *Et decore tuo.* Quid verò iſtis verbis, Et decore tuo, indicatur?
nempe quòd ſis pertranſiturus & equitaturus ſuper verbum veritatis, man-
ſuetudinis & iuſtitiæ. Et verbum hoc צלח *tſelahh* idem hîc ſignificat ac in illo
loco: *Et penetrarunt Iordanem*, quod idem eſt ac pertranſierunt. Senſus igi- 2. Sam.
tur eſt, vt pertranſeas ſuper hoſtes tuos & equites, non eſſe debet equitatus 19. 41.
tuus cum ſuperbia & elatione cordis, ſed cum veritate & manſuetudine & iu-
ſtitiâ. *Et docebit te terribilia dextera tua.* Cúmque currus tuus inſtructus erit
veritate & manſuetudine, tum videbis ſtupenda & miranda quæ aduersùs ho-
ſtes tuos exequeris. Dictio ענוה *anaua* ſcribitur cum ה *he* in fine, ſed perin-
de eſt ac ſi haberet ת *tau*; eſt enim constructa. Similiter vox illa ſcribitur:
Inuenit quaſi איפה *ephi menſuram hordei.* Et illa alia, *collectio vincti*, & Ruth. 2.
aliæ ſimiles iſtis, vt ſcripſimus in libro Miclol. Aut nomen ענוה *aanaua* erit 17.
alterius formæ, quæ ſic abſolutè vſurparetur, &c. Et dictio צדק *tſedec*, de- Eſa. 42.
ſtituta erit litera ו *vau*, vt ſenſus ſit, Et manſuetudine & iuſtitiâ, ſicut dici- 7.
tur ſol luna, pro ſol & luna. Abac.

V. 5. *Sag*[illegible]*: acutæ.* Non obtuſæ erunt, imò acutiſſimæ tuæ ſagittæ. 3. 11.
In cor inimico[illegible] *Regis.* Hæc verba referri debent ad iſta, Sagittæ tuæ acu-
tæ: Ac ſi diceret, Sagittæ tuæ cadent in cor inimicorum, donec ſub te cadant
omnes populi, & caput ante te non audeant attollere. Et ſunt qui dicant ſi-
gnificatum verbi, *cadent*, referri ad ea quæ antecedunt & ad ea quæ conſequun-
tur, ac idcirco dixiſſe Pſaltem, cadent in cor inimicorum, cum ſcheua in vo-
ce יפלו *ippelu*, licet ſit affecta accentu Atnah, ad conjungendum eius ſigni-
ficatum cum iſtis verbis, in cor inimicorum Regis, ac ſi diceretur, ſagittæ
tuæ cadent in cor inimicorum tuorum.

V. 6. *Solium tuum Deus.* Excellens Rabbi Saadias ſic exponit hæc verba,
ſolium tuum ſtabiliet Deus. Sapiens verò Rabbi Abraham hoc modo, ſolium
tuum, eſt ſolium Dei iuxta illud: *Seditque Salomon ſuper ſolium Domini.* 1. Paral.
Virga æquitatis. Quoniam virga regni tui, erit virga rectitudinis, idcirco ſo- 29. 23.
lium tuum ſtabit in ſæculum & in æternum.

V. 7. *Dilexiſti iuſtitiam*, &c. Hæc verba: *Vnxit te oleo lætitiæ*, hunc ha-
bent ſenſum, quia mundus vniuerſus lætatus eſt quando te Deus inunxit. Iſta
verò: *Præ conſortibus tuis.* Cùm excitauit te e medio ſociorum tuorum, &

Psal. 45. te in Regem elegit : vel ſenſus eſt , quando te præ conſortibus tuis elegit. Et dictio מחברך *mehhanreca* , eſt pluralis numeri , etiamſi ſine litera י *iod* ſit ſcripta , & multæ aliæ voces huic ſimiles occurrunt.

V. 8. *Myrrha & aloes , & , caſiæ.* Myrrha ſecundùm ſententiam multorum interpretum eſt muſcus. Plerique tamen cenſent eſſe ſuccum cuiuſdam arboris , cùmque boni odoris , & Arabicè dici , Louni. Aloës verò exiſtimant eſſe quoddam aroma , quod Arabicè vocatur Sandal. *Caſiæ* , hæc dictio קציעות *queetſioot* caſiam ſignificat vnde pro voce קדה *quida* vſurpatur à Chaldæo, & Arabicè appellatur *aanbar.* Dicit igitur Pſaltes , omnia veſtimenta tua ſuauiſſimum odorem emanant perinde ac ſi eſſent hæc ipſa aromata. *Ex palatijs eburneis.* Et ipſa veſtimenta tibi depromuntur ex vaſis eburneis in quibus repoſita fuerant. *Vnde lætificauerunt te.* Vox מני *minni* habet י *iod* additi-
Iud. 12. 6. tium , ſicut & in illo loco : *Ex Eprahim* , & ſignificat hic , ex quo lætificauerunt te , quia nempe decens ornatus humanum animum gaudio dilatare ſolet. Et totus hic verſus figuratè poteſt exponi de omnibus bonorum operum ge-
Eccl. 9. 8. neribus ſicut illud : *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida , & oleum ſuper caput tuum non deficiat.*

V. 9. *Filiæ Regum inter honorabiles tuas.* Litera ב *beth* vocis ביקרותיך *biquroteca* habet hhiric , & litera י *iod* in lectione occultatur , & ק *quof* afficitur puncto dagues , ſenſus verò eſt , inter lectiſſimas mulieres , quas in domo tua habebis , quamplurimæ erunt è Regum familijs , omnes ſiquidem Reges Gentiū magno honori ſibi vertent , ſi filiæ ſuæ tibi aſtiterint in palatio tuo. *Aſtat coniunx ad dexteram tuam.* Etiamſi multæ Regum filiæ inter mulieres tuas exiſtant , Regina tamen quæ ex Iſraëlitico populo orta eſt , aſſidet à dextris tuis in auro Ophir , hæcque deſignatur hac voce שגל *ſchequel* , nempe quæ , vt conjunx regia ſemper vna regij thori ius habet. Aliæ autem certis tantùm temporibus vocatæ ad Regem accedunt , cùm earum quælibet ſuo tempore vocatur vt ad ipſum ingrediatur. At Regina vxor ipſius ſem[per] eſt in conclaui illo in quo thorus regius aſſeruatur , vnde dicitur שגל *ſche[quel]* conjunx , ſicut in iſto loco : *Et coniunx ſedebat iuxta illum.*

Nehem. 2. V. 10. *Audi filia & vide.* Hoc dirigit Pſaltes ad vnamquamque ex regijs filiabus , & ſenſus eſt , Audi hanc meam admonitionem quam ad te dirigo , *Et vide* , hoc eſt , mentis oculo inſpice & intell[ige]. Ita ſæpe verbum hoc ſumitur.

V. 11. *Et concupiſcet Rex decorem tuum , quia ipſe eſt Dominus tuus.* Non enim alium habes Dominum licèt ex alia Gente ortum duxeris.

V. 12. *Filia Tyri.* Hoc eſt cœtus Tyri ſicut filia Sion , filia Ædom. Dicit verò ſingulis filiabus regijs , cœtus Tyriorum ad te veniet cum muneribus. Ita etiam : *Vultum tuum deprecabuntur diuites populi* , omnium ſcilicet populorum diuites. Tyrum autem ſpeciatim nominat , quòd vrbs iſta vicina eſſet terræ Iſraël , & ſemper ex ea venturi eſſent cum muneribus ad quamlibet regiarum mulierum.

V. 13. *Tota glorioſa eſt.* Dictio כבודה *cheuonda* ſcripta eſt cum ו *vau* & dagues. Dicit ergo tota glorioſa eſt filia Regis , quæ intus in regio palatio reſidet ex veſtibus auro intertextis indumentum eius.

V. 14. *In veſtibus acupictis.* Litera ל *lamed* ante dictionem רקמות *recamot* eſt

loco ב *beth*, vt etiam contingit in iſto loco, Occidi virum לפצעי *lephitſei* pro ב *be* PSAL.
in vulnere meo: quaſi diceret, in veſtibus acupictis adducetur ad Regem vnaquæque illarum, quando illam deſiderabit. Et virgines quæ ſociæ eius ſunt & pulchræ, & omnes regiæ filiæ, poſt eam adducentur. Vox illa tibi, ad Regem eſt referenda. 45.

V. 15. *Adducentur in lætitijs.* Et omnes iſtas ad Regem introducent in lætitijs & exultatione. *Ingredientur in Palatium Regis*, hoc eſt in illud Palatium, in quo Rex ſolet reſidere. Nam ipſæ ſeorſim habitant in Palatio ſibi deſtinato, quod eſt gynæceum, vſquedum Regi gratum ſit, & eius iuſſu nominatim vocentur vt adſtent coram ipſo. Porro hi omnes verſus figuratè poſſunt exponi, & hoc quidem rectius eſt, itaut per Regum filias, deſignentur populi Nationum exterarum, qui omnes à patrijs ritibus ſunt receſſuri vt Regi Meſſiæ obtemperent. Per conjugem verò quæ & Regina eſt, metaphoricè ſignificatur congregatio Iſraëlitica, quæ tanquam Auguſta futura eſt aliarum Gentium reſpectu. Dicitur autem, *Audi filia*, vnicuique Nationum, ne vllius voluntati, quàm Regis Meſſiæ obtemperent: quoniam ipſe eſt omnium ipſarum Dominus. Et omnes populi venient ad Meſſiam cum muneribus. Præ alijs verò nominauit cœtum Tyriorum, quia ſunt vicini terræ Iſraël, vt iam diximus. Et dictio virgo, eadem hîc metaphorâ deſcribitur quâ iſto in loco: *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.* Nam exteræ Nationes Gentium ſimiles erunt virginibus quæ nondum à viro cognitæ ſunt, donec ad maritum deducantur; ſic, inquam, erunt Gentes, ac ſi nondum legem vllam nouerint aut ſtatutum, & ſe ſubjicient præceptis Regis Meſſiæ, ac recipient legem Iſraël, aut * ſeptem præcepta. Thren. 1.

V. 16. *Pro Patribus tuis.* Sicut regia dignitas à maioribus per continuas generationum ſeries ad Regem Meſſiam deuoluta eſt donec tandem ipſi contingeret, ita etiam in filijs ipſius non deficiet, eapropter dixit: *Pro Patribus tuis erunt filij tui.*

V. 17. *Memorabo nomen tuum.* Alloquitur vates Regem Meſſiam, nam per ſingulas generationes ſunt qui nominis eius meminerint, & aduentum eius præſtolentur. *Proptereà celebrabunt te populi*, nempe quia regnum tibi erit & magnitudo, cui hactenus nulla ſimilis fuit. Populi confitebuntur te, hoc eſt, profitebuntur te Regem eſſe ſuper ipſos: ſimile eſt illud: *Iuda tu, laudabunt te fratres tui.* Gen. 49. 8.

* Per illa ſeptem præcepta intelligere videtur ea quæ dicuntur accepiſſe filij Noe, iudicia ſcilicet, benedictionem Dei, cultum alienum, ſeu prohibitionem idololatriæ, reuelationem nuditatis illegitimam, effuſionem ſanguinis humani, rapinam, membrum de viuo animali non tollendum. Hæc imponebantur cùm ſeptem populis in bello ſeſe dedentibus, tum proſelytis illis qui legem recipere & circumcidi volebant. Sic Actor. 15. ſimile quid Gentibus ad Chriſtum conuerſis præcipitur, ex decreto Apoſtolorum.

Psal. 46.

PSALMVS QVADRAGESIMVS SEXTVS.

Præcentori filijs Core, ſuper Alamot Canticum.

1. DEus nobis refugium & fortitudo: adjutorium in anguſtijs inuentus eſt valdè.

2. Propterea non timebimus dum permutabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

3. Sonent & turbentur aquæ eius: commoueantur montes in elatione eius.

4. Fluminis riuuli lætificabunt ciuitatem Dei: ſanctum Tabernaculum Altiſſimi.

5. Deus in medio eius non commouebitur: adjuuabit eam Deus manè diluculò.

6. Conturbatæ ſunt Gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, liquefacta eſt terra.

7. Dominus exercituum nobiſcum: ſuſtentaculum nobis Deus Iacob.

8. Venite, videte opera Domini: qui poſuit ſolitudines in terra.

9. Ceſſare fecit bella vſque ad fines terræ: arcum contriuit & præcidit haſtam, currus combuſſit igni.

10. Ceſſate & videte quòd ego, *ſum*, Deus: exaltabor in Gentibus, exaltabor in terra.

11. Dominus exercituum nobiſcum: ſuſtentaculum noſtrum Deus Iacob.

COMMENTARIVS.

SVper *Alamot Canticum.* Iam ſcripſimus vocem Alamot eſſe nomen alicuius inſtrumenti muſici. Hic etiam Pſalmus agit de rebus futuris temporibus euenturis, cùm nempe qui in exilijs ſunt, congregabuntur propter bella Gog & Magog. Et hi ſunt * dolores Meſſiæ, de quibus frequens eſt mentio

* Per dolores Meſſiæ videntur intelligi afflictiones, calamitates & perſecutiones futuræ temporibus Meſſiæ, vt exponit Abarbanel in Daniel, quas tam graues fore dicit ex traditione acceptum, vt beatum prædicarint illum qui illas non viſurus eſt, nec illis temporibus victurus. Cúmque totidem ferè verbis eas calamitates prædixerit Chriſtus Luc. 23. 28. quæ Iudæis euen-

apud Magiſtros noſtros P. M. Cùm igitur illæ euenerint anguſtiæ. Psal.
V. 1. *Deus* erit, *nobis refugium & fortitudo.* Quo ſenſu alibi eſt ſcriptum: 46.
Abſcondere ad modicum tempus donec tranſeat ira. Dicit autem, valde, vt de-
notet maximum fore illud auxilium quo Gens modica à quam plurimis popu- Iſa. 25.
lis eſt liberanda. 20.

V. 2. *Propterea non timebimus.* Ac ſi diceret, etiam ſi terra mutaret locum ſuum & nutarent montes, non propterea timebimus: hæc autem figuratè dicuntur de acerrimis bellis quæ inter populos ſunt agitanda, quemadmodum ſcriptum eſt: *Et dabo Gentem aduerſus Gentem, & vrbem contra vrbem.* Sic etiam iſta verba: *Sonent & turbentur aqua eius.* Omnia iſta metaphoricè ſunt intelligenda de bellis ingentibus & magnis calamitatibus aliquando futuris. Scribit tamen ſapiens Rabbi Abraham filius Eſræ P. M. eſſe aliquos qui hæc verba ad literam exponant, additque, eóquòd ſol in auge moueatur à gradu in gradum, & à ſigno in ſignum, propterea Phyſicos aſſerere futurum quandoque tempus quo terra ibi ſit futura, vbi eſt mare, & mare occupaturum ſit terræ locum. Alij ſic volunt explicanda eſſe iſta verba. Etiamſi ita vere contingeret, nihilominus tamen non timebimus. Quamuis nunquam ita ſit futurum, dudum enim poſuit arenam terminum mari, dixitque non re-
uertentur ad operiendam terram: ſed noſtra expoſitio rectior eſſe videtur: quia Pſal.
figuratè iſtud eſt dictum. 104. 9.

V. 3. *Sonent & turbentur aqua eius.* Horum verborum ſenſus deſumi poteſt
ex iſtis locis: *Viam feciſti equis tuis in cumulo aquarum multarum.* Item: *Et* Abac.
coacervarunt eas aceruos, ſeu aceruatim. Ac ſi diceret, faciant aquæ 3. 15.
ingentes fluctuum aceruos dum mare fortiter reſonat. Ionathan Paraphraſtes Exod. 8. 14.
vocem יחמרו *iehhmerou* interpretatur ex illo loco: *Vallis ſilueſtris habebat* Gen.
puteos multos bituminis: ac ſi diceret, tranſeant aquæ iuxta illud: *Impulerunt* 14. 10.
ſe aqua eius cano & luto. Eſa. 57.
V. 4. *Fluminis riuuli lætificant.* Interim dum montes contremiſcunt ac 20.
nutant, & aquæ maris horrendum edunt ſonitum, hoc eſt, dum maxima deſæuiet calamitas, & bellum erit inter regna Gentium aliarum, non timebunt Iſraelitæ, ſed tum gaudio perfruentur. Et hoc eſt quod allegoricè exprimit dicens, Fluminis riuuli lætificant. Et contra id quod ante dixerat aquas maris vehementer concitatas, iam dicit fore vt egrediatur fluuius ex vrbe Ieroſolymitana, quæ eſt ciuitas Dei, cuius fluuij riuuli, Dei ciuitatem, hoc eſt, incolas ciuitatis Dei, lætitia afficient. Et illa ciuitas eſt locus ſanctus tabernaculorum Dei. Perinde ac ſi diceret, omnem quidem terram Iſraël eſſe Dei tabernacula, ſed Ieroſolymam eſſe ſanctiſſimum omnium.

V. 5. *Deus in medio eius.* Ac propterea non commouebitur. *Manè diluculò.* Dicit hic manè, quia ibi ab initio futurum eſt bellum aduerſùs Ieroſolyma,
ſicut in vaticinio Zachariæ prædictum eſt: *Et congregabo omnes Gentes ad Ie-* Zach.
ruſalem in prælium, & capietur ciuitas & vaſtabuntur domus. Illud autem 14. 2.
tempus appellatur veſpere, at tempus quo liberatio continget, mane dicitur;

turæ erant ob verum Meſſiam repudiatum, ad has veterum traditiones reſpexiſſe videtur cùm ait Math. 24. 8. *Hæc ſunt initia dolorum*, de afflictionibus & calamitatibus, vtriuſque ſui aduentus loquens.

ſicut etiam dictum eſt ibidem, & in tempore veſperi erit lux. Ita etiam dici-
Psal. tur, Ecce aduentante mane, &c.
46. V. 6. *Conturbatæ ſunt Gentes, inclinata ſunt regna.* Quemadmodum eo-
——— dem loco à Propheta dictum eſt, Et congregabo omnes Gentes ad Ieruſalem
in prælium. Illæ porro Gentes & regna, quæ fremuerunt, & conuenerunt cum ſtrepitu magno, nutauerunt: & Deus benedictus dedit vocem ſuam contra ipſas Gentes. *Et liquefacta eſt terra.* Ac ſi diceret, omnes homines terras Gentium incolentes liquefacti & pauore conſternati ſunt.

V. 8. *Venite videte opera Domini.* Nam iſta in re nihil eſt aliud quàm Dei operatio. *Qui poſuit deſolationes in terra.* Magnam ſanè deſolationem induxit in illas Gentes, quæ contra Ieruſalem præliabantur, quoniam Gentes quamplurimæ ad bellum ſimul congregatæ percuſſæ fuerunt, & exiguus populus qui tum erat in Ieruſalem, occidit eas. Hæc profectò omnia, aliud non
Zach. ſunt, quàm mira Dei opera, ſicut eſt prædictum: *Et egredietur Dominus &*
14.3. *præliabitur contra Gentes illas, ſicut, in die certaminis.*

V. 9. *Ceſſare faciens bella.* Quoniam per illud prælium finis omnibus bellis in perpetuum eſt imponendus. *Vſque ad fines terræ.* Quia nullum deinceps futurum eſt bellum, nam qui ſuperſtites fuerint, agnoſcent hoc potenti virtute Dei eſſe effectum, ac omnes populi ad cultum Deo exhibendum cõuertentur;
Zach. ſic dictum eſt à Propheta: *Et erit Dominus Rex ſuper omnem terram. Arcum*
14.9. *conteret.* Quia videbunt quòd arcum Gog & Magog confregerit & haſtas eo-
Ezec. rum præciderit, ſicut ſcriptum eſt: *Et percutiam arcum tuum. Currus com-*
39.3. *buſſit igni.* Hoc eſt, in ira furoris ſui; vel literaliter intelligendum eſt,
Ibid. quemadmodum alibi dictum eſt: *Ignem & ſulphur pluam ſuper ipſum & ſuper*
c.38.22. *agmina eius.* Quapropter reuerebuntur omnes ipſi Dominum vt ei humero vno deſeruiant, nec ampliùs bella futura ſunt in mundo. Senſus eſſe etiam poteſt, quòd ex illo tempore & deinceps, confringet arcus & haſtas conteret, perinde ac ſi diceret, fore vt non vltra bellis gerendis vacent, quia ſcilicet bellica inſtrumenta erunt confracta iuxta illud Prophetæ: *Et contundent gla-*
Eſa. 24. *dios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit Gens contra Gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.*

V. 10. *Ceſſate & videte.* Verba ſunt Dei Nationum populos alloquentis, Ab hoc die & deinceps, ceſſate à bellis & à prauis operibus, & ſcitote me eſſe Deum & in mea ſitum eſſe poteſtate, vt quos libuerit, exaltem aut deprimam. *Exaltabor in Gentibus.* Nunc habebor excelſus & celebris apud Gentes & in omni terra; hactenus enim me non agnouerant.

V. 11. *Dominus virtutum nobiſcum.* Nunc Iſraëlitæ inter Gentes poſiti, dicturi ſunt, Dominus exercituum nobiſcum, quoniam nos eripuit ex poteſtate externorum populorum, & eos ſubjecit nobis.

PSALMVS QVADRAGESIMVS SEPTIMVS. Psal. 47.

Præcentori, Filiis Core.

1\. OMnes populi plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.
2\. Quoniam Deus excelſus, terribilis, Rex magnus ſuper omnem erram.
3\. Adducet populos ſubtus nos: & Gentes ſub pedes noſtros.
4\. Eliget nobis hæreditatem noſtram: gloriam Iacob quem dilexit.
5\. Aſcendit Deus in iubilo: Dominus in voce tubæ.
6\. Pſallite Deo, *noſtro*, pſallite: pſallite Regi noſtro pſallite.
7\. Quoniam Rex omnis terræ Deus: pſallite intelligenter.
8\. Regnat Deus ſuper Gentes: Deus ſedet ſuper ſolium ſanctum ſuum.
9\. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham: quoniam Dei ſcuta terræ, vehementer eleuatus eſt.

COMMENTARIVS.

P*Ræcentori, Filijs Core.* Hic etiam Pſalmus eſt editus de ijs quæ ſunt euentura Meſſiæ temporibus poſt bella aduersùs Gog & Magog, Pſalmus eſt in ſumma terræ tranquillitate decantandus.

V. 1. *Omnes populi.* Ita ſunt dicturi Iſraëlitæ omnibus alijs populis, plaudite manibus & lætamini nobiſcum, iam enim nouiſtis quòd Dominus ſit ipſe Deus, & quòd regnet ſuper Iſraëlitas & ſuper omnem terram.

V. 2. *Quoniam Deus excelſus & terribilis.* Quoniam ipſe eſt ſuper omnia, & omnia ſub manu illius ſunt polita, & ipſe eſt terribilis, quia nempe ſtupenda patrauit opera propter quæ ipſum reuereri debeant omnes populi.

V. 3. *Adducet populos.* Ac ſi diceret, ab extremis terræ adduxit illos ad Ieruſalem, vt eos nobis ſubjectos efficeret.

V. 4. *Eliget nobis hereditatem noſtram.* Quæ ſcilicet iam ab initio nobis aſſignata fuit, etiam nunc illam nobis elegit & nos ad eam iterum occupandam reduxit. Hæc porro terra decus eſt & honor filiorum Iacob, nam in aliqua eius parte reſedit gloria Dei, nimirum in domo ſanctuarij quod fuit gloria & decus filiorum Iacob, in hoc enim ſupra cæteros populos Iſraëlitæ meritò gloriari ſolebant. *Gloriam Iacob.* Particula את *et* hoc loco afficitur vocali ſegol, quod fit in protractione ſine maccaph, & eſt præter morem, &

duo adhuc huic ſimilia occurrunt nempe ארח אשר & *aſcher* : *Quem enim di-*
PSAL. *ligit Deus, corripit.* Et, *quando ipſe incendit* ארח &, *Siriam Interamnem.*
47. *Quem dilexit.* Locum illum Deus dilexit, nempe Ieruſalem ſicut alibi dici-
tur: *Diligit Dominus portas Sion.* Et alio in loco, *ciuitas quam elegi.*
Prou. 3. 12. V. 5. *Aſcendit Deus in iubilo.* Quando Iſraëlitæ Deum canticis ſuis ce-
Pſal. lebrabunt, clamore valido & cum tubarum ſonitu & lætitia dicent, Aſcendit
60. 8. Deus, ac ſi dicerent, nunc ſuper omnia eſt exaltatus, ſicut paulo ante ipſe di-
Pſal. xit: *Exaltabor in Gentibus.* Iam autem dixerat, quoniam Deus excelſus eſt
46. & terribilis. Et ſunt quidam qui dicant tunc fore vt cum clangore & ſonitu
tubarum aſcendat Arca ex illo loco in quo fuit recondita, & in priſtino loco
2. Sam. reſtituatur. Arca enim appellatur aliquando Deus vt iſto loco dicitur: *Vt ad-*
6. 2. *ducerent inde Arcam cuius vocatum eſt nomen, nomen Domini*: & ſtatim po-
ſtea affertur ratio, cur vocetur hoc nomine nempe, quia nomen Domini exer-
cituum ſedet inter Cherubim ſuper eam. Arca etiam fuit vocata Deus, quo-
niam Dei gloria ſuper eam non rarò apparebat, vnde cùm ad profectionem
Num. eleuaretur Arca, ſolebant dicere. *Surge Domine.*
10. 35. V. 6. *Pſallite Deo.* vox אלהים *elohim* perinde exponenda eſt, ac ſi haberet ante ſe
literam ל *lamed* nempe, Deo. Pluribus verò vicibus verbum pſallite repetit,
ad emphaſim. Dicit autem, *Regi noſtro*, poſtquam dixit antea, Rex magnus
ſuper omnem terram, quoniam nomen ſeu cognitio ipſius nobis vnis à ſæculo
attributa & quaſi appropriata fuit, & ex eo tempore fuit Rex noſter. At verò
hoc tempore Rex erit ſuper omnem terram, quoniam regnabit ſuper om-
nem terram.

V. 7. *Pſallite.* Dictio משכיל *maſchil* eſt nomen, & ſenſus eſt, quicumque
eſtis intelligentes ſiue inter Iſraëlitas, ſiue inter Nationes mundi, pſallite Deo
benedicto; nam etſi videatur omnibus populis dicendo præcipere vt pſallant
Domino, quemadmodùm initio dixit; Omnes populi plaudite manibus, ſiue
eruditi, ſiue non eruditi, facilè ſiquidem eſt cuilibet homini, manibus plauſum
edere, & vocem in læta exclamatione attollere, attamen Canticum aut Pſal-
mum componere, non eſt niſi eruditi. Et Dominus Pater meus P. M. ſic
hunc verſum exponit. Pſallite Pſalmum qui erudiat & doceat omnes homi-
nes vt intelligant, ipſum Deum ſolum eſſe Regem.

V. 8. *Regnat Deus ſuper Gentes.* Hactenus equidem ſuper ſolos Iſraëlitas
regnauit Deus, omnes enim aliæ Gentes ipſum minimè agnoſcebant, iam ve-
rò regnat ſuper omnes Gentes, quemadmodùm dicit Propheta: *Et erit Do-*
Zach. 14. 9. *minus Rex ſuper omnem terram.* *Et nunc ſedet ſuper ſolium ſanctum ſuum*,
hoc eſt, regnat ſuper throno ſuo, & omnia ſub ipſo & ſub eius poteſtate ſunt
ſubiecta.

V. 9. *Principes populorum.* Magnates cuiuſcumque populi erunt aggrega-
ti cum Deo Abraham. Ideo autem Abraham præ cæteris nominauit, quòd
ipſe primùm Dei nomen mundo notum fecerit, quemadmodum de eo refert
Scriptura: *Animas quas fecerant in Haran*: & alio in loco: *Et inuocauit ibi*
Of. 4. 18. *Abraham nomen Domini.* *Quoniam Dei ſcuta terræ*, hoc eſt, quia venient
ad Deum ſcuta terræ, qui ſunt Magnates & Reges, ſicut & in iſto loco: *Di-*
Gen. 12. 5. *lexerunt afferte, ignominiam, protectores eius.* *Valde eleuatus eſt.* Eo in tem-

pore admodùm eleuatus erit Deus ſuper omnia, ac vniuerſi palam profitebuntur quòd verè regnum ſit Domini.

PSALMVS QVADRAGESIMVS OCTAVVS. Psal. 48.

Canticum Pſalmi, Filijs Core.

1. MAgnus Dominus & laudabilis valde in ciuitate Dei noſtri: in monte ſancto eius.

2. Pulcher tractus, gaudium vniuerſæ terræ, mons Sion latera Aquilonis ciuitas Regis magni.

3. Deus in palatiis eius: cognitus eſt in munitionem.

4. Quoniam ecce Reges congregati ſunt: tranſierunt pariter.

5. Ipſi viderunt, ſic admirati ſunt: conturbati ſunt, feſtinarunt.

6. Tremor apprehendit eos ibi: dolor quaſi parturientis.

7. In vento Orientali conteris naues Tharſis.

8. Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini exercituum, in ciuitate Dei noſtri: Deus firmabit eam in æternum.

9. Cogitauimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui.

10. Secundùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua.

11. Lætetur mons Sion: exultent filiæ Iudæ propter iudicia tua.

12. Circundate Sion, & circuite eam: numerate turres eius.

13. Ponite cor veſtrum ad antemurale eius: exaltate palatia eius vt enarretis generationi poſteræ.

14. Quoniam hic, *eſt*, Deus, Deus noſter in æternum & in perpetuum ipſe diriget nos vſque ad mortem.

COMMENTARIVS.

C*Anticum Pſalmi.* Pertinet etiam hic Pſalmus ad Meſſiæ tempora, & in eo laudes vrbis Ieroſolymitanæ memorantur.

V. 1. *Magnus Dominus, in ciuitate Dei noſtri.* Nam futurum eſt vt ibi ali-

Psal. quando ipſum prædicent & laudent omnes homines.
48.] V. 2. *Pulcher tractus.* Mons Sion eſt pulcherrimus regionis, ac ſi diceret,
non eſt alius in toto tractu qui ſit illi ſimilis. Dictio נוף *noph* idem ſignificat
quod מחוז *mahhoz* nempe tractum, terminum. Ita etiam ſumitur iſto loco:
Et villæ eius tres נופות *nophot*, hoc eſt, *tres termini ſeu regiones.* Eſt quo-
Thren. 2. que Mons Sion gaudium vniuerſæ terræ. Quemadmodum ſcriptum eſt: *Hac-*
15. *cine eſt vrbs quam dicebant perfecti eſſe decoris, gaudium vniuerſæ terræ?* Do-
minus Pater meus P. M. exponit vocem נוף *noph* pro vna parte ex ſeptem
mundi partibus. Illud enim notiſſimum eſt totum orbem habitationi aptum,
in ſeptem portiones eſſe diuiſum; & hæ ſunt quæ vulgò appellantur ſeptem
terræ climata. Illæ autem portiones in lingua Sancta vocantur נופות *nophot*;
in lingua autem Arabica Iclimim climata. Addit præterea quòd quiſquis e-
greditur ex vno climate & in alterum ingreditur ſoleat ægrotare ob aëris pro-
prij temperamenti mutationem. Aër totius terræ Iſraël, ſed maximè Ieruſa-
lem, in pulchro erat climate: indeque erat gaudium vniuerſæ terræ, nam
etſi ægrotus eſſet qui illuc aliunde adueniebat, ſanus reddebatur, quia aër illius
Eſa. 33. erat temperatus & optimus. Et ſic de illa dictum eſt: *Et non dicat habitator*
24. *Ieruſalem, ægrotaui,* ac ſi diceret, non dicat, qui habitat in Ieruſalem, ægro-
taui. *Mons Sion latera Aquilonis.* Quia mons Sion ſitus erat in parte Aqui-
Eſai. 14. lonari vrbis Ieroſolymitanæ. Et ſic de eo dictum eſt: *Sedebo in monte teſta-*
13. *menti, in lateribus Aquilonis.* Illis verò verbis: *Super aſtra Dei*, figuratè
Iſraëlitæ deſignantur ibidem. *Ciuitas Regis magni.* Dictio רב *rau* idem ſigni-
Eſter. 1. ficat ac גדול *gadol*, ſcilicet magni, iuxta illud: *Super omnem magnum domus*
22. *ſuæ*: hæc autem de Dauide ſunt dicta, quemadmodum alio in loco de ipſo
Iſa. 29. Scriptura loquitur: *Ciuitas in qua habitauit David.* Aut iſta vox, Magni, de
Rege Meſſia dicta eſt. Porro in Deras iſta verba, Pulcher tractu ſic explanan-
tur, nempe quia omnia illum montem pulchrum efficiant, adeout nullus ſit
Ezech. locus ipſi ſimilis: etiam ſi Tyrus de ſe iactitet: *Perfecti decoris ego ſum.* Ita e-
27. 3. nim de Tyro Propheta loquitur, de teipſa tu dixiſti, ego ſum perfecti decoris,
verùm alij idem de te non dixerunt; iuxta vulgare illud prouerbium, * Non
ſicut mater tua dixit, ſed ſicuti retulerunt extranei. At de monte Sion, non
ita ſe res habet, ſed omnes vno ore aſſerunt ipſum perfecti eſſe decoris. Nec
tantùm hoc ſed inſuper eſſe gaudium vniuerſæ terræ. At quandonam fuit gau-
dium vniuerſæ terræ? ſi nempe quis animi anxietate laborans iuxta illum mon-
tem aut templum tranſiuerit, lætum cor eius efficitur. Et hoc eſt quod dixit
Salomo: *Sollicitudo anxia in corde viri humiliat illud, ſed verbum bonum
lætificabit illud.* Nempe in vrbem Ieroſolymitanam ſe contulit, donum obtu-
lit, & veniam obtinuit, & cor eius in ipſo perfuſum eſt gaudio, ſicque lætus
inde egrediebatur. Et hac ratione mons Sion, eſt gaudium vniuerſæ terræ.
Noueris etiam id ita eſſe, quia hîc dictum eſt, latera Aquilonis, nam de altari
ſic dicitur: *Immolabitque ad latus altaris quod reſpicit ad Aquilonem.*

* Senſus huius adagij eſt, neminem eſſe laudandum ex ſola relatione parentum, cùm enim ipſi naturaliter ament liberos ſuos, rectè de ipſis iudicare non poſſunt, quia ferè ſemper amor obcæcat amantes: quod etiam in rebus alijs ab aliquo editis, locum non rarò habet.

V. 3. *Deus in palatijs eius.* Aliarum vrbium arces & palatia valida ſunt PSAL. 48.
ex ſua conſtructione & altitudine, quare in ipſa quis tutò ſe recipere poſſit; at
palatia Ieruſalem longè validius robur habent, nam in ipſis Deus agnitus eſt
eſſe loco arcis firmiſſimæ ijs omnibus qui in ipſo tutum propugnaculum quæ-
runt; quemadmodùm ſcriptum eſt: *Turris fortiſsima nomen Domini, ad ipſum* Prou. 18. 10.
curret iuſtus, & exaltabitur.

V. 4. *Quoniam ecce Reges.* Litera ע *aain* vocis נועדו *noaadou* eſt cum
ſcheua, licet adſit accentus atnahh; dicit verò, inde agnoſcetis Deum eſſe in
Ieruſalem vt ſit illi loco arcis ac propugnaculi, quia multi Reges congregati
ſunt ibi cum Gog & Magog vt pugnent contra eam, & pariter iunctis copijs
aduersùs eam proceſſerunt.

V. 5. *Ipſi viderunt.* At vbi viderunt mirabilia Dei benedicti, & potentiam
eius ſtatim admirati ſunt, conturbati ſunt, trepidarunt, ſicut dixit Propheta:
Et iudicabo eum peſte & ſanguine & imbre vehementi, & lapides duriſsimos Ezech. 38. 22.
pluam ſuper eum & ſuper agmina eius, &c.

V. 6. *Tremor apprehendit.* In eo ipſo loco in quo ſe multam ſtragem edi-
turos, & vnde plurima ſpolia relaturos eſſe exiſtimauerant, ibidem tremor
apprehendit eos & dolor, ſimilis doloribus parturientis, nec in eis quidquam
virium remanſit, ſed omnes ſimul confoſſi vulneribus corruerunt.

V. 7. *In vento Orientali.* Nempe quaſi atrociſſimo Orientali vento percuſ-
ſi fuiſſent, quo naues Tharſis conquaſſari & conteri ſolent. Vrbem verò Thar-
ſis præ alijs locis nominat, quia ibi erat portus admittendis nauibus valde ac-
commodus, vt ſcriptum eſt: *Et inuenit ibi nauem euntem in Tharſis.* Et alio in Ion. 1. 3.
loco, Naues Tharſis excellentiores in negotiatione tua. Ezech. 27. 25.

V. 8. *Sicut audiuimus.* Ita ſunt dicturi Iſraëlitæ in illo die, quemadmodùm
audiuimus Prophetas vaticinantes de clade Gog & Magog, ſic vidimus in ciuitate
Domini exercituum. Dicit verò, *Domini exercituum.* Ipſe enim Deus exercituum
cum ſuperiorum tum inferiorum eſt Dominus, & ipſe exercitus iſtos ad Iero-
ſolymam adduxit, ibique proſtrauit eos. Addit prætereà; In ciuitate Dei no-
ſtri, ipſe ſiquidem eſt Deus & iudex noſter, qui nos à tam robuſtis Gentibus
defendit ac tutatur. Et quemadmodum noſtram ciuitatem propugnauit &
confirmauit, ita illam perpetuò eſt confirmaturus.

V. 9. *Cogitauimus.* Dum contra nos Gentes dimicarent, in animis noſtris
cogitabamus de tua miſericordia, quæ eſt maxima miſericordia & quæ in me-
dio templi tui reſidet, & tum ſperabamus fore vt ipſa nos liberaret. Loqui-
tur autem de gloria Dei habitante in templo, quæ eſt immenſa eius erga Iſraë-
litas miſericordia. Poteſt etiam verbum דמינו *dimminou* exponi, expectaui-
mus, ſperauimus, vt in iſto loco, expectate donec ad vos perueneriмus, licèt 1. Sam. 14.
hoc non ſit eiuſdem thematis.

V. 10. *Secundum nomen tuum.* Quemadmodùm fuit nomen tuum in ore
Prophetarum dum hæc futura prædicerent, ita eſt hodie apud omnes in vlti-
mis etiam terrarum oris, nam qui priùs Prophetarum oraculis fidem non
adhibebant, iam cùm videant illa eſſe omnino impleta, laudant & celebrant
nomen tuum ac dicunt: *Iuſtitia plena eſt dextera tua.* Hoc in loco reperitur
vox ארץ *eretſ* cum vocali ſegol licèt affecta ſit accentu athnahh.

Pſal. 48. V. 11. *Lætabitur mons Sion.* In die collatæ ſalutis, mons Sion lætabitur, figuratus eſt loquendi modus ſicut & iſto in loco: *Lætabuntur deſertum & vaſtitas, & exultabit ſolitudo*, vel ſenſus eſt, lætabuntur incolæ montis Sion.
Eſa. 35. 1. *Exultabunt filiæ Iudæ.* Hoc eſt vrbes & pagi qui ſunt circùm Ieruſalem & veluti eius filiæ. *Propter iudicia tua.* Quæ ſcilicet exercuiſti, pœnis afficiens illas Gentes quæ oppugnabant Ieruſalem.

V. 12. *Circumdate Sion.* Hoc dicit de ſtructura Sionis & Ieruſalem, nominat autem Sionem quia præcipuus erat locus; & alloquitur populos, venite, inquit, & circuite montem Sion, circumluſtrate & inſpicite pulchritudinem ſtructuræ eius, & enumerate turres & propugnacula quæ ſunt in mœnibus eius per circuitum.

V. 13. *Ponite cor veſtrum ad antemurale eius.* Quod eſt paruus murus ambiens murum magnum. *Et exaltate arces eius.* Ac ſi diceret, Videte arces eius, quæ videntur æquè altæ ac collis Piſga. *Vt enarretis generationi poſteræ.* Hoc eſt, per continuas multarum generationum ſeries vſque ad poſtremam generationem, nempe, non videri poſſe ſtructuram pulchritudine ſimilem illi ſtructuræ quæ futuris temporibus erit in Sione & in Ieruſalem ſicut ipſe Deus dicit:
Eſ. 54. 12. *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris*, &c.

V. 14. *Quoniam hic eſt Deus.* Quia ipſe eſt Deus noſter, maximum illud bonum nobis eueniet. *Ipſe diriget nos ad mortem.* Hoc eſt, vſque ad mortem; ac ſi diceret vſque ad mortem noſtram nos in iſta gloria deducet. Voces illæ על מות *aal mouth* exponi poſſunt ac ſi vnica vox eſſet *aalmouth*, deſumptà ſignificatione ex dictione עלם *elem* aut עלמה *aalma*, & deerit litera כ *caph* ſimilitudinem indicans, hoc ſenſu, iuxta pueritiam, hoc eſt, ducet nos ſecundùm dies pueritiæ noſtræ, aut ſicut in diebus iuuentutis noſtræ: ac ſi diceret, ſicut nos à principio duxit, quando nos ſelegit in partem ſuam. Et aliæ reperiuntur dictiones huic ſimiles quæ vt duæ voces ſcribuntur, & quarum ſignificatio eſt, vt vnius ſic illud, Vitula יפה פיה *iephe phia* pulcherri-
Ier. 46. ma. Et deſpectio גאיונים *geionim* ſuperbis. Et פקח קוח *pecahh coahh* apertio
Pſal. 123. plena; quæ omnes dictiones ſcribuntur vt duæ, & tamen vnius tantùm ſignificationem habent.
Eſa. 61.

PSALMVS QVADRAGESIMVS NONVS.

Præcentori, Filijs Core, Pſalmus.

1. AVdite hoc omnes populi: auribus percipite omnes qui habitatis orbem.

2. Etiam filij hominis, etiam filij viri: pariter diues & pauper.

3. Os meum loquetur ſapientias: & meditatio cordis mei prudentias.

4. Inclinabo ad parabolam aurem meam : aperiam in cithara PSAL.
ænigma meum. 49.
5. Cur timebo in diebus mali ? iniquitas calcaneorum meo-
rum circumdabit me ?
6. Qui confidunt in opulentia ſua : & in multitudine diuitia-
rum ſuarum gloriantur.
7. Fratrem non redimendo redimet quiſquam: non dabit Deo
pretium redemptionis eius.
8. Et pretioſa eſt redemptio animæ ipſorum: & deſinet in æternũ.
9. Et viuat vltra in æternum : non videat foueam.
10. Cùm videat quòd ſapientes moriantur, ſimul inſipiens &
ſtultus peribunt : & relinquent alijs diuitias ſuas.
11. Sepulchrum eorum, domus illorum in æternum, taberna-
cula eorum in progeniem & progeniem, vocauerunt de nomini-
bus ſuis, terras.
12. Et homo in honore non permanebit : ſimilis eſt iumentis
quæ intereunt.
13. Hæc via illorum ſtultitia ipſis : & poſteri ipſorum, in ore
ipſorum complacebunt.
14. Sicut oues in inferno ponuntur, mors paſcit eos, & do-
minantur eis recti in matutino : & robur eorum veteraſcit in in-
ferno ab habitaculo eorum.
15. Verùm Deus redimet animam meam de manu inferi quum
acceperit me.
16. Ne timueris quum diues factus fuerit homo, quum mul-
tiplicata fuerit gloria domus eius.
17. Quoniam quum interierit non ſumet omnia : neque deſ-
cendet poſt eum gloria eius.
18. Quia animæ ſuæ in vita ſua benedicit : & laudant te quum
benefeceris tibi.
19. Introïbit vſque in progeniem patrum ſuorum, & vſque in
æternum non videbunt lumen.
20. Homo in honore, & non intelligit : ſimilis eſt iumentis
quæ intereunt.

COMMENTARIVS.

V. 1. AVdite hæc. Pſalmus hic de ijs agit quæ cùm ad præſens tum ad fu-
turum ſeculum pertinent, quapropter dixit : *Omnes populi, &,*

PSAL. *omnes qui habitabis orbem.* Hoc eſt, quiſquis cujuſcumque ſit populi, viæ bonæ & rectæ adhærere voluerit.

49. V. 2. *Etiam filij hominis.* Hi ſunt ignobiles, & infimi ſtatus. *Filij viri.* Hoc

Iud. 7. eſt Magnates; ſicut in iſto loco: *Gladius Gedeonis filij Ioab viri Iſraelitæ.* Ita

14. pariter diuites ſimul & egeni audiant hanc ſapientiam quam ſum elocuturus.

V. 3. *Os meum loquetur.* Sapientias & prudentias quas cor meum meditabitur, os meum ipſas eloquetur.

V. 4. *Inclinabo ad parabolam aurem meam.* De hoc, inquit, argumento loquar per modum parabolæ & ænigmatis; hic enim Pſalmus obſcuriori modo eſt editus, & quia Pſalmi nablo & cithara decantari ſolebant, ideò dixit, inclinabo ad parabolam aurem meam, ac ſi diceret, inclinabo aurem meam ad citharam quando illam pulſabit citharista cum verbis iſtis quibus parabola continetur: Et ita etiam illa verba ſunt capienda. *Aperiam in cithara ænigma meum.*

V. 5. *Cur timebo in diebus mali?* Iam incipit his verbis, parabolam & ænigma ac dicit; Cur timebo & ſollicitus ero in diebus mali, qui alij non ſunt quàm dies præſentis vitæ? Hi enim dies mali ſunt ei qui vitæ iſtius curis nimiùm eſt addictus. Et quare ero ſollicitus de diuitijs & poſſeſſionibus, quæ ſunt tota vitæ præſentis gloria? nam ſi ita anxiè bonis huius ſeculi comparandis ſtuduero. *Iniquitas calcaneorum meorum circumdabit me.* Ac ſi diceret, occurret mihi iniquitas proſequenti bona vitæ iſtius, hoc eſt, in fine operum meorum inuenietur iniquitas, hoc eſt, ſi bonis huius vitæ in initio delecter, at in fine de illis anxiè turbabor. Quia verò calcaneus eſt extrema pars corporis ideò finis cuiuſlibet rei, calcaneus dicitur. Aut per calcaneos denotatur venturum ſeculum quod eſt ſeculum præmij & pœnæ. Præmium autem & pœna ſunt in fine operis: ſenſus ergo eſt, etiamſi bonorum huius ſeculi fruitione delecter omnibus diebus vſque ad diem mortis, non tamen illis fruar in futuro ſeculo quod poſt mortem ſequitur, quodque eſt veluti calcaneus, quia nempe finis eſt operis, nullum enim opus, nulla ſcientia in altero ſeculo, quod eſt ſeculum præmij aut pœnæ, & ibi circumdabit me iniquitas, hoc eſt pœna operis mei; ſcilicet quòd lætatus ſim in bonis huius ſeculi omnibus vitæ meæ diebus, & ea continuò proſecutus fuerim. Et propterea non eſt rationi conſentaneum hanc ſectari vitæ rationem, ſicut faciunt qui confidunt in opulentia ſua. Cæterùm dictio יסובני *iiſoubbeni*, ſcripta eſt cum ו *vau* licèt habeat dagueſch. Sunt autem qui confidunt in opulentia ſua, illi qui fiduciam habent & gloriantur in copia diuitiarum ſuarum. Mihi verò non expedit ita agere, non enim debet gloriari homo niſi quòd intelligat ac cognoſcat Deum benedictum.

V. 7. *Fratrem non redimendo redimet quiſpiam.* Quid proſunt ipſis diuitiæ ipſorum in die mortis? non enim poteſt quiſpiam fratrem ſuum omnibus diuitijs ſuis à morte redimere, nec poterunt pretium redemptionis eius dare Deo, à quo eſt vita & mors.

V. 8. *Et pretioſa redemptio animæ ipſorum.* Ac ſi diceret, non erit & non

1. Sam. inuenietur, iuxta illud: *Et ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis.* Hoc

3. 1. eſt nullum tunc temporis erat verbum prophetiæ. *Et deſinet in æternum.* Hæc

verba

verba conjungi debent cum ſequenti verſu, hoc ſenſu, Deſinet hæc res in æ- Psal.
ternum, eſt enim impoſſibile vt viuat adhuc in ſeculum, & non videat foueam,
hæc res eſt impoſſibilis. 49.

V. 9. *Et viuat vltra in æternum.* Hoc eſt ad longum tempus & non videat adhuc foueam. Ne igitur in animo ſuo diues extollatur.

V. 10. *Cum videat quod ſapientes moriantur.* Cùm ipſe videat ſapientes æquè ac ſtultos paritèr ad mortem obeundam eſſe redactos; quomodo ipſe illam euadere poterit? Dixit verò de ſapientibus quòd ſint morituri. At de ſtultis & inſipientibus ijs nempe qui res huius ſeculi ſtudioſiùs appetunt, quòd ſint perituri: Nam etſi corpus ſapientum moritur, at illorum anima non moritur, nec ſpes illorum perit. Illi verò qui ſeculo iſti nimio ſunt amore affixi, & morientur ipſi, & illorum animæ; nec vlla ſpes ipſis poſt mortem ſupereſt ampliùs, iuxta illud: *Spes autem impiorum peribit.* Et opes ſuas, quas tanto ſtudio dum viuerent adhuc, compararunt, alienis relinquent. Quid illis igitur diuitiæ proſunt? Sapientum autem viæ & ſtudia non peribunt; & ſapientia cui ſuum addixerunt animum, ipſis poſt mortem vtilis eſt futura.

V. 11. *Intimum eorum domus illorum.* Quidam interpretes vocem iſtam קרבם *quirbam*, ita exponunt ac ſi ſcripta eſſet per tranſpoſitionem pro קברם *quiu am* ſepulchrum eorum, hoc ſenſu, ſepulchrum domus eſt illorum in æternum. Alij exiſtimant eſſe defectum literæ ſeruilis ב *beth*, hoc ſenſu בקרבם *bequirbam*, hoc eſt, in cogitationibus eorum eſt illud fore vt in domibus ſuis in æternum permaneant. Et ſecundùm illam expoſitionem, litera ſeruilis ב *beth* deerit tum ante vocem קרבם *quirbam*, tum ante vocem בתימו *bathemo.* Poſſet etiam illa dictio קרבם *quirbam* ſic exponi vt litera מ *mem* ſumatur pro relatiuo pronomine, poſtquod intelligatur ה *he* articulus, vt fit in iſtis
locis: *Et cum ipſis Heman & Idotun, canentes tubis.* Et, *Ecce ego cibabo* 1. Paral.
populum iſtum, &c. Et hic erit ſenſus, ipſi perſuadent ſibi fore vt medium, 16.
ſeu ea quæ intra domos ſuas congerunt & aſſeruant, in æternum ſint permãſura: Ier. 9.
& inde fit vt tanto ſtudio opes ſibi comparare ſtudeant, & ædes ædificare, quaſi Is.
in regijs & delicioſis palatijs ſint ſemper habitaturi, quæ ideò ſibi veluti ad æternitatem conſtruunt. Et erunt tabernacula eorum in progeniem & progeniem vſque dum appellent de nominibus ſuis ſuper terras; ac ſi diceret, adeò ipſi & filij & nepotes & domus eorum increuerunt, & munitionibus inualuerunt, vt nominis famam ſibi per terras acquiſierint. Alij ſunt qui hæc ita interpretentur, nihil ipſis ſupereſt poſt mortem ex eorum tabernaculis, niſi quòd hæc de illorum nominibus appellentur, & vulgò dicitur, hæc eſt domus iſtius viri.

V. 12. *Et homo in honore non pernoctabit.* Hoc eſt, homo in iſto ſplendore & in
iſtis opibus, quas ſecum ſemper permanſuras arbitrabatur, non in perpetuum
permanebit, ac ſi diceret, Cùm morietur, iſta ſecum non auferet, ſed alijs poſt
ſe relinquet. Mors autem pernoctatio appellatur, ſicut alibi vocatur ſomnus. Iere. 51.
vt. *Et dormient ſomnum ſempiternum.* Item: *Et multi eorum qui dormiunt in* 39.
terra pulueris, euigilabunt. Poteſt etiam ita exponi vt dictio יקר *iecar* honor, Dan.
de anima intelligatur, quæ alibi vocatur etiam, gloria, ſicut cum dicitur: *Vt* 12. 2.
pſallat tibi gloria. Item, *Et exultabit gloria mea.* Et ſenſus verſus huius erit, Psal.
30. 13.

Pſal. & homo mundi huius vanitatibus implicitus, non morietur in gloria ſua, ac ſi
49. diceret, non remanſuram gloriam ſeu animam ipſius, poſt eius mortem, ſed
eſſe perituram non ſecus ac animas iumentorum, & illud eſt quod verbis ſequentibus indicari videtur: *Similis eſt iumentis quæ intereunt.* Dictio נדמו *nidmou* habere poteſt ſignificationem ſimilitudinis, itaut idem bis dicatur:
Oſ. 10. vel ſignificat, ſucciduntur, vt in iſto loco, Succiſus eſt Rex Iſraël. Et ſenſus
7. erit, ſicut beſtiæ quæ in morte ſua omnino ſucciduntur, ita homo malus dum moritur ſic ſucciditur vt non ſuperſit eius anima ſed pereat, ſicut ſcriptum eſt:
Num. *Succiſione ſuccidetur anima illa.*
15. 30. V. 13. *Hac via illorum.* Hæc eſt ſors improborum, quia ſuam ſtultitiam ſecuti ſunt, & non nouerunt vt bonum & gratum, *Deo*, opus facerent. *Et poſteri eorum in ore ipſorum.* Et filij eorum poſt eos current in ſermone eorum, hoc eſt, quemadmodùm audierunt à patribus ſuis, qui gloriabantur in diuitijs ſuis & totis viribus ſuis adhærebant eis, ſic current ipſi per eandem viam. Et ſunt qui exponant illud, בפיהם *bephihem* ſicut ipſi, & ſecundùm menſuram co-
Exod. gnitionis ſuæ, iuxta illud: *Vnuſquiſque ſecundum comeſtionem eius.* Et illud.
12. 4. *Secundum miniſterium ſuum.*
Num. V. 14. *Sicut oues in inferno ponuntur.* Quemadmodùm paſtor gregem con-
7. 5. gregat in caulam, ita mors erit quaſi paſtor illorum, & eos in infernum ſeu ſepulchrum colliget. Et vox שתו *ſchattou* eſt intranſitiua. Vel ſenſus eſt, ipſi ſeipſos in infernum poſuerunt, eòquòd nullam haberent ſpem ſortis melioris, poſt mortem dum viam prauam ſectarentur. Dagues autem in litera ת *tau*,
Pſal. eſt loco literæ ו *vau* quieſcentis, ſicut etiam in iſto loco: *Poſuerunt ſe in cir-*
3. 7. *cuitu, aduerſus me. Et dominantur eis recti.* Ac ſi diceret, modò quidem impij ſuperiorem locum occupant, inferiorem verò iuſti præ illis, nec eſt qui poſſit improbos deprimere quandiu viuunt propter illorum diuitias ac potentiam, vſque ad diem mortis dum eos mors depaſcet: Verùm poſt diem iudi-
Mal. 4. cij, iuſti dominabuntur improbis in vita ſua; iuxta illud: *Et calcabitis impios*
3. *cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum*, &c. Vocat autem diem iudicij manè & lucem, quoniam manè & lumen erit iuſtis, & tunc etiam ſalus erit
Mal. 4. Iſraëlitis, vt dicit ibidem. *Et orietur vobis timentibus nomen meum, ſol iuſti-*
2. *tiæ & ſanitas.* Ille verò ſol comburet impios, quia ibidem dictum eſt: *Et inflammabit eos dies veniens.* Et robur eorum, *eſt*, vt *veteraſcat in inferno.* Dictio צורם *tſouram* ponitur pro צורתם *tſoratam* & figura eorum, ſicut
Iou. 5. כתנונם *chitunonam* pro כתנותם *chituounatam*, ſecundùm intelligentiam ſuam, vel dictio צורם *tſouram* ſignificat, robur eorum vt in iſto loco: *Et non eſt fortis ſicut Deus noſter.* Et hoc quidem eſt nomen adjectiuum, illud verò ſubſtantiuum. Senſus porro eſt omnem illorum fortitudinem & dignitatem, tandem infernus conſumere debet, hoc eſt, quoniam ſepulchrum eos penitus eſt abſumpturus, nec vlla ipſis vlterius ſpes ſupererit. *Ab habitaculo ſuo.* Hoc eſt, ab habitaculo & loco ſplendido quem habuit illorum quilibet, educetur ad ſepulchrum anguſtum & vile.

V. 15. *Verùm Deus.* Ita dixit Propheta cùm videret interitum animarum improborum hominum in morte ipſorum, eo die quo illorum corpus in ſepulchrum demittitur: *Redimet Deus animam meam de poteſtate ſepulchri*, ne

anima mea cum corpore meo intereat. *Quum acceperit me*, hoc eſt, quum PSAL.
me voluerit mori, iuxta illud: *Et non ipſe, apparuit, quia cepit eum Deus.* 49.

V. 16. *Ne timueris quum ditatus fuerit homo.* Alloquitur Propheta virum ſapientem ſuis monitis aures & animum adjungentem, ne fueris anxius ſi videas hominem alium diuitem, te verò opibus minimè ipſi æqualem. Quoniam tu viues etiam in tua paupertate quemadmodùm ipſe in ſuis diuitijs viuet, imò forte diutius. Si dixeris, at in morte ſua illas ſecum aufferet. Imò verò nihil omnino ipſarum aſportabit. Quod cùm ita ſit, nihil excellentiæ præ cæteris ex ſuis opibus conſequitur. Idcirco noli teipſum anxietate conficere, quòd videas ipſum diuitijs affluere, cùm nihil emolumenti aut præſtantiæ per illas adipiſci poſſes ſicut nec ipſe. Gen. 5. 24.

V. 17. *Quoniam in morte ſua non ſumet omnia.* Illa verba non omnia, ſignificant nihil quicquam, ſic in iſto loco, Pauperi verò non erat non omne, ſeu quicquam. 2. Sar. 12.

V. 18. *Quia anima ſua.* Animæ ſuæ quandiu vixit, benedicere debuerat, & non omnia ſtudia ſua illò conferre, vt ſuo corpori benefaceret, ſed ſuæ potius animæ benefacere debebat. Bona verò quibus anima affici & ornari poteſt, ſunt ſapientia & bona opera. Dicitur verò, benedicit, quoniam benedictio bonorum copiam ſignificat, nempe vt oſtendat hominem debere bonis quàm multis animam ſuam afficere, corpus verò quam paucis, nimirum vt poſſit duntaxat viuum conſeruari. *Et laudant te cum benefacis tibi.* Hæc verba ad virum ſapientem dirigit, ſi hoc præſtes, laudabunt te prudentes viri, quòd tibi ipſi benefacias: & tibi conſentaneum eſt vt obtemperes huic meæ eruditioni quam tibi dirigo, nempe vt tibi ipſi benefacere ſtudeas, nam ſi animam tuam ſuis bonis afficere cures, tibi ipſi vtique benefeceris.

V. 19. *Introibit vſque in progeniem patrum ſuorum.* Quoniam dixit ſuperiùs; Animæ ſuæ, nempe loquens de anima impij, cui ipſe debuerat benefacere, quod tamen non fecit; idcirco anima illa ibit cum animabus patrum ipſius, qui etiam ſicut ille, fuerunt improbi, & peribit anima eius cum animis ipſorum. *Et vſque in finem non videbunt lumen.* Nimirum ſicut animæ iuſtorum, quæ poſt mortem corporis ipſorum lumen ſunt viſuræ, lumen ſcilicet vitæ, quoniam illo affulgente viuent in perpetuum, & in æternitatem æternitatum.

V. 20. *Homo in honore.* Iſte homo in honore eſt, qui honor eſt anima, quæ gloria appellatur non tamen intelligit dum viuit. Non fuit in illo intelligentia, vt animæ vias ingrederetur, ſed vias corporis inſtar beſtiarum tenuit, ac idcirco in morte ſua ſimilis eſt ipſis, & perit anima eius in morte ipſius, nec vlla illi ſpes ſupereſt.

Psal. 50.

PSALMVS QVINQVAGESIMVS.

Pſalmus Aſaph.

1. DEus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram: à ſolis ortu vſque ad occaſum eius.
2. Ex Sion perfectæ pulchritudinis: Deus apparuit.
3. Veniet Deus noſter, & non ſilebit: ignis coram eo vorabit: & in circuitu eius tempeſtas vehemens excitabitur.
4. Aduocabit cœlum deſurſum: & terram ad iudicandum populum ſuum.
5. Congregate mihi ſanctos meos: percutientes fœdus meum ſuper ſacrificio.
6. Annuntiabunt autem cœli iuſtitiam eius: quoniam Deus iudex eſt.
7. Audi popule mi, & loquar, Iſraël & conteſtabor te: Deus tuus ego ſum.
8. Non propter ſacrificia tua arguam te: holocauſta tua in conſpectu meo, *ſunt*, ſemper.
9. Non accipiam de domo tua iuuencum, *nec*, de caulis tuis hircos.
10. Quoniam mea eſt omnis beſtia ſyluæ, *&*, iumenta in montibus mille.
11. Cognoui omne volatile montium: & fera agri mecum, *eſt*.
12. Si eſuriero, non dicam tibi: meus, *eſt*, enim orbis terræ, & plenitudo eius.
13. Nunquid manducabo carnem taurorum: & ſanguinem hircorum potabo?
14. Sacrifica Deo confeſſionem: & redde Altiſſimo vota tua.
15. Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.
16. Peccatori autem dixit Deus, quid tibi vt enarres ſtatuta mea: & aſſumas pactum meum ſuper os tuum?
17. Tu verò odiſti diſciplinam: & proieciſti ſemones meos poſt te.

18. Si vidiſti furem conſentiebas ei : & cum adulteris por- Psal.
tio tua. 50.
19. Os tuum miſiſti in malum : & lingua tua concinnat dolum.
20. Sedens aduerſùs fratrem tuum loqueris : aduerſùs filium
matris tuæ ponis probrum.
21. Hæc feciſti & tacui, exiſtimaſti quòd ero tui ſimilis : arguam
te & ſtatuam in oculis tuis.
22. Intelligite nunc hoc qui obliuiſcimini Deum : ne fortè ra-
piam & non ſit qui eripiat.
23. Sacrificans confeſſionem honorificabit me, & qui ponit
viam : oſtendam illi ſalutare Dei.

COMMENTARIVS.

PSalmus *Aſaph.* Hic Pſalmus eſt editus de die iudicij quod futurum eſt aliquando cùm aduenerit Redemptor, vt ſcriptum eſt in Prophetia Ioëlis: *In diebus illis & in tempore illo conuertam captiuitatem Iuda & Ieruſalem, congregabo omnes Gentes & deducam eas in vallem Ioſaphat, & ibi diſceptabo cum eis.* Addirque: *Populi populi in valle conciſionis.* Ioël. 3. 2.

V. 1. *Deus Deorum.* Ita de Deo loquitur אל אלהים *el elohim*, hoc eſt, Iudex iudicum, & potens ſuper omnes potentes. Poſtea ſubjungit * יהוה *adonai* quod nomen ſignificat Deum ſtabilem ad æternitatem. *Locutus eſt & vocauit terram.* Locutus eſt per Prophetas ſuos, & ſicut dixerat eſt executus. Quòd autem dicit, & vocauit, eſt præteritum tempus loco futuri, ita enim fieri ſolet in vaticinijs, in pluribus locis: hoc etiam ſenſu dicitur, ſplenduit, pro ſplendebit. Et vocauit terræ incolas. *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum eius,* nempe vt ad iudicium conueniant. Vox, Et vocauit, ſignificat, & excitabit vt conueniant ad Ieruſalem, ad præliandum contra eam cum Gog & Magog, quemadmodum ſcriptum eſt in prophetia Ezechielis: *Et educam te ex lateribus Aquilonis & adducam te ad montes Iſrael.* Ezec. 38.

V. 2. *Ex Sion perfecta pulchritudinis.* Quemadmodum ſupra dictum eſt in vaticino Ioëlis: *Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam*, quaſi inde ſit daturus vocem ſuam, vt veniant ad Ieruſalem. Ioël. 3. 16.

V. 3. *Veniet Deus noſter.* Nempe vt vindictam noſtram de Gentibus vindicet: Nec ampliùs ſilebit ſuper miſerijs & anguſtijs noſtris. *Ignis coram eo vorabit.* Ipſas ſcilicet Gentes: & illæ voces, coram eo, & in circuitu eius, idem ſignificant ſcilicet in Ieruſalem, in loco ſanctuarij & tabernaculi eius.

* Hoc quippe nomen ineffabile denominat Deum Ens ex ſua eſſentia, ab æterno & in æternum exiſtens, vt expreſſit S. Ioann. Apoc. 1. 4. *Qui eſt, qui erat, & qui erit.* Et notat Rambam 1. par. More c. 61. nomen illud ſignificare aliquid quod neceſſariam habet exiſtentiam. Et S. Thom. 1. p. q. 13. art. 11. probat ipſum eſſe maximè proprium Dei nomen, quia ſignificat ipſum eſſe quod in Deo eſt eius eſſentia, & quia ſignificat eſſe in præſenti, quod maximè propriè de Deo dicitur, cuius eſſe non nouit præteritum vel futurum.

Pſal. Illud verò: *Et tempeſtas vehemens excitabitur*, de terra intelligendum eſt, ac
50. ſi diceret, & conſumentur incolæ eius impetu validi turbinis.

V. 4. *Aduocabit cœlum.* Hoc eſt Angelos, vt cum ipſo iudicium in Gen-
2. Rex. tes exerceant. Quemadmodum dicit: *Et egreſſus eſt Angelus Domini, & per-*
19. 35. *cuſſit in caſtris Aſſyriorum*, &c. *Et terram*, homines terræ incolas intelligit,
nam ipſi mutuis ſeſe ipſos vulneribus conficient, quoniam tumultus ingens in-
ter eos à Deo excitabitur, ſicut apud Ezechielem ſcriptum eſt: *Gladius vniuſ-*
cuiuſque in manu ſocij ſui erit. Et apud Zachariam: *In die illa erit tumultus Do-*
mini magnus in eis, & apprehendet vnuſquiſque manum proximi ſui, & conſere-
tur manus eius ſuper manum proximi ſui. Magiſtri autem noſtri P. M. ſic iſta
verba ediſſerunt, Aduocabit cœlum deſurſum, hoc eſt, animam. Et terram
ad iudicandum, corpus hæc verba deſignant; ac ſi diceret, in die iudicij, fiet
tumultus reſurrectionis mortuorum, & iudicabuntur corpus & anima.

V. 5. *Congregate mihi Sanctos meos.* Alloquitur mundi nationes, inter quas
Iſraëlitæ verſantur exules, vt illos ad vrbem Ieroſolymitanam deducant, ſicut
in vaticinio Iſaiæ ſcriptum eſt: *Deferetur munus Domino exercituum à popu-*
Iſa. 27. 7. *lo diuulſo & dilacerato*, &c. Et alio in loco dicitur: *Et adducetis omnes fra-*
tres veſtros ex omnibus Gentibus oblationem Domino. Et apud Sophoniam Pro-
Soph. 3. phetam, dicitur etiam: *Vltra flumina Æthiopiæ ſupplices mei, congregatio*
10. *diſperſorum meorum afferent mihi munus.* Porro Iſraëlitæ inter nationes mun-
di exulantes, ſunt illi qui dicuntur Sancti mei, & qui fœdus pepigerunt ſuper
ſacrificio: Nam Moyſes in monte Sina fœdus cum ipſis pepigit, & obtulerunt
ſacrificia, & accepit ſanguinem fœderis ac illum ſuper populum reſperſit. Alia
eſt explanatio quæ verba iſta exponit de fœdere * circuncisionis, quod Iſraëli-
tæ in exilio etiam poſiti conſtanter obſeruant: ſic enim quærunt, quinam ſunt
qui percutiunt fœdus meum ſuper ſacrificio? Eo die quo peragunt Iſraëlitæ
fœdus circuncisionis, id faciunt ſuper ſacrificio, nam hoc faciunt cum lætitia
& conuiuio.

V. 6. *Et annuntiabunt cœli iuſtitiam eius.* Ideò cœlos nominat, quoniam
cœli & eorum exercitus in æternum ſint duraturi, non item exercitus terræ:
Quia generatio præterit & generatio aduenit: Vnde qui nouit quæ ſuo ſunt
Ecc. 1. tempore, non tamen ea nouit quæ præterito ſunt facta tempore. At cœli &
4. illorum exercitus ſicut tempore præterito fuerunt, ita etiam & futuro tempo-
re erunt: Cúmque dies illa contigerit, dies ſcilicet iudicij, & collectio exu-
lum Iſraëlitarum, tum annuntiabunt Dei benedicti iuſtitiam, quam exercuit
erga Iſraëlitas, quia nimirum non illos penitus in exilio conſumi permiſit, nec
irritum fecit fœdus ſuum cum illis, ſed ipſos è captiuitate eduxit, in quam
eos induxerat, ſicut illum agnouerunt. Et cœli exercitus annuntiabunt etiam
quod Deus Iudex ſit, nempe quia iudicium in Gentes pro Iſraëlitis exercuit.
Porro litera ו *vau* ante vocem יגידו *iaguidou* afficitur vocali patahh, quod no-

* De lautis Iudæorum conuiuijs alijſque vanis cæremonijs in circumciſione infantium, videſis Buxtorf. Synagogam cap. 4. Illarum iſta huc pertinere videtur quòd exiſtimantes Prophetam Eliam tum adeſſe vt obſeruet an circuncisionis fœdus ritè adminiſtretur, prout ſcribitur Mal. 3. Ecce Angelus fœderis, quem optatis, adeſt, ſellam ei ſternunt & deſtinant quam ſellam Eliæ vocant.

taτ eſſe præteritum tempus, ſed quod ponitur hîc loco futuri. PSAL.
V. 7. *Audi popule mi.* Poſtquam Gentes debitis pœnis affecerit Deus, 50.
tum Iſraëlitas arguet de malis ipſorum operibus: & omnes quidem impro-
bos ab ipſis aufferet, ſolóſque bonos ſuperſtites conſeruabit, ſicut in prophe-
tia Sophoniæ dictum eſt: *Quia tunc aufferam de medio tui eos qui exultant de* Soph. 3.
excellentia tua; neque adycies vt ſuperbias vltra de monte Sancto meo. Et relin- 11.
quam in medio tui populum humilem & pauperem, & ſperabunt in nomine Do-
mini. Reliquiæ Iſrael non facient iniquitatem. Dicitur item in prophetia Za-
chariæ: *Eritque in tota hac terra, dicit Dominus; partes duæ in ea ſuccidentur* Zach.
& deficient: tertia autem pars relinquetur in ea. Scriptum etiam eſt: *Et erit* 3. 8.
omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Ieruſalem Sanctus vocabi- Eſa. 4.
tur, &c. 3.

V. 8. *Non propter ſacrificia arguam te.* Sed arguet eos de ipſorum iniqui-
tatibus, magnum eſt enim peccatum, & negatio ſeu impietas, offerre Deo ſa-
crificium & dona & à peccato non auerti, & ea de re ſæpiſſimè à Prophetis
arguuntur, quorum primus eſt Iſaias his verbis: *Ad quid mihi multitudo ſa-* Iſa. 1. 11.
crificiorum veſtrorum? &c. Et, *Quis quærat hoc de manu veſtra? ne vltra offe-* Ierem.
ratis ſacrificium mendax. Ieremias etiam dicit. *Holocauſta veſtra addite vi-* 7. 21.
ctimis veſtris, &c. Malachias quoque ita dicit: *Quis etiam in vobis eſt qui* Mal. 1.
claudat oſtia, & non incendatis ignem ſuper altare meum fruſtra? Sic pariter 7.
alij Prophetæ eiuſdem rei illos arguunt. Dicit autem: *Et conteſtabor te*, hoc
eſt fœdus quod pepigi tecum, vice teſtium eſt inter me & inter te, vt alibi
per Moſen dicit: *Teſtes inuocaui in vos hodie cælum & terram*, Et hi teſtes ſta- Deut. 4.
biles ſunt; & tu me in Deum aſſumpſiſti. Et illud eſt quod tibi ab initio præ- 26.
cepi. *Deus Deus tuus ego ſum.* Quemadmodum & alibi dixit: *Ego Dominus*
Deus tuus. Et me in Deum tuum aſſumpſiſti vt faceres ea quæ tibi præcipe-
rem, nec tamen feciſti, & ea de re te reprehendam, non verò de ſacrificijs,
nulla eſt enim eorum mentio in præceptis Decalogi. Et quemadmodum dicit
Samuël: *Melior eſt obedientia quàm victimæ.* Quaſi diceret, ne exiſtimes vi- 1. Sam.
ctimas eſſe rem magni momenti apud me, & fore vt arguam te niſi illas obtu- 15. 22.
leris. Imò reprehendam vos de bono & de malo, de fide & de operibus ve-
ſtris, non autem de ſacrificijs & holocauſtis. Porro ſenſus horum verborum.
Holocauſta tua coram me ſemper eſt. Et non holocauſta tua, & particula, non, quæ
priùs eſt poſita, eſt loco duarum; perinde ac ſi diceret, Oculi mei, & increpa-
tio mea contra vos, non ideo fit quòd holocauſta mihi non obtuleritis, ſed
propter peccata quæ commiſiſtis.

V. 9. *Non accipiam.* Si holocauſtis indigerem, illa non à te acciperem, om-
nia enim ſunt in mea poteſtate. Nominauit autem iuuencum, quia eſt ſpeciei
maximæ animalium quæ in ſacrificijs offeruntur; ſic etiam hircos, quia ſunt
caprarum maximi. *De caulis tuis.* Vox iſta מכלותיך *miclothecа*, ab eodem eſt
themate ac iſta ממכלא *mimicla* in illo loco: *Abſcindetur ab ouili pecus.* Li- Abac. 3.
teræ enim א *aleph* & ה *he* non rarò permutantur: ſignificàtque illa dictio, 17.
ſepta gregum, locum ſcilicet in quo greges includuntur.

V. 10. *Quoniam mea eſt.* Ea quæ tuæ non ſubjacent poteſtati in mea ſunt
poſita, nempe ſyluarum beſtiæ & quælibet animalia in montibus errantia,

Psal. quæ nullius hominis poteſtati ſubjacent. Porro litera ו *vau* in dictione חיתו
50. *haito* eſt paragogica, ſicut & in iſto loco וחיתו *vehaieto*, *& beſtia terræ ſecun-*
dum ſpeciem ſuam. Senſus horum verborum: *In montibus mille*, eſt, in mil-
Gen. 1. le montibus, hoc eſt, in montibus innumeris, per quos tibi iter non fuit. Et
24. vox quidem בהררי *beharre*, non eſt conſtructa, ſed eiuſdem eſt rationis ac ſi
eſſet ſcripta בהררים *beharerim.* Et multæ ſunt aliæ ſic etiam in forma con-
ſtructionis poſitæ, licèt abſolutæ ſint, vt חלוני *hhalone*, feneſtræ latæ; &
1. Reg. aliæ his ſimiles, vt ſcripſimus in libro Miclol. In Deras verò iſta verba expo-
4. nuntur de quodam animali quod ſingulis diebus mille montes depaſcit.

V. 11. *Coguoui omnia volatilia.* Quæ tu minimè nouiſti, ſed ea tantùm tibi
ſunt nota quæ ſolent in terra degere. *Et fera agri.* Dictio זיז *ziz* complecti-
Pſal. 80. tur omnes beſtias agreſtes ſuo ſignificatu, vt etiam in iſto loco: *Et fera agri*
14. *depaſcet eam.* In Deras autem de hac voce ſic loquitur Rabbi Iuda filius Rab-
bi Simon, hæc beſtia eſt auis magna, quæ vbi ſuas alas expanderit, ſolem
obfuſcat; & ea eſt de qua ſcriptum eſt: *Num ob intelligentiam tuam volabit ac-*
Iob. 39. *cipiter, expandet alas ſuas ad Auſtrum?* Et quare tali appellatur nomine?
26. nempe quia in ea ſunt de omnibus ſpeciebus guſtuum, partim ex hoc par-
tim ex illo.

V. 12. *Si eſuriero non dicam tibi.* Si hominis inſtar fame laborarem non tibi dicerem vt me cibo reficeres: *Meus eſt enim orbis terræ & plenitudo eius.*

V. 13. *Nunquid manducabo carnes taurorum.* Dictio אבירים *abirim* vitulos, fortes & robuſtos ſignificat.

V. 14. *Sacrifica Deo confeſsionem.* Si volueris immolare Deo, cum confeſſione ſit ſacrificium, vt ſcilicet confitearis de operibus tuis malis, nec vltra ad illa redeas. *Et redde altiſsimo vota tua.* Ego quidem tibi non præcipio vt voueas, ſed ſi oblationem voueris, illam redde altiſſimo qui ſupra te eſt, & & quem effugere non valebis, ſi ei mentiri audeas. Nec verò illud tibi dico, quòd illis donis tuis indigeam, ſed vt ea præſtes quæ è labijs tuis in promiſſione tua, egreſſa ſunt, etiam erga hominem tui ſimilem, ac multò magis erga me.

V. 15. *Et inuoca me in die tribulationis.* Si tua ſacrificia hâc ratione fiant, eruam te in die tribulationis cùm me inuocaueris, vt me poſtea honore afficias, nempe dum mea mandata perficies: Si quis autem offert ſacrificia, & à ſua malitia non conuertitur, ipſe Deum contemnit & eius præcepta, & donum duntaxat offert exteriùs, Deúmque putat cor ſuum minimè perſpectum habere; is Deum benedictum non glorificat, imò ſpernit ipſum.

V. 16. *Peccatori autem dixit.* Huc vſque Pſaltes arguit eos qui cùm ſacrificia offerant, non tamen à malitia ſua conuertuntur, iam verò illos reprehendit qui docent quidem alios, ſed ipſi non faciunt quæ docent: hæ etenim duæ agendi rationes malæ ſunt admodùm, quia cùm aliquis eſt improbus & ſe palam oſtendit malum, ecce qui eiuſmodi eſt, malus eſt coram Deo & in conſpectu hominum, & propter hoc longe magis ad agendam pœnitentiam eſt diſpoſitus, nam & ipſum norunt homines cæteri, & ſubinde eum coarguunt. Qui verò ſacrificia offert, & ſeipſum quaſi probum Dei cultorem exhibet, cùm tamen

men prauo ſit animo, & praua opera clam perpetret, is longè peior eſt illo PSAL. 50.
qui apertè malus eſt: qui enim talis eſt, Deum abnegat, Deúmque ſe non inſpicere & audire aſſerit, & ſe illius notitiæ ſurripere poſſe exiſtimat. Et is à pœnitentia eſt remotiſſimus, ſua enim opera ab hominum cognitione occultat. Ita pariter qui legem diſcit, nec ex legis præſcripto agit, ipſe peccat & alios ad peccandum inducit. Nam qui vident ipſum legi dare operam, & contrarium penitus agere ei quod ediſcit, eius opera addiſcunt & imitantur dicúntque, nonne iſte legi ſtudet, & eiuſmodi tamen opera facit? Quòd ſi hæc opera eſſent mala coram Deo, illa profectò nunquam iſte faceret, eſt enim vir ſapiens & legi operam nauans: ſic igitur ipſe peccat & alijs peccandi eſt cauſa, ipſi enim rudes ſunt & diuinæ legis ignari. Quamuis enim ſciant mala eſſe eius opera, & contraria ijs quæ ſcripta ſunt in lege, propter ipſum tamen, legis diſciplinam oderunt, dicúntque, videtis iſtum qui legis eſt peritus, quàm turpia ſunt opera eius! Mali etiam cauſa eſt, maledicítque patri ſuo & magiſtris ſuis, vulgò enim dicitur; maledictus qui hunc genuit, maledictus qui hunc docuit & educauit. Propterea dicit Lex & Sapientia: *Omnes qui oderunt* Prou. 8. 36.
me, diligunt mortem. Quoniam ipſi legem alijs inuiſam reddunt prauis ſuis operibus, exiſtimántque ſe poſſe occultari ſtudio legis, ſic enim vitia ſua abſcondunt & ab hominum notitia ſubducunt: quia qui videt illos ſtudio legis addictos, non curioſè eorum actus examinat: ipſi etiam cautè opera ſua manifeſta obſeruant vt cum honeſtate fiant; at verò illa quæ quamplurimis occulta ſunt, ea prauè faciunt: quare hîc additur: *Si vidiſti furem, conſentiebas ei, & cum adulteris portio tua.* Hæc ſunt opera quæ in occulto peraguntur. Per illa autem verba: *Statuta mea & pactum meum*, deſignantur præcepta legis quæ cum fœdere data fuerunt. In Deras verò circa illa verba, Peccatori autem, ſic dicitur: *Iſte eſt Doeg.* Circa illa, Aſſumis teſtamentum meum per os tuum, ſic dicitur, nempe vt innuat ipſum habuiſſe tantùm legem in labijs, & exteriùs.

V. 17. *Tu vero odiſti diſciplinam.* Hæc ſunt præcepta quæ ad mutua inter homines officia ſpectant. *Sermones meos*, his verbis cætera exprimuntur mandata.

V. 18. *Si vidiſti furem, conſentiebas ei.* Vox תרץ *teretſ* eſt pro תרצה *tirtſe* ſignificátque beneplacitum, ac ſi diceret, tibi pergrata erat eius ſocietas.

V. 19. *Os tuum miſiſti.* Nempe ad loquenda mala aduersùs homines. Et ſi verbum Miſiſti, ſumatur latiori modo, ſenſus erit ac ſi diceret, ſoluiſti os tuum ad loquendum mala; hoc etiam pertinet ad peccata quæ clam perpetrantur, cùm ſcilicet quis in domo ſua de alijs detrahit, aut occultè de alio quopiam malum loquitur. *Concinnat dolum*, hoc eſt, verba fraudulenta, vox תצמיד *tatſmid* ſignificat, verba tua aptè componis cum ſermonibus viri alteriùs, malum ſicut tu, intendentis.

V. 20. *Sedes aduerſus fratrem tuum.* Sedes in conſeſſu deriſorum vt contra fratrem tuum loquaris, cùm tamen ſit filius patris tui, aut etiam filius matris tuæ, etiamſi inter te & inter ipſum nihil ſit commune, præter vnam illorum hereditatem. Dictio דופי *dophi*, opprobrium & conuitium denotat.

V. 21. *Hæc feciſti.* Et quia ego tacui, hoc eſt, geſſi me erga te quaſi hoc

Psal. 50. non cognoſcerem, nempe quia non ſtatim induxi pœnam malis operibus tuis debitam, exiſtimaſti me eſſe tibi ſimilem, nempe quòd occulta me laterent: Sed nunc: *Arguam te & ordinabo in oculis tuis*, omnia nempe ſcelera quæ vnquam commiſiſti, vt agnoſcas omnia eſſe mihi perſpectiſſima. Et quamuis diu punitionem tuam diſtulerim, at veniet tempus quo mali diſperdentur, & tunc demum apertum fiet quinam ſint probi & quinam improbi, quemadmodum in vaticinio Malach. dicitur. *Et videbitis*, diſcrimen, *inter iuſtum & impium & inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei.* (Mal. 3. 18.) Aliam horum verborum explicationem audiui ex ore cuiuſdam ſenis dicentis; Hæc feciſti & tacui, hoc eſt, iſta quidem mala tua diu punire in te diſtuli, verùm quòd me exiſtimaſti & credidiſti eſſe corporeum ſicuti tu es, de eo arguam te, & diſponam in oculis tuis, etenim hoc omnium malorum eſt maximum.

V. 22. *Intelligite nunc hæc.* Hanc ſcilicet increpationem, & conuertimini à malis operibus veſtris, ô vos qui Deum obliuiſcimini. *Ne forte rapiam, & non ſit qui eripiat.* Non enim ampliùs iram meam & pœnas differam, quoniam inſtat iudicij dies. Ita etiam in prophetia Malachiæ dicitur: *Ne forte veniam & percutiam terram anathemate.* (Mal. 4. 6.)

V. 23. *Sacrificans confeſsionem.* Qui ſacrificium facit cum confeſſione, ac ſi diceret cum confeſſione malorum operum ſuorum, & ab illis conuertitur, ipſe honorificabit me, quoniam is mandata mea pertimeſcit. *Et ponens viam.* Et quantò magis qui ponit viam ſuam? hoc eſt, qui diſponit ac ordinat viam ſuam & cor ſuum ad bonum, neque ſacrificijs indiget. *Oſtendam illi ſalutare Dei.* Quia ſcilicet in tempore ſalutis erit dies vltionis & dies iudicij, & probi qui tunc ſupererunt, videbunt ſalutes Dei, ac bono fruentur omnibus diebus ſeculi. Quòd autem dicat, ſalutare Dei poſtquam dixit, oſtendam ei, perinde eſt ac ſi diceret, ſalutare meum. Quo etiam ſenſu illud dicitur: *Moyſi quoque dixit*, Deus, *Aſcende ad Dominum.* Cæterùm in Deras, circa illa verba, שם *ſam* ponens viam, ſic dicitur, litera ש *ſchin* ſcripta eſt, quaſi in ſignificatione vocis שומא *ſchoma* ſummæ, æſtimationis, qui ponit vias ſuas, quaſi diceret qui perpendit vias ſuas vt cum rectitudine & iudicio ſint inter homines, oſtendam ipſi ſalutare Dei.

PSALMVS QVINQVAGESIMVS PRIMVS.

Præcentori Pſalmus David. Quum venit ad eum Nathan Propheta, poſtea quam intrauerat ad Bethſabée.

1. MIſerere mei, Deus, ſecundùm miſericordiam tuam: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele præuaricationes meas.

2. Multùm laua me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me. PSAL. 51.

3. Quoniam præuaricationes meas ego cognoſco : & peccatum meum coram me, *eſt*, ſemper.

4. Tibi, tibi ſoli peccaui, & malum in oculis tui feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, purus ſis in iudicando te.

5. Ecce enim in iniquitate formatus ſum : & in peccato calefecit me mater mea.

6. Ecce veritatem, *quam*, dilexiſti in renibus: & in occulto ſapientiam mihi notam facies.

7. Expiabis me hyſſopo & mundabor : lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

8. Audire facies me gaudium & lætitiam : exultabunt oſſa, *quæ*, contriuiſti.

9. Auerte faciem tuam à peccatis meis : & omnes iniquitates meas dele.

10. Cor mundum crea mihi Deus : & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

11. Ne projicias me à facie tua : & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

12. Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ : & ſpiritu ſpontaneo confirma me.

13. Docebo præuaricantes vias tuas : & peccatores ad te conuertentur.

14. Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis me: & cantabit lingua mea iuſtitiam tuam.

15. Domine labia mea aperies : & os meum annuntiabit iuſtitiam tuam.

16. Quoniam non vis ſacrificium & dabo : holocauſtis non delectaris.

17. Sacrificia Dei, ſpiritus contritus : cor contritum & confractum, *Deus*, non deſpicies.

18. Benefac in bona voluntate tua Sion : ædifica muros Ieruſalem.

19. Tunc acceptabis ſacrificia iuſtitiæ oblationem & holocauſtum : tunc offerent ſuper altare tuum vitulos.

Psal. 51.

COMMENTARIVS.

2. Sam. 12. 13. PRæcentori. Cùm venit ad eum Nathan Propheta. Tunc enim confeſſus eſt & palam dixit: *Peccaui Domino.* Hanc verò orationem pronuntiauit cùm Nathan in domum ſuam fuiſſet reuerſus.

V. 1. *Miſerere mei Deus ſecundum miſericordiam tuam.* Non autem ſecundùm opera mea. *Dele præuaricationes meas.* Hanc nimirum præuaricationem, & alias quas commiſſi; vel ſenſus eſt, quoniam in iſta præuaricatione duæ fuerunt perpetratæ, nempe adulterium cum Betſabee, & cædes Vriæ.

V. 2. *Multum laua me.* Hoc quidem loco ſcriptum eſt הרב *hereu*, ſed legi
Deut. 9. 14. debet הרבה *hereua*: verùm vnum & idem eſt. Et vox hæc ſimilis eſt iſti, הרפה *herpa* ceſſa à me. In Deras circa hunc locum ita dicitur, Multa iam tuæ miſericordiæ dona erga me exhibuiſti, ſic etiam nunc age, quæſo, & dele præuaricationes meas. *Laua me.* Senſus eſt, multiplica miſerationes tuas, & laua me ab iniquitate mea. Vel dictio הרב *hereu* idem ſignificat ac הרבה *harba* ac ſi diceret plurimùm laua me ab iniquitate mea. Peccatū enim in anima eſt veluti macula in veſte. *Munda me,* quia per iniquitatem anima inquinatur.

V. 3. *Quoniam præuaricationes meas.* Plurimas ſcilicet vt iam explicuimus. *Ego cognoſco.* Agnoſco & fateor me peccaſſe, nec peccatum meum denego, ſicuti Cain, qui dixit: *Non noui. Coram me eſt ſemper.* Quoniam aſſidue in
Gen. 4. 9. pœnitentia & dolore animi verſor propter illud peccatum.

V. 4. *Tibi, tibi ſoli.* Peccata enim mea occultè ſunt admiſſa, res clam peracta eſt, nec vllus eam præter te ſolum nouit. Nam etiamſi illam accerſiuerim operâ ſeruorum meorum, ipſi tamen ignorabant quam ob cauſam, ipſam accerſerent. Ita etiam quod ad cædem Vriæ ſpectat, nemo conſilium animi mei nouit, quare mortem ipſi inferendam curauerim, niſi tu ſolus. Quamquam enim dederat literas ad Ioabum de Vria, quando tamen palam facta fuit cædes, exiſtimare potuerunt Regem iuſſiſſe ipſum interfici, quòd regijs mandatis non paruiſſet. Tu verò in re vtraque conſilium animi mei nouiſti, me ſcilicet malum intendiſſe. Neque ego peccatum meum diffiteor inſtar Caini qui dixit: *Neſcio.* Excellens Rabbi Saadias ſic exponenda cenſet hæc verba, Tibi ſoli, tibi peccaui, ac ſi diceret, tibi ſoli confiteor, ac palam dico peccaui, & malum in oculis tuis feci. Inueni etiam quòd ad hanc expoſitionem conducere videtur, illud nempe quod dicunt Magiſtri noſtri P. M. Scri-
Prou. 28. 13. ptum eſt: *Qui tegit ſcelera ſua, non proſperabitur.* Alio verò in loco legitur, Beatus, *eſt*, cuius remiſſa eſt præuaricatio, cuius tectum eſt peccatum.
Pſal. 32. 1. Ecce ſcilicet quoad ea peccata quæ homo in propinquum ſuum admittit, illud eſt intelligendum, Qui tegit peccata ſua non proſperabitur. De peccatis verò hominis in Deum, vt contingit in nudatione, aut in violatione Sabbati, illud dictum eſt, cuius tectum eſt peccatum. Illum etiam vulgò dicunt impudentem qui peccatum ſuum manifeſtum facit. Dominus pater meus P. M. hæc verba, tibi, ſoli tibi peccaui, ſic exponit, ſi adhuc Vrias viueret, peccatum ad te & ad illum pertineret; verùm cùm iam ſit mortuus, Tibi, ſoli tibi peccaui, ego tibi peccatum confiteor totum enim iam ad te ſpectat, nec mihi

niſi à te petenda eſt venia adulterij Betſabee & homicidij Vriæ quod procura- Psal.
ui. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis.* Ac ſi diceret , vt ignoſcas mihi pecca- 51.
tum , nam Caino dixiſti : *Nonne ſi bene egeris erit venia.* Moſi quoque dixiſti,
dum illi notas faceres vias tuas , Dominus Deus miſericors & clemens , aufe- Gen.
rens iniquitatem & ſcelera atque peccata. *Purus ſis in iudicando te.* Me nem- 4. 7.
pe eà iudicij æqui regulâ vt nemo tibi poſſit objicere te rem vnam promiſiſſe & Exod.
contrarium eius feciſſe : Cùm ergo promiſeris te peccata condonaturum ijs qui 34. 7.
conuerterentur, ignoſce peccato meo.

V. 5. *Ecce in iniquitate.* Sic ſapiens Rabbi Abraham filius Eſræ de his verbis ſcribit , propterea quòd concupiſcentia in corde hominis plantata eſt, perinde eſt ac ſi in iniquitate conceptus eſſet , hoc eſt, quia prauum peccandi deſiderium, tempore partus hominis , in eius corde plantatur. Sunt etiam qui dicant his verbis deſignari Euam , quæ non peperit niſi poſtquam peccaſſet. Dominus verò pater meus P. M. exiſtimat Dauidem hæc dicere vt peccatum à ſe amoueat, aut ſaltem leuius eſſe oſtendat ; quoniam , inquit, formatus ſum ex ratione & principio iniquitatis quam admiſi, nimirum ex ſemine genitali ex quo mater mea me concepit. Quemadmodùm ſi quis granum aliquod amarum ſeminet, arbor & fructus qui inde naſcuntur, ex ſua natura ſunt amari , & res omnes ſequuntur naturales cauſarum ſuarum proprietates. Homo autem ex fœda ſeminis gutta tempore congreſſus effingitur. Et licet in ea iniquitate ſit quid licitum & vetitum , ſi tamen homo hac in re & modo errauerit, hoc in eius naturam eſt refundendum , & in modum quo fuit procreatus, nec res adeo magna videri debet ſi à præualente concupiſcentia victus in hoc peccet. At verò furtum, & homicidium & omne aliud peccatum, à natura non emanant, nec vllum in homine eſt procliuitatis ad hæc indicium, ſicut ad illud : quapropter grauiùs peccat qui iſta peccata perpetrat. Si autem iuſtus aliquis concupiſcentiæ ſuæ poſſit dominari, itaut circa rem iſtam prauo appetitui ſuo præualeat, longè hoc maius eſt quàm ſi ſuo ſpiritui dominetur, ne eius motu actus, furtum aut homicidium, aut quoduis aliud peccatum admittat, ſiquidem illud naturale eſt, hoc verò minimè. Et dictio יחמתני *iehhematni* eſt pro יחמה אתי *iehama oti* caleſecit me, ſeu concepit: nempe quia præ calore fœminæ cum
mare ſemen emittitur, ex quo efformatur fœtus. Ita dicitur alibi : *Et calefa-* Gen.
ciebant ſe , ſeu concipiebant oues. Et , *vt calefacerent ſe* , conciperent virgis 30. 38.
conſpectis. Quòd verò dicat, Mater mea, ratio eſt, quia ipſa magis eſt cauſa quàm vir ; ſicut vulgò dicitur , Mulier ſi primò ſeminet, naſcetur mas. Cæterùm circa vocem בעון *beaauon*, in iniquitate, ſcriptam cum hholem pleno , ita differit Rabbi Ahha, Dixit Pſaltes, inquit, *beaauon* plenum , quia licèt quis ſit ſanctiſſimus omnium, impoſſibile eſt quin habeat vnam partem in qua ſit iniquitas. Dixit Dauid coram Deo ſancto & benedicto Domino ſeculorum, nunquid pater meus Iſaï intendebat me in mundum edere ? nunquid aliud ſpectabat quam proprium commodum ? hoc ita eſſe inde certò cognoſcitur, quòd poſtquam actum illum exercuerunt, & ſuam inde vtilitatem ſunt conſecuti, hic vultum ſuum in iſtam partem conuertit, illa in alteram, tu verò introduxiſti & congregaſti totum ſemen ex quo fui efformatus, & hoc eſt quod alibi
Dauid dixit Deo: *Pater meus & mater mea derelinquerunt me , Dominus au-* Pſal. 27.
tem collegit me. 10.

SAL. V. 6. *Ecce veritatem*, quam, *dilexiſti in renibus*. Illa veritas quam ſemper multùm amaſti, eſt in renibus meis, ac ſi diceret, etiamſi peccauerim & praua cupiditas mihi præualuerit, non tamen in cor meum aut renes meos aſcendit, itaut me adduxerit ad rebellandum in te, aut in tua præcepta. Verùm me quidem fœda concupiſcentia ſeduxit vt peccarem, at non per modum defectionis, nam agnoui me perpetrare malum in iſto actu, nempe quòd mandata tua tranſgrederer. Iam verò me facti huius pœnitet. Et hæc pœnitentia indicat me illud non feciſſe ex rebelli contumacia nec per modum ſuperbæ indignationis, ſed praui deſiderij motu, quo fui ſuperatus. Tu autem docebis me viam veritatis, & in rebus occultis notam mihi facies ſapientiam, vt res occultas in via veritatis intelligam; etenim in corde meo viget adhuc propoſitum obtemperandi voluntati tuæ, & dolore ac pœnitentiâ afficior eóquòd beneplacitum tuum ſim prætergreſſus. Dictio בטחות *battuhhot*, ſignificat in renibus,
Iob. 38. 35. iuxta illud: *Quis poſuit in renibus ſapientiam?* Vnde vulgò dicitur, cor intelligit & renes conſulunt.

V. 7. *Expiabis me hyſſopo & mundabor.* Hoc eodem ſenſu dictum eſt ac illud ſupra: *Multiplica, laua me*, quod enim eſt macula in veſte, hoc eſt iniquitas in anima, aut vulnus lepræ in corpore. Dicit verò expiabis me eo nempe modo quo Sacerdotes expiabant cum hyſſopo, quæ luſtratio erat finis emundationis, cùm ſcilicet emundandus cum hyſſopo aſpergeretur, ſic me penitus expurga ab iniquitate mea. Hæc porro expiatio, eſt peccati amotio. *Et dealbabor*, verbum אלבין *albin* hoc loco, eſt intranſitiuum, licèt ſit in conjugatione hiphil. Ita etiam ſumitur in iſto loco: *Albi facti ſunt rami eius.*
Iocl. 1. 7.

V. 8. *Audire facies me gaudium & lætitiam.* Nempe operâ Prophetæ tui, quòd mihi peccatum meum condonaueris. Et hoc, gaudio & lætitiâ non mediocri afficiet animam meam, mœrore & luctu, pro peccato confectam. Etiam oſſa exultabunt, hoc eſt corpus, iuxta illud: *Bonum nuncium impinguabit oſſa.* Nam quamquam dixerat ipſi Nathan Propheta. *Et Dominus tranſtulit peccatum tuum non morieris*, promiſit quidem ipſi fore vt non moreretur, cùm enim dixit Deum tranſtuliſſe peccatum eius, indicauit ei fore vt non interficeretur, nec alijs pœnis in corpore puniretur; Sed quoad alias caſtigationes iam à Nathan Propheta audiuerat: *Non recedet gladius de domo tua.* Et, *Ecce ſuſcitabo contra te malum de domo tuâ.* Nec Deum deprecabatur pro pœnis iſtis & punitionibus euitandis, ſe enim eas eſſe meritum agnoſcebat ad ſuæ iniquitatis expiationem. Nec ſine iſtis caſtigationibus poterat expiari, adeoque vtilis erat illi eiuſmodi punitionis genus. Dicit verò: *Quæ contriuiſti*, quia metu Dei benedicti oſſa eius contutbata erant & attrita.
Prou. 15. 30. 2. Sam. 12. 13. Ibid. v. 9.

V. 9. *Auerte faciem tuam.* Ne, quæſo, ſint ampliùs in conſpectu tuo peccata mea, ſed eorum ne ſis memor, nec ptopter illa, vltrà in me animaduertas: hoc etiam ſenſu dicit: *Omnes iniquitates meas*, quas commiſi hactenus, *dele*, nam earum omnium me pœnitet, & coram te ab illis perfectâ conuerſione reſipiſcere volo.

V. 10. *Cor mundum crea mihi.* Quoniam deinceps rectè agendi firmum ptopoſitum concepi, tu verò adjuua me in illo, & corrobora cor meum, & ſpiritum meum? vt ſit mundus, ne iterum praua cupiditas mihi præualeat,

iuxta illud vulgatum, venit ad mundandum ſe & ipſum adjuuant. Et hæc eſt PSAL.
creatio & innouatio de qua hic Pſaltes loquitur. 51.

V. 11. *Ne projicias me.* Tanquam hominem quem odio habeas & abomineris, ſed me aſpicias oculis miſericordiæ & amoris. Vel etiam intelligi poſſunt hæc verba de Spiritu Sancto, itaut idem bis in eodem verſu repetatur. Nam fuit in ipſo Spiritus Sanctus, quemadmodùm ipſemet dixit: *Spiritus* 2. Sam.
Sanctus locutus eſt per me, & ſermo eius ſuper linguam meam. Et illo afflatus 23.
Spiritu Pſalmos edidit, ſicut expoſuimus in ipſo libri initio. Nunc autem cùm peccaſſet, ab eo Spiritus Sanctus abceſſerat & orat ne à ſe in perpetuum auferatur: nam etſi eo tempore ab ipſo fuiſſet ablatus, rogat ne ſemper à ſe abſit, ſed ſibi à Deo iterum reddatur; & illud eſt quod ſubjungit.

V. 12. *Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ.* Spiritus enim Sanctus animæ eſt gaudium & ſalus. *Et Spiritus ſpontaneus confirmet me.* Hoc eſt Spiritus Sanctus, quo ſponte Deo benedicto dantur verba cantici & laudis: qui etiam eſt author bonæ voluntatis. Et litera ת *tau* vocis תסמכני *tiſmecheni* refertur ad vocem Spiritus. Vel hoc verbum de Deo benedicto dicitur hoc ſenſu, Et Spiritu ſpontaneo confirma me. Sapiens doctor magnus Rabbi Moſes filius Maimon, memoria iuſti ſit benedicta, hunc locum ſic exponit, Placa ſpiritum meum ſpontaneum, ad faciendum illum volentem, nec peccata mea efficiant vt ab implenda pœnitentia impediar: Verùm detur mihi libera poteſtas, donec iterum viam veritatis intelligam.

V. 13. *Docebo præuaricatores.* Poſtquam indulſeris mihi peccatum meum, præuaricantes & peccatores docebo vias tuas, nempe quòd peccata & præuaricationes ignoſcas. Et ipſi ad te hàc ratione conuertentur, túque illos recipies.

V. 14. *Libera me de ſanguinibus.* Vriæ ſcilicet; nec propter illum ſanguinem meo iuſſu effuſum, me puniueris. Dicit verò אלהים *elohim*, hoc eſt, quoniam tu es Deus potens & Iudex omnium, & in tua eſt poteſtate vt punias aut ignoſcas. Te autem ideò hoc nomine, Deum Iudicem ſalutis meæ appello & inuoco, vt me ab illa punitione liberes. Porrò ſanguis dicitur & in numero ſingulari & in numero plurali: in numero quidem ſingulari in iſtis locis: *Sanguis eius ſuper caput eius*, &c. In numero plurali vt, *Vox ſangui-* Leuit.
num fratris tui clamat. Huius autem rei eam eſſe rationem ſcribit Rabbi A- 17.
braham filius Eſræ nempe appellari ſanguinem ſingulari numero, quòd ſit res Ioſ 20.
vna: appellari verò plurali numero, eòquòd ipſe ſit ſubjectum quatuor hu- Gen. 4.
morum. *Laudabit lingua mea iuſtitiam tuam.* Quam erga me exhibebis cùm mihi peperceris.

V. 15. *Domine labia mea aperies.* Tu, tu inquam, qui omnia ſoles indulgere, labia mea aperies, vt cum exultatione lingua mea decantet iuſtitiam tuam. Deum autem vult oratione flectere vt ſibi Spiritum Sanctum reſtituat, quo affulgente lingua eius erumpat in verba cantici, vt ſolebat antea. Illud enim eſt quod iſtis verbis deprecatur, labia mea aperies, vt ſuis verbis Dei auxilium adſit.

V. 16. *Quoniam non vis.* Si enim ſcirem te velle ſacrificium propter peccatum meum, darem vtique. Verùm certò ſcio te longè magis delectari cor-

PSAL. 51. de contrito: ecce igitur ego reſipiſco, animo coram te, dolore confracto. Quamquam enim Deus præceperat ſacrificia vnà cum confeſſione & pœnitentia, non illa tamen præceperat niſi pro peccatis ex ignorantia vel imprudentia commiſſis, Dauid autem ex conſilio & prudens peccauerat, vnde ad expiandum hoc peccatum inutile erat ſacrificium præter cordis contriti & confracti pœnitentiam. Iam quod ſpectat ad peccatum hominis in proximum ſuum, illud mutuâ reconciliatione expiatur. Cæterùm præcipuè Deus offerri iuſſit ſacrificia vt per ea docerentur homines cor eſſe conterendum, & carnalem appetitum eſſe omnino ex animis auferendum. Ac per combuſtionem pecudum, dixerunt, ſapientes ſignificari animales cupiditates ſimiliter eſſe comburendas. Præcipit igitur Deus ſacrificia pro peccatis ex ignorantia ſeu errore admiſſis, ipſe enim nouit corda hominum & quiſnam per errorem peccet, & quis ex ſuperbia & ex conſilio, ipſique offert ſacrificium.

V. 17. *Sacrificia Dei.* Hoc eſt, ſacrificia quæ illi ſunt accepta, hæc ſunt nempe Spiritus contritus. *Cor contritum non deſpicies.* Tu ſacrificium deſpicis quando cor non eſt contritum, at ipſum non ſpernis, etiam ſi cum eo non adſit ſacrificium.

V. 18. *Benefac in bona voluntate tua.* His duobus verſibus oſtenditur Spiritum Sanctum ad Dauidem fuiſſe reuerſum dum adhuc orans hunc Pſalmum ederet. Dixerat enim antea, Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ, quod ita ipſi contigit, nam ad eum redijt; hi ſiquidem verſus ſunt prophetia de rebus venturis, nam Spiritu Sancto illuſtratus videbat futuram domum ſanctuarij, & primam ac ſecundam propter peccata deſtruendas. Et quamuis tunc oblata ſemper fuerint ſacrificia; cùm tamen mala eſſent hominum illius temporis opera, illa ſacrificia Deus deſpexit, & ſanctuarium deuaſtari permiſit. Meſſiæ verò temporibus grata erunt ſacrificia, quia nimirum Iſraëlitæ vno conſenſu & animo Deum colent; ac propterea dixit, Benefac Domine in bona voluntate tua Sion.

V. 19. *Tunc acceptabis.* Ipſa ſiquidem ſacrificia erunt ſacrificia iuſtitiæ,
Iſa. 1. 13. priora verò erant ſacrificia mendacij ſicut dicitur: *Ne offeratis vltrà ſacrificium vanitatis incenſum abominatio eſt mihi*, &c. At quia Meſſiæ temporibus erunt ſacrificia iuſtitiæ, idcirco illa acceptabit: *Oblationem & holocauſtum.* Voces עולה *oola* & כליל *calil* idem habent ſignificatum, ideò idem bis dicitur. Aut voce כליל *calil* oblatio Sacerdotis exprimitur, quæ tota etiam aſſumebatur. Quod dicit, *Iuuencos*, de ſacrificijs pro peccato & pacificis loquitur. Nominat verò iuuencos, quod pariter de agnis eſt intelligendum: ſed illud tantùm expreſſit, quod in ea ſpecie oblationum erat maximum.

PSAL-

PSALMVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS. Psal. 52.

Præcentori, erudiens, Dauid. Quando venit Doëg Idumæus & annuntiauit Saüli & dixit ei, venit Dauid in domum Achimelech.

1. QVid gloriaris de malitia, ô potens? miſericordia Dei, *eſt*, omni die.

2. Perniciem cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta faciens dolum.

3. Dilexiſti malum potius quàm bonum: mendacium magis quàm loqui iuſtitiam.

4. Dilexiſti omnia verba perniciei: linguam doloſam.

5. Etiam Deus deſtruet te in æternum, capiet te, & transferet te de tabernaculo: & eradicabit te de terra viuentium.

6. Et videbunt iuſti, & timebunt: & ſuper eum ridebunt.

7. Ecce vir, *qui*: non ponit Deum robur ſuum: ſed ſperat in multitudine diuitiarum ſuarum: roboratur in prauitate ſua.

8. Ego autem, *ero*, ſicut oliua virens in domo Dei: ſperaui in miſericordia Dei in ſeculum & in æternum.

9. Confitebor tibi in ſeculum, quia feciſti: & expectabo nomen tuum, quia bonum, *eſt*, in conſpectu ſanctorum tuorum.

COMMENTARIVS.

P*Ræcentori. Quando venit Doeg Idumæus.* Doëg appellatur Idumæus eò quod in regione Idumæorum fuiſſet commoratus, quemadmodum Obededom dictus eſt Getheus, quòd in Geth fuiſſet diuerſatus. In Deras verò dicunt fuiſſe quamdam vrbem eiuſdem nominis ſitam è regione ſuperioris Idumææ, & hunc à nomine vrbis ſuæ ita fuiſſe appellatum. Et ille locus legitur in libro Ioſue, in ſorte tribus Iudæ & in ſorte tribus Benjamin. Venit Dauid in domum Achimelech. Nec plura refert de rei iſtius hiſtoria, quia ſatis eſt nota ex libro Samuëlis. 1. Sam. 21.

V. 1. *Quid gloriaris de malitia, ô potens!* Litera ה *he* in voce הגבור *hagibbor* eſt nota vocatiui caſus, ſicut & in iſtis locis: *O congregatio preceptum vnum eſt vobis.* Et, *O generatio videtis verbum Domini.* Dicit igitur, Quid gloriaris ô potens: ipſe enim erat princeps & maximus paſtorum, & de ſua malitia inſolenter gloriabatur: qui mos eſt improborum, juxta illud: *Quia gloriatur im-* Num. 15. Pſal. 10. 3.

Psal. 52. *probus de cupiditate animæ ſuæ. Miſericordia Dei*, eſt, *omni die.* Hoc eſt, quid mihi nocere poterit iniqua delatio tua quâ cogitaſti me conjicere in poteſtatem Saülis, cùm Dei miſericordia omni die mihi adſit? Nonne iam multoties ex eius manibus me eripuit, cùm necem mihi inferre machinaretur? ſic etiam nunc me ex eius inſidijs & manibus liberabit.

V. 2. *Perniciem cogitauit lingua tua,* Quoniam lingua cogitationem cordis enarrat, idcirco dixit, lingua tua, quaſi cogitaret ipſa lingua. Quo etiam
Psal. 78. 72. ſenſu illud dicitur: *Et in prudentijs manuum ſuarum deduxit eos.* Nam etſi prudentia ad animum pertineat, quia tamen iuxta prudentiam animi gregem deducunt manus, propterea ipſis prudentiam tribuit. Dictio autem חוות *hauuot* contritionem denotat, rem ſcilicet malam aut damnum, ſiue opere illatum alteri, ſiue tantùm cogitatione deſignatum. *Sicut nouacula acuta feciſti dolum.* Lingua tua eſt ſimilis acutiſſimæ nouaculæ, quâ volens quis parum carnis incidere multùm incidit, quâ in re eſt dolus, ac ſi nouacula ipſa fraudem admitteret. Ita eſt de lingua tua; verba enim tu es locutus, & pauca quidem illa verba fuerunt, ſed quod ex illis conſecutum eſt opus malum fuit magnum ſiquidem cæſi ſunt octoginta quinque Sacerdotes, præter paruulos.

V. 3. *Dilexiſti malum.* Malum, nempe & mendacium, nam aſſeruit Achimelechum noſſe Dauidem fugere, ipſi opem dediſſe; quia ſcilicet panem edendum porrexerat, & Deum pro ipſo erat deprecatus. Verum illud quod Doëg aſſeruit, Achimelechum reſciuiſſe Dauidis fugam, hoc erat falſum, eum enim latebat Dauidem fugere. Et tamen hoc Doeg ſuadere intendebat, licèt expreſſe non ſit id ſcriptum alicubi, nam cùm Saül conquereretur aduersùs eos qui Dauidem fouebant, aſſeruit Achimelechum vnum eſſe ex eorum numero, quoniam, inquit, hoc & illo modo cum illo egit.

V. 4. *Dilexiſti omnia verba abſorptionis.* Hoc eſt, verba perniciei & excidij, eius enim verba Achimelecum & familiam ipſius perdiderunt. *Linguam doloſam*, hoc eſt dilexiſti etiam linguam doloſam, quoniam iſta lingua mala, de qua hic loquitur, cum dolo fuit ex eo die ex quo rem totam vidit Doëg. ſi enim inhibuiſſet Achimelechum quando rem ipſam inſpexit, eique increpaſſet, ipſum agere quod Saülem aliquando eſſet offenſurum, cùm tempore daret panes & gladium acutum Dauidi, ab his ſanè abſtinuiſſet Achimelech, ſed linguam ſuam doloſè continuit, vt poſteà de ipſo detrahendi anſam haberet.

V. 5. *Etiam Deus deſtruet te.* Quemadmodùm tu euelliſti Sacerdotuun familiam, & expuliſti eam è tabernaculo Domini; ita etiam deſtruet te Deus & euellet de tabernaculis tuis. Efficiet vt nullus in ipſis è familia tua ſuperſit maſculus; hoc iſtis verbis indicatur: *Et eradicabit te.* Penitus radicem tuam euellet, adeòut nullus tibi ſit futurus in domo tua ſuperſtes, quod iſtis verbis ſignificatur. *De terra viuentium*: Omnes enim tui interibunt. Vel de altera vita debet intelligi. *Capiet te.* Verbum enim יחתך *iahhteca* idem hîc habet ſignificatum, ac יקחך *iecahheca*, ſicut in iſto
Prou. 6. 15. loco: *Num capiet quiſpiam ignem in ſinu ſuo, & veſtes eius non comburentur?* Dictio יסחך *iſahhaca* extirpationem & deſtructionem ſignificat ſicut in iſto loco: *Domum ſuperborum deſtruet Dominus.* At Dominus pater meus P. M. verbum iſtud יחתך *iahhteca* interpretatur, ſic te comburet & concremabit.

Quo etiam modo verba illa, Num capiet quiſpiam ignem in ſinu ſuo? exi- Psal.
ſtimat eſſe exponenda, vt & illa: *Quia tu carbones capis ſuper caput eius*, 52.
hoc eſt, incendis.

V. 6. *Et videbunt iuſti.* Videbunt iuſti pœnas quas Deus ſumet de te, Prov.
propter effuſum ſanguinem Sacerdotum, & maiori metu & reuerentiâ Deum 25.
timebunt, & Doëgum & eius familiam deridebunt ac dicent.

V. 7. *Ecce vir qui non poſuit Deum robur ſuum.* Videte quis ſit eius exitus, quia ſcilicet Deum non eſt reueritus vt futurum vltorem mali quod erat locutus, nec in Deo benedicto fiduciam ſuam collocauit, ſed in diuitijs ſuis & in ſua magnitudine. Vox מעוזו *maoouſo* habet literam ו *vau* cum puncto dagues. *In prauitate ſua.* Hoc eſt in truculentia, malitia ſua & violentia ſua. Eximius Rabbi Saadias F. M. hanc dictionem בהותו *behanato* exponit in opibus ſuis, ſicut priùs dixerat, in multitudine diuitiarum ſuarum, itaut idem repetens dicat, in facultatibus quæ ſunt illi.

V. 8. *Ego autem ſicut oliua virens.* Ipſe quidem improbus defluet inſtar folij ex arbore defluentis, nec vlla ſpes boni illi ſupererit, ego verò tandem ex linguæ eius inſidijs liberatus, ero ſimilis oliuæ virentis cuius folia nunquam [illegible]nt. Toto enim anni tempore, oliuæ folia vireſcunt ac vigent. *In domo Domini.* Quoniam Doëg compreſſus fuerat coram Deo ſicuti malum erat machinatus, ideo dixit Dauid, ecce ipſe exſtirpatus eſt in conſpectu Dei, ego autem ibi ero inſtar oliuæ perpetuò vireſcentis, nam ego ſperaui in Dei miſericordia, non vero ipſe ſed in diuitijs ſuis fiduciam habuit, nec Deum reueritus eſt.

V. 9. *Confitebor tibi in ſæculum quia feciſti.* Hoc nempe iudicium. Illud autem Spiritu Sancto afflatus prædicit, fore ſcilicet vt Deus benedictus Doëgi in pœnis meritis afficeret. *Et expectabo.* Et in perpetuum expectabo nomen tuum, & notum faciam coram Sanctis tuis, quòd bonum feceris. Litera ו *vau* in dictione ואקוה *vaaquaune* afficitur patahh, quia hæc dictio eſt futuri temporis.

PSALMVS QVINQVAGESIMVS TERTIVS

Præcentori, ſuper Mahhala, Erudiens, Dauid.

1. Dixit ſtultus in corde ſuo, non, *eſt*, Deus · corruperunt & abominandam fecerunt iniquitatem, non, *eſt*, qui faciat bonum.

2. Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum: ad videndum an ſit intelligens, requirens Deum.

3. Omnes declinauerunt, ſimul fœtuerunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt etiam vnus.

4. Nonne ſcient qui operantur iniquitatem, qui deuorant
Psal. 53. plebem meam, *ſicut*, deuorant panem: Deum non inuocauerunt?

5. Illic timuerunt timore, *vbi*, non erat timor, quia Deus diſſipauit oſſa obſidentis te: pudore affeciſti eos, quoniam Deus ſpernet eos.

6. Quis dabit ex Sion ſalutes Iſraël? quum conuerterit Deus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, lætabitur Iſraël.

COMMENTARIVS.

V. 1. D*Ixit ſtultus in corde ſuo.* Iam ſuperiùs in primo libro hunc Pſalmum explicuimus. Nunc autem illum hic repetit Pſaltes verbis tantillum diuerſis. Iam quoque diximus in eius expoſitione, in eo primùm agi de exilio Iſraëlitarum, & in fine de liberatione ipſorum. Ratio verò cur illum hoc loco interpoſuerit inter hiſtorias Doëgi & Ziphæorum; eſt ut conferat res Dauidis cum rebus Regis Meſſiæ filij illius. Quemadmodum enim Dauid regnum expectauit, & ij etiam qui ex Iſraëlitis probi erant, regnum eius cum fiducia expectauerunt, & ſicut è contra improbi reperti ſunt inter eos qui callide ipſi mortem inferre machinarentur, vt Doëgus & Ziphæi; quorum Deus conſilium fecit irritum, & debitas illorum malitiæ pœnas in caput ipſorum adduxit & regnum Dauidis conſtabilitum eſt. Ita ſe hodie habent res Iſraëlitarum. Populi enim Nationum per ſingulas ætates doloſè contra nos machinantur vt nos omnino perdant; & nos probris inſectantur, eòquod Regem Meſſiam Dauidis filium expectemus, nobiſque objectant nunquam futurum, aut permanſurum eſſe regnum ipſius: ſicut etiam dicit Scriptura: *Quoniam exprobrauerunt inimici tui, Domine, quoniam exprobrauerunt veſtigia ſeu calcaneos*
Psal. 89. *Chriſti tui.* Cúmque etiam aduenerit Rex Meſſias, ipſi molientur inſidias, vt eum perdant & eius regnum aboleant. Eſtque vaticinium de Gog & Magog ſicut alibi ſcriptum eſt. Et de ipſis hæc verba dixit Pſaltes in hoc Pſalmo: *Quia Deus diſſipauit oſſa obſidentis te.* Quæ verba ad vrbem Ieroſolymitanam dicta ſunt, quaſi diceret, Earum Nationum, quæ caſtra aduſersùm te poſuerunt, Deus oſſa & robur diſſipabit. Quo etiam ſenſu dicitur apud Zachariam
Zach. 14. Prophetam: *Et egredietur Dominus & pugnabit aduerſus Gentes iſtas.* Et ad Ieruſalem dicitur: *Et veniet Dominus & omnes Sancti cum eo.* Porro iſtorum verborum: *Abominandam fecerunt iniquitatem*: ſenſus eſt, abominabilem fecère viam ſuam, per iniquitates quas ſunt operati, & deeſt hoc in loco ו *vau* ſeruile. In iſtis autem verbis: *Pudore affeciſti eos, quia Deus ſpreuit eos,* litera ת *tau* vocis הבישות *hauiſchota* refertur ad Meſſiam, ſenſuſque eſt, eos pudore affeciſti & effeciſti vt ſuperbia ipſorum ipſis eſſet opprobrio & pudori, quoniam Deus ſpreuit eos & tibi adfuit. In priori quidem Pſalmo, qui ſimilis eſt huic, dictio, ſalutes, eſt numeri ſingularis, in hoc verò, eſt pluralis; ſed idem eſt ſignificatum. Et his poſitis manet hic Pſalmus explicatus ex illa expoſitione quæ in primum eſt ſcripta.

PSALMVS QVINQVAGESIMVS QVARTVS. Psal. 54.

Præcentori in Neghinoth, Erudiens, Dauid. Quum veniſſent Ziphæi & dixiſſent Saüli, nonne Dauid abſconditus eſt apud nos? 1. Sam. 23. 19.

1. DEus in nomine tuo ſaluum me fac: & in fortitudine tua iudica me.

2. Deus audi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

3. Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſùm me, & violenti quæſierunt animam meam: non poſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

4. Ecce Deus adiuuat me: Dominus, *eſt*, in ſuſtentatoribus animæ meæ.

5. Reddat malum inimicis meis: in veritate tua ſuccide illos.

6. Voluntariè ſacrificabo tibi: celebrabo nomen tuum, Domine, quoniam bonum eſt.

7. Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & in inimicis meis vidit oculus meus.

COMMENTARIVS.

QVum veniſſent Ziphæi. Hoc eſt, homines deſertum Ziph incolentes. Eſtque Ziph, nomen loci cuiuſdam circa terminos filiorum Iuda ſiti.

V. 1. *Deus in nomine tuo.* Nempe quod inuoco, ſaluum me fac. *Et in fortitudine tua.* In qua ſolùm ſpem habeo, cùm ego ſim vnicus ipſi vero hoſtes mei quamplurimi, in ea iudicabis me, hoc eſt ſumes de illis vindictam meam.

V. 2. *Deus audi orationem meam, & verba oris mei.* Rem eandem repetit. Aut ſenſus eſt, orationem meam in corde, & verba oris mei in lingua.

V. 3. *Quoniam alieni, & violenti.* Idem repetit diuerſis verbis, ſicut & cùm dicit, inſurrexerunt aduerſùm me & quæſierunt animam meam: is enim eſt mos Linguæ ſanctæ. Sunt qui per alienos, Ziphæos intelligant. Per violentes autem, Saülem eiuſque comites: vel per alienos, Dauid extraneos deſignat, qui non eſſent ſui populi. Per formidabiles, Ziphæos ipſos. *Non poſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.* Hoc eſt, non ipſum timuerunt Deum, nec cogitarunt ab eo iuſtam ſuis actibus mercedem eſſe rependendam.

V. 4. *Ecce Deus adiuuat me.* Non poterunt quicquam mali ſuis prauis de-

lationibus mihi inferre. *Dominus, eſt, cum ſuſtentatoribus animæ meæ.* Is qui
PSAL. 55. potentiſſimus eſt Dominus ſuper omnia, ipſe erit inter eos qui vitam meam tuentur & fouent, perinde ac ſi diceret, opem feret viris illis ex populo Iſraël, qui vitam meam propugnant.

V. 5. *Reddet malum inimicis meis.* Dictio hæc ישוב *iaſchou* ita ſcripta, eſt conjugationis cal, habétque ſignificationem intranſitiuam, nempe reuertetur, & de ipſo malo intelligitur: legitur verò eadem vox ישיב *iaſchiu*, hoc eſt, redire faciet, reddet, ex conjugatione hiphil, & ad Deum benedictum refertur. Sed idem eſt ſenſus in vtraque lectione, nimirum illud malum quo me affiiciunt, in ipſos conuertet. Ipſi enim hoſtes mei ſunt, & me ad malum finem inſpiciunt & explorant; & ea propter hoſtes appellatur iſta voce שורים *ſcorerim* inſpectores, ex iſto loco, Inſpiciam illum, ſed non prope, vnde dictum eſt de ipſo Saüle: *Et erat Saul torue inſpiciens Dauidem.* Sic etiam Ziphæi ſtudioſè obſeruabant ipſum Dauidem, & locum in quo forte conſiſteret, & ſtatim Saüli renuntiabant. *In veritate tua ſuccides illos.* Verax eſt enim promiſſio tua, quâ me futurum Regem es pollicitus, iſti interim me ex hoc mundo tollere moliuntur.

V. 6. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Poſtquam tu illos ſuccideris, tibi ſacrificabo liberali & prompto animo: & tunc etiam celebrabo nomen tuum, quoniam bonum eſt, & dicam quod illud ex omnibus tribulationibus me eripuerit. *Et in inimicis meis vidit oculus meus*, nempe illud quod volui. Ita etiam dicitur hoc ſenſu. *Et vidit oculus meus in inimicis meis.*

PSALMVS QVINQVAGESIMVS QVINTVS.

Præcentori in Neghinoth, Erudiens, Dauid.

1. AVribus percipe Deus orationem meam: & ne abſcondas te à deprecatione mea.

2. Intende mihi & exaudi me, *dum* lamentor in meditatione mea & tumultuor.

3. A voce inimici, & propter tribulationem improbi: quoniam conjiciunt ſuper me iniquitatem, & in ira aduerſantur mihi.

4. Cor meum cruciatum eſt in medio mei: & terrores mortis ceciderunt ſuper me.

5. Timor & tremor venit ſuper me: & operuit me horror.

6. Et dixi, quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? auolabo & requieſcam.

7. Ecce elongarem me fugiendo: manerem in ſolitudine.

8. Accelerarem effugium mihi: à ſpiritu procelloſo, à tempeſtate. PSAL. 55.

9. Abſorbe, Domine, diuide linguam eorum: quoniam vidi injuriam & contentionem in ciuitate.

10. Die ac nocte circundabit eam ſuper muros eius: & iniquitas & labor in medio eius.

11. Prauitates, *ſunt*, in medio eius: & non recedit è plateis eius fraus & dolus.

12. Quoniam non inimicus probris me afficit, & ſuſtinerem, non is qui odio habeat me, ſuper me magna loquitur, & abſconderem me ab eo.

13. Tu verò homo velut æqualis mihi: dux meus & notus meus.

14. Qui ſimul dulce capiebamus conſilium: in domum Dei ambulabamus in ſocietate.

15. Adigat mortem ſuper illos, deſcendant in infernum viuentes: quoniam nequitiæ in habitaculo eorum, in medio eorum.

16. Ego ad Deum clamabo: & Dominus ſaluabit me.

17. Veſpere & mane & meridie loquar: & tumultuabor, & exaudiet vocem meam.

18. Redimet in pace animam meam ne appropinquent mihi: quoniam inter multos erant mecum.

19. Exaudiet Deus & humiliabit eos, qui eſt ante ſecula: non, *eſt*, enim illis commutatio, & non timuerunt Deum.

20. Miſit manum ſuam in eos qui pacifici erant cum eo: violauit fœdus ſuum.

21. Leniora erant butyro, *verba*, oris eius, & bellum cor eius: molliores erant ſermones eius oleo, & ipſi ſtricti gladij.

22. Iacta ſuper Dominum onus tuum, & ipſe te ſuſtentabit: non dabit in æternum nutationem iuſto.

23. Tu verò, Deus, dejicies eos in puteum foueæ: viri ſanguinum & doli non dimidiabunt dies ſuos: ego autem ſpero in te.

COMMENTARIVS.

PRæcentori, in Neghinoth Erudiens Dauid. Pſalmum hunc edidit Dauid cùm relictâ vrbe Ieroſolymitanâ, Abſalomum filium effugeret ipſique renuntiatum fuiſſet Achitophelem eſſe ex coniuratorum numero.

V. 1. *Auribus percipe, & ne abſcondas te.* Rem eandem verbis diuerſis enuntiat

Psal. V. 2. *Intende mihi.* Hoc eſt, quando clamabo in ſermone meo, & tumul-
55. tum faciam intende mihi. Dictio אריד *arid* ſignificat planctum & vlulatum
propter dolorem, aut propter anguſtiam, & ita iſto in loco ſumitur: *Et erit*
Gen. *quando lamentaberis.*
27. V. 3. *A voce inimici.* Audio enim ex verbis quæ iactat inimicus, ipſum me velle ex regno depellere, & vitâ etiam priuare. Porro ille hoſtis de quo loquitur, eſt Abſalomus. *Propter tribulationem impij.* Hoc eſt, propter anguſtiam quam patior ab inſigni iſto impio. Quare autem lamentor & tumultuor ego propter illum, & propter vocem eius, & propter Iſraëlitas qui cum ipſo conſpirarunt? Nempe quia conjiciunt in me iniquitatem, hoc eſt, intendunt contra me injuſtitiam. Ipſi enim contra me rebellant, & mentiuntur contra fidem ſuam, quâ me in ſuum Regem ſincero animo inſtituerant; Nunc verò me odio cum ira & furore proſequuntur, ac filium meum ſuæ aduersùm me rebellionis ducem conſtituerunt.

V. 4. *Cor meum cruciatur.* Verbum יחיל *iahhil* denotat hîc dolorem ſimilem doloribus parientis. Ego, inquit, mortem quaſi certam mihi expaueſco, illi ſiquidem me ſunt interfecturi, nam ita decreuit Achitophel: *Et percutiam*,
2. Sam. inquit, *Regem ſolum derelictum.*
17. V. 5. *Timor & tremor.* Præ magnitudine timoris quo concutitur cor meum tremit corpus meum & exhorreſcit. Et licet רעד *raad* & פלצות *pallatſout* duæ ſint dictiones, idem tamen ſignificatum habent: porro iſta verba: *Contexit me*, ſummum fuiſſe horrorem denotant.

V. 6. *Et dixi, quis dabit mihi pennas ſicut columbæ?* Hoc eſt, alas ſimiles alis columbæ; nempe vt poſſim auolare in locum quò me non poſſint aſſequi hoſtes: & tunc ſecurus & intrepidus reſiderem. Scripſit ſapiens Rabbi Abraham filius Eſræ F. M. Dauidem præ cæteris auibus mentionem feciſſe columbæ, quòd ea cum hominibus reſtet, & eâ Reges vtantur aliquàndo ad mittendas epiſtolas ſuas, hinc eſt quòd dicat, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? Quare ſicut columbæ? Rabbi Iona in nomine Rabbi Iodan filij Rabbi Simon, dixit, quia cæteræ aues vbi volando ſunt defatigatæ ſolent confugere in cacumen rupis aut arboris, ibique capiuntur. At verò columba quando ſe laſſitudine ſentit laborare, alteram alarum complicat alterâ volat, ſicque euadit nec capitur.

V. 7. *Ecce elongarem me fugiendo.* Si alas haberem quàm longiſſimè aufugerem, & ex terra culta egreſſus deſerta incolerem.

V. 8. *Accelerarem effugium mihi.* Feſtinus eniterer mihi ipſi parare effugium & liberationem. *A ſpiritu procelloſo, & tempeſtate.* Hoc eſt, ab iſto hoſtium meorum bello, quod ſimile eſt vento procelloſo & tempeſtatem efficienti. Cæterùm dictio סועה *ſoea* pro loci ſui circumſtantijs eſt exponenda, cum alibi non repetiatur in Scriptura. Sunt qui hanc vocem explicent, quaſi deberet ſcribi נוסעה *noſea* profecto, vt ſit cum defectu primæ literæ à verbo נסע *naſaa* profectus eſt, hoc ſenſu, à ſpiritu profecto, ſicut alibi dicitur *Et*
Num. *ventus profectus eſt a Domino.*
11. V. 9. *Abſorbe Domine.* Deum precatur Dauid vt Achitophelis & eius ſociorum Abſalomi conſiliariorum ſententias ita diſſoluat, & concordiam euer-

tat

tat, vt in idem conſilium conuenire pari conſenſu non valeant; ſicque illorum turbetur conſilium, & conjuratio diſſipetur. Ita ſiquidem reperimus Dauidem oraſſe & dixiſſe: *Infatua, quaſo, conſilium Achitophel, ô Domine. Quoniam vidi.* Scilicet mente meâ cognoſco: *Iniuriam & contentionem*, quâ contra me conſpirarunt, eſtque maxima injuria quòd aduersùm me contendant. *In ciuitate*, nempe Hieroſolymitana. PSAL. 55. 2. Sam. 15.

V. 10. *Die ac nocte.* Injuria & contentio circundant eam ſuper muros eius. Eſt inſtar vrbis cinctæ vndique iniquitate & factione, ceu militibus excubantibus, ſic tota eſt plena ſtudijs injuriæ; nam conſilium omnium eius ciuium eò ſpectat vt mihi perniciem moliantur, ac diu & noctu aduersùm me conſilium agitant. *Et iniquitas & labor in medio eius.* Ac ſic de vrbis illius incolis loquitur, quia malum mihi inferre machinantur.

V. 11. *Prauitates in medio eius.* Vox quidem הוות *hauuot* contritionem ſignificat, ſed in malam partem. *Et non recedit*, nam ipſi continuò dolis & fraudibus contra me excogitandis vacant. Porro dixit: *E plateis eius*, quia in plateas vrbis ſimul ſolent conuenire, vt vnà colloquantur. Dictio autem תוך *thoc* dolum & fraudem deſignat, quæ iſto vocabulo, quod alioquin medium ſignificat, exprimitur, quoniam homo fraudulentus, illud ſolet verbis ſuis exhibere quod minimè eſt in medio cordis ipſius, ſicque os illius diſcrepat à medio cordis eius. Cur verò vtitur hoc loco Dauid vocibus dolum & fraudem ſignificantibus? nonne palam & apertè prodebant ſe iniquo eſſe animo contra ipſum non ſolùm corde, ſed etiam verbis ſuis? Nempe hoc indicat, Iam ego perſpectum habeo illos mihi fictam exhibuiſſe amicitiam quando cum ipſis verſarer, nam alioquin cum Abſalomo non conjuraſſent, ſi verâ dilectione me fuiſſent proſequuti.

V. 12. *Quoniam non inimicus.* Rurſus contra Achitophelem ſermonem dirigit, ipſe ſiquidem erat princeps conſiliariorum, & Dauidem dilexerat eique à conſilijs fuerat omni tempore, vſque dum contra ipſum hac in conſpiratione præuaricatus eſt. Conqueritur ergo Dauid hoc loco, is, inquit, vt videbatur, non fuit hoſtis meus: nam ſi quis mihi palam inimicus, me probris afficeret ferrem vtique, & paterer illam injuriam æquo animo. Illum verò qui pacem mecum hactenus colere viſus eſt, me probris & injurijs exagitare, illud, inquam, vt tolerem prorſus eſſe videtur impoſſibile. Ita etiam, non is qui me palam odio habuerit, magnificauit aduersùm me. Ab illo etenim me abſcondiſſem, ne mihi aliquid inferret injuriæ: verùm ille ipſe qui me ſincerè diligere videbatur, à quo mihi non cauebam, & quem nihil celabam. Illud porro, magnificauit, hunc habet ſenſum, magnificauit os ſuum vt malum contra me loqueretur.

V. 13 *Tu vero.* Achitophelem alloquitur, tu verò homo veluti æqualis mihi, hoc eſt, quem eodem loco habui ac ſi æqualis mecum fuiſſet dignitatis, ſic ego te honore proſequebar. Quaſi fuiſſes dux meus, ac ſi diceret, Magnus & Princeps ſupra me. Sic etiam fuiſti notus meus; hoc eſt, amicus & familiaris iuxta illud: *Et occidit notos eius*, hoc eſt amicos eius. Tibi enim notam faciebam mentem meam & arcana mea, ſicut ſolet homo erga ſocium & amicum ſuum ſe gerere. Vel dictio אלופי *alouphi* ſignificabit ducem meum aut princi- 1. Reg. 10.

pem meum, ac ſi diceret, Tu qui es vnus ex Principibus & Ducibus meis. Erat
Pſal. enim ex numero Principum Regis & Princeps conſiliariorum eius, vt ſcri-
55. ptum eſt : *Achitophel autem Conſiliarius Regis. Poſt Achitophelem autem*, &c.
1. Paral. Sunt quidam ex Magiſtris noſtris F. M. qui putent vocem אלוף *alouph* ſignifi-
27. care præceptorem, quaſi indicetur hîc Achitophelem fuiſſe Dauidis doctorem
& magiſtrum.

V. 14. *Qui ſimul dulce faciebamus ſecretum.* Ego & tu ſuaue faciebamus ar-
canum, perinde ac ſi diceret, quoniam tecum de rebus arcanis meis conſilia
communicabam; & tecum dulce faciebam ſecretum, hoc eſt, non erant mihi
arcana mea ſuauia, nec recta videbantur donec ea tibi omnia communicaſſem,
& ea tecum agitaſſem. *In domum Dei perreximus* ברגש *beragеſch* in ſocieta-
Pſal. 64. te vna, quo etiam ſenſu illa dicuntur : *Abſconde me à ſocietate operantium ini-*
Pſal. 2. *quitatem*. Et, *Quare conſociatæ ſunt Gentes ?* Dicit igitur Dauid, etiam cum
iremus in domum Dei ad orationem, vnà ſolebamus proficiſci, eadem ſocieta-
te & comitatu, tantà eram tecum familiaritate conjunctus, nihilominus con-
tra me perfidè agere non dubitaſti. Cæterùm per domum Dei, illum intelli-
git locum in quo erat Arca.

V. 15. *Adigat mortem ſuper illos.* Vox ישי *iaſchi* ſcribitur ſine א *aleph* ſed
legitur cum *aleph*, ſenſúſque eſt, Deus, quem ſuperiori verſu nominauit, adi-
gat mortem ſuper eos, nempe ſuper Achitophelem & alios qui perniciem Da-
uidi machinantur. Dictio ישיא *iaſchi* ſignificat obliget, cogat mortem vt
1. Paral. 6. veniat ſuper eos; Quo ſenſu dicitur : *Si peccauerit vir in ſocium ſuum, & ade-*
Pſal. 89. *gerit eum ad iuramentum.* Sic etiam illud, *Non exiget inimicus ab eo*; itaut
ſcilicet apprehendat eum ſicut exactor aut fœnerator debitorem. *Deſcen-*
dent in infernum viuentes. Nempe quia ſubitâ morte extinguentur. Quod ve-
rò dicit, viuentes, ſenſus eſt, nullo morbi dolore afficientur donec morian-
Prou. 1. tur. Quo etiam ſenſu dicitur illud : *Deglutiamus eos ſicut ſepulchrum viuen-*
tes. Quoniam nequitia in habitaculo eorum. Mala quæ apud ſeipſos cogitant
ea in loco in quem conueniunt, palam aperiunt, ac ſi diceret eos illo in con-
uentu ſimul congregari in vrbe Ieroſolymitana, vt praua conſilia contra Da-
Abac. 1. uidem capiant: hoc in ſignificatu reperitur alibi iſta dictio vt : *Congregabit eum*
Ierem. 5. *in reti ſuo.* Et, *Congregantur in domum meretricis.*

V. 16. *Ego ad Deum clamabo.* Ipſi quidem magno in numero contra me
congregantur, ego autem cùm ſim vnicus clamabo ad Deum, & ipſe me ex
eorum manibus eripiet.

V. 17. *Veſpere & mane.* Veſpera finis eſt diei & initium noctis, mane ini-
tium diei, meridies vero, medium diei: & illa ſunt tempora orationis; homo
etenim precari Deum debet quoties variatur dies. Ita ſiquidem dixerunt Ma-
giſtri noſtri P. M. neceſſe eſt hominem tribus vicibus, quolibet die orare,
cóquòd totidem vicibus dies varietur. Dicit igitur, ſingulis orationis tempo-
ribus loquar & tumultuabor ad Deum, & ipſe vocem meam exaudiet. Cæte-
rùm dicit וישמע *vaiſchmaa*, & audiuit tempore præterito, cum vocali patahh
ſub litera ו *vau* per modum prophetiæ pro futuro.

V. 18. *Redimet in pace.* A bello quod aduersùm me geritur animam meam

redimet, & ego pace fruar. Dictio קרב *kereu* bellum ſignificat, ſicut in iſtis Psal. 55.
locis: *In die belli*. Et, *Præ inſtrumentis belli*. Vnde & Chaldæus Paraphraſtes vocem מלחמה *milhhama traducit* קרבא *quarba*. Porro ſcribitur מקרב *micron* cum cametshateph, euphoniæ cauſâ, vel eſt alterius formæ nomen, ſcilicet קרוב *queron* cum hholem, quod propter maccaph, mutatum eſt in cametshhatouph. Zach. 14.
Quoniam cum multis ſunt mecum. Ipſi ſiquidem cum multis pugnant aduerſùm me, ego verò ſum cum pauciſſimis; Verùm Deus animam meam ab illis & eorum poteſtate redimet. Sunt qui literam ב *beth* in voce ברבים *berabbim*, exiſtiment abundare, ſicut eadem litera ב *beth* in iſta dictione · *Venite, comedite* בלחמי *belahhami panem meum*, abundat. Perinde ac ſi diceret, etiamſi ipſi ſunt plurimi, at longè plures ſunt nobiſcum, nempe Angeli Dei qui ſtant à partibus meis, quemadmodùm iſto in loco dicitur: *Plures enim qui nobiſcum, ſunt, quàm qui cum illis*. Eccl. 9. Prou. 9. 5. 2. Reg. 6. 16.

V. 19. *Exaudiet Deus*. Vocem meam ſcilicet. *Et humiliabit eos*, hoc ipſo ſenſu dictum eſt illud: *Vſquequo non vis humiliari à facie mea*. *Et ſedens ab initio*. Deus, qui eſt ab æterno & ante omnia à ſe creata, & qui poteſt deprimere ac extollere quos vult, ipſe humiliabit illos. *Cui non ſunt mutationes*. Dictio למו *lamo* eſt pro לו *lo* illi; Quomodo ponitur עלימו *aalemo* pro עליו *aalau* ſibi ipſi, & פנימו *panemo* vultus eius, pro פניו *panau*; Senſúſque eſt Deus qui manens eſt ſeu exiſtens ab initio, & cui non ſunt mutationes vllæ: non enim ab vno ſtatu in alium mutatur, nec modò vnum vult modò aliud, ipſe perficiet quod mihi ſemel promiſit. *Et non timuerunt Deum*. Ille præſto eſt ad mihi opem ferendam, ipſi tamen illum non reuerentur à quo poſſunt humiliari & disjici. Quidam interpretes, verba iſta; non ſunt mutationes, de hoſtibus ipſis exponunt, qui nempe ſibi perſuadeant ſe nihil vnquam experturos mutationis, ſed per totum vitæ curriculum, pacatiſſimâ felicitate vſuros; verùm non ita erit, Deus enim illos deprimet, quia ipſum non timuerunt. Exod. 10. 3. Iob. 22. Pſal. 11.

V. 20. *Miſit manus ſuas*. Achitophel manus ſuas miſit in virum pacis ſuæ, nempe in Dauidem, qui cum ipſo pacem colebat. Dicitúrque hoc loco, Miſit manus ſuas in paces ſuas, ſicut alibi dicitur: *Ego autem oratio*. Hoc eſt, eram vir orationis. Aut dicendum eſt vocem שלומיו *ſcheloman* eſſe nomen adjectiuum Dauidi & eius comitibus conueniens, qui erant pacifici cum Achitophele. Et reperitur eadem vox in eadem forma pro adjectiuo, vt: *Tranſibit* שלום *ſchalom pax*, hoc eſt, euadet שלם *ſchalem* incolumis. *Violauit fœdus ſuum*, nempe quod inierat cum Dauide. Pſal. 109. 4. Eſa. 41.

V. 21. *Lenia erant præ butyris os eius*. Litera מ *mem* in voce מחמאות *mahhamaot* habet vocalem patahh loco tſere, eſt enim ſeruilis; ſenſúſque eſt, Lenia fuerunt præ butyris, verba oris eius. Iam, inquit Dauid, agnoſco quâ ratione bona mecum loqueretur, ſuâ nempe linguâ mihi adblandiebatur, verùm animus eius à me erat alienus. Aut dici poteſt literam illam מ *mem* non eſſe ſeruilem, ſed tantummodò redundantem, túncque dictio מחמאות *mahhamot* cenſenda erit conſtructa cum voce פיו *piu* vt comparentur verba oris eius butyro hoc ſenſu, Lenia ſunt butyra oris eius. Et licèt מ *mem* ſecundum eiuſdem vocis deberet eſſe cum ſcheua, propter regimen genitiui, remanſit tamen cum camets, ne raperetur iuxta א *aleph*. *Et bellum cor eius*. Verba qui-

Psal. dem eius blanda ſunt, ſed animus eius ad bella contra me agitanda paratus eſt.
55. Et litera ר reſch vocis וקרב ouqrou, afficitur vocali cametshhatouph vt & di-
ctio בקרב biqrou, ſicut ſupra iam explicuimus. *Molliores*, erant, *ſermones*
Mich. 5. *eius*. Idem quod ante alijs verbis enuntiat. *Et ipſi*, ſunt, *enſes*. Vox פתיחות
6. ptihhot gladios ſignificat, vt in iſto loco. *Et terram Nemrod in gladijs eius.*

V. 22. *Iacta ſuper Dominum.* Seipſum Dauid & ſingulos homines iuſtos his verbis alloquitur, Projice ſuper Dominum onus tuum & ipſe portabit te, nec timueris homines, nam ſi in ipſo fiduciam habeas, ipſe te ſuſtentabit. *Non etenim dabit in aeternum nutationem iuſto.* Non ſinet ipſum vnquam nutare. Dictio יהבך iehabeca onus denotat, vt ex his verbis Magiſtrorum noſtrorum conſtat, Neſciebant Magiſtri noſtri quis eſſet ſenſus horum verborum, Projice ſuper Dominum יהבך *iehabeca*, & audierunt vocem iſtam ſignificare onus, nempe à quodam mercatore Arabe, dicente cuidam viro, Tolle onus tuum, & impone camelo. Vox iſta יכלכלך *iecalcheleca* hîc ſignificat, portabit te vt
2. Paral. eo in loco: *Cælum, & cæli cælorum non ferunt.* Alij volunt dictionem יהבך
2. 6. *iehabeca* ſignificare dedit tibi, hoc ſenſu, Projice te ſuper terram, quam Dominus ad hunc vſque diem tibi dedit, & ipſe te portabit.

V. 23. *Tu vero, Deus, deijcies illos.* Nempe præuaricatores iſtos, in puteum corruptionis, hoc eſt, in Gehennam quia illorum anima, vnâ cum corpore ipſorum interitura eſt. Imo etiam mors corporis eorum erit * exterminium, ſeu immatura, quoniam non attingent mediam partem dierum ſuorum; illi etenim te non ſunt reueriti. *Ego autem ſperabo in te.* Nimirum confido te liberaturum me ex illorum poteſtate, ac effecturum vt expleam omne tempus meum, & regnum mihi ſtabile permaneat.

* Exterminium כרת *chereth* appellant Hebræi, cùm quis præmaturâ morte, inter vigeſimum & ſexageſimum annum, tollitur è medio nutu diuino, relictis tamen liberis.

PSALMUS QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

Præcentori ſuper columba taciturnitatis, in, *remotis*, *Dauid Michtam*, *cùm tenuerunt eum Philiſtæi in Geth.*

1. Miſerere mei, Deus, quoniam anhelat in me homo: omni die impugnans opprimit me.

2. Anhelant in me inimici mei, omni die: quoniam multi bellantes aduersùm me, ô Excelſe.

3. Die, *quo*, timebo: ego in te ſpero.

4. In Deo laudabo verbum eius, in Deo ſperaui: non timebo quid faciat mihi caro.

5. Omni die, *propter*, [illegible] mea dolore afficiunt me : aduer- Psal.
[illegible] cogitationes eorum in malum. 56.
6. Conueniunt, abſcondunt ſe, ipſi veſtigia mea obſeruant :
dum expectant animam meam.
7. An propter iniquitatem euaſio eis erit? in ira populos de-
jicies Deus.
8. Vagationem meam numeraſti tu, pone lacrymas meas in
vtre tuo : nonne in ſcriptura tua ſunt ?
9. Tunc conuertentur inimici mei retrorſum, in die, *quâ*,
inuocabo : hoc cognoui quòd Deus mihi, *eſt*.
10. In Deo laudabo verbum : in Domino laudabo verbum.
11. In Deo ſperaui : non timebo quid faciat mihi homo.
12. Super me, *ſunt*, Deus vota tua : reddam laudationes tibi.
13. Quoniam eripuiſti animam meam à morte, nonne pedes
meos à lapſu : vt ambulem coram Deo in lumine vitæ.

COMMENTARIVS.

P*Recentori, ſuper columbam*, &c. Dauid ſcipſum appellat columbam obmuteſcentiæ dum eſſet in Geth, quò metu Saülis fugerat. Dicit verò, Dum apprehenderent ipſum, cóquòd Philiſtæi ſtatuiſſent ipſum apprehendere & morti tradere, cùm dixiſſent Regi Achis, Nunquid non iſte eſt Dauid Rex terræ, &c. Adeout præ timoris ſui magnitudine, ſe inſanire ſimulauerit, ſeſéque veluti ſtultum & amentem exhibuerit. Et inde eſt quòd ſe columbam taciturnitatis nominet, hoc eſt ſimilem columbæ, è loco ſuo procul fugatæ, quia fuit inter illos quaſi mutus, non enim audebat loqui ſicut virum ſapientem decet, ſed quaſi ſtultus & inſanus ſolet, tunc ſeipſum vocauit columbam obmuteſcentiæ, quòd ibi ſe ita exhibuerit quaſi ſenſu & iudicio eſſet deſtitutus inſtar columbæ, quemadmodum de illa dicitur : *Quaſi columba fatua*, hoc eſt, vt Oſ. 7.11 ſequitur. *Non habens cor.*

V. 1. *Miſerere mei Deus quoniam anhelat in me.* Achis ſcilicet & ſerui eius inhiabant in ipſum, ac obſeruabant, donec ſeſe inſanum ſimulauit in eorum poteſtate conſtitutus. *Impugnans opprimit me.* Nempe Saül, qui me quotidie impugnat adeout ex terra Iſraël egredi coactus fuerim ; iſte eſt oppreſſor.

V. 2. *Anhelant in me inimici mei.* Siue illi ſint ex Iſraëlitis, ſiue ex illis externis Gentibus inter quas exulo. Dictio illa מרום *Marom*, ô excelſe refertur ad Deum benedictum, quem in hunc modum Dauid alloquitur, tu, ô Excelſe vides multos eſſe à quibus impugnor ; nam & Iſraëlitæ bello me inſectantes, ipſam terram Iſraël deſerere coëgerunt. Ipſi etiam Philiſtæi, apud quos me receperam, vtcumque inter eos habitaturus, impugnant me, mortem ſiquidem mihi inferre machinantur.

V. 3. *Die*, quo, *timebo, ego in te ſperabo.* Dictio אל *el* idem hîc ſignificat

Psal. quòd על in, ſuper, ita etiam in iſto loco· *Habe fiduciam in Domino ex tote*
56. *corde tuo.*

V. 4. *In Deo.* Particula illa ב *beth* in præpoſita nomini, D[illegible] relationem ha-
Prou. bet ad verbum, ſperabo, quod præceſſit, hoc ſenſu, ſperabo in Deo & lauda-
3. 5. bo verbum eius, ac ſi diceret, Laudabo eum propter verbum eius quo mihi per Samuëlem promiſit fore vt aliquando regnarem. Certò enim ſcio ipſum promiſſa ſua impleturum. Nam licèt ego miſerè exagiter & ex loco in locum ſubinde migrare cogar, ſemper tamen confido in Deo nec vnquam timebo quidquid in me caro moliatur.

V. 5. *Omni die*, propter, *verba mea dolore afficiunt me.* Nempe ob Dei ſermonem quo mihi regnum eſt pollicitus, mœrorem mihi creant, & omnes illorum cogitationes eò tendunt vt me malis afficiant.

V. 6. *Conueniunt ſimul, abſcondunt ſe.* Congregantur vnà & m[illegible]i ſtruunt inſidias ac offendicula diſponunt, meáque veſtigia obſeruant, eo ſcilicet in loco, in quem ſum iturus, vt me intercipiant. Dictio יגורו *iagourou*, hic congre-
Pſal. 59. gationem & conuentum ſignificat, vt & infra. *Congregantur aduerſum me*
Prou. *fortiſsimi.* Vox יצפוני *itſpouni* denotat inſidias ſicut iſto in loco: *Inſi-*
1. 11. *diemur innocenti gratis.* Ac ſi diceret, in loco occulto mihi inſidiantur. Et hæc quidem dictio ſcribitur cum י *iod*, ac ſi dicat, ipſi per ſeipſos inſidiantur, & alios ſecum capiunt vt mihi inſidientur. *Dum expectant animam meam.* Expectant vt capiant animam, ſeu vitam meam eripiant.

V. 7. *An propter iniquitatem euaſio erit eis?* Hæc verba cum admiratione ſunt dicta, ac ſi diceret, nunquid ſuper iniquitate quam in me exercent, erit illis euaſio? Non ſit ita, ſed deiice eos in ira tua, itaut non euadant. Quòd autem dicat, Populos, illos de hoſtibus ſuis intelligit, qui erant ex tribubus Iſraël.

V. 8. *Exagationem meam numeraſti.* Tu noſti numerum mearum diſcurſationum quibus per multa loca vagatus ſum; & ſicut eas enumeraſti, ita apud te illas conſerua, & me de hoſtibus meis vlciſcere. *Pone lacrymas meas in vtre tuo.* Nempe vt eas diligenter aſſerues, nec illarum aliquandò obliuiſcaris. *Nonne in numeratione tua ſunt?* Vox iſta הלא *halo*, nonne? auget & vrget ſignificationem ſequentium vt in iſtis locis: *Nonne praecepi tibi? confortare & eſto robuſtus.* Et, *Nonne audiniſti?* &c. Dicit igitur, Pone lacrymas meas & diſcurſationes meas in numeratione tua, quaſi in libro tuo, figuratè; ſicut
Mal. 3. dicitur: *Et conſcriptum eſt in libro commentarij coram eo.* Res enim quæ in
16. libro deſcripta eſt, facilè in memoriam reuocatur, nempe quoties illam quis inſpicere voluerit.

V. 9. *Tunc conuertentur.* Tum quando inimici mei retrorſum conuertentur ſcilicet tempore quo te inuocabo, hoc cognoui, ac ſi diceret, in hoc cognoui quòd mihi ſit Deus cùm retro agerentur inimici mei, & me formidarent, quando ad Deum clamarem & affligeret eos.

V. 10. *In Deo.* In ipſo confidam, & laudabo verbum meum nempe quod de me dixit & mihi regnum promiſit, quemadmodum ſuprà iam explicuimus ad illa verba, Laudabo verbum eius. *In Domino laudabo verbum*, Idem adhuc repetit, ad quod Dominus Pater meus P. M. dixit, inquit, Dauid באלהים

bielohim in Deo, quod eſt attributum iudicij, & dixit etiam ביהוה *badonai* quod eſt attributum miſericordiarum, ac ſi diceret, de bono & de malo laudabo verbum Dei benedicti ac prædicabo illud. Ita etiam locum in Midras inueni in quo ſic dicitur, nomen אלהים *elohim* denotat attributum iudicij, dictum eſt enim Dijs ſeu Iudicibus אלהים *elohim* non detrahes. Et, vſque ad אלהים *elohim* Iudices, veniet vtriuſque negotium. Dicit ergo Dauid, Si per attributum iudicij me iudicaueris, laudabo te; Si per miſerationum proprietatem me iudices, te etiam laudabo. Psal. 56. Exod. 22.

V. 11. *In Deo ſperaui.* Quandoquidem in te fiduciam habeo non timebo quidquid mihi poſſit facere homo: ſuperiùs quidem dixit, Quid faciat mihi caro, hoc verò loco; quid faciat mihi homo, ſed idem eſt vtrobique, ſicut etiam in iſtis locis: *Et benedicat omnis caro.* Et, *Veniet omnis caro ad adorandum*, quæ de homine ſunt dicta. Pſal. 145.

V. 12. *Super me*, ſunt, *Deus vota tua.* Vota quæ tibi nuncupaui dum exularem ſunt mihi perſoluenda, vt etiam gratiarum actiones, quæ ſunt ſacrificia laudationis quibus homo gratias agit Deo poſtquam ab anguſtia liberatus fuit. Iſa. 66.

V. 13. *Quoniam eripuiſti.* Aut quando me eripueris, tibi vota perſoluam, & tibi gratias agam quòd animam meam à morte eripueris. *Nonne pedes meos à lapſu?* Particula הלא *halo*, nonne vehementer affirmat, vt ſuperiùs explicui. Nonne pedes meos liberaſti à lapſu, ne deinceps iterum ad lapſum impellar? *Vt ambulem coram Deo in lumine vitæ.* Quandiu enim exul & propulſus huc illuc diſcurſo, non poſſum liberè vacare diuinis rebus; cum autem animam eripueris, ac in terram Iſraël reuerſus fuero, & cum ſapientibus Iſraëlitis conuerſari liberum mihi fuerit, tunc addiſcam & operam nauabo illis rebus quæ ad animam ſpectant vnà cum ipſis, quod eſt lumen vitæ. Et hæc eſt ambulatio coram Deo. Et ſic in Midras dicitur, Coram Deo, eſt terra Iſraël, in lumine vitæ eſt hortus Eden.

PSALMVS QVINQVAGESIMVS SEPTIMVS.

Præcentori, Ne diſperdas, Dauid Michtam, cùm fugeret à facie Saül in ſpeluncam.

1. Miſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum ſperabo: donec tranſeat pernicies.

2. Clamabo ad Deum altiſſimum: ad Deum perficientem ſuper me.

3. Mittet de cœlo & liberabit me, dabit in opprobrium ab-

PSAL. 57. ſorbere volentem me: mittet Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam.

4. Anima mea in medio leonum, iaceo, *in medio*, ardentium hominum, quorum dentes lancea & ſagittæ, *ſunt*, & lingua eorum, gladius acutus.

5. Exaltare ſuper cœlos Deus: ſuper omnem terram gloria tua.

6. Rete parauerunt greſſibus meis, incuruauit animam meam: foderunt ante faciem meam foueam: inciderunt in medium eius.

7. Confirmatum cor meum, Deus: confirmatum, *eſt*, cantabo & pſallam.

8. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo.

9. Confitebor tibi in populis, Domine: pſallam tibi in gentibus.

10. Quia magna, *eſt*, vſque ad cœlos miſericordia tua: & vſque ad nubes veritas tua.

11. Exaltare ſuper cœlos Deus: ſuper omnem terram gloria tua.

COMMENTARIVS.

PRæcentori, *Ne diſperdas.* Iam in principio libri ſcripſimus, hodie apud nos ignotam eſſe ſignificationem dictionum, quæ Pſalmorum initijs præfixæ leguntur; vt & diſcrimen quod inter illas reperitur. Nempe quia, quod eſt initium vnius Pſalmi cum iſtis verbis, in alio Pſalmo cum alijs dictionibus inuenitur. Ita ecce iſti tres Pſalmi conſequenter poſiti habent in initio verba illa, Ne diſperdas, & horum Pſalmorum argumentum eſt de rebus inter Dauidem & Saülem geſtis. Et fieri poteſt vt hoc illorum initium huic habeat ſenſum, ne ſinat Deus vt per Saülem diſperdatur. Et hanc ipſam vocem reperimus in ſignificatione mortis, ſic enim dixit Dauid Abiſai, cum vellet Saülem interficere, *Ne perdas ipſum.* Hunc autem Pſalmum edidit Dauid, cùm adhuc eſſet cum viris ſuis in ſpeluncæ lateribus, illúcque Saül veniſſet * ad tegendos pedes ſuos. (1. Sam. 23. 19.)

V. 1. *Miſerere mei Deus, miſerere.* Hæc repetitio orantis affectum indicat,

* Sic lingua Hebræa de rebus vt vt obſcænis & turpibus honeſtè loqui ſolet verecundiæ cauſâ, & idcirco dicitur meritò Sancta, non modò quia contignata habet diuina oracula, vt fusè probat Rab. Moſe in More parte 3. cap. 119. Is autem loquendi modus à geſtu eorum qui ventrem purgant (vt vertit author vulgatæ) deſumptus eſt, qui in genua procumbunt, & veſtibus pedes ſuos tegunt.

cat, mos enim eſt clamantis vt verba ſua repetat. *Confidit* חסיה *haſaia* Lite- PSAL.
tera י *iod* eſt vice ה *he* tertiæ radicalis, venitque ſub forma pauſæ ad alle- 57.
uiandam lectionem literæ י *iod*; ſic inueniuntur חסיו *haſaion* נטיו *nataion.*
Donec tranſeat pernicies Hoc eſt, donec tranſeat res praua & pernicioſa Deut.
quam aduersùm me Saül machinatur. Perinde ac ſi diceret, nullum mihi 32.
præter te eſt refugium & tutum latibulum ab ea calamitate quæ mihi imminet. Pſal. 71.
Dictio הוות *hauuoe* contritionem & rem malam ſignificat.

V. 2. *Clamabo ad Deum.* Quamuis Rex ſit ille qui me perſequitur, Deum tamen inuocabo qui eſt excelſus ſupra omnes, & qui me ex manu eius eripiet. *Et ipſe eſt perficiens.* Hoc eſt, ſuam erga me miſericordiam perficiet, nempe ſicut iam multoties ſuam erga me miſericordiam exhibuit, nunc etiam ſuam in me beneficentiam cumulabit in tradendo mihi regno.

V. 3. *Mittet de cœlo.* Etſi hoſtes mei ſint multi ego verò vnicus coram ipſis, Deus è cœlis Angelos ſuos mittet, & ſaluabit me. Probro eum afficiet qui me anhelus perſequitur. Ipſe nihilominus qui me deglutire conatur, auxilium Dei contemnit. Niſi enim Saül ſpreuiſſet verbum Domini, Dauidem non fuiſſet inſectatus; dudum ſiquidem nouerat ipſum à Samuële Propheta in Regem fuiſſe inunctum. *Mittet Deus miſericordiam & veritatem ſuam.* Iam antea ſuam erga me beneficentiam exhibuit, quando me elegit in Regem; nunc etiam ſuam in me veritatem oſtendet, dum me, iuxta ſua promiſſa è manu Saülis eripiet & Regem conſtituet; ipſe enim eſt veritas & verba eius veritas.

V. 4. *Anima mea in medio leonum.* Sic appellat Iſraëlitas qui perſequebantur ipſum. Cæterùm dicit: *In medio*, quamquam ab eis effugere niteretur; Nam cùm longè à terra Iſraël ſecedere minimè poſſet, ſed huc & illuc ititans ac latebras captans, perinde erat ac ſi in medio eorum fuiſſet conſtitutus. *Iaceo,* in medio, *ardentium.* Dictio בתוך *beroc*, quæ in prima parte verſus poſita eſt,
vicem gerit duarum; vt etiam ſit in iſtis locis: *Gloriam meam alteri non dabo,* Iſa. 42.
neque, *laudem meam ſculptilibus.* Et, *Quoniam non in finem obliuio erit pau-* 8.
peris, patientia pauperum, non, *peribit in finem*, & his ſimilia. Vox להטים Pſal. 9.
lohatim ardentium hunc habet ſenſum, quaſi me halitu oris ſui exurunt, ſcili- 19.
cet, dum apud Saülem multa contra me mala loquuntur. Et hoc idem verbis ſequentibus declarat dicens: *Quorum dentes, lancea & ſagittæ, & lingua eorum, gladius acutus*: Nam nominauit dentes & linguam, quia multæ literæ organorum iſtorum adminiculo efformantur. In Deras verò circa eadem hæc verba ſic dicitur, Anima mea in medio leonum, Abner & Amaſa deſignantur qui fuerunt leones in lege. Iaceo inter exardentes, hi ſunt Doëg & Achitophel, qui per linguam malam inflammabant Saülem contra Dauid. *Filij hominum dentes eorum haſta & ſagittæ*, his verbis incolæ vrbis Ceilanæ exprimuntur, de quibus dicitur, An tradent me viri Ceilæ in manu Saül? Et dixit
Dominus tradent. Iſta autem verba: *Et lingua eorum gladius acutus*, deſignant Pſal. 54.
Ziphæos, nam dicitur, quando venerunt Ziphæi & dixerunt Saüli, &c.

V. 5. *Exaltare ſuper cœlos.* Vt me ſcilicet ex eorum poteſtate eripias; & ſuper omnem terram oſtendas gloriam tuam, & omnes agnoſcant Domini eſſe ſalutem, & ipſi ſoli rectè & meritò attribui poſſe quòd miſerum & omni ope deſtitutum liberet è manibus plurimorum, à quibus continuò circumcin-

ctus obſidebatur. Cæterùm illud, Exaltare, figuratè ſumi debet, ac ſi diceret Psal. 57. Dauid, hactenus viſus es non eſſe excelſus ſuper omnes, nec habere potentiam me eripiendi ex eorum manibus.

V. 6. *Rete parauerunt.* Quemadmodùm Saül dixit Ziphæis: 1. Sam. 23. 22. *Abite oro & diligentiùs parate, curioſiùs agite & conſiderate locum vbi ſit pes eius. Incuruauit.* Et humiliauit animam meam. *Foueam.* Scribitur quidem שיחה *ſchihha* ſed idem ſignificat ac ſi ſcriptum eſſet שוחה *ſchouhha* cum ſchourec, profundam foueam. *Inciderunt in medium eius.* Hoc eſt incident in medium eius. Is etenim eſt mos linguæ vti præterito tempore pro futuro vt plurimùm in vaticinijs.

V. 7. *Confirmatum cor meum Deus.* Vtitur repetitione ad rem amplificandam, & vox, Deus, eſt in vocandi caſu. Dicit ergo, Quamquam ego continuis hoſtium inſecutionibus agiter, nihilominus cor meum in me eſt confirmatum, & certâ fiduciâ ſperat fore vt me ex illorum manibus liberes, atque ego te canticis & pſalmis ob meam liberationem celebrem.

V. 8. *Exurge gloria mea.* Vbi me liberaueris, tum cantabo tibi ore ſimul & inſtrumentis. Suam porro alloquitur animam quæ eſt hominis decus & ornamentum, expergiſcere ad componenda cantica, & gratiarum actiones. Ita etiam figuratè pſalterium & citharam alloquitur, quando primo tempore auroræ expergiſcar dicam expergiſcere, vt ex ſeipſis excitentur, quùm vos excitauero ad pſallendum ſub auroram ſingulis diebus. Vel ſenſus eſt, Quando meipſum excitabo in aurora ad celebrandum nomen tuum, ipſis adhibitis dicam illis, expergiſcimini.

V. 9. *Confitebor tibi in populis.* Et tunc celebrabo te inter populos; & mox idem alijs verbis de more ſuo repetit. Per populos & nationes, tribus & familias Iſraël intelligit ſicut in iſtis locis: Deut. 33. 19. *Populos ad montem vocabunt. Et Beniamin inter populos tuos.* Os. 10.

V. 10. *Quia magna eſt vſque ad cœlos.* Celebrabo te ſecundùm miſericordiam tuam quam erga me exercuiſti, quoniam veritas tua magna eſt vſque ad cœlos, ſicut dicitur, ſecundùm altitudinem cœli ſupra terram, prævalet miſericordia eius erga timentes eum. Cæterùm iam explicui quid ſint miſericordia & veritas.

V. 11. *Exaltare.* Altera vice repetit verſum ſuperiùs poſitum ad maiorem orationis & petitionis vim oſtendendam. Nec eſt vlla inter duos verſus iſtos diuerſitas, niſi quod vox השמים *haſchamaim* cœli, ſcripta ſit in primo cum litera ה *he*, in ſecundo verò ſine illa.

PSALMVS QVINQVAGESIMVS OCTAVVS. Psal. 58.

Præcentori, ne diſperdas, Dauid, Micthan.

1. NVm verè ô congregatio iuſtitiam loquimini? recta iudica-tis filij hominum?

2. Etiam in corde iniquitates operamini: iniuſtitiam manuum veſtrarum libratis.

3. Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero loquentes mendacium.

4. Venenum illis ſecundùm ſimilitudinem veneni ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aurem ſuam.

5. Quæ non audit vocem incantantium: incantantis incantationibus peritiſſimi.

6. Deus contere dentes eorum in ore ipſorum: molas leonum confringe Domine.

7. Colliqueſcent tanquam aqua, abibunt ſibi: intendet ſagittas ſuas, quaſi ſuccidentur.

8. Sicut limax qui liqueſcit abibit: *ſicut*, abortiuum mulieris non videbunt ſolem.

9. Priuſquam ſentiant ollæ veſtræ rhamnum, ſicut crudum: ſic ira, *vt*, turbo abripiet eum.

10. Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam: pedes ſuos lauabit in ſanguine improbi.

11. Et dicet homo, vtique, *eſt*, fructus iuſto: vtique eſt Deus iudicans in terra.

COMMENTARIVS.

V. 1. N*Vm verè ô congregatio iuſtitiam loquimini?* Hæc verba dicuntur aduerſus Abner filium Ner & reliquos Saülis Principes qui Dauidem mortis reum iudicauerant, quaſi in ipſum regnum rebellaſſet, aſſerebántque Saülem iuſtè & meritò eum ad mortem inſequi. Nam ſi alioqui inhibuiſſent ipſum, minimè Dauidem fuiſſet inſectatus. Dictio אלם *elem* collectionem denotat ex illo loco: *Putabam nos colligare manipulos in agro*, ſic igitur illos Gen. alloquitur Dauid, Quando congregamini ſimul vt de mea cauſa, & de cauſis 4. 7. aliorum hominum æqualiter mecum iniquè oppreſſorum iudiceris, num verè

Psal. quod iuſtum eſt pronuntiatis, & quod rectum eſt iudicatis? minimè ſanè ita
58. agitis.

V. 2. *Etiam in corde iniquitates.* Dictio עולות *ooloth* ſcribitur hîc cum
Leuit. ו *vau* quieſcente, eodem ſenſu ac cum ו *vau* mobili, vt in iſto loco: *Non fa-*
19.35. *cietis iniquitatem in iudicio.* Cæterùm dicit, Etiam, ac ſi diceret, Etiamſi
animus ſit tantùm principium cogitationis, non verò cauſa ipſius actionis,
vos efficitis vt ſit cauſa operationis, hoc eſt, vſque adeo veſter animus conti-
nuò iniquitatem cogitat, ac ſi ipſam efficeret ac operaretur. In Deras circa illa
verba ſic dicitur, Quare dixit, Etiam: nempe ita illos alloquitur, Cor non eſt
creatum niſi propter veritatem, dictum quippe eſt: *Qui loquitur veritatem in*
Pſal. 15. *corde ſuo.* Vos autem non ita, imò iniquitatem in corde operamini. *Iniuſti-*
3. *tiam manuum veſtrarum libratis.* Hoc eſt, fraudem quam veſtris manibus
operamini, palam & coram omnibus proponitis, eámque probare vultis apud
homines validis rationibus, quaſi factam ex debito æquitatis & rectitudinis
pondere & regulâ.

V. 3. *Alienati ſunt improbi à vulua.* Dictio זרו *zoron* verbum eſt præteri-
ti temporis ex quieſcentibus in ſecunda radicali iuxta formam iſtarum vocum,
Num. טובו *tonou: Pulchra ſunt tabernacula tua Iacob.* Et, ארו *orou: Illuminati ſunt*
45. 5. *oculi mei*, ac ſi diceret, Indoles eorum & innatæ qualitates ſunt procliues ad
1. Sam. agendum id quod alienigenæ & mali ſolent facere, ac idcirco: *Errauerunt ab*
14. 27. *vtero*, & eſt repetitio eiuſdem cum alijs verbis.

V. 4. *Venenum illis.* Improbi videntur ex facie ſua venenum ore ſuo emitte-
re, & ex facie ſua quando irâ excandeſcunt, inſtar ſerpentis venenum ejacu-
lantis. Dictio autem חמת *hamat* ſcripta eſt cum ת *tau* licet non ſit conſtru-
Leuit. 8. cta, ſicut & illa חלת *hhallat: Placentam infermentatam vnam.* Et his aliæ
26. ſimiles. *Sicut aſpidis ſurdæ.* Quoniam illos ſerpenti comparauit, dicit iam
eos imitari ſerpentem, nempe aſpidem ſurdum qui obturat aurem ſuam: So-
lent enim incantatores certâ verborum muſſitatione demulcere ſerpentem,
qui poſtea non nocet: at hæc ſpecies ſerpentis difficilis eſt, nec quicquam po-
teſt aduersùs eam incantatio vlla, perinde ac ſi eſſet ſurdus eiuſmodi ſerpens,
auréſque ſuas occluderet, ne muſſitationem incantatorum audiat.

V. 5. *Quæ non audit vocem incantantis incantationes.* Hoc eſt eius qui ea fa-
cit quæ ſolent incantationem efficacem reddere. Et vox מחכם *mehhucham*,
ſignificat eum qui in iſtis artibus eſt peritiſſimus. Cuius tamen artes omnes &
incantamenta aduersùs eiuſmodi ſerpentem nihil iuuant. Pari ratione homi-
nes illi nolunt audire, nec aures attentas adhibere vocibus iuſti ſecundùm iu-
ſtum eius iudicium & cauſam, ſed illum opprimunt ac ſententiam in illum fe-
runt iuxta prauum animi & voluntatis ſuæ ſtudium.

V. 6. *Deus contere dentes eorum.* Quia in Pſalmo præcedenti dixerat, Den-
tes eorum, lancea & ſagittæ ſunt, ideò iam dicit, contere dentes eorum, ne
ſcilicet aliquid perniciei inferant mihi praui eorum ſermones.

V. 7. *Colliqueſcent.* In voce ימאסו *immaaſou*, litera א *aleph* eſt loco li-
Ioſ. 7. 5. teræ geminandæ, eſtque pro ימססו *immaſeſou*, & iuxta illud: *Diſſolutum eſt*
cor populi & inſtar aquæ liquefactum eſt. Vult autem indicare futurum vt
illorum contra ſe molimina fiant irrita. *Intendet ſagittas ſuas.* Cùm eorum

quilibet arcum intendet, vt me ſagittis ſuis impetat, ita vanæ erunt iſtæ ſagittæ ac ſi arcus eſſet ſucciſus, adeout nihil mali mihi poſſit inferre. Cæterùm per ſagittas iſtas hoſtium ſuorum calumnias, & per arcum os intelligitur. Hoc etiam ſenſu alibi dicitur, intenderunt ſagittas ſuas, hoc eſt, arcum ſuum intenderunt ad emittendas ſagittas. PSAL. 58.

V. 8. *Sicut limax.* Et erunt inſtar limacis, qui abit & facilè diſſoluitur. Dictio תמס *temes* nomen eſt ſubſtantiuum, ortum ex ordine verborum duplicantium, nempe à מסס *maſas* inſtar תבל *teuel: Confuſionem fecerunt*, à verbo בלל *balal.* Significat autem vox שבלול *ſchauloul* reptile quod vernaculè appellatur limaſa. *Et ſicut abortiuum mulieris non videbunt ſolem.* Erunt etiam ſicut abortiuum mulieris, cuiuſmodi res, nunquam intuentur ſolem. Limax quidem, quia ſuâ ſemper teſtâ coopertus eſt, quæ ipſi eſt inſtar indumenti. Ita etiam fœtus abortiuus, vt iſto loco dicitur: *Sicut paruuli qui non viderunt lumen.* Magiſtri verò noſtri F. M. volunt iſtas dictiones נפל אשת *nephel eſcheth* ſignificare quandam animalis ſpeciem oculos non habentem. Dicunt enim in Miſchna ſeu textu Talmudico, venantur אשות *eſchoth* talpas & mures in agro albo, ſeu ſine arboribus, & in agro arboribus conſito, iuxta morem ſuum die feſto, & anno ſeptimo. Et dixerunt in Gemara, ſeu gloſsâ Talmundicâ, quid ſibi vult dictio אשות *eſchoth*? Rabbi Iuda, ait, animal carens oculis. Vbi ſcriptura id probat? hic nempe locus נפל אשת *nephel eſchet*, &c. Illud autem animal Hebraïcè appellatur תנשמת *tinſchemet* talpa; quæ vox à Paraphraſte Chaldæo redditur אשותא *eſchouta.* Leuit. 20. Iob. 3. 16.

V. 9. *Priuſquam ſentiant ollæ.* Vſurpat hîc vocem סירות *ſiroth*, pro ollis; ſicut etiam fit in iſto loco: *Et facies ollas eius.* Eſt porro dictum metaphoricè, de ſubito & inopinato iſtorum hominum ex hoc mundo excidio, hoc ſenſu, antequam ſentiant ollæ calorem ignis rhamni, ipſis ſuppoſiti, qui non eſt ignis ſtabilis. *Sicut crudum, ſic ira*, vt, *turbo abripiet eum.* Hoc eſt, ſicut carnem quæ eſt in ollis adhuc cruda; nempe quia ollæ non ſenſerunt calorem rhamni, nec caro cocta eſt. Ita repentè venit in illos ira Dei, cùm adhuc fruuntur ſuâ proſperitate, & turbinis inſtar quemlibet illorum abripiet. Sunt qui vocem סירות *ſirot* interpretentur ſpinas ex illo loco: *Sicut ſonitus ſpinarum ſub ollâ.* Et exiſtimant Dauidem comparare improbos cum ſpinis: Spinas autem adhuc teneras appellari סירים *ſirim*, at vbi creuerunt ac indurauerunt, tum appellari אטדים *atadim* rhamnos. Ac ſecundùm mentem illorum dicit, antequam ſpinulæ eò perueniant, vt ſint rhamnus. Quemadmodum cùm ſunt viuentes, hoc eſt, virides, ſic ira Dei deturbabit eos, improbos, dum adhuc vigent robore ſuo & ſano vigore fruuntur. Porro verbum יבינו *iauinou* hoc loco, ſignificat, creſcant, & etiam ita in Miſchna vbi dicitur, Pulegium & hyſſopus ex quo creſcunt, &c. Exod. 27. 3. Eccl. 7. 7.

V. 10. *Lætabitur iuſtus cum viderit.* Tum ſcilicet quum in illos improbos ira Dei deſæuiet.

V. 11. *Et dicet homo.* Tunc palam omnes homines agnoſcent ac profitebuntur repoſitum eſſe fructum & præmium iuſto homini propter bona opera quæ fecit, nempe quia videt puniri hoſtes ſuos. Dicent etiam eſſe Deum iudicem in terra, quia tu, ô Domine, iudicaturus es illos. Hæc verò ideo dicit,

Psal. 58. —— quoniam iſti iudicia exercebant, & iniquè iudicare ſolebant. Arbitrabantur enim Deum ſe non intueri ac perſpicere: At tunc omnes agnoſcent Deum eſſe in terra qui rerum humanarum curam gerat, & vnumquemque ſecundùm eius opera ſit iudicaturus. Cæterùm dixit, iudicantes, in numero plurali, de Deo honoris gratiâ, vt & alibi: *Deus Sancti*, hoc eſt, ſanctus eſt. Vel dicit, Deos

Ioſ. 24. 19. iudicantes, de Angelis, quippe qui ex Dei miſſione & nutu, iudicia exercent in terra.

PSALMVS QVINQVAGESIMVS NONVS.

Præcentori, ne diſperdas Dauid Michtam, quando miſit Saül & cuſtodierunt domum vt interficerent eum.

1. Eripe me ab inimicis meis Deus meus: ab inſurgentibus in me eleua me.

2. Eripe me ab operantibus iniquitatem: & à viris ſanguinum ſerua me.

3. Quia ecce inſidiantur animæ meæ, congregantur in me fortes: non iniquitas mea, neque peccatum meum Domine.

4. Sine iniquitate, *mea*, accurrunt & comparant ſe ſe: exurge in occurſum meum, & vide.

5. Et tu, Domine, Deus exercituum, Deus Iſraël, exſi ergiſcere ad viſitandum omnes Gentes: non miſerearis omnibus præuaricantibus iniquitate.

6. Reuertuntur ad veſperam, perſtrepunt vt canis: & circumeunt ciuitatem.

7. Ecce loquuntur ore ſuo, gladij in labijs eorum: quoniam quis audit?

8. Et tu, Domine, deridebis eos: ſubſannabis omnes Gentes.

9. Fortitudinem eius ad te cuſtodiam: quia Deus refugium meum

10. Deus miſericordiâ ſuâ præueniet me: Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos.

11. Ne occidas eos, ne fortè obliuiſcantur populi mei: vagari fac eos in virtute tua, & depone eos, clypeus noſter, Domine.

12. Propter delictum oris ſui, ſermonem labiorum ſuorum comprehendantur in ſuperbia ſua; & de execratione & mendacio narrabunt.

13. Conſume in furore, conſume & non ſint: & ſciant quòd Deus dominatur in Iacob, ad fines terræ. Psal.

14. Et reuertantur ad veſperam: perſtrepant vt canis, & circumeant ciuitatem. 59.

15. Ipſi vagentur ad manducandum: quum non fuerint ſaturati, pernoctent.

16. Ego autem cantabo fortitudinem tuam,& alta voce canam manè miſericordiam tuam: quia fuiſti arx mea & refugium in die anguſtiæ meæ.

17. Fortitudo mea, tibi pſallam: quia Deus arcis meæ, Deus miſericordiæ meæ.

COMMENTARIVS.

V. 1. E*ripe me, eleua me.* Ac ſi diceret, Conſtitue me in loco alto, & eleuato, ne mihi aliquid mali inferre, aut me attingere poſſint hoſtes. Inſidiantes ij ſunt, quos appellat, operarios iniquitatis & viros ſanguinum, quia ipſi necem inferre moliebantur.

V. 3. *Quia ecce congregantur in me fortes.* Dictio יגורו *iagouron* ſignificat congregant ſe ſe, ſimul conueniunt aduersùs me, ſicut paulò ante dictum eſt conueniunt, abſcondunt ſe. Et alio in loco: *Congregando congregabit ſe. Non iniquitas mea.* Hi mihi ſtruunt inſidias, non propter præuaricationem aut peccatum aliquod; nihil enim contra ipſos ſum præuaricatus aut peccaui: *Deus,* vox iſta eſt vocatiui caſus, ac ſi dicat, Et tu Domine noſti. Pſal. 56. Iſa. 54. 7.

V. 4. *Sine iniquitate*, mea. Cùm nihil iniquitatis aut peccati in illos admiſerim, ipſi tamen concurrunt, ſéque ipſos comparant vt me apprehendant; tu verò ipſe vides hoc. *Exurge*, igitur, *in occurſum meum*, quò me ex illorum poteſtate eripias. Porro in dictione ויכוננו *veieconanou*, litera ת *tau* character conjugationis hitpael, abſorbetur in litera כ *caph*, integra enim eius forma eſt יתכוננו *itconanou*.

V. 5. *Et tu Domine Deus.* Hic verſiculus nullam videtur habere nec cum præcedenti nec cum ſequenti connexionem, ſed ſi ita eſt, ipſum de rebus aliquando futuris explicabimus; dixit igitur Dauid, cum vidiſſet ipſos ſe perſequi ſine vlla peccati alicujus, aut iniuſtitiæ à ſe commiſſæ cauſa: nullúmque reperiri inter Iudices Iſraël, qui Saüli auderet dicere ipſum non iuxta æquitatem agere, ſed rem injuſtam & iniquam admittere, in ipſius Dauidis inſectatione, imò non eſſe qui eum hac de re commonefaceret, ſed omnes Saüli fictè abblandiri, & eius faciem reueri aduertiſſet dixit inquam, non video fore vt iſta generatio ſit aliquando munda & ſincera, niſi venturo olim ſæculo quum Deus benedictus repurgabit hunc mundum, ſicut expurgari ſolet argentum, ac improbos omnes conſumet, modò enim illos tolerat, & quaſi dormire videtur, nec praua illorum opera intueri. Vnde ſubdit iſta verba: *Expergiſcere ad viſitandum omnes Gentes.* Tunc ſiquidem omnes omnium Gentium improbos conſumet; qui autem reliqui fuerint, ſeruient ei humero vno, nec

vltra miſerebitur omnibus præuaricatoribus iniquitatis, aut iram ſuam protra-
PSAL. 59. het iuxta illud. *Et conuertemini, & videbitis quid ſit inter iuſtum & impium, & inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei.*

Malac. 3. 18. V. 6. *Reuertentur ad veſperam.* Hoc de illis dicit qui domum ſuam obſeruabant ne ipſe effugeret, horis, inquit, veſpertinis eunt & redeunt. *Et perſtrepunt vt canis.* Quemadmodùm canis huc illuc noctis tempore latrando diſcurrit, ſic iſti noctu vlulant dum ad me obſeruandum, à ſomno excitantur. Additur, *Et circumeunt ciuitatem*, hoc eſt, domum ipſam propter eum circumambulant. Imo fortè etiam Saül alios viros miſerat, qui ipſam ciuitatem circumirent, vt ſi Dauid exiret, & illorum euaderet manus qui domum eius cinctam obſeruabant, eos non effugeret qui ad ipſum capiendum ambulabant vrbem. Vel iſta verba, circumeunt ciuitatem, de ipſis canibus ſunt dicta, hoc ſenſu, ſicut canes circa vrbem diſcurrunt, ita illi domum meam obambulant. Et inde conſtat Dauidem intra domum ſuam poſitum audijſſe ea quæ ipſi foris dicebant: audiebat ipſos dura & ſæua verba inſtar gladiorum, aduerſùm ſe iactantes: exiſtimabant autem ſe ab eo minimè audiri, alioqui ſi ipſum verba ſua nouiſſent intelligere ea non protuliſſent. Metuebant enim ne fortè aliquando regno potitus Dauid, ipſos propterea malis afficeret; nemo enim impellebat eos vt malè de ipſo loquerentur, ſed tantùm vt ipſi inſidiarentur, & ad necem inſectarentur. Prætereà Deum benedictum non reuerebantur, ipſorum verba audientem.

V. 8. *Et tu Domine.* Tu autem qui ſermones eorum attendis, quod tamen ſibi non perſuadent, deridebis eos, quoniam efficies ne ſatis habeant virium vt ſua in me conſilia exequantur, & eorum minacia verba, riſus ac ſubſannationis inſtar exiſtimabis, vana enim erunt & irrita: ſicut aliquis deridet & floccifacit verba inimici ſui, à quo nihil ſibi mali metuit. *Deridebis omnes Gentes.* Hoc eſt, ſicut ſubſannas omnes Gentes quæ tuum cultum non profitentur, eas verò derides dum earum ſermones & cogitatus vanos efficis, ita ſubſannabis ac riſui expones iſtos hoſtes meos.

V. 9. *Fortitudinem eius ad te cuſtodiam.* Propter robur Saülis, quia me longè fortior eſt & potentior, ad te obſeruabo & reſpiciam vt me ex eius poteſtate eripias; præter te enim nullum aliud eſt mihi perfugium. Et hoc eſt quod ſequentibus verbis indicatur, *Quia Deus*, eſt, *arx mea.*

V. 10. *Deus miſericordia eius:* Scribitur quidem חסדו *hhaſdo*, hoc eſt, miſericordia eius; ſed legitur, חסדי *hhaſdi* miſericordia mea, ſed idem eſt vtrobique ſenſus, niſi quod ſcriptura eum denotat qui miſericordiam impertitur, Deum nempe benedictum, lectio verò, eum qui eâ afficitur, nimirum Dauid: literæ ſiquidem ſeruiles, & cum actiua, & cum paſſiua voce con-
Pſal. 2. nectuntur: ſic, *Ego autem conſtitui Regem meum.* Et, *Deus Rex meus ab initio.*
Pſal. 74. *Preueniet me.* Suâ nempe beneficentiâ & ope maturè mihi aderit. *Oſtendet mihi ſuper inimicos meos.* Illud nempe quod exoptat cor meum. Porro vocem שוררי *ſchorerai* dudum annotauimus ſignificare oculorum obſeruationem ac inſpectionem: & hanc vſurpat hîc Dauid de hoſtibus ſuis qui ipſum in malum
1. Sam. 18. 9. ſtudioſè intuebantur. Quo etiam ſenſu dicitur illud: *Et erat Saul oculis obſeruans Dauidem.*

V. 11. *Ne occidas eos.* Deum alloquitur his verbis, ne ſubitò eos occidas, ne
ſtatim obliuiſcantur populi mei punitionis Dei in illos exercitæ, ſed proroge- PSAL.
tur vindictæ tempus, vt eos paulatim exturbes ex diuitiarum ſuarum commo- 59.
dis, & ſic efficias vt inſtabiles ac vagi hinc inde victum ſibi quærant. *In virtu-
te tua,* hoc eſt, inter Iſraëlitas, qui ſunt populus Dei & robur eius. *Clypeus no-
ſter, Domine.* Tu qui es clypeus meus & eorum quos mecum hoſtes inſequun-
tur, & fac vt videamus eos hoc affectos ſupplicio.

V. 12. Propter, *delictum oris ſui.* Agnoſcant & ſciant eam ſibi pœnam
eſſe inflictam in punitionem malorum illorum & minacium verborum: ma-
lum enim aduersùm me loquuntur, illúdque mihi inferrent ſi poſſent; tum
etiam propter ſuperbiam ſuam, quâ contra me inſolenter elati ſunt. Et dejice
illos ex iſto faſtu & magnitudine ipſorum. *Et de execràtione & de mendacio
enarrent.* Et de maledictione maxima, multáque tenuitate ac macie quæ ipſis
euentura ſunt, homines alij mutuò confabulabuntur. Sunt qui vocem אלה
ala interpretentur iuramentum, & כחש *cahhaſch* mendacium, hoc ſenſu:
Propter peccatum oris ſui corruent & comprehendentur in ſuperbia ſua. Illud
autem peccatum oris ipſorum, eſt, quia verba eorum ſunt mendacia, & falſa
iuramenta.

V. 13. *Conſume in furore.* Paulatim ac paulatim conſume eos in furore tuo,
& tandem omnino non ſint itaut nullus ex eis ſit reſiduus. Et ſciant ac norint
homines, viſâ vltione iſtâ quòd Deus dominatur in Iacob, & in improbos ani-
maduertit, & quòd idem habet dominium vſque ad fines terræ. Curâ tamen
ſingulari præ cæteris Gentibus, rebus Iacobi prouidet, ſicut ipſe teſtatur his
verbis: *Tantùmmodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco viſi-* Amo. 3.
tabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. 2.

V. 14. *Et reuertantur ad veſperam.* Hæc verba reſpondent illis quæ ſuperiùs
dixit, Reuertuntur ad veſperam, perinde ac ſi diceret, iſti iam ſubinde ve-
niunt ac redeunt propter me, horis veſpertinis ad domum meam, & circum-
eunt ciuitatem quò me poſſint intercipere: fac etiam aliquando vt ipſimet co-
gantur oſtiatim per domos circumcurſitare vſque ad veſperam ad quærendum
panem, & vrbem totam circuire vt ſibi victum emendicent. Et hoc eſt quod
iſtis verbis ſignificatur.

V. 15. *Ipſi vagentur ad manducandum.* Hoc eſt, etſi per domos huc illuc
curſent & recurſent, quærendi victus causâ, non tamen erunt ſatiati, quando
ſub nocte ſeſe recipient, hoc eſt, adhuc fame laborantes cogentur noctem
tranſigere & ſomno ſe dare. Cæterùm litera ו *vau* præpoſita voci ילינו *ialinou*
eſt loco dictionis כאשר *caaſcher*, quando. Eodem ſenſu accipitur litera ו *vau*
in iſto loco: *Et labijs exultationis laudabit os meum*, hoc eſt, quum. Hæc au- Pſal. 63.
tem particula אם *im* ſignificat certè, vt in iſto loco: *Certè nouam rem faciet* 6.
Dominus. Et, *Certè eſt merces.* Quibus alia ſimilia occurrunt. Vel ea particu- Num.
la אם *im* idem habet ſignificatum quod כאשר *caaſcher* quum, vt in illis locis: 16. 30.
Quumque fuerit Iubilaus filijs Iſrael. Et, *Quumque altare lapideum facies mihi.* 11.
Eſtque hic ſenſus, diuagentur ad cibum ſibi conquirendum, & pernoctare co- Num.
gantur quum non erunt ſaturati. 36.

V. 16. *Ego autem cantabo.* Quum mihi robur tuum oſtenderis in vlciſcen- Exod.
20.

do me de hoſtibus meis, tum ego cantabo tuam fortitudinem. *Et altâ voce*
Psal. *canam manè.* Hoc eſt, ſingulis matutinis, ac ſi diceret, continuò altâ voce
59. prædicabo miſericordiam tuam quam erga me exhibebis: & æquum eſt vt cantem & palam prædicem quòd mihi vice arcis munitiſſimæ fueris.

V. 17. *Fortitudo mea, tibi pſallam.* Verba hæc reſpondent iſtis alijs ſuperiùs dictis, Fortitudinem eius ad te cuſtodiam, ac ſi diceret, nunc quidem tibi dico, fortitudinem eius, Saülis enim eſt fortitudo, quapropter obſeruo te, & opem à te expecto; tunc verò dicam, Fortitudo mea & non, fortitudinem eius, & pſallam tibi, cùm antea dicerem, Obſeruabo te. Nam tempore anguſtiæ, obſeruo te, & liberationem à te expecto; at liberatione & ſalute acceptâ, pſallam & cantabo tibi quòd fueris Deus arcis meæ, & Deus miſericordiæ meæ, hoc eſt, eóquòd te Iudicem & potentem exhibueris cùm me de illis vltus es: & tuam ad me miſericordiam incliuaſti, ideò vocaberis, Miſericordia mea.

PSALMVS SEXAGESIMVS.

Præcentori, ſuper Schouſchan edouth, Micth† am Dauid, ad docendum. Cùm decertaret cum Syria Interamni, & cum Syria Soba, & cùm reuerſus eſt Ioab & percuſſit Edom in valle Salis duodecim millia.

1. DEus repuliſti nos, perrupiſti nos, iratus es: reuertere ad nos.

2. Commouiſti terram, diſſecuiſti eam: ſana contritiones eius quia nutat.

3. Oſtendiſti populo tuo durum: potaſti nos vino tremoris.

4. Dediſti metuentibus te ſignum: ad extollendum propter veritatem.

5. Vt liberentur dilecti tui: ſerua dexterâ tuâ & exaudi me.

6. Deus loquutus eſt in Sancto ſuo: lætabor, partibor Sichimam & conuallem Succoth metiar:

7. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, Et Ephraim fortitudo mei capitis; Iuda Legiſlator meus.

8. Moab olla lauacri mei, in Idumæam projiciam calceamentum meum: ſuper Paleſtina iubilo.

9. Quis deducet me, *in*, ciuitatem munitam? quis deducet me vſque ad Idumæam?

10. Nonne tu Deus, *qui*, nos repuliſti, & non egrederis Deus, Psal.
cum exercitibus noſtris? 55.

11. Da nobis auxilium à tribulatione: quia vana ſalus hominis.

12. In Deo faciemus virtutem: & ipſe conculcabit hoſtes noſtros.

COMMENTARIVS.

PRæcentori, *Cùm decertaret* בהצוסר *behatſoto.* Hoc eſt eſt, cùm ipſe pugnaret, iuxta illud: *Qui contenderunt cum Moſe.* Vnde in Deras, circa hæc Num.
verba dicitur, qui ſuccendit in eis ignem. Rurſus ibidem, eandem vocem 26.9.
בהצותו *behatſoto* legentes per ח *hheth*, ſic ediſſerunt, cùm diuideret; quia nempe Dauid, poſuit Syriam interamnem in Syria Soba, & Syriam Soba, in Syria interamni. Particula את *et* hoc loco afficitur puncto ſegol, eſt etiam cum accentu merca ſeu prolongante, ſine linea Macaph, quod fit præter morem. Occurrit adhuc hoc ipſo modo in alijs duobus locis, ſcilicet ante hæc verba: *Gloriam Iacob.* Et ante iſta: *Quem diligit Deus, caſtigat. In valle Salis,* Pſal.
duodecim millia. Et tamen in libro Samuël dicitur: *Quum reuerteretur Da-* 47.5
uid caſà Syrià in valle Salinarum, decem & octo millibus. At in libro Para- Prou.
lip. *Et Abiſai, filius Saruiæ percuſsit Edom in valle Salinarum, decem &* 3.12.
octo millia. In libro autem Samuël dicitur: *Percuſsit Syriam,* & in duobus li- 2. Sam. 8.
bris dicitur, percuſſit Edom. In libris etiam Paralip. dicitur, decem & octo 1. Paral.
millia. At in hoc libro, duodecim millia. Sed his ita reſpondendum videtur, 8.
nempe bellum contra Idumæos geſtum eſſe tum cùm etiam aduersùs Syros pugnabatur; ſic enim ſcriptum eſt: Cùm certaret cum Syria Soba, & reuerſus Ioab & percuſſit Edom. Illa igitur decem & octo millia partim ex Syris, partim ex Idumæis conſtabant: hinc cùm in duobus libris ſcribitur, percuſſit Edom, hoc debet intelligi de Idumæis & de illis qui cum ipſis erant, nempe de Syris. Cùm verò in libro Samuëlis ſcribitur, cæsâ Syriâ, hoc de Syris eſt accipiendum, & de coniunctis ſimul Idumæis. Quòd autem in libro Paralip. dicitur Abiſai geſſiſſe bellum & percuſſiſſe decem & octo millia, cùm tamen hoc loco id à Ioab dicatur geſtum, & occiſa tantùm duodecim millia, dicendum eſt, primùm quidem Abiſai bellum inchoaſſe, ac ſex millia hoſtium occidiſſe, poſtea autem ſucceſſiſſe Ioabum & duodecim millia interfeciſſe. Et hoc indicari videtur hoc loco dum dicitur, Et reuerſus eſt Ioab & percuſſit; ac ſi diceret, Poſtea reuerſus eſt Ioab poſt Abiſai. Et quoniam Abiſai primus certamen hoc incepit, idcirco illa decem & octo millia, ab eo cæſa eſſe dicuntur. In libro autem Samuëlis, bellum iſtud aſſcribitur Dauidi, nempe quia Rex erat & præcipuus belli author; vnde etiam de illo hîc dicitur, Quum decertaret. Porro in Deras diſſertatur, quid ſit illud: *Ad docendum,* ac reſpondetur, ad docendum omnes Nationes quòd Deus ſanctus & benedictus legem dederit Iſraëlitis. Quum iuit Ioab vt bellum gereret contra Syros, ipſi ita eum ſunt allocuti, tu non originem ducis ex poſteris Iacob, neque ſic fuerunt pacta inter Iacob & Laban Syrum, ſed ſic, hic dixit ad illum: *Veni & fe-*

PSAL. *riamus fœdus ego & tu*, & ſtatim Iacob accepit lapidem, & erexit illum in
60. titulum. Quæ cùm audiiſſet Ioab & neſciret quid ipſis reſponderet, venit ad
——. Dauidem eique dixit, hoc & iſto modo mecum ſunt locuti Syri, congrega *
Gen. 31. Sanhedrin. Sic dixit Salomon: *Venter tuus ſicut aceruus triticorum.* Dixerunt
44. ſapientes, Patres noſtri pepigerunt duo fœdera. Vnum pepigit Abraham ſic
Cant. 7. 2. enim dixit ad ipſum Abimelech: *Iura mihi nunc per Deum ne noceas mihi & poſteris meis.* Venerunt poſtea Iſraëlitæ, vt ingrederentur in terram Philiſtæorum quibus ipſi ſic objecerunt, nequaquam vos ex ſemine Abraham orti eſtis, non enim obſeruatis quod ipſe olim cum Abimelecho pepigit: ſed ipſis reſponderunt Iſraëlitæ, imo vos illud minimè obſeruatis, & nequidem Philiſtæi eſtis, ſiquidem ab hac regione pridem Philiſtæi ejecti ſunt, ita enim de illis loquitur Moſes: *Heuæos quoque qui habitabant in Haſerim vſque ad Gazam,*
Deut. 2. 23. *Cappadoces, egreſsi ex Cappadocia, deleuerunt eos & habitauerunt pro illis*: Et vos iuramentum illud transgreſſi eſtis. Sic dixerunt ipſis de filijs Edom. Et iſti non transgreſſi ſunt fœdus primi. Non autem ita ipſe dicit Balaam Syrus ſed:
Num. 23. *De Syria adduxit me Balac Rex Moabitarum, veni*, inquit, *& maledic Iacob.* Nec hoc tantùm, ſed etiam temporibus Chuſan Raſcahthaim Regis Syriæ, vnde dicitur: *Et ſeruierunt filij Iſrael Chuſan Raſchathaim.* Cur appel-
Iud. 3. 8. latum eſt nomen eius, Raſchathaim, hoc eſt impietates? nempe quia duas impietates commiſere Syri in filios Iſraël, primam temporibus Balaam, alteram tempore Chuſan Regis. Quum igitur Ioab iſtam reſponſionem à ſummo ſenatu didiciſſet, mox, Et reuerſus eſt Ioab. In alia etiam allegorica expoſitione hæc affertur ratio iſtorum verborum, Et reuerſus eſt Ioab nempe dicit duo prælia fuiſſe commiſſa in valle Salis, & in primo quidem prælio Abiſai, interfeciſſe decem & octo millia, in altero autem prælio, Ioab occidiſſe duodecim millia. Is quum proficiſceretur ad bellum contra Syros gerendum, tranſiuit iuxta filios Edom, qui contra ipſum aſtiterunt, ei hoc modo dicentes, Non
Deut. 2. 5. ita dicitur in Scriptura de Iſraëlitis erga Idumæos, ſed: *Ne moueamini contra eos.* Quibus reſpondit Ioab, non ita dicit Scriptura, ſed ſic, vos tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſaii. Sinite igitur vt tranſeamus ad terram eius, Syri. Dixit autem Ioab his qui ſecum erant: eamus vt pugnemus contra Syros Meſopotamiæ incolas, ſi enim modò Idumæos deuaſtauerimus, quando reuertemur & nos recipiemus, nec cibum nec potum reperiemus, ſed eos intactos dimittamus vſque dum percuſſerimus Syros, tum verò aduerſùs ipſos reuertemur: & propterà dictum eſt hoc loco, & reuerſus eſt Ioab, & percuſſit Idumæos. Præterea dixit eis Deus ſanctus & benedictus, quid vobis proderit ſi Idumæos cœdibus paulatim conficiatis: Abiſai filius Saruiæ iam

* Sic eam vocem legit Elias Iudæus in Tisbite, & negat eam inueniri in numero ſingul. fateturque eſſe vocabulum planè Græcum ex voce σύνεδρος, vnde & Ioſephus iſtos Senatores vocat συνέδρους, qui in nouo Teſtamento Seniores ſeu Presbyteri & Principes populi appellantur, erant nempe Senatores & ſummi Iudices 70. aut 71. electi ex præcipuis Sacerdotibus & ex alijs tribubus pro ſapientiæ, ætatis & ſanctimoniæ merito ac peritia legis. Ex his conſtabat Concilium ſeu Synedrium magnum, quod Ieroſolymis tantùm reſidebat, in quo majores cauſæ & grauiora regni iudicia dijudicabantur, veluti de bello, de pace, de commodis & iuribus publicis, de communibus tribuum negotijs, de falſo Propheta, de ſummo Sacerdote & ſimilibus.

occidit decem & octo millia, tu verò, Ioab, duodecim millia. Cùm tempus Psal.
eius aduenerit, ego perdam & funditus regionem illam deuaſtabo. 60.

V. 1. *Deus repuliſti nos.* Cùm profectus eſſet Adarezer Rex Sobæ vt terminum regni ſui ad Euphratem vſque conſtitueret, eam terræ Iſraëlitarum partem inuaſit, quæ Euphrati adjacebat: eapropter dixerunt: *Repuliſti nos, perrupiſti nos.* Irrupit enim Rex Syriæ in terram noſtram: quod non propter aliud contigit, niſi quia repuliſti nos, & grauiter aduersùs nos es iratus; ſed iam reuertere ad nos, nempe in tuis miſerationibus.

V. 2. *Commouiſti terram, diſſecuiſti eam.* Verbum פצם *patſam* apertionem
& diffractionem denotat, vnde Paraphraſis Chaldæa illo vtitur ad illa verba con- Ier. 22.
uertenda: *Et perfregit ſibi feneſtras.* Siquidem quando terra graui motu con- 14.
cutitur, aperiri ſolet & diffindi. Deſcribit autem hoſtium irruptionem in regionem, & vrbium Iſraëliticarum expugnationem, quaſi per iſta, contremuiſſet ac diſciſſa eſſet ipſa terra regionis. Tu autem, Domine, ipſe eam perrupiſti, tu etiam ſana ruinas eius, nutat enim & iam caſura eſt ac omnino euertenda, niſi tu ſtabilias ipſam. Cæterùm dictio רפה *repha* ſcribitur cum ה *he* loco
א *aleph* in fine, ſicut reperitur iſto loco ארפה *erpa*: *Sanabo auerſiones veſtras.* Ierem.
V. 3. *Oſtendiſti populo tuo durum.* Quum nos deuicerunt hoſtes noſtri 3. 22.
ac in regionem noſtram irruperunt, perinde id nobis fuit, ac ſi nos vino horroris potaſſes: hic porro deeſt nomen formæ conſtructæ, huius ſcilicet, יין
ien vinum, vinum, inquam, horroris. Cui ſimile eſt illud: *Sume calicem vini* Ier. 25.
furoris, pro vini, vini, inquam, furoris. 15.

V. 4. *Dediſti metuentibus te.* Ac ſi diceret, dabis, & plura huic ſimilia occurrunt, præſertim in vaticinijs. *Ad extollendum*, vt magnificemur & exaltemur ſuper noſtros inimicos, eleuando ſignum noſtrum ſuper eos. *Propter veritatem.* Hoc eſt, ob veritatis tuæ demonſtrandam certitudinem, quia promiſiſti fore vt populus tuus in terram ſuam cum pace tandem reſtitueretur.

V. 5. *Vt liberentur.* Exiſtimant hoſtes noſtri non ſatis potentem eſſe dexteram tuam, quò nos poſſis ex illorum poteſtate eripere, ſed quaſi in anguſtias cohibitam eſſe nobiſcum dexteram tuam; quapropter ſaluum fac dexterâ tuâ & exaudi me in iſta oratione mea.

V. 6. *Deus locutus eſt in Sancto ſuo.* Per Spiritum Sanctum ſuum prædixit me regno Iſraëlitico potiturum. *Et lætabor.* Nempe propter regnum meum. *Partibor Sichimam & vallem Succhot dimetiar.* Hæc præ alijs loca recenſet, quia in portione tribus Ephraim erant ſita. Quoniam etiam Abner filium Saülis Iſboſet Regem inſtituerat ſupra regionem Galaaitidem, idcirco dixit Dauid, Deus locutus eſt in Sancto ſuo, fore ſcilicet vt ego ſuper Iſraël regnem; & ita præſtitit, me ſiquidem omnium tribuum Regem effecit. Per illa porro verba, partibor, diuidam, indicare vult omnia in ipſius ditione & arbitrio futura.

V. 7. *Meus Galaad.* Poſtquam tribum Ephaim nominauit, cæteras etiam tribus Iſraëliticas recenſet: & particulares, quas hic expreſſit pertinent ad tribum Ioſeph, illiſque comprehenditur vniuerſus Iſraël, præter Iudæ tribum. Senſus illorum verborum: *Iuda Legiſlator meus*, eſt idem ac ſi dixiſſet, Rex meus; ſolet enim Rex vocari Legiſlator, ſicut in iſto loco: *Non auferetur ſce-* Gen.
Kk iij 49. 10.

Psal. 60. *ptrum de Iuda & Legiſlator de femore eius.* Ad tribum Iudæ pertinebat regnum.
Perinde ac ſi diceret, Iuda qui fuit ſemper meus, & mihi continuò acquieuit.
Deus autem ſemper laudandus me totius Iſraëlis populi Regem conſtituit,
nempe ob illius vtilitatem, vt mea operâ ab ijs liberaretur, à quibus eius regio
diripiebatur. Et quamuis modò dum regnum adminiſtro, hoſtes irruperint in
terram noſtram, illa non diu deſæuiet clades, nam ego, Dei nutu & ope, ſu-
perior ipſis effectus, eos pedum meorum plantis conculcandos ſubjiciam; &
hoc eſt, quod iſtis verbis indicat: *Moab olla lauacri mei.* Cæterùm ita in De-
ràs diſſeritur. Quum Deus ſanctus & benedictus populi ſui exules aliquando
congregabit, eos primùm reuocandos curabit qui ex regione Galaitide abducti
fuerunt, eóquòd incolæ vrbis Iabes Galaad pietatis officia exhibuerint erga
Saulem & filios eius; dixit ſanctus & benedictus Deus, ego futuris tempori-
bus mercedem ipſis rependam, primùm enim incolas Galaad congregabo,
quoniam ſcriptum eſt, Meus eſt Galaad.

V. 8. *Moab olla lauacri mei.* Hoc eſt, erit mihi inſtar vaſis ad quemlibet
vſum deputandi: quia ipſis pro meo arbitratu ſum vſurus. Porro dictio סיר *ſir*
illud vaſis genus ſignificat, in quod effunduntur aquæ quibus alia vaſa fuerunt
abluta, & illæ etiam aquæ quæ varijs hominum vſibus ſunt neceſſariæ, ideò di-
xit, Olla lotionis meæ, non verò, olla in qua carnes elixantur. *In Idumæam
projiciam calceamentum meum.* Hoc eſt regionem illam pedibus meis concul-
2. Sam. 8. 1. cabo; & ita etiam contigit, iuxta illud: *Et percuſsit Moab: & factus eſt
Moab Dauidi ſeruiens ſub tributo;* ſic pariter de Idumæis dicitur: *Et facta eſt
vniuerſa Idumæa ſeruiens Dauid.* Cum Idumæis autem comprehenduntur
etiam Syri, etiamſi eos expreſsè non nominet, vnà etenim ad bellum conjun-
cti contra Iſraëlitas proceſſerant, & vtrumque populum Ioab & Abiſai debel-
2. Sam. 8. 6. larunt, ſicut antea expoſuimus, unde etiam de Syria dictum eſt: *Factáque eſt
Syria Dauid ſeruiens ſub tributo. Super me Paleſtina iubila.* Hæc dicit per
Eccl. 11. 9. modum comminationis aut Sarcaſmi. Per comminationem ſicut iſto in loco.
Lætare iuuenis in adoleſcentia tua, ſubintellige, & experieris quid tibi ſit
tandem euenturum. Aut per modum Sarcaſmi, poſtquam videlicet depreſſe-
2. Sam. 8. 1. rat eos, iuxta illud: *Et percuſsit Dauid Philiſtæos, & humiliauit eos.* Dicit er-
go ironicè iubila ſuper me, nempe vt ſolebas priùs; ſed modò non ita facies,
iam enim ſub mea poteſtate redacta es, & depreſſa: & hoc ipſum eſt quod di-
Pſal. 108. 10. cit in alio Pſalmo, huic perſimili, qui habetur libro quinto: *Super Paleſtina
iubilabo.* Ipſa priùs ſolebat triumphos agere deuictis Iſraëlitis, at nunc ego de
ea deuicta ouabo.

V. 9. *Quis deducet me in ciuitatem munitam.* Dictio מצור *matſor*, idem hîc
Zach. 9. 3. ſignificat ac מבצר *miutſar* nempe munitionem, vt & iſtis in locis: *Et ædifica-
uit Tyrus munitionem ſuam. Et ædificauit ciuitates munitas in Iuda.* Dicit ergo
2. Paral. 17. Dauid, quis mihi dux erit ad vrbes illarum Gentium munitas expugnandas, vt mi-
hi omninò ſubjectæ fiant, vrbes, inquam, Philiſtæorum, Idumæorum & Syrorum.
Quis pariter deducet me in Idumæam, quò eam in meam poteſtatem redigam?
Quis, inquam, iſta mihi præſtabit? Nempe Deus benedictus, & hoc iſtis ver-
bis declarat.

V. 10. *Nonne tu qui repuliſti nos olim?* Ideóque præualuerunt nobis dum tu

non egredereris cum exercitibus noſtris. Iam verò cùm tuam erga nos beneuolentiam exhibueris, omnes illas Gentes noſtræ ditioni ſubjicies. Alioquin, quâ ratione poſſemus iſtos populos expugnare, cùm nos pauci numero ſimus, illi verò innumeri, niſi tuâ ope adjuuemur, quam nobis confidimus adfuturam. PSAL. 60.

V. 11. *Da nobis auxilium ab anguſtia.* Sicut nobis hactenus fuiſti auxilio; ita deinceps in omni calamitate occurrente, velis opitulari nobis; à nullo enim quàm à te ſolo, liberationem expectamus. *Quia vana eſt ſalus hominis.* Cæterùm dictio עזרת *eeſrat* ſcripta eſt cum ת *tau* ac ſi eſſet cum ה *he*: aliquando enim litera illa ת *tau* occurrit in fine nominum hujus formæ, etiam extra conſtructionem; ſic iſto loco: *Fortitudo mea* וזמרת *vezimrat & laudatio Dominus.*

V. 12. *In Deo faciemus virtutem.* Cum hoſtibus noſtris Deo nobis auxiliante, ſigna committemus, etiamſi innumeri ſint, & audacter decertabimus. *Et ipſe conculcabit hoſtes noſtros.* Nempe ſicut lutum platearum conculcari ſolet.

PSALMVS SEXAGESIMVS PRIMVS.

Præcentori, ſuper Neghinnath, Dauid.

1. AVdi Deus, clamorem meum: auſculta orationem meam.
2. A finibus terræ ad te clamo, dum anxiatur cor meum: in petram, *qua*, celſior me ſit, deduc me.
3. Quia fuiſti ſpes mihi: turris fortitudinis à facie inimici.
4. Commorabor in tabernaculo tuo in ſæcula: ſperabo in abſcondito alarum tuarum.
5. Quoniam tu Deus exaudiſti vota mea: dediſti hereditatem timentium nomen tuum.
6. Dies ſuper dies Regis adjicies: anni eius, *erunt*, ſicut generatio & generatio.
7. Permanebit in ſeculum in conſpectu Dei: miſericordiam & veritatem præpara, *quæ*, cuſtodiant eum.
8. Sic Pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum, vt reddam vota mea per ſingulos dies.

COMMENTARIVS.

P*Racentori, ſuper Neghinnath.* Quamuis iſta dictio נגינת *neghinnath* afficiatur vocali patahh, non tamen eſt conſtructa ſed perinde ſe habet ac ſi ſcripta eſſet נגינה *neginna* cum ה *he*: & plures aliæ dictiones ita etiam cum

patahh & tau occurrunt quæ non ſunt in regimine, vt illæ מכת *maccat Pla-*
Psal. 61. *gà non declinabili*, ſic חכמת *bhocmat* ſapientia & aliæ his ſimiles, vt ſcripſimus in libro Miclol. Hunc porro Pſalmum edidit Dauid cùm exularet & Saülem
Eſa. 14 6. effugere ſatageret; vel fortè compoſuit illum de Iſraëlitis in captiuitate poſitis, & iuxta iſtum ſenſum in Deras exponitur.

V. 1. *Exaudi Deus clamorem meum.* In iſto verſu res eadem diuerſis verbis repetitur.

V. 2. *A finibus terræ.* Si de ipſo Dauide intelligendus ſit Pſalmus ſenſus erit, ab extremis finibus terræ Philiſtæorum in quibus exul erat; ſi verò de toto exulum cœtu, verba erunt cuiuſlibet Iſraëlitarum ex illis regionibus in quibus exulat, clamantis. *Dum anxiatur cor meum.* Multa oratio alicuius in graui
Pſal. 102. 1. anguſtia poſiti, appellatur iſto nomine עטיפת *aatipha*, iuxta illud: *Oratio pauperis cùm anguſtiis afficitur, & coram Deo effundit precem ſuam. In petram quæ exaltetur præ me.* Hoc eſt, quæ ſit altior me in quam ego ſolus non poſſim aſcendere, illuc me deducas. Per illam verò petram intelligenda eſt terra Iſraël ſiue de Dauide, ſiue de omnibus exulibus Pſalmus exponatur.

V. 3. *Quia fuiſti ſpes mihi.* Iam multoties fuiſti mihi perfugium, & capropter modò ad te clamo.

V. 4. *Commorabor in tabernaculo tuo in ſæcula.* Hoc eſt, per longa temporum ſpatia. Per tabernaculum intelligitur domus ſanctuarij ſeu templum. Si verò de Dauide ſit ſermo, erit intelligendum tabernaculum conuentus.

V. 5. *Quoniam tu exaudiſti.* Eſt tempus præteritum loco futuri, vt & verbum ſequens, *Dediſti*, & multa occurrunt ſimilia potiſſimùm in dictis propheticis. Cæterùm ea vota cenſenda ſunt indicari quæ Dauid nuncupauerat Deo dum adhuc exularet, ſi eius beneficio in terram Iſraël reuerteretur incolumis. Si verò de captiuis omnibus explicetur Pſalmus, ſignificabitur illos vota Deo facere, ſi ab iſto exilio tandem ipſos educat. *Dediſti hæreditatem timentium nomen tuum.* Tabernaculum conuentus aut templum Deo ſacrum, eſt poſſeſſio & hæreditas timentium ſeu cultorum Domini, dicit igitur, illud mihi beneficij conferes vt commorer in tuo tabernaculo, hæc eſt enim vera poſſeſſio eorum qui ſanctum nomen tuum colunt & reuerentur.

V. 6. *Dies ſuper dies Regis.* Si Dauid ſit argumentum Pſalmi, hæc verba de ſeipſo cenſendus eſt dicere, iam enim in Regem vnctus fuerat, & à Deo
Eſai. 38. 5. petere vt dies ſuos proroget, & dies alios addat ijs diebus qui ipſi determinati ac præfixi erant. Quemadmodùm de Ezechia dictum eſt: *Ecce ego adiicio ſuper dies tuos quindecim annos.* Si verò de captiuis omnibus agat Pſalmus, per Regem, erit Rex Meſſias intelligendus. *Sicut generatio & generatio.* Per annos generationum & generationis ſpatium vitæ humanæ ſignificatur.

V. 7. *Permaneat in ſæculum.* Cunctis vitæ ſuæ diebus permaneat in conſpectu Dei Deorum, ac ſi diceret, animum ſuum & curam adjiciat ijs quæ ad cultum Dei & ſapientiam ſpectant. *Præpara.* Miſericordiam tuam & veritatem tuam illi præpara quæ ipſum cuſtodiant.

V. 8. *Sic Pſalmum dicam.* Si mihi quod à te peto conceſſeris, nempe vt mea tibi vota ſingulis diebus perſoluere queam in terra Iſraël, Pſalmos cantabo nomini tuo propter tot beneficia quibus me cumulaſti.

PSAL.

PSALMVS SEXAGESIMVS SECVNDVS.

Præcentori, ad Idutum, Pſalmus Dauid. Psal. 62.

1\. CErtè ad Deum ſilet anima mea: ab ipſo enim ſalus mea.
2\. Certè ipſe, *eſt*, petra mea, & ſalus mea: arx mea, non mouebor multùm.

3\. Quouſque mala parabitis in hominem? interficietis vniuerſi vos, tanquam parietem inclinatum, *&*, maceriam impulſam.

4\. Profectò ab excellentiâ eius conſultant depellere: diligunt mendacium, ore ſuo benedicunt, & intimo ſuo maledicunt.

5\. Attamen Deo tace anima mea: quoniam ab ipſo patientia mea.

6\. Certè ipſe petra mea & ſalus mea: arx mea non mouebor.

7\. In Deo ſalus mea & gloria mea: petra fortitudinis meæ, refugium meum in Deo, *eſt*.

8\. Sperate in eo omni tempore, ô popule; effundite coram illo cor veſtrum: Deus refugium nobis.

9\. Profectò vanitas filij hominum, mendacium filij viri: in ſtateris vt aſcendant ipſi præ vanitate ſimul.

10\. Nolite confidere in fraude, & in rapina ne vaneſcatis: diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere.

11\. Semel locutus eſt Deus, bis hoc audiui, quòd poteſtas Dei eſt.

12\. Et tibi, Domine, miſericordia: quia tu reddis vnicuique iuxta opus eius.

COMMENTARIVS.

P*Ræcentori, ad Iduthum, Dauid.* Pſalmi huius author eſt Dauid, & ipſum dedit ipſi Iduthum decantandum: & particula על *aal* idem ſignificat ac אל *el* ad: ſic etiam in iſto loco: *Et orauit* על *al Dominum*, quaſi אל *el* ad Dominum. Item: *Et iuit Elcana in Ramatha* על *aal* quaſi אל *el ad domum ſuam.* Porro argumentum Pſalmi huius eſt exilium Iſraëlitarum.

V. 1. *Certè ad Deum ſilet anima mea.* Non ſperat in alio Deo, nam ab ipſo

PSAL. ſo erit mihi ſalus mea. Dictio דומיה *doumia* hunc habet ſenſum, ſilens erit &
62. tacens expectabit donec veniat ſalus & liberatio à Deo noſtro. Similis modus
loquendi eſt in iſto loco: *Obmutui ſilentio*, niſi quòd hæc vox eſt nomen ſub-
Pſal. 39. ſtantiuum, illa verò adjectiuum.
3. V. 2. *Certè ipſe.* Nempe ſolus eſt petra mea. *Non mouebor multùm.* Hoc
Pſal. eſt magnâ & graui vacillatione, iuxta illud: *Cùm ceciderit iuſtus non ſuccum-*
37. 24. *bet, quia Dominus ſuſtentat manum eius.* Et ſæpe ita occurrit nomen adjecti-
Abac. 1. uum ſine ſuo ſubſtantiuo expreſſo, vt in iſtis locis: *Et cibus eius pingue*, ſcilicet
16. pecus. *Sicut grex tonſarum*, ouium. *Reſpondebit dura*, verba, & multa his ſi-
Cant. milia. Prætereà ſicut dixit, non mouebor, addit intelligentis causâ.
4. 2. V. 3. *Quouſque mala parabitis?* Verbis iſtis hoſtes alloquitur, quouſque
Prou. 18. praua machinabimini contra vnumquemque virum Iſraëlitam: *Interficiamini
vniuerſi vos.* Sit voluntas Dei vt occidamini vos omnes, & ſitis tanquam pa-
ries inclinatus, &, maceria impulſa, iam ad caſum & ruinam vergentia. Ac ſi
diceret, toto vitæ veſtræ curriculo continuo pauore ſitis correpti, ac tandem
gladio occiſi moriamini. Et vocem quidem תרצחו *terotſehhou* cum cameth-
hatouph ſub ר *reſch* legenda eſt, iuxta Rabbi * Aaaron filium Aſcher, ex conju-
gatione pual daqueſſata paſſiua inſtar harum dictionum כלו *collou*, *Finitæ ſunt*
Pſal. 72. 20. *precationes Dauidis.* Et, *Non* כרת *corat*, *eſt præciſus vmbilicus tuus.* At
Ezech. Rabbi Iacob filius Napthali legendam cenſet תרצחו *teratſehhou* cum patach ſub
16. 4. litera ר *reſch* occidetis. Sequi autem non ſolent lectionem filij Aſcher.

V. 4. *Profectò ab excellentia eius.* Hoc eſt, à magnitudine & altitudine Dei,
eius enim antea fecit mentionem ſub nomine petræ ſeu refugij; dicit ergo,
quòd vnuſquiſque illorum cum fratre ſuo conſultet vt hunc & iſtum depellant
ab altitudine Dei, efficiántque vt ad ipſum non reſpiciant. Siquidem Deum ſuas
cogitationes perſpectas habere minimè ſibi perſuadent, & idcirco: *Diligunt
mendacium*, nam vnum ore loquuntur & aliud animo ſuo verſant: quia ni-
mirum arbitrantur corda ſua nemini eſſe aperta; ideò ore quidem tenus, alijs
palam fauſta precantur, cùm interim in intimis animi ſui receſſibus, eiſdem
maledicant. Cæterùm iſta nomina, in intimo ſuo, in corde ſuo per numerum
ſingularem effert de vnoquoque iſtorum hominum: verba autem ipſa benedi-
cunt, maledicunt per numerum pluralem, de multis generaliter, & iſte eſt
mos Scripturæ in multis locis.

V. 5. *Attamen Deo tace.* Hoc dictum eſt eodem ſenſu ac illud: *At conſi-*
Iob. 21. *lium improborum longè abſit à me.* At in conſilio eorum ne ſis ô anima mea,
16. ſed tantummodo in Deo ſolo tace, & patienter expecta illum. *Quia ab ipſo*,
pendet expectatio mea & non ab aliquo alio, nam ipſe liberabit me ab illis,
& à malis eorum aduerſus me cogitationibus; adhuc verò idem repetit ac
dicit.

V. 6. *Certè ipſe*, eſt, *petra mea.* Nempe vt ſuæ in Deum fiduciæ magnitu-
dinem exprimat. Adhuc, inquit, confido ipſum fore arcem & refugium mihi

* Hi duo Rabbini à multis exiſtimantur puncta ſeu vocales Hebræas inueniſſe, & ſacro Bibliorum textui, ſolis conſonantibus conſtanti appoſuiſſe: & magna lectionis, & explicationum varietas ortum habuiſſe videtur ex iſta literarum limitatione, cùm apud interpretes Græcos cum Latinos,

vt nunquam deinceps emouendus ſim. Quod continget vbi ab exilio fuero PSAL.
egreſſus, vnde hîc non additur vox, Multùm.
62.

V. 7. *In Deo ſalus mea.* Ipſe etenim me ex iſto exilio educet, in quo iaceo varijs oppreſſus anguſtijs. *Et gloria mea.* Quia in captiuitate ſum omnibus deſpicatui, at ipſe iterum erit gloria mea; vbi enim me ab exilio reuocauerit tum Nationes aliæ, gloriam meam prædicabunt, iuxta illud: *Et erunt Reges nu-* Eſa. 49.
tritij tui. Et ipſe eſt arx fortitudinis meæ & ſpes mea in eo eſt non in aliquo alio. 23.

V. 8. *Sperate in eo.* His verbis Iſraëlitas exules alloquitur, omni tempore confidite adfuturam tandem vobis eius beneficio redemptionem. Senſus autem horum verborum: *Omni tempore*, eſt iſte, quamquam prorogatur tempus exilij necdum aduenit redemptio, nihilominus ſperate in eo omni tempore, nempe ô vos popule Dei, quia tandem vobis redemptionem adducet. *Effundite coram illo cor veſtrum*, nimirum per pœnitentiam perfectam ex corde ſincero profectam, tum enim vobis Redemptorem adducet. *Quia Deus refugium eſt nobis*, neque enim refugium mendacij eſt refugium eius ſicuti eſt refugium hominum: propterea mox ſubdit.

V. 9. *Profectò vanitas filij hominum.* Nominibus mendacij & vanitatis hîc
ſignificatur res quæ non eſt fixa & ſtabilis veluti in iſtis locis: *Eris mihi ſicut* Ier. 19.
mendacium. Et, *Cuius aquæ non mentiuntur. In ſtateris vt aſcendant*, hæc fi- 23. Eſa. 58.
guratè ſunt dicta, in ſtateras ſi aſcendant homines omnes cum ipſa vanitate, 11.
ipſis viliores ac leuiores erunt vanitate iuxta illud, vanitas vanitatum. Eccl. 1.
2.

V. 10. *Ne confidatis in fraude.* Dictio עשק *ooſcheg* multas res & opes ſignificat, quas quis ab amico aut ſocio acceptas habet nec illas ei reſtituit; aut debet ipſi pecuniam quam ſoluere differt aut renuit: vox autem גזל *gazel* denotat opes quas vi apertâ quis à ſocio ſuo abripit: diuitiæ verò hominum iſtis vt plurimum duobus modis acquiruntur; vnde dixit humanas opes non habere ſtabilitatem, ac proinde nolite ſperare vos per illas ab anguſtijs eſſe liberandos, & propter eas ne vaneſcatis, quia vanum eſt ſpem in illis reponere. *Diuitiæ ſi affluant.* Idcircò cùm videritis opes veſtras augeſcere & multiplicari, ne illis animum affigatis quaſi rebus permanſuris, non enim diu ſtabunt in veſtra ditione. Dictio ינוב *ianoun* idem ſignificat quod יפרה *iphre* multiplicat, ſumptâ ſignificatione à nomine תנובה *tenouna* quod fructum & germen denotat.

V. 11. *Semel loquutus eſt Deus.* Vnâ vice & alterâ, hoc eſt, multis vicibus dixit Deus & ex ore Prophetarum audiuimus quòd robur & poteſtas ſint Dei ſolius, & eapropter non debet homo confidere aut in propria fortitudine, aut in opibus ſuis, omnia ſiquidem iſta ſunt vaniſſima: nec in vllo alio quàm in Deo ſpes certa reponi poteſt, quia ipſius tantummodò eſt potentia. Aliæ in hunc verſum myſticæ expoſitiones ſunt, ſed quæ ad Pſalmi argumentum ſpectare non videntur. Ita quidam circa hæc verba ediſſerunt, ſemel loquutus eſt Deus, hoc eſt, legem propoſuit. Bis, hoc eſt, duabus vicibus illam audiuimus, nempe ex ore * Fortitudinis, & ex ore Moſis. Magiſtri verò noſtri P. M. ſic exponunt, ſemel loquutus eſt Deus, memento & obſerua dictum eſſe de ſermone ſemel, & audiuimus duos ſermones.

* Sic apud Rabb. & Cabbaliſtas Deus vocatur הגבורה *haggenoura.* Potentia, vt ſignificet ipſum eſſe Deum præpotentem.

V. 12. *Et tibi Domine miſericordia.* Sunt qui his verbis indicari putent
Psal. Deum omnibus extollendum, tum erga homines ſuam exetere beneficentiam,
63. poſtquam ipſos admonuit, & certos fecit fore vt reddat vnicuique ſecundùm
——. opera eius. Alij volunt particulam כי *chi*, ſignificare etiamſi, vt iſto in loco:
Etiamſi populus hic ſit duræ ceruicis, tu tamen condonabis. Perinde ac ſi diceret,
Deut. 9.6. Quamquam redditurus es omnibus in nouiſſimis, iuxta ipſorum opera, tibi
nihilominus eſt in hoc miſericordia: nam præ cæteris miſericordia excellit vt
de ipſo Deo ſcriptum eſt; *Deus multæ miſerationis.* Poſſet etiam hic verſus
Exod. 34.60. exponi ad ſenſum Pſalmi, vt ſint verba iſta exulum Iſraëlitarum dicentium,
quòd nos diutiùs in exilio detineri permittas, illud ex tua erga nos miſericordia
præſtas, vt nempe nobis benefacias in noſtris nouiſſimis. Gratiam enim
confers homini, cùm illi pœnas retribuis ſecundùm opera eius mala quæ fecit,
in hoc mundo, vt deinde in altera vita ſolidam mercedem recipiat pro bonis
quæ egerit, iuxta illud: *Ecce iuſto in terra hac retribuetur.* In Deras autem
Prou. 11.31. diſſidium eſt inter Rabbi Iudam & Rabbi Nehhemiam; Rabbi quidem Iuda
dicit, peccatum fundamentum eius eſt, verùm non facit fructum, ſed iuſtitia
facit fructum; dictum quippe eſt dicite iuſto quoniam bonum, quia fructum
operum ſuorum manducabunt: ſed peccatum eſt fundamentum eius, nam
ſcriptum eſt: *Quia retributio manuum eius fiet ei.* Sic autem ipſe dicit, quo-
Iſa 3 11. niam tu Deus noſter imputaſti, nobis, infra iniquitates noſtras, *non ſecun-
Ibid. 2. dùm iniquitates noſtras, ſed infra eas. Vnde etiam hic dicitur: *Et tibi, Domine,
miſericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opus eius.* Non ſcriptum
eſt hoc loco in ſeu pro opere eius, ſed iuxta opus eius, infra opus eius: nam de
ſuo ipſe tollit. Quiſpiam enim dum adhuc eſt iuuenis, leuiter in peccatum aliquod
prolabitur: & ſic etiam erit aliquis vir rectus, in quo tamen aliquod
peccatum inerit, & in eo etiam moriatur, Quidnam facit Deus ſanctus & benedictus?
Peccati iſtius pœnam ſuſpendet, donec vxorem accipiat & liberos
procreet, & tum aliquem ex liberis eius pro ipſo tollit, ob admiſſum ab illo
peccatum. Eſt ne miſericordia maior iſtà? hinc exclamans dicit: *Et tibi, Domine,
miſericordia.* At Rabbi Nehhemia dicit, Quia tu reddes vnicuique iuxta
opus eius. Non eſt ſcriptum hìc, ſecundùm cogitationem eius, ſed iuxta
opus eius: ſit aliquis qui peccatum animo cogitauerit, non tamen illud perpetrauerit,
non illud ipſi Deus opt. max. imputat, donec opere compleuerit,
Pſal 66 18. dictum quippe eſt * *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo non audiet Deus.* At verò
ſi quis aliquod mandatum implere ſtatuerit, licet illud actu non impleat, Deus
tamen O. M. illi imputat, ac ſi impleſſet. Siquidem Dauid apud ſe ſtatuerat domum
ſanctuarij ædificare, eam tametſi non ædificarit, voluit Deus Opt. Max.
Pſalmum iſtum eius de nomine inſcribi, Pſalmus cantici dedicationis Dauid.

* De iſta Rabbini huius ſententia vide ad Pſal. 66. infra.

PSALMVS SEXAGESIMVS TERTIVS. Psal. 63.

Pſalmus Dauid, cùm eſſet in Deſerto Iudæ.

1. DEus, Deus meus, *es*, tu, manè te quæro, ſitit ad te anima mea, deſiderat ad te caro mea: in terra ſiticuloſa & inaquoſa, quæ eſt ſine aquis.

2. Sic in ſanctitate contemplabor te: vt videam virtutem tuam & gloriam tuam.

3. Quoniam melior, *eſt*, miſericordia tua vitâ; labia mea laudabunt te.

4. Sic benedicam te in vita mea: in nomine tuo leuabo manus meas.

5. Sicut adipe & pinguedine ſatiabitur anima mea, & labijs iubilationum laudabit os meum,

6. Si memor fui tui ſuper ſtrata mea, *&*, in vigilijs meditor in te.

7. Quòd fuiſti adjutor mihi: & in vmbra alarum tuarum exultabo.

8. Adhæret anima mea poſt te: me ſuſtentat dextera tua.

9. Ipſi verò, *qui*, ad deſolationem quærunt animam meam: introibunt in inferiora terræ.

10. Diffluere facient eum gladio: pars vulpium erunt.

11. Rex vero lætabitur in Deo, gloriabitur omnis qui iurat in eo: quia obſtruetur os loquentium mendacium.

COMMENTARIVS.

PSalmus Dauid cùm eſſet in deſerto. Nempe dum Saülem fugeret: eſtque deſertum Iudæ, ipſum deſertum Ziphæum.

V. 1. *Deus, Deus meus fortis*, es, *tu*. Petra mea, & robur meum es tu: & quamdiu fugitare cogor nullum præter te alium defenſorem & adjutorem habeo: ac te ſedulò in meis orationibus exquiro ſingulis diebus, horis matutinis, dum ex loco in locum diuagari compellor. Aſſerit etiam ſe vehementer deſiderare verſari in terra Iſraël, ſperans ſe tum poſſe cum alijs palam adire locum ſanctum; nimirum aut vrbem Chiriatiaaarim, in qua erat Arca, aut Gabaon, vbi tum erat tabernaculum conuentus. In duo enim iſta loca tunc ſole-

Psal. bant conuenire, qui Deum exquirebant. Et illis in locis frequentes aderant
63. Iſraëlitarum ſapientiſſimi inter quos conuerſari exoptabat, & ab ipſis ediſcere,
——. inſtar hominis ſiti laborantis, & in terra arenti & ſiticuloſa conſtituti, qui ſummâ cupiditate in loco aquis irriguo eſſe appetit. Siquidem Dauid in ſuis diuagationibus nullos habebat in ſuo comitatu ſapientes, ſed tantùm homines anguſtijs & neceſſitatibus oppreſſos, & animi triſtitiâ ac mœrore affectos qui ſeſe illi fortè adjunxerant. Porro illud: *Sitit ad te anima mea*, ad ipſam mentem ſpectat: verba autem iſta: *Deſiderat te caro mea*, pertinent ad corpus. Sitis namque eſt maxima omnium cupiditatum, & anima intellectiua ſummo appetit deſiderio ipſam ſapientiam & acceſſum ad Deum. At caro, hoc eſt corpus, vna cum anima vitali, locum tutum ac pacatum inhabitare deſiderat. Dictio כמהּ *camah* ſcribitur cum mappic in littera ה *he* ac legitur camah, nec alibi occurrit, & idem ſignificat quod תאב *taau*: & dictio עיף *aaieph* idem quod צמא *tſame*, ac ſi diceret, in terra quæ ſitit aquas, in terra ſitibunda. Exprimitur hoc loco nomen ארץ *aretſ* in genere maſculino, ſicut & in iſtis lo-
Gen. 13. cis: *Et non capiebat eos terra. Obſcurata eſt terra.*
6. V. 2. *Sic in ſancto contemplabor te.* Inſtar hominis ſiti grauiſſimâ laboran-
Eſa. 9. tis peropto videre te in loco ſancto, ac tuam fortitudinem intueri, hoc eſt, Ar-
19. cam cum gloria, ibi enim Dei Majeſtas ſeu gloria inhabitat.

V. 3. *Quoniam melior miſericordia tua quàm vita.* Longè enim nobilior eſt hoc tuum beneficium quo homines affeciſti, nempe intelligentia & ratio, quâ donaſti eos, vitâ corporis, quia illam dediſti etiam omnibus terræ animantibus. At hominem ſolum intelligentiæ dono decoraſti, propterea: *Labia mea laudabunt te*, tibi grates referent pro tanto beneficio. Iſta porro dicit, quia teſtatus eſt ſe maximo anhelare deſiderio ad viam animæ, hoc eſt, ſapientiam comparandam. Dominus etiam pater meus P. M. hoc modo exponit, vitam & miſericordiam feciſti mecum, vitam quidem, ſicuti in brutis animantibus, miſericordiam verò propter animam ſublimiorem, quâ me decoraſti. Poſſunt etiam hæc verba, Quoniam melior eſt miſericordia tua ſu-
Pſal. 45. per vitam, explicari ſicut iſta: *Sedes tua Deus*, quorum hic eſt ſenſus, ſedes Dei,
7. & dictio חיים *hhaiim* vitæ ſignificabit homines diuites beneficentiam exer-
Eccl. 4 centes, ſicut in iſto loco: *Dum ambulant coram viuentibus*, ſenſúſque erit
15. verborum Dauidis, Quoniam miſericordia tua longè melior eſt beneficentiâ illorum, nam ecce Saül mè ſibi adjunxit vt amicum, ducem & principem me conſtituit, ſuam mihi filiam in matrimonium dedit, multis me beneficijs affecit, nunc verò me ad necem inſequitur, & propterea æquiſſimum eſt vt labia mea te laudent, & tuam ſolam miſericordiam prædicent, non verò beneficentiam hominum.

V. 4. *Sic benedicam te in vita mea.* Quemadmodum nunc te ſingulis diebus laudo, ita ſemper & omnibus vitæ meæ diebus te benedicam & laudibus proſequar. *In nomine tuo leuabo manus meas*, hoc eſt, auxilio tuo confirmatus
Pſal. audebo manus attollere contra eos qui me impugnant; ſimile eſt illud: *In no-*
44. 6. *mine tuo conculcabimus inſurgentes in nos*, hoc eſt, ope tua ſuffulti; ac ſi diceret,
Pſal. nomen tuum inuocabo: quod ad ſenſum illorum verborum dicitur: *Qui docet*
144. *manus meas ad prælium*

V. 5. *Sicut adipe , & pinguedine , & labijs.* Litera ו *vau* præpoſita voci PSAL.
שפתי *ſipte* labijs, idem ſignificat ac כאשר *caaſcher*, quando ſicut in iſto loco : 63.
Si non fuerint ſaturati , quando pernoctabunt. Dicit ergo , quando labijs iubi-
lationum laudabit te os meum , tum mihi illud perinde ſuaue erit , ac ſi ſatiare- Pſal. 59.
tur anima mea appetitiua , adipe & pinguedine : cibus enim pinguis eſt ſuauis 16.
omni homini. *Adipe & pinguedine* , rem eandem verbis diuerſis enuntiat.
Labijs exultationum , hoc eſt verbis iubilationum iuxta illud. *Terra erat labij* Gen.
vnius & verborum eorumdem. 11. 1.

V. 6. *Si memor fui tui ſuper ſtrata mea.* Ita pariter quando tui recordor, &
te animo recolo , in ſtrato iacens , & quando per nocturnas vigilias de te me-
ditor , quaſi adipe quodam & pinguedine ſatiatus reficior & cumulor. Particu-
la hæc אם *im* ſi, eſt pro כאשר *caaſcher* quando , vt in iſtis locis , ſi , cùm , fuerit Num.
Iubileus filijs Iſraël. Et , ſi altare lapideum facias mihi. Vſurpat autem voces 36.
ſtrata mea in plurali numero , quia non in vno certo & fixo loco recumbebat, Exod.
ſed in varijs ſubinde locis , vt pote ex vno in alium locum continuò fugere 20.
compulſus. Sunt autem vigiliæ, noctis tempora quibus homo è ſomno ſuo
expergiſcitur , ſúntque tres ſicut ſcriptum eſt : *Iámque aduenerat vigilia matu-* Exod.
tina. Et alio in loco. *Principio vigiliæ matutinæ.* Sic etiam ſolent dicere Magi- 14. 24.
ſtri noſtri F. M. * Tres ſunt cuſtodiæ noctis. Iud. 7.

V. 7. *Quòd fuiſti in adiutorium mihi.* Agnoſco me eſſe obſtrictum ad con- 11.
tinuam tui recordationem , & ad tuas laudes cum exultatione celebrandas ;
mihi ſiquidem auxilio fuiſti , nec permiſiſti vt in manus eorum deuenirem qui
me ad mortem inſectabantur , nec vt mihi quidquam mali inferrent. *Et in*
vmbra alarum tuarum exultabo , hoc eſt , & ego in vmbra alarum tuarum ſpe-
ro me tutum fore , ac tandem exemptum periculis , exultaturum.

V. 8. *Adhæret anima mea poſt te.* Æquum eſt vt me tua dextera ſuſtentet
ne corruam in deſolationem , hoc eſt , in infima terræ , nam ipſi quærunt ani-
mam meam , ad eam in infernum detrudendam.

V. 10. *Diffluere facient eum gladio.* Vox iſta , eum , ſingularis numeri, re-
fertur ad Saülem : & diffluere facient , eſt deijcient eum proſtratores. Illa por-
ro detractio aut deiectio , effuſionem denotat iuxta illud : *Et ſicut aquæ effluen-* 2. Sam.
tes. Et , *Oculus meus diffudit ſe.* Et ea ſignificatio attribuitur occiſioni propter 14.
ſanguinem occiſi qui gladij ictu effunditur. Quo ſenſu illud dictum eſt : *Et ef-* Thren.
fudiſti filios Iſrael per manus gladij. Accommodatur etiam hoc verbum in ea 3. 48.
ſignificatione , rebus aridis , cùm è loco alto in depreſſum deuoluuntur , ſic ? Ezech.
Et diffundere faciam in vallem, lapides eius. Pars vulpium erunt. Cæteri meo- 35. 5.
rum inimicorum qui me cum Saüle perſequuntur , erunt portio & præda vul- Mich.
pium , quæ ipſorum cadauera deuorabunt , gladio enim trucidabuntur , & eos 1. 6.
vorabunt vulpes & aliæ feræ.

* Hæc ſunt intelligenda de noctis diuiſione apud veteres Iudæos , illi enim dum penes illos ius armorum fuit, noctem in tres partes , ſeu ternas vigilias diuiſerunt, quarum quælibet conſtabat quatuor horis æqualibus. Prima erat ab initio noctis, &c. Et alij primâ, alij ſecdâ, ãalij tertiâ noctis parte in exercitu vigilabant. Romani autem, vetuſtiore Græcorum exemplo, noctem in quatuor partes diuidebant , quarum ſingulæ ternas horas continebant; qui mos iam à Pompeij temporibus à Iudæis fuit receptus ; vnde in nouo Teſtamento quatuor vigiliarum vſus refertur , vt Math. 13. 35. & 14. 25. &c.

Psal. 63. V. 11. *Rex verò lætabitur in Deo.* Hæc Dauid de ſeipſo dicit, ipſi quidem, inquit, mortem mihi machinantur, ne regno potiar, attamen ipſimet peribunt, & is qui dignus eſt regia dignitate lætabitur in Deo. *Laudabitur omnis qui iuratin eo.* Hoc eſt, omnis qui dignus eſt vt iuret per eum: nempe is qui Deum reueretur ac colit: homo autem non ſolet illud, Dei nomen, falsò proferre. Illorum verò os obſtruetur, qui Dei nomen ore ſuo proferunt ad mendacium committendum, os, inquam, eorum obturabitur & obmuteſcent. His verbis perſtringit ipſum Saülem, qui per Deum iurauerat ſe non interfecturum Dauidem, iſtis ſcilicet verbis: *Et iurauit Saul viuit Dominus ſi morietur.* 1. Sam. 19. 6. Nihilominus poſtea multoties eum ad necem eſt inſectatus.

PSALMVS SEXAGESIMVS QVARTVS.

Præcentori, Pſalmus Dauid.

1. AVdi Deus vocem meam in precatione mea: à timore inimici cuſtodi vitam meam.

2. Abſconde me à ſecreto conuentu malignantium à turba fremente operantium iniquitatem.

3. Qui exacuerunt vt gladium linguam ſuam, tetenderunt ſagittam ſuam, rem amaram.

4. Vt ſagittent in occultis integrum: ſubitò ſagittant eum, & non timent.

5. Confirmant ſibi ipſis verbum malum: narrant vt abſcondant laqueos, dicunt, quis videbit eos?

6. Scrutantur iniquitates, perficiunt ſcrutinium ſcrutatum & intimum hominis, & cor profundum.

7. Et ſagittauit eos Deus ſagittâ ſubitò: ſubitò fuerunt plagæ eorum.

8. Et impingere fecerunt in ſemetipſos ipſam linguam ſuam: fugient omnes qui videbunt eos.

9. Et timuerunt omnes homines, & annuntiauerunt opus Dei: & factum eius intellexerunt.

10. Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo: & gloriabuntur omnes recti corde.

COMMENTARIVS.

PRæcentori. Hunc etiam Pſalmum ſcripſit Dauid in ſua fuga.

V. 1. *Audi Deus vocem meam in precatione mea.* Dictio שיחי *ſchihhi* ſignificat

cat enarrationem moleſtiar um in oratione , iuxta illud : *Lamentor in querela*
mea. A timore inimici. Nimirum Saülis, qui vitam ipſi aufferre moliebatur. Psal.
V. 2. *Abſconde me ab arcano malignantium.* Hoc eſt, à conuentu, ſic in 64.
iſtis locis : *Non ſedi in cœtu ludentium.* Et , *Super concilium iuuenum ſimul.*
Congregatio autem appellatur ſecretum eóquòd arcani & conſilij authores & Pſal. 55.
conſortes ſimul in locum vnum conueniant vt ibi vnuſquiſque eorum mentis 4.
arcanum & conſilium aperiat , vt vna ex omnium conſenſu ſententia decerna- Ier. 15.
tur. *A turba fremente*, hoc eſt à multitudine, ſic enim Chaldæus Paraphra- 17.
ſtes iſtam vocem vſurpat dum ſic iſta verba conuertit , & ceſſare faciam elatio- Ier. 6. 11.
nem Ægypti ,& abolebo tumultum Ægyptiorum. Ezech. 30. 10.

V. 4. *Vt ſagittent integrum.* Loquitur de ſeipſo , ſiquidem in innocentia ambulabat nec vlli prorſus eorum quidquam injuriæ intulerat. *Sagittant eum & non timent.* Sagittas in eum repentè eiaculantur. Ac ſi diceret , quemadmodum ex improuiſo vibratur ſagitta in aliquem, à qua ſibi cauere non poteſt, ſic egò non mihi cauebam à meis detractoribus. *Et non timent.* Ipſi maledictis ſuis me proſcindunt in occultis, nec Deum ſe intuentem reuerentur.

V. 5. *Confirmant.* Res malas quas aduerſùm me Saüli falsò referunt , validis rationibus confirmare nituntur , & eaſdem apud ipſum frequentiſſimè repetunt. *Narrant vt abſcondant laqueos.* Quibus ſcilicet me tandem capiant. Iſti porro qui de meo exilio conferunt in occultis locis , ſic apud ſe reputant , quis verò nos intuetur ? nec enim ſeſe à Deo perſpici cogitant , vnde & ipſum minimè reuerentur. Et licet quidam eſſent ex illis qui palam ipſum calumnijs apud Saülem lacerarent , vt Doëg Idumæus & Ziphæi , erant tamen etiam aliqui alij qui aperte de Dauide detrahere non audebant , illud enim ipſum poſſe aliquando reſcire recogitabant cùm ad regnum tandem perueniſſet , ac tum poteſtatem adeptum , ipſis mali ab ijs accepti pœnas illaturum.

V. 6. *Scrutantur iniquitates.* Dictio עולות *ooloth* idem habet ſignificatum , ac ſi haberet ו *vau* expreſſum עוולות *aauoloth.* Affirmat iſtos calumniatores falſóſque malorum delatores eſſe homines fraudulentos , doloſos ac iniquos , & eos in animo ſuo iniqua ac doloſa comminiſci & ſcrutari. *Perficiunt ſcrutinium ſcrutatum.* Vox תמנו *thamnou* eſt pro תממו *thamemou* , litera נ *nun* loco literæ מ *mem* geminandæ , poſitâ ; ſimile quid accidit iſto in loco : *Ad diſperdendum* מעזניה *mauzneha fortitudines eius :* éſtque hoc verbum actiuum & hunc habet ſenſum , Abſoluerunt ſcrutationem exquiſitam. *Et intimum* Eſ. 23.
hominis , & cor profundum conſummant. Perinde ac ſi diceret, quidquid fraudis & doli ſcrutari & excogitare poteſt homo in corde ſuo , & profundi omnes cogitatus qui ab humano ingenio fingi & adinueniri poſſunt, hæc omnia in eorum ſunt technis & fraudibus ; adeout nullus homo plura & profundiora ſuo ingenio poſſit excogitare quàm illi ſuis aſtutijs & varijs cogitationibus comminiſcuntur.

V. 7. *Et ſagittauit eos Deus.* Litera ו *vau* affecta vocali patahh , notat eſſe præteritum , ſed loco futuri temporis. Ita etiam dicendum de eadem litera ו *vau* in verbis ſequentibus , & impingere fecerunt , & timuerunt , & annuntiauerunt , & intellexerunt , quæ omnia ſunt præteriti temporis loco futuri. Sic eos ſagittabit Deus ſagittâ ſubitò , & erunt plagæ eorum ſubitò.

Psal. Dictio enim iſta, ſubitò, ante & poſt ſe ſeruit.
64. V. 8. *Et impingere fecerunt eam.* Poſuit relatiuum hîc ante ſuum ante-
——. cedens, nempe linguam: ſimile fit in iſtis locis: *Et vidit eum infantem. Et*
Exod. *abominata eſt ipſa, vita eius, panem*, & his ſimilia alia occurrunt. Dicit er-
2. 6. go ipſi, linguam ſuam in ſeipſos impingere facient, hoc eſt, mala eorum ver-
Iob. 33 ba quibus me lacerant, aduersùs ipſos conuertentur, iuxta illud: *Et incidit in*
20. Pſal. 7. *foueam quam fecit.* Porro vſurpat vocem רשון *laſchon*, in maſculino genere;
17. quod etiam fit in iſto loco: *Adhæſit lingua mea faucibus meis. Fugient omnes qui videbunt eos.* Nimirùm propter grauiſſimam illorum contritionem & caſum aufugient & formidabunt omnes qui eos intuebuntur, ruinam & excidium in quod inciderunt, & pauefcent ac Deum reuerebuntur.

V. 9. *Et timuerunt.* Tunc omnes homines timebunt Deum, nam videbunt pœnas quibus eos affecit, &: *Annuntiabunt opus Dei, & factum eius intellexerunt*, videbunt enim tunc, ac intelligent Deum dijudicare ac curare res hominum & illorum opera, eos præmijs aut pœnis afficere, contrà quàm ipſi hoſtes mei cogitabant, dum inquirerent, quiſnam videret ipſos.

V. 10. *Lætabitur iuſtus.* Sic appellat ſeipſum, vt antea ſe dixit innocentem, verè etenim in præſenti cauſa iuſtus erat, & immeritò ac fine vlla eius culpa ipſum perſequebantur. *Et ſperabit in eo.* Et maior adhuc erit ſpes ipſius in Deo quum viderit vltionem in hoſtes exercitam. Vel particula iſta, Et, ante verbum, ſperauit, eſt pro quia aut ſicut, hoc ſenſu, nunc cum videat vltionem de hoſtibus ſuis eſſe ſumptam, lætabitur, quemadmodùm anteà primùm ſperauit in Deo; nec enim ſpes eius ipſum pudore affecit nec vana fuit eius fiducia: ſic pariter omnes recti corde gloriabuntur in eo, ſicut & ego in ipſo glorior. Cæterùm in Deras hic Pſalmus de Daniele exponitur, & exiſtimant interpretes Allegorici, Dauidem ſancto illuſtratum Spiritu, ipſum edidiſſe Pſalmum de Daniele, Deum excelſum orante ac dicente, *Audi Deus vocem meam in oratione mea*, &c. Cùm ſcilicet falſis aſperſus calumnijs projectus fuit in lacum leonum, in quem poſtea etiam eius calumniatores fuere conjecti, quod volunt denotari per hæc verba: *Et ſagittauit eos Deus ſagittà ſubitò*, &c. Iſta autem verba: *Et annuntiauerunt opera Dei.* Indicare illam Regis ſententiam, Tunc Darius Rex ſcripſit omnibus populis & linguis, &c. Et ſenſus quidem totius Pſalmi aptè Danieli accommodari poteſt.

PSALMVS SEXAGESIMVS QVINTVS.

Præcentori, Pſalmus Dauidis, Canticum.

1. TE expectat laus, Deus, in Sion: & tibi reddetur votum.
2. O exaudiens orationem: ad te omnis caro veniet.
3. Verba iniquitatum præualuerunt ſuper me: noſtris præuaricationibus tu propitiaberis.

4. Beatus, *quem*, elegeris, & appropinquare feceris, *tibi*, qui PSAL.
habitabit in atrijs tuis: ſaturabimur bono domus tuæ, ſancti- 65.
ate templi tui.

5. *Per*, mirabilia, *tua*, in iuſtitia exaudi nos Deus ſalutis noſtræ, ſpes omnium finium terræ: & eorum qui in remotiſſimo mari degunt.

6. Stabiliens montes in virtute ſua: accinctus potentiâ.

7. Compeſcens ſonitum marium, ſonitum fluctuum eorum, & multitudinem populorum.

8. Et timebunt qui habitant extrema terræ ob ſigna tua: exitus matutini & veſperæ cantare facies.

9. Viſitaſti terram, & deſiderare feceras eam, multùm ditaſti eam: riuus Dei plenus eſt aquis, præparas frumentum illorum, quoniam ſic præparas eam,

10. Sulcos eius inebria, æqua liras eius: ſtillis liquefac illam; germini eius benedic.

11. Coronas annum benignitatis tuæ: veſtigia tua ſtillant pinguedinem.

12. Stillant tuguria deſerti: & exultatione colles accinguntur.

13. Induuntur planities gregibus, & valles operiuntur frumento: iubilabunt atque etiam canent.

COMMENTARIVS.

P*Racentori.* Pſalmus de captiuitate Iſraëlitarum eſt editus.
V.1. *Te expectat.* Vox דומיה *dumia* expectationem ſignificat vt in iſtis locis:
Expectauimus miſericordiam tuam דמינו *daminou* à themate דמה *dama.* Et à Pſal.48.
radice דמם *damam*: *Expectate donec vos attingamus.* Et; *Certé Deum ex-* 10.
pecta anima mea. Senſus eſt, te expectat laudatio, quæ in tuum honorem in 1. Sam.
Sione decantabitur à captiuis in patriam reſtitutis. *Et tibi reddetur votum.* Ea 14. 9.
nempe ſacrificia quæ Iſraëlitæ captiui vouerunt ſi Deus ipſos Sioni reſtitueret aliquando, ibi perſoluent tibi in templo. Dictio נדר *neder* ſcribitur cum duplici ſegol etiam in fine verſus, quia ea vocalis non mutatur.

V. 2. *Exaudiens orationem.* Et ibi eris exaudiens orationem, nam in gra-
tiam exulum oratio mea abſolutè effunditur. Et ibi: *Ad te omnis caro veniet.* Eſa. 65.
Quod eodem ſenſu dictum eſt ac illud: *Veniet omnis caro ad adorandum coram* 23.
me. Dominus pater meus P. M. voces iſtas לך דומיה *leca doumia*, exponit ſe-
cundum ſignificationem iſtarum: *Non fuit ſimilis ei in pulchritudine eius.* Ac Ezech.
ſi diceret, Te ſolum decet, & tibi ſoli conuenit laus quâ à laudantibus te præ- 31. 8.
dicaris, longè enim amplior in te eſt laudum materia, quam ſuis præconijs poſſint æquare. Cùm verò laudatur homo propter robur ſuum aut propter

opes, aut propter ſapientiam, non eſt perfecta laudationis cauſa in ipſo, quia
Psal. 63. non ſolet homo laudibus affici, ſine mendacio. Sunt qui vocem דומיה *doumia*
ſilentium interpretentur, iuxta illud: *Deus ne ſit ſilentium tibi.* Ac ſi diceret,
Tibi tacita ſilet laus ratione operum tuorum fortium, eóquòd laus te non poſſit
Pſal. 83. 2. attingere. Quod certè idem eſt ac ſi muta eſſet aut omnino non fieret. Dicit
autem, in Sion, quia multiplices laudum ſpecies eo in loco decantabantur,
nempe canticis, iubilationibus, pſalterijs & citharis. Iſta etiam verba: *Tibi
reddetur votum.* Hunc habent ſenſum, quoniam ſuis laudibus tua merita di-
gnè exæquare nequeunt, tibi ſua vota perſoluent oblatis ſacrificijs, vt laudan-
tium tenuitatem aliquatenus compenſent. In Deras, hæc per modum admi-
rationis eſſe dicta cenſentur, Dixit Dauid, Et tibi, eſt, ſilentium laus! tu po-
tens es ad iudicandum: Omnes tibi laudes decantant, & tu ſiles, ſiluiſti enim
in Sion, quia ſcriptum eſt: *Vocem dederunt in domo Domini.* Quæ eſt autem
Thren. 2. 7. iſta vox, quam dederunt in domo Domini? nempe dixerunt, Manus noſtra
excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia: & addiderunt, vbi eſt Deus eo-
Deut. 32. rum, robur illorum, in quo habuerunt fiduciam? Iſti dederunt has voces, &
tu interim ſiles! Tu ſiles, ego quoque tacebo, ſcriptum quippe eſt, Sile Do-
mino & expecta eum. *Exaudis orationem.* Orationes omnis carnis tu exau-
Pſal. 37. 6. dis, at verò noſtras non exaudis. *Et tibi reddetur votum.* Rex carne & ſan-
guine conſtans poſtulationes duorum aut trium audire valet, at omnium ho-
minum non valet, tu verò omnium omnino orationes, quaſi vnius, intelligis:
& vnuſquiſque, ſibi neceſſaria à te poſtulat, & tu quidem orationibus inten-
dis, noſtras autem audire dedignaris; etiam cùm ſpecialem meam orationem
Tren. 3. 44. de reditu exulum cum clamore & vociferatione effundo. Oppoſuiſti nubem
tibi, ne tranſiret oratio. Reſpondit illis Deus ſanctus & benedictus, vos igno-
rantias aut ſuperbias deprecamini, ipſi coram illo dixerunt, nos non pro igno-
rantijs aut ſuperbijs aut pro abſconditis cordium criminibus deprecamur, ſed
tantùm quia verba iniquitatum præualuerunt ſuper me, præuaricationibus no-
ſtris tu propitieris.

V. 3. *Verba iniquitatum preualuerunt ſuper me.* Hîc quidem ſingulari nu-
mero vtitur, at mox plurali dicens præuaricationibus noſtris tu propitiaberis,
nam de exulibus loquens pluralem vſurpat numerum. Iniquitates quæ præua-
luerunt nobis, & præuaricationes noſtras tu ſimiliter expiabis, ipſæ ſiquidem
nos in exilio diutius retinent, téque obſecramus vt nobis eas condones: quo-
Pſal. 130. niam nemo illud præſtare, præter te valet, ſicut alibi dicitur: *Quia apud te
propitiatio eſt*, idcirco ita loquitur, Tu propitiaberis.

V. 4. *Beatus.* Beatus ille quem tu appropinquare tibi facis, nam: *Habita-
bit in atriis tuis.* Et non in atrio tantùm, ſed etiam in altitudine ſancti tui
templi. Beatus quem elegeris & tibi appropinquare feceris: hoc eſt, Beatus
qui ad illud tempus perueniet liberationis, eius generationis quam tu eliges, &
ad te accedere facies vt eam ab exilio educas, & dignam efficias quæ inhabi-
tet in atrijs tuis. *Saturabimur bono domus tuæ.* Hoc dicit in perſona eorum
qui temporibus liberationis ſunt futuri, Saturabimur bono domus tuæ, hoc eſt,
gloriâ quæ reſidet illo in loco, nempe in ſancto templo tuo; ac ſi diceret, in
loco totius templi ſanctiſſimo, Erat autem adytum, vbi repoſita erat Arca
cum gloria.

V. 5. *Terribilibus in iuſtitia tua exaudies nos.* Per iuſtitiam tuam exaudies per terribilia & mira quæ nobiſcum facies, quia tu es Deus ſalutis noſtræ. Illa verò opera, terribilia appellat quæ miro modo fiunt, & naturæ vires & ordinem tranſcendunt, & propter quorum exhibitionem Deus timendus eſt & terribilis apud homines. *Spes omnium finium terræ.* Tu es ſpes omnium Iſraëlitarum, diſperſorum ad extremos vſque terminos terræ, & ad fines maris à Ieroſolymis remotiſſimos. Hi certè confidunt te ipſos Ieroſolyma tandem reuocaturum. Dictio קצוי *catſue* finium ſemel poſita, eſt pro duabus, ac ſi diceret, finium terræ, & finium maris. Et per fines maris eius inſulas denotat; ſicut & in iſto loco: *Et ab Aquilone & mari*, hoc eſt, Ab inſulis maris: iam enim de Pſal.
occidente mentionem fecerat. 106. 3.

V. 6. *Stabiliens montes in virtute ſua.* Si dixerint Gentes an credere par eſt Deum educturum Iſraëlitas ab exilio, qui ſunt populus attritus & abjectus, hinc inde inter alios omnes populos diſperſus ac diuiſus? quiſnam ipſos inde poteſt educere? Quemadmodum dicit Scriptura, id nempe Gentes eſſe dicturas: *Nunquid auferetur à potente præda?* &c. Ita ſimiliter Deus Sanctus & Eſa. 49.
benedictus dicit; equidem & captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit 24.
à robuſto ſaluabitur, nam aduersùs contendentes tecum, ego contendam. Ego autem illis ſum longè potentior. Eodem modo dicitur hîc, ſtabiliens montes, is qui facit res tam arduas ac mirabiles, poterit nos educere ex medio nationum. Præ cæteris autem Dei operibus montes nominauit, quia montes excelſi, eximia Diuinæ potentiæ ſunt indicia; quapropter cùm Dei nomine ſolet eos Dauid conjungere vt, cùm dicitur: *Sicut montes Dei*, in illis enim
mirè potentia Dei apparet. *Accinctus potentiâ.* Nam ipſe eſt omni tempore Pſal. 36.
robore accinctus, nec enim ſuam habet potentiam ab altero emendicatam ad 6.
illud ſolum tempus quo illa opus habebit, ſed quoties ei libuerit, aperta ſuæ potentiæ dat ſigna, quia fortitudine eſt accinctus.

V. 7. *Compeſcens ſonitum marium.* Per ſonitum maris fremitum fluctuum eius intelligit, quos ipſe Deus compeſcit, hoc eſt, ſedatos ac tranquillos efficit. Quo etiam ſenſu dicitur illud: *Motum autem fluctuum eius, tu mitigas.* Pſal. 89.
Et ſtrepitum populorum, Quemadmodum ipſe compeſcere poteſt fremitum 10.
maris, ſic pariter comprimere valet ſtrepitum & tumultum populorum, & Iſraëlitas ex medio illorum educere. Porro litera ו *vau* ante dictionem, Strepitum, habet vim ſimilitudinis, hoc ſenſu, vt poteſt hoc, ita & illud ſimiliter poteſt. Tale eſt illud: *Aqua frigida animæ ſitienti, & nuntius bonus è ter-* Prou.
ra longinqua. Item, *Super Iſrael magnificentia eius, & robur eius in* 25. 25.
nubibus. Pſal.

V. 8. *Et timebunt, qui habitant extrema, ob ſigna tua.* Loquitur de miran- 68. 35.
dis ſupremi Creatoris ſignis quæ quotidiè apparent, adeout propter illa, homines ipſum reuereantur, quia nempe aduertere poſſunt ea ſine moderatore fieri non poſſe, qui ipſa diu noctúque diſponat. Hæc porro ſigna ſunt exitus matutini & veſperæ, ortus quidem lunæ & ſtellarum, nocte, ſolis autem interdiu. Et per hos ortus, exultatione & lætitiâ humanos animos afficis. Vel ſenſus eſt, ipſos veſperæ & matutini exitus, cantare facis. Ipſa enim ſigna ſeu ſydera in ortu ſuo cantare videntur, iuxta illud? *Cum me laudarent ſimul aſtra* Iob. 38.
7.

PSAL. *matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Tu verò ea ad canendum inducis, nam
65. tuo nutu & potentiâ exoriuntur. Cæterùm dicit, Extrema terræ habitant,
——. quia in omni loco iſta ſigna apparent, in omnibus terræ terminis non eſt locus
Pſal. vllus ab illis abſconditus, ſicut dicitur: *In omnem terram exiuit linea eorum, &*
19. 4. *in fines orbis terræ verba eorum.* Et additur: *Et circuitus eius,* ſolis, *iuxta extrema eorum, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* At ſecundùm ſententiam meam duobus his verſibus loquitur de Iſraëlitis; & horum quidem verborum, Compeſcens ſonitum marium, ſenſus erit, Is qui fremitum maris ſedare potuit coram filijs Iſraël dum ex Ægypto egrederentur, qui diſſecuit illis mare & eos per eius medium traduxit, ipſe compeſcet ſtrepitum populorum ac illorum tumultum comprimet, & Iſraëlitas educet ex medio eorum. Quod verò additur: *Et timebunt,* ſenſus eius eſt, ſicut olim timuerunt incolæ finium terræ propter mira opera quæ tum in eorum gratiam feciſti, vt ſciſſionem maris rubri, & alia
Exod. ſigna ſicut dicitur: *Audiuerunt populi & timuerunt dolor apprehendit eos:*
15. 14. Sic iterum timebunt te, propter reuocationem Iſraëlitarum exulum & propter ſigna tua; vt enim feciſti tunc vt cor eorum exultaret ob exitum matutini & veſperæ, hoc eſt, quando præmiſiſti ante eos columnam nubis interdiu, & columnam ignis noctu; ita etiam facturus es cum eis dum captiuos & exules patriæ reſtitues.

V. 9. *Viſitaſti terram.* Pluuiæ etiam mentionem facit, eſt enim vnum ex maximis Dei miraculis, vt apud Iob ediſſerit Eliud, *Quis eſt,* inquit, *pluuiæ pater,* vel, *quis genuit ſtillas roris?* Et quia Deus eâ aliquando vſus eſt ad puniendos rebelles populos. Dicit autem, viſitaſti terram & deſiderare feciſti eam, & particula ו *vau* ante תשורקה *teſchoquequeha*, habet hoc ſignificatum quaſi cum dicitur, hoc iam factum eſt, vel poſt quam hoc fuit; ſicut in
Eſa. 64. iſto loco: *Ecce tu iratus es, & peccauimus,* hoc eſt, & iam peccauimus, vel,
5. & poſtquam peccauimus tu iratus es. Sic etiam illud: *Et vermes emiſit & pu-*
Exod. *truerat,* hoc eſt, poſtquam putruerat, & his ſimilia. Ita hoc loco ſenſus eſt,
16. 20. Et deſiderare feciſti eam: iam deſiderauerat, ac ſi diceret, poſtquam deſiderauit viſitaſti eam immiſsâ pluuiâ. Et ſimilem habet ſenſum iſta vox in illo loco, *Et*
Gen. 3. 16. *ad virum tuum erit appetitus tuus,* vbi denotatur deſiderium. Senſus eſt, decreuiſti aduersùs eam pluuiarum prohibitionem, donec eas ardentiſſimè deſideraret, & poſtea ex tua miſericordia tu illam viſitas. Sic nos in exilio conſtituti ſimiles ſumus terræ admodùm ſiccitate laboranti; & ſalutis ac liberationis pluuiam expectamus. *Multùm ditaſti eam.* Dictio תעשרנה *taaſcherna* eundem habet ſenſum, ac ſi ſcriberetur תעשרינה *taaſchereïna:* ita etiam ſcribitur ירבקו *saduequou* pro ירביקו *iaduciquou*; ſenſus eſt, ad copiam locupletabis eam
1. Sam. per immiſſos imbres. *Riuus Dei, plenus eſt aquis.* Et poſtquam aquis terram
11. ſatiaueris, magni fluuij præ copia pluuiarum, reſtabunt aquis pleni ad potum hominibus & iumentis præbendum. Vox Dei, eſt additum epithetum, ad miram rei magnitudinem declarandam, ipſe ſiquidem eſt rerum magnarum &
Ion. 3. mirabilium author. Sic, *Vrbs magna Deo.* Et, *Sicut montes Dei.* Et ſimi-
Pſal. 37. lia. *Preparas frumentum illorum.* Poſtquam abundè terram aquis irrigaſti & ipſa germinauit, tum commodis ventorum flatibus eam diſponis vt proſperè germina ad maturitatem accreſcant, ac ſi diceret, ipſas à rubigine & vredine

præſeruas. *Quoniam ſic præparas eam*, hac eſt, quia hac ratione terram feren- PSAL.
dis cibis aptam efficis: nam ſi terram quidem pluuiæ copiâ perfunderes & ipſa 65.
fruges produceret, at poſtmodum rubigine aut vredine infeſtaretur, quid hominibus prodeſſet hæc pluuia?

V. 10. *Sulcos eius inebria.* Iterum commoda pluuiæ recenſet, pluuiâ, inquit, ſulcos terræ inebrias; ſúntque ſulci, eminentiæ illæ, ſeu tumuli, qui inter arandum relicti prominent. *Deſcendere fac in liras eius.* Nempe imbrem copioſum. Sunt autem liræ, valliculæ inter ſulcos, foſſulæ illæ quæ aratione fiunt. *Stillis liquefac eam.* Magnâ pluuiæ copiâ terram reſoluis ac humidam reddis, quæ antea erat arida. *Germini eius benedicis.* Ac deinde benedicis geniminibus eius, & fruges tandem proſperè tuâ benedictione proueniunt.

V. 11. *Coronas annum benignitatis tuæ.* Annum illum, quem abundè pluuijs ſatiaſti, qui eſt annus benignitatis tuæ, omni bonorum genere coronaſti ſeu cumulaſti; hoc dictum eſt vt illud: *Sicut clypeo bonâ voluntate tuâ coronas eum.* Pſal. 5.
Semitæ tuæ ſtillant pinguedinem. Nubes ſunt ſemitæ Dei exaltandi, quæ etiam 13.
alibi appellantur equi Dei, vt cùm dicitur: *Viam feciſti in mari*, ſuper, *equos* Habac.
tuos. Et, *Quum aſcendiſti ſuper equos tuos & quadrigas tuas ad ſalutem* Nu- 3. 15.
bes verò ſtillant pluuiam quæ terris affert pinguedinem & feracitatem.

V. 12. *Stillant tuguria deſerti.* Quemadmodum nubes irrorant terras cultas, ita etiam ſtillant ſuper tuguria deſerti, nempe propter bruta animalia vt ibi paſcua & potum ſibi reperiant. *Et exultatione colles accingentur.* Hoc figuratè dictum eſt, cùm ſcilicet colles multo fructuum ac frugum prouentu abundant, quaſi lætitiam induiſſe videantur, cum è contra ſaccis ſe ſe accinxiſſe videantur, quando è cœlis prohibentur pluuiæ.

V. 13. *Induunt ſe planities.* Dictio כרים *carim* idem hîc ſignificat quod iſto
loco: *Depaſcent pecora tua in die illa paſcuum latum*, hoc eſt, planitiem. Val- Iſa. 30.
les autem & planities memorat, quia prius nominauerat colles; dicitque paſ- 24.
cua plana repletum iri gregibus, vt quaſi ipſis præ copia, obuolui, & indui videantur, ac ſi diceret, innumeros omnium greges in planis paſcuis paſcere ac totam illorum ſuperficiem operire. Hoc autem fit præ nimia ſegetum abundantia, nimirum vt greges in agros immittantur ad depaſcendas fruges nimiùm
exereſcentes, iuxta illud: *Qui immittitis pedem boui & aſini*, in ſegetes luxu- Iſa. 32.
riantes vt eas depaſcantur. *Valles operiuntur frumento.* Ita pariter valles indu- 20.
tæ quaſi erunt & opertæ & velut obrutæ præ ſegetum copia. Meminit vallium licèt priùs mentionem fecerit collium, ſi enim colles frugum copiâ abundant, multò magis ipſæ valles quas ideò nominaſſe videtur, vt indicet pluuiam ipſis minimè nocuiſſe. *Iubilabunt atque etiam canent.* Spicæ etenim cùm plenæ ſunt & eas ventus perflat, ſonum edunt & quaſi clamare & canere videntur. Aut eſt me-
taphorica loquutio, vt in iſto loco: *Montes & colles cantabunt coram vobis lau-* Iſa. 55.
dem & omnes arbores agri plaudent manu. Sunt qui ita exponant, clamant, 12.
etiam canunt omnes homines vnà cum iumentis ac feris.

PSAL. 66.

PSALMVS SEXAGESIMVS SEXTVS.

Præcentori, canticum Pſalmi.

1.2 IVbilate Deo omnis terra. Pſallite gloriam nominis eius: ponite gloriam laudis eius. Dicite Deo.

3. Quàm terribilis es, *propter*, opera tua in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

4. Omnis terra adoret te & pſallat tibi: pſallat nomini tuo.

5. Venite & videte opera Dei, terribilis opere ſuper filios hominum.

6. Conuertit mare in aridam, in fiumine pertranſierunt pede: ibi lætabamur in ipſo.

7. Dominatur in virtute ſua in æternum, oculi eius in Gentes reſpiciunt: rebelles non exaltentur in ſeipſis.

8. Benedicite populi Deum noſtrum: & auditam facite vocem laudis eius.

9. Qui poſuit animam noſtram ad vitam: & non dedit ad commotionem pedes noſtros.

10. Quoniam probaſti nos Deus: conflaſti nos vt conflatur argentum.

11. Induxiſti nos in laqueum: poſuiſti anguſtiam in lumbis noſtris.

12. Equitare feciſti homines ſuper capita noſtra, ingreſſi ſumus in ignem & aquam, & eduxiſti nos in irriguum.

13. Introibo domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea.

14. Quæ diſtinxerunt labia mea: & loquutum eſt os meum in tribulatione mea.

15. Holocauſta pinguium offeram tibi cum incenſo arietum: faciam boues cum hircis.

16. Venite, audite & narrabo, omnes qui timetis Deum quod fecit animæ meæ.

17. Ad ipſum ore meo clamaui: & exaltatus eſt ſub lingua mea.

18. Iniquitatem ſi vidi in corde meo : non exaudiet Dominus. Pſal.
19. Certè exaudiuit Deus, attendit voci deprecationis meæ. 66.
20. Benedictus Deus : qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.

COMMENTARIVS.

V. 1. PRæcentori, Pſalmus cantici. *Iubilate Deo omnis terra.* Hic Pſalmus eſt editus de collectione & reditu exulum Iſraëlitarum qui tunc ita ſunt dicturi, Iubilate Deo omnis terra, cùm vobis innotuerint miranda opera quæ fecit Deus cum Iſraëlitis.

V. 2. *Pſallite gloriam nominis eius.* Pſalmis & laudationibus veſtris hoc prædicate, nomen eius in veſtra redemptione fuiſſe glorificatum. Toto enim veſtri exilij tempore, nomen eius comtemptui, abominationi & deſpicatui fuit in ore Gentium quæ in Iſraëlitas dominium exercebant, eiſque objectabant vbi eſt Deus veſter, ſurgat & opituletur vobis?

V. 3. *Dicite Deo, quàm terribilis es propter opera tua!* Quippe qui gentem infirmam eduxeris ex Gentibus magnis & fortibus, tu verò illis omnibus longè potentior, adeout propter tuam fortitudinem, mentiantur tibi inimici tui & præ timore dicant, nihil mali intulimus Iſraëlitis.

V. 4. *Omnis terra adoret te.* Quemadmodum ſcriptum eſt, quia vertam ad Soph. 3.
populos labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, vt ſeruiant 9.
ei humero vno.

V. 5. *Venite & videte.* Hæc inuicem ſunt dicturi. Terribilis eſt, in operibus ſuis erga filios hominum, itaut in ipſis efficere valeat quiquid ipſi libuerit, donec reuereantur eum.

V. 6. *Conuertit mare.* Illud vnum eſt ex admirandis eius operibus quòd mare, rubrum, in aridam conuerterit cùm populum ſuum eduxit ex ſeruitute Ægyptiaca. *In flumine pertranſierunt pede*, Iordane ſcilicet. *Ibi*, ſimiliter, *aliquando lætabimur in ipſo*, nempe quando nos ex hoc exilio reuocabit. Poteſt etiam illud, In flumine pertranſierunt, referri ad tempus futurum, iuxta illud,
Et leuabit, Deus, manum ſuam ſuprà flumen in fortitudine ſpiritus ſui, & Iſa. 11.
percutiet eum in ſeptem riuis, & tranſire faciet per eum calceatos. Et erit ſe- 15.
mita reſiduo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyrijs, ſicut fuit Iſraëli in die illa qua aſcendit è terra Ægypti.

V. 7. *Dominatur in virtute ſua.* Eâ poteſtate quam oſtendit in educendis Iſraëlitis ex aliarum Gentium terris, dominabitur in perpetuum ſuper omnes populos, hoc eſt, agnoſcent omnes ipſi dominium eius & regnum ipſius, ſicut ſcriptum eſt, Et erit Dominus Rex, ſuper omnem terram, &c. *Oculi eius in Gentes reſpiciunt.* Tunc oculi eius obſeruabunt Gentes, vt illarum opera conſideret; ac illis ſecundùm opera ipſarum rependat. Nam ad hoc vſque tempus iram ſuam aduersùs improbos diſtulit, at ab hoc tempore & deinceps illam non
vltra continebit, ſed vnicuique retribuet iuxta ipſius opera, vt ſcriptum eſt: Mal. 3.
Et conuertimini & videbitis quid ſit diſcriminis inter iuſtum & impium, & in-

Psal. *inter ſeruientem Deo & non ſeruientem ei.* Eos etiam qui rebelles fuerunt, ipſe
66. deprimet, & in æternum non ſe efferent, ſicut hoc tempore ſe inſolenter extollunt.

V. 8. *Benedicite populi.* Et tunc Iſraëlitæ alijs populis ſunt dicturi, Benedicite Deum noſtrum, ipſi enim videtis miranda opera quæ nobiſcum effecit, quia nos in tam longo, inter Gentes alias exilio, non penitus abſumpſit.

V. 9. *Qui poſuit animam noſtram in vitam.* Qui nos in tot exilij miſerijs ſeruauit incolumes. *Et non dedit in dimotionem pedes noſtros.*

V. 10. *Quoniam probaſti nos Deus.* Hoc ſunt dicturi populi, qui ex Iſraëlitis ſupererunt poſt ipſorum per exilij miſerias probationem iuxta illud: *Adducámque tertiam partem per ignem, & conflabo eos, ſicut conflatur argentum,* &c.
Zach. 13.9.

V. 11. *Induxiſti nos in laqueum.* Itaut fuerimus eò redacti vt qui in reti captus detinetur, ex quo nullâ ratione euadere poteſt niſi fiat aliquod miraculum. *Poſuiſti anguſtiam.* Hoc eſt, malum quod ita noſtros lumbos arctauit vt præ illius moleſtia ſtare non valuerimus, aut illud à nobis excutere. Eſt autem vox מועקה *mouaaca* nomen adjectiuum ex ordine verborum quieſcentium in ſecunda thematis, & reperiuntur aliæ ſimilis formæ ſine litera ה *he* nota fœm. gen. vt מוּעָף *mouaaph* מוצק *moutſac.*

V. 12. *Equitare feciſti hominem.* Antequam demigraremus è patria noſtra, nullius hominis imperio eramus ſubjecti, ſed tuo ſolum dominio parebamus, at modò equitare feciſti & dominari ſuper capita noſtra externas mundi nationes, iuxta illud: *Dominati ſunt nobis Domini præter te.* Illud porrò, equitare feciſti [illegible] *excelſa terræ.*
Iſa. 26. 13.
Ibid. 12. *Ingreſſi* [illegible] igni & aquis comparari: ignis quidem vrit & abſumit, aquæ etiam abſorbent & ſuffocant, & in vtrumque deuenimus in hoc exilio noſtro, nec tamen prorſus abſumpti ſumus, imò: *Eduxiſti nos in irriguum.* Ex captiuitatum miſerijs erutos, induxiſti nos in terram irriguam in qua bonis omnibus cumulati & pingues eſſemus. Litera ל *lamed* præpoſita voci רויה *reuaia* afficitur vocali cametſ, quæ denotat ה *he* emphaticum, ac ſi diceretur, ad terram notam deſignandam, nempe terram Iſraëliticam, quæ eſt regio Dei benedictionibus & bonis omnibus cumulata.

V. 13. *Introibo in domum tuam.* Loquitur in ſingulari numero in perſona omnium captiuorum collectiue, quos dicit tunc eſſe decreturos vt veniant in templum cum holocauſtis ad vota ſua perſoluenda, ſicut vouerunt in captiuitate poſtquam ſe facturos poſtquam à Deo exaltando ex calamitatibus exilij fuiſſent educti.

V. 14. *Quæ aperuerunt labia mea.* Dum enim eos hoſtis in exilio grauibus anguſtijs premeret, vota nuncupabant ſi ipſos Deus extollendus aliquando è captiuitatis miſerijs liberaſſet.

V. 15. *Holocauſta medullatorum.* Vox מחים *mehhim* eſt nomen adjectiuum formatum à ſubſtantiuo מח *moahh* medulla, ac ſenſus eſt, agnorum medulla ac pinguedine præditorum. *Cum ſuffitu arietum*, hoc eſt, cum ſuffitu
Gen. 18. 7. adipum arietum faciam ſeu ſacrificabo; quo ſenſu illud dicitur. *Et feſtinauit vt faceret.*

V. 16. *Venite, audite.* Vnuſquiſque Dei cultorum ſocio ſuo dicet ſic, veni- Psal.
te, audite, eſt autem vox illa, venite, adhortationis nota vt in iſto loco: *Ve-* 66.
nite, & cogitemus. Dicit igitur quilibet eorum qui Deum timent, Audite &
enarrabo quæ fecerit Deus animæ meæ. Ier. 18.

V. 17. *Ad ipſum ore meo clamaui.* Ore quidem meo ad ipſum clamaui & in- 18.
terim ſub lingua mea exaltatur, hoc eſt, illum exaltaui linguâ mea; & vox רומם *roumam* eſt paſſiuæ conjugationis, ex verbis habentibus ſecundam radicalem otiantem. Et illud ſub lingua mea, idem ſignificat ac, in, ſeu cum lingua mea. Sic etiam illud dicitur: *Sub lingua eius labor & iniquitas.* Et quia Pſal. 10.
pronuntiatio fit ſupra & infra linguam, nam quatuor literæ palato efforman- 7.
tur, vnde & literæ palati appellantur, idcirco loquutio etiam attribuitur ſuperiori parti linguæ, vt hoc loco, ſuper linguam meam, & inferiori, vt ſupra, ſub lingua eius labor, &c. Cæterùm illud, ſub lingua mea, cor ipſum deſignat, quod ſub lingua ſitum eſt: hoc eſt, cogitatio & mens hominis, abſcondita eſt ab eo quod in lingua apparet. Et iuxta hanc interpretationem vox רומם *romam* actiua erit ex verbis duplicantibus & quaſi conjugationis quadratæ, ac dicet Pſaltes ſe Deum ore ſuo inuocare & eum pariter animo ſuo exaltare.

V. 18. *Iniquitatem ſi aſpexi.* Hoc eſt, etiamſi viderim iniquitatem in animo meo, quam patrare deſignarem, & licèt coram Deo hoc perinde ſit quaſi illam labijs meis protuliſſem, non audiet illam, ac ſi diceret, non mihi imputabit ad peccatum; Deus enim ſanctus & benedictus prauam * cogitationem non habet vice facti, niſi concepta fuerit in Dei fidem ſeu religionem.

V. 19. *Certè exaudiuit.* Sed profectò exaudiuit Deus & attendit voci orationis meæ.

V. 20. *Benedictus Deus qui non amouit orationem meam.* Non repulit eam, ſed vt gratam ſibi accepit, nec amouit à me miſericordiam ſuam.

* Ita ſenſerunt Iudæorum Magiſtri qui Chriſti tempore & paulo ante & poſt eum fuere, qui ideò quòd nulla pœna cogitationi interuertendæ rei alienæ appoſita eſt cum his verbis legis: *Non concupiſces*, &c. magis pro ſententia quadam morali, quàm pro diuino præcepto, hoc ipſum habuerunt: itaque negant plerique eorum peccari ſolâ voluntate, niſi vbi de falſo Deorum cultu agitur, quia tali conſilio ac propoſito pœna dicta eſt. Sic Ioſephus de Antiochi cogitatio ſacrilegio agens, non erat, inquit, pœnæ obnoxium conſilium ſine effectu. Sed quomodo hac in parte plus viderint plures Philoſophi, videſis Grotium in explicatione Decalogi.

PSALMVS SEXAGESIMVS SEPTIMVS.

Præcentori, in Neghinnoth, Pſalmus cantici.

1. DEus miſereatur noſtri & benedicat nobis: lucere faciat vultum ſuum nobiſcum.

PSAL. 67. 2. Vt cognoſcatur in terra via tua: in omnibus Gentibus ſalus tua.

3. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

4. Lætentur & exultent Gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis.

5. Confiteantur tibi populi Deus: confiteanrur tibi populi omnes.

6. Terra dedit fructum ſuum: benedicat nos Deus, Deus noſter.

7. Benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

COMMENTARIVS.

PRæcentori Hic quoque Pſalmus eſt editus de congregatione & reditu captiuorum Iſraëlitarum in vrbem Ieroſolymitanam.

V. 1. *Deus miſereatur noſtri.* Suam nobis det gratiam & nobis benedicat, poſtquam ſcilicet nos è captiuitate redemit, nouis quotidie nos beneficijs cumulet. Eſt enim benedictio, bonorum additio. *Lucere faciat vultum ſuum*, vt proſperum ac felicem det ſucceſſum omnibus noſtris operibus.

V. 2. *Vt cognoſcatur.* Tunc in omni terra cognoſcentur viæ Dei exaltandi ſicut ſcriptum eſt, quia plena erit terra ſcientiâ Domini, quando cognoſcetur in omnibus Gentibus ſalus tua.

V. 3. *Confiteantur tibi populi.* Et tunc prædicabunt te populi.

V. 4. *Lætentur, quoniam iudicas populos.* Illos nempe populos qui cum Gog & Magog venient, in æquitate iudicabis, & tunc cæteri populi lætabuntur. *Et Nationes in terra dirigis.* Eas Gentes, quas in terram Iſraël deduces vt illas ibi iudices, iuxta illud, Et adducam te ad montes Iſraël.

V. 5. *Confiteantur tibi.* Atque tunc cùm iudicaueris iſtos populos qui cum Gog & Magog ſunt venturi, alij te populi laudibus proſequentur, ac tibi eſſe ſummum robur & potentiam prædicabunt, téque eſſe ſupremum omnium Dominum profitebuntur omnes. Etiam illi qui ex caſtris Gog euadent viui, de illis quippe ſcriptum eſt, Et ponam ſignum in eis.

V. 6. *Terra dedit fructum ſuum.* Et tunc terra dabit fructum ſuum, nam antea propter hominum ſcelera, cœli erant clauſi, & pluuiæ in terram non immittebantur, & ipſa terra fructum ſuum dare non poterat. At verò poſt redemptionem omnes improbi conſumentur, & qui ſupererunt cæteri ſine vlla iniquitate erunt, quapropter terra fructus ſuos dabit omni tempore.

V. 7. *Benedicat nos.* Tunc temporis, cum viderint omnes Gentes Deum eſſe nobiſcum, quia certam in ipſo fiduciam habuimus, ipſum reuerebuntur omnes fines terræ.

PSALMVS SEXAGESIMVS OCTAVVS.

PSAL. 68.

Præcentori, Dauidis Pſalmus cantici.

1. EXurgat Deus & diſpergantur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum, à facie eius.

2. Sicut propellitur fumus, propellas eos: ſicut liqueſcit cera à facie ignis, pereant improbi à facie Dei.

3. Et iuſti lætentur & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia.

4. Cantate Deo, pſallite nomini eius, exaltate eum qui equitat ſuper cœlos, in Iah nomine ſuo: & exultate in conſpectu eius.

5. Pater, *eſt*, orphanorum, & iudex viduarum: Deus in habitaculo ſanctitatis ſuæ.

6. Deus eſt qui habitare facit vnicos in domo, qui educit vinctos in compedibus: at rebelles inhabitant ariditatem.

7. Deus cum egredereris ante populum tuum: cùm pertranſires in deſerto.

8. Terra mota eſt, etiam cœli diſtillauerunt à facie Dei: ille Sinai à facie Dei, Dei Iſraël.

9. Pluuiam liberaliſſimam demittis Deus ſuper hereditatem tuam, & defeſſa eſt: tu verò confirmas eam.

10. Cœtus tuorum habitant in ea: paras in bonitate tua pauperi Deus.

11. Dominus dabit verbum: euangelizantium exercitus multus.

12. Reges exercituum fugient fugient: & habitatrix domus diuidet ſpolia.

13. Si iaceatis inter chytropodes: eritis ſicut pennæ columbæ tectæ argento, & alæ eius ſubviridi auro.

14. Dum proſternet Omnipotens Reges in ea, niueſcet in obſcuritate.

15. Mons Dei, mons Baſan, mons colliculorum, mons Baſan.

16. Vt quid exilietis montes colliculorum? mons hic eſt in quo

PSAL. 68. beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etiam Dominus habitabit, *illum*, in finem.

17. Currus Dei, duæ myriades, millia Angelorum: Dominus cum eis, ſicut in Sinai, *ſic*, in ſanctuario.

18. Aſcendiſti in altum, captiuam duxiſti captiuitatem, accepiſti dona ab hominibus: & etiam rebelles ad inhabitandum Dominum Deum.

19. Benedictus Dominus, quotidie onerat nos Deus ſalus noſtra.

20. Deus nobis Deus in ſalutes: & Dei Domini exitus mortis.

21. Veruntamen Deus confringet caput inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantis in delictis ſuis.

22. Dixit Dominus ex Baſan reducam: reducam ex profundis maris.

23. Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ex ipſo.

24. Viderunt inceſſus tuos Deus: inceſſus Dei mei, Regis mei, qui eſt in ſancto.

25. Præceſſeruut cantores, poſt tibicines: in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

26 In cœtibus benedicite Dominum: Dominum, de fonte Iſraël.

27. Ibi Benjamin paruulus, dominans eis, principes Iuda, & cœtus eorum, principes Zabulon, principes Nephtali.

28. Mandauit Deus tuus virtutem tuam: confirma Deus, *hoc*, quod operatus es nobis.

29. Ex templo tuo ſuper Ieruſalem: tibi offerent Reges munera.

30. Increpa cœtum arundinis, congregationem taurorum cum vitulis populorum faſtuosè incedentem in fruſtis argenti: diſſipauit Gentes quæ bella volunt.

31. Venient magnates ex Ægypto: Æthiopia currere faciet manus ad Deum.

32. Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino.

33. Ei qui equitat in cœlis cœlorum antiquitatis: ecce dat in voce ſua vocem fortitudinis.

34. Date fortitudinem Deo: ſuper Iſraël magnificentia eius, & robur eius in nubibus.

35. Terribilis Deus è ſanctuarijs tuis; Deus Iſraël, ipſe dat robur & fortitudines populo: benedictus Deus.

COMMENTARIVS.

Præcentori. Pſalmus hic eſt conſcriptus de exercitu Sennacherib qui temporibus Ezechiæ Regis venit aduerſus Ieroſolyma: dicit igitur Pſaltes.

V. 1. *Exurgat Deus.* Surge Domine & diſſipentur hoſtes. Deus verò exurgere dicitur cùm ſuam potentiam exerit & oſtendit. Illud autem verbum, exurgat vel dictum eſt per modum orationis, aut explicandum vt vaticinium, exurget Deus, vt nempe affirmet ſtatim ac Deus exurget, fore vt diſſipentur inimici eius. Et ita etiam contigit, nam egreſſus eſt Angelus Domini, & occidit centum octoginta quinque millia. 2. Reg. 19.

V. 2. *Sicut propellitur fumus.* Vox הנדוף *hindoph*, eſt infinitiuus conjugationis Niphal, & ſic deberet ſcribi הנדף *hinnadeph* cum vocali cametſ ſub litera נ *nun*. Et ſecundùm opinionem meam eſt nomen verbale ſeu infinitiuus ex conjugatione hiphil, & perfectus: ſic etiam vox תנדוף *tinnedoph* eſt perfecta. Et huic ſimile eſt illud כהתוך *chehittouc*, ſecundùm fuſionem argenti, cum defectu literæ nun; licèt illud ſit cum vocali hholem, & hoc cum ſchourec, hæ enim duæ vocales ſunt vicinæ. Senſus autem eſt, Quemadmodum ventus expellit fumum, ſic tu expelles ipſos hoſtes; & tunc ſicut liquatur cera à facie ignis, ſic peribunt improbi à facie Dei. Vox דונג *donag* idem ſignificat quod שעוה *ſchaana*, ſcilicet ceram. Ezech. 22.

V. 3. *Et iuſti.* Lætabuntur Ezechias & totus Iſraël. *Et delectabuntur in lætitia.* Eſt repetitio eiuſdem ad exprimendam lætitiæ magnitudinem. Ita etiam loquutus eſt Iſaias, canticum erit vobis ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis, & lætitia cordis ſicut qui pergit cum tibia vt intret in montem Domini. Et ſi ibi de nocte Paſchatis fiat mentio, ſicut cenſent Magiſtri noſtri F. M. & hunc verſum aſſumunt in ſuæ ſententiæ confirmationem, ſenſus erit, Et delectabuntur in lætitia, cum lætitia ſolemnitatis: hoc eſt, lætabuntur in hac liberatione, cum recordatione redemptionis Ægyptiacæ. Prou. 4. 8.

V. 4. *Cantate ei, exaltate.* Efferre laudibus, iuxta illud: *Lauda eam, & exaltabit te.* Et ita omnis ſignificatio verbi סלל *ſalal*, exaltationem & eleuationem deſignat. *Qui equitat ſuper cœlos.* Vox ערבות *aarauot* ſignificat cœlos, nam quemadmodum qui iumento inſidet, ipſum deducit quò vult, ſic Deus benedictus cœlorum orbes pro ſuo nutu conuertit. Eà autem voce ערבות *aarauot* ſupremam ſphæram deſignat, quæ alias omnes complectitur, ſuóque motu mouet. In Iah nomine eius, Laudate eum in Iah quod eſt * nomen eius, & quod indicat Deum eſſe mundi conditorem, & cauſam cur exiſtat. *Et exultate in conſpectu eius.* Nempe in templo.

V. 5. *Pater, eſt, orphanorum.* Quia ſuperiùs dixerat Deum equitare ſuper cœlos, hoc eſt, ipſum, eſſe excelſiorem omnibus rebus excelſis, iam dicit ipſum vt eleuatum, curare tamen & ſuſtentare res infirmas & humiles, orphanos ſcilicet & viduas, quibus vires non ſuppetunt vt ſe aduerſùs oppreſſores

* Cùm enim hoc Dei nomen יה *Iah*, ſit contractum ex nomine Tetragrammato יהוה *adonai*, cum ſignificat qui eſt, & reuera exiſtit, & per quem facta ſunt omnia quæ ſunt & exiſtunt.

Psal. 68. ſuos tutentur, & ipſe eſt pater eorum, & cauſas eorum defendit. Et de ipſo
idem alibi dicit: *Excelſus Dominus & humilem reſpicit. Deus in habitaculo*
ſanctitatis ſuæ. Etiamſi ipſe in habitaculo ſancto ſuo reſideat, nempe in cœ-
Pſal. lo, nihilominus adeſt etiam humilibus in terra iuxta illud: *In excelſo & ſancto*
138. 6. *habitans*, Deus, *& cum contrito & humili ſpiritu.* Eius porro conditionis
Iſai. 57. erant Iſraëlitæ contra quos venit Rex Aſſyriorum, de illo quippe dictum eſt,
15. Rex magnus vna cum magnis Regibus. Iſraëlitæ autem comparati cum ipſis,
2. Reg. pauci admodùm erant & abjecti, adeout dixerit Rabſaces: *Dabo vobis duo*
18. 23. *millia equorum, an poteritis habere aſcenſores eorum?* Nec vnquam valuiſſent
reſiſtere Aſſyrijs niſi Deus benedictus ipſis auxilio fuiſſet.

V. 6. *Deus, eſt, qui habitare facit vnicos in domo.* Eos, qui ſunt vnici,
virum nempe & vxorem eius nec filios genuerunt, habitare facit in domo ſeu
Exod. 1. familia, quæ multos liberos complectitur; iuxta illud: *Et fecit eis domos.* Eſt
21. tamen nobis alia ratio exponendi vocem יחידים *iechhidim*, nam iuxta opinio-
Ier. 36. nem meam ſignificat abſconditos, iuxta illud: *Et abſcondit illos Dominus*,
26. Ieremiam ſcilicet, &c. Quo ſenſu dictum eſt alibi: *Qui habitare facit ſteri-*
Pſal. 113. *lem in domo matrem filiorum lætantem.* Sic pariter Iſraëlitas quaſi ſolitarios &
9. deſtitutos ſeruauit Deus ab hoſtibus eiſque benedixit, effecitque vt creſcerent
ac multiplicarentur. *Qui educit vinctos compedibus.* Eos qui ferreis catenis
deuincti tenebantur, ipſe in libertatem aſſeruit, ſicut illos captiuos ex Æthio-
pia & Ægypto, qui in caſtris Aſſyriorum vincti aſſeruabantur, vt de ipſis
Iſa. 45. Iſaias loquitur. *Vincti manicis pergent.* Imò etiam multos ex Iudæis; dicitur
14. enim, Aſcendit Rex Aſſyriorum ad vniuerſas ciuitates Iuda munitas, & ce-
pit eas. Porro vox כושרות *coſcharot* catenas ſignificat, & litera כ *caph* eſt
loco literæ ק *quof*, pro קושרות *quoſcherot*, & eandem habet ſignificatio-
nem, ac קשורים *cheſchorim* vincula, litera autem כ *caph* & ק *quof* ſunt eiuſ-
Iſa. 40. dem organi. Simile reperitur in iſtis locis: *Quis* תכן *ticchen direxit, Spiritum*
13. *Domini?* cum כ *caph*. Et, תקן *tiqquen direxit parabolas*, cum ק *quof*, in
Eccl. 12. eadem tamen ſignificatione. *At rebelles habitant ariditatem.* Qui erant vin-
9. culis conſtricti in libertatem fuere dimiſſi, at rebelles, Rex nempe Aſſur cum
copijs ſuis habitarunt in loco ſiticuloſo, hoc eſt, extincti ſunt quaſi præ
maxima ſiti, nam perierunt nullis gladiorum aut lancearum confoſſi vul-
neribus.

Iud. 4. V. 7. *Deus cum egredereris.* Sicut alibi dicitur: *Nonne Dominus præcedit*
14. *te?* Cùm enim hoſtes debellarent Iſraëlitæ, id contingebat quaſi Deus ante illos
incederet ad victoriam certò reportandam; & ipſa etiam Arca fœderis ante
ipſos deferri ſolebat. Ea autem bella in quibus hic dicit Iſraëlitas fuiſſe victo-
res dum iter per deſerta facerent, ſunt illa quæ contra Sehhon Regem Amor-
rhæorum, & contra Gog Regem Baſan geſſerunt; Porro iſta verba: *Terra*
mota eſt, &c. figurate ſunt dicta de pauore Regum & populorum qui valde
Iſraëlitas reformidarunt, ac ſi diceret, quemadmodum tunc ante illos inceſ-
ſit, & pro ipſis pugnauit, ita etiam nunc præſtabit. *In deſerto*, vox
ישימון *ieſchimon* ſignificat ſolitudinem, locum videlicet deſolatione horridum
Deut. 1. ſicut ſcriptum eſt, Profecti autem de Horeb tranſiuimus per eremum terribi-
19. lem & maximam quam vidiſtis, per viam montis Amorrhæi, &c. & addi-
tur,

tur, Et tunc veniſtis ad montem Amorrhæi, &c. Et dixit, Aſcende & poſſide Psal.
eam terram, ſicut locutus es Dominus, &c. 68.

V. 8. *Terra tremuit.* Hoc eſt, vt iam ſupra diximus quia incolæ terræ expauerunt ac tremuerunt. *Etiam cœli diſtillauerunt à facie Dei.* Hoc figuratè dictum eſt, quoniam cœli obtenebrati ſunt ſuper hoſtes; dies enim pluuiæ eſt caligo nubium, vt in cantico Dauidis etiam dicitur: *Tenebroſitas aquarum in nubibus aeris;* quæ metaphoricè eas calamitates deſignant quæ in Iſraëlitarum hoſtes immiſſæ fuerunt. *Ille Sinaï.* Et ſicut iſte mons Sinaï contremuit à facie Dei, Dei Iſraël; ita pariter contremuit terra, hoc eſt, populi & mons iſte commoti ſunt, quando lex data fuit, ſecundùm quod ſcriptum eſt: *Et contremuit totus mons valde.* Imò non deſunt qui totum hunc verſum exponant de legis promulgatione. *Cœli diſtillauerunt*, verba hæc ſimplici etiam ſenſu poſſunt accipi, nam eo die quo lex data eſt, tenuis pluuia decidit. Pſal 18. 12. Exod. 19. 18.

V. 9. *Pluuiam liberaliſsimam.* Quoniam ſuperiùs dixit, cœli diſtillarunt, innuens mala & pœnas quibus afflicti ſunt hoſtes: hic contrarium dicit, Pluuiam abundantem ſtillabis Deus. Ac ſi diceret, ſuper inimicos quidem ſtillabis guttas iræ & furoris, at ſuper Iſraël ſtillabis pluuiam copioſam. *Super hereditatem tuam*, hoc eſt, ſtillabis ſuper Iſraël, qui eſt hereditas tua; ſicut ſcriptum eſt: *Et ipſi ſunt populus tuus & hereditas tua. Et debilitata eſt tu confirmaſti eam*, ſenſus eſt, & ſi debilitata eſt hereditas tua, tu confirmaſti eam; Quâ ratione dicitur illud: *Et dabit vobis Dominus panem arctum*, hoc eſt, ſi dederit. Eſt ergo ſenſus, & ſi hereditas tua affligatur grauiter manibus hoſtium qui iam ceperunt omnes ciuitates Iuda, tu illam confirmabis nec prorſus eam deſeres, nec ſines Ieroſolyma in hoſtium poteſtatem venire. Deut. 9. 29. Eſa. 30. 20.

V. 10. *Cœtus tuorum habitabunt in ea.* Dictio חיתך *hhaiateca* idem habet hoc loco ſignificatum ac עדתך *aadateca* congregatio tua, ſic dicitur חית *hhaiat* congregatio Philiſtæorum, & infra, Cœtum arundinis. *In ea.* Hoc eſt in vrbe Ieroſolymitana. *Paras in bonitate tua pauperi*, Iſraëlitis ſcilicet qui relicti ſunt pauperes & attriti: nam decem tribus iam ante è patria demigrauerant & multi ex Iuda & Benjamin, qui eas vrbes incolebant, quas expugnarunt Aſſyrij, captiui ſunt abducti, ſed tu confirmabis eos in tua bonitate.

V. 11. *Dominus dabit verbum.* Multus erit exercitus mulierum turmatim annuntiantium & dicentium.

V. 12. *Reges exercituum*, Qui aduerſùs Ieroſolyma, caſtra poſuerunt, *fugient, fugient*, hoc eſt, fugient ab Iſraëlitis. *Et congregatio domus.* Hoc eſt, congregatio Iſraël quæ eſt congregatio Domini, & eius habitaculum, diuidet ſpolia inimicorum; Dominus dabit & confirmabit verba earum. Meminit autem vates mulierum, ipſæ enim ad bella non proficiſcebantur, ſed verbis ſuis bonis & conſolatorijs viros hortabantur.

V. 13. *Si iaceatis.* Hæc ſunt etiam verba mulierum ad viros, aut cantoris alloquentis Iſraëlitas; & id videtur magis conſentaneum: dictio שפתים *ſchephataim* Chytrapodes denotat, & ſic appellantur quòd ollæ aut caldaria ipſis imponantur. Dicit igitur, ſi iaceatis in loco humili, qualis eſt ille vbi repoſita ſunt iſta, nigro & ſqualido, hoc eſt, ſi ambulaſtis hactenus nigris induti veſtibus ob inimicorum afflictionem, adhuc eritis albi ſicut alæ columbæ quæ

Psal. ita apparet ac ſi tecta eſſet argento, adeo munda eſt pulchra & candida. Fortè
68. etiam in hoc verſu memorauit argentum & aurum quæ ex ſpoliatis Aſſyriorum
castris Iſraëlitæ abſtulerunt. Vox כסף *cheſeph* retinet ſegol cum accentu
Athnahh. *Et alæ eius ſub viridi auro.* Quia ſcilicet in pennis columbæ appa-
rer quidam color inſtar auri flaueſcens. Sæpe etiam aurum hoc nomine חרוץ
Iob. 41. *bharouts* in ſacris literis deſignatur, vt: *Sternet ſibi aurum ſuper lutum.* Et:
21 *Coarceruant aurum vt lutum platearum.* Excellentiſſimum autem aurum eſt
Zach. ſubuiride: vſus eſt porro hoc loco Pſaltes ſubſtantiuo loco adjectiui, & ordi-
9. 3. ne inuerſo diſponenda ſunt vocabula, dicete enim ſic oportebat, Et alæ eius,
ſunt, cum auro ſubuiridi. Cui ſimile eſt iſtud: *Aggrauat ſuper ſe denſum*
Habac. *lutum*, cùm ſit dicendum, lutum denſum. Er illud: *Omnes multi populi*, cùm
2. dicendum ſit, Omnes populi multi.

V. 14. *Dum expandet Omnipotens Reges in ea.* Vox iſta פרש *pareſ*, expan-
Pſal. ſionem deſignat vt in iſtis locis: *Expandi manus meas ad te.* Et, *Et cùm*
143. 6. *extenderitis manus veſtras.* Senſus eſt, cùm percuſſerit eos Deus fortis, iuxta
Iſa. 1. 15. illud, venit igitur Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum, &c. Et
ecce omnia corpora mortuorum expanſa ſuper terram, Regum & Principum,
ſicut ſcriptum eſt, Er deleuit omnem potentem robore principem & ducem in
caſtris Regis Aſſyriorum. Et ſunt qui vocem בפרש *bephares* interpretentur, cùm
Ierem. confringeret iuxta illud: *Contundet manus ſuas.* Deum verò nomine שדי
4. 31. *ſchaddai* appellauit quod ipſum deſignat vt potentiſſimum ac omnium victo-
rem, quippe qui hìc oſtenderit ſe longè eſſe potentiorem tam numeroſo exer-
citu, cuius duces ſuperbè contra ipſum loquuti fuerant. *In ea*, hoc eſt, in
Ieroſolymitana ciuitate. *Niueſcet in obſcuritate*, Tunc cùm extenderit Om-
nipotens Reges, efficietur alba vt nix congregatio quæ erat in tenebris: di-
ctio תשלג *taſchleg* eſt verbum intranſitiuum. Poteſt etiam eſſe tranſitiuum &
litera ת *tau* ad Deum referri, hoc eſt, dealbabis; & בצלמון *betſalmon* in
tenebris, eſt ſicut בצלמות *betſalmauet*, in vmbra mortis.

V. 15. *Mons Dei.* Sunt quidem montes alij celebres, attamen mons Dei
nempe mons Sinaï, etiamſi ſitus eſt in loco deſerto, vaſtáque ſolitudine & ari-
da, & ſit mons humilis, celeberrimus debet haberi, nam in ipſo Dei gloria
habitauit. *Mons Baſan.* Iſte etiam mons eſt inſignis quia regio Baſanitica
pinguis eſt & ferax & alendis gregibus accommoda, vnde figuratè pingues &
Amo. 4. obeſæ mulieres dicuntur vaccæ Baſan. Sic & illud: *Tauri Baſan cinxerunt*
1. *me vndique. Mons gibborum*, hoc eſt, montes excelſi. Mons altus, vocatur
Pſal. 22. gibboſus, quia ſummitas ipſius eſt illi quaſi gibbus in medio eius, & in eo
13. altitudo eius eminens apparet. Et hi quidem præcelſi montes ſunt etiam cele-
bres ob ſuam altitudinem. Vſurpauit autem ſingulare cum plurali, nam dixit,
mons, & deinde gibberoſi, ac ſi diceret, quilibet mons cui eſt altitudo, mu-
tabilis eſt ſecundùm illud quod eſt. Alibi ſimiliter occurrit ſingulare cum plu-
Eſther 4. rali, vt: *Er recepit Iudæi*, &, *Iuſti vt leunculus confidet*, & cætera his ſimi-
3. lia. Addit rurſus, Mons Baſan, vt magis eam celebret ob pinguedinem &
Prou. fertilitatem. Nihilominus montes iſti omnes non adeo ſunt extollendi, vt
28. 1. Mons in quo eſt templum Dei, vnde ſubdit.

V. 16. *Vt quid exultatis.* Sunt qui vocem תרצדון *teratſedon* idem velint ſi-

gnificare ac תרקדון *terachedon* ac ſi diceret , quare vos ipſos iactatis ? Non
acceditis omnes ad dignitatem eius montis in quo Deus ſe habitaturum eſſe Psal.
dixit, & ille eſt Mons ſanctuarij. Magiſter Hai F. M. dictionem תרצדון *te-* 68.
ratſedon inſpectionem denotare putat , & hoc ſignificare dicit in lingua Arabi-
ca ; ſenſum ergo vult eſſe, quare vos inſpicitis & expectatis gloriam ? non eſt
gloria niſi in illo monte in quo Deus voluit habitare, eſtque Mons domus Do-
mini,nam in ipſo eſt templum & propter ipſum celeberrima eſt vrbs Ieroſolymi-
tana; ſiquidem in eo ſemper apparebit gloria eius, auxilium eius & ſimilitudo ;
quia ecce in tota terra Iſraëlitica hoſtilis poteſtas dominatur , at de Ieroſoly-
mis ita dictum eſt · *Non ingredietur Rex Aſſyriorum vrbem hanc* , nec mittet
in eam ſagittam , nec eam occupabit clypeus , nec circundabit eam munitio. 2. Reg.
Et addit , Protegámque vrbem hanc ad ſaluandam eam : hinc dicitur : *Etiam* 19.
Dominus habitabit in finem. In eo monte , quia in monte Sinai non habita-
uit in perpetuum.

V. 17. *Currus Dei vinginti millia.* Currus Dei cum duabus myriadi-
bus deſcendit ad ferendam opem Iſraëlitis iuxta illud : *Deſcendere fac Domi-*
ne fortes tuos. Vt etiam alio in loco dicitur : *Et ecce mons plenus equorum , &* Ioël. 3.
curruum igneorum in circuitu Eliſei. Millia Angelorum. Eorum ſcilicet Ange- 11.
lorum qui Schananim appellantur. Sunt qui vocem שנאן *ſchinan* quaſi שנון 2. Reg.
ſchinon , iterationem interpretentur , ac ſi diceret duo , aut varia millia. *Do-* 6. 17.
minus in eis. Venit Dominus illis ſtipatus,ſicut olim venit in Sinai, in Sanctum.
Litera ב *beth* vocis בחם *bahem* lenis eſt , quod non eſt iuxta formam literarum
cheui iunctarum literis begad chephat quando literæ choui ſunt cum Mappic :
ſimile occurrit in voce תהו *thohou* iſto in loco : *Et extendet ſuper eam filum* Eſa. 34.
deſolationis. 11.

V. 18. *Aſcendiſti in altum.* Et hactenus quidem præceperas opem ferri
& ſalutem tuis , cùm capta ſit terra Iſraëlitica & in exilium ductus ſit populus
qui eam incolebat , tu vidêris quaſi in altum aſcendiſſe , & ſic effeciſſe vt ca-
ptiui abducerentur. Cùm enim ſingularem tuam protectionem abſtuliſti ab
illis , venit aduersùs eos hoſtis , & præualuit ad capienda dona ab hominibus :
ea nempe dona quæ hominibus conceſſeras , vt tua inter ipſos majeſtas reſide-
ret , eóſque tutaretur ab omni calamitate. Præualuit , inquam , hoſtis ad ca-
pienda illa dona , adeout ipſi etiam rebelles ſeu infideles , nempe Rex Aſſur &
qui cum eo erant , ſe occupaturos exiſtimarint locum ſanctum , locum Do-
mini Dei , hoc eſt , vrbem Ieroſolymitanam quæ eſt habitaculum & ſedes Dei.

V. 19. *Benedictus Dominus , per ſingulos dies afferet nobis.* Afferet nobis
munera ſua , Deus qui eſt ſalus noſtra , quia ſaluauit nos ab innumero & fortiſ-
ſimo exercitu. Dictio יעמוס *iaamos* ſignificat נשא *iſſa* apportat , & ſic dici-
tur : *Et apportauit vnuſquiſque ſuper aſinum ſuum* , iuxta illud ; Non aſinum Gen.
vnum eorum impoſui illis. Porro debet hic ſubintelligi dictio , benedictio- 13.
nes ſuas , aut bona ſua : & debet explicari illud quod deeſt iuxta commodam Num.
ſignificationem. Multaque ſimilia occurrunt. Aut ſenſus eſt , Afferet nobis 16. 15.
ſalutem noſtram cuius poſtea mentionem facit , ac ſi diceret , Deus qui ſalutem
noſtram nobis per dies ſingulos imponit , Sit ipſe Benedictus.

V. 20. *Deus nobis , eſt , Deus ad ſalutes.* Sunt illi varij exitus , & modi ,

Psal. 68. quod attinet ad hoſtes noſtros, quibus eos interimere & omnino perdere poteſt, & hoc eſt quod iſtis verbis: *Exitus ad mortem*, indicatur, ac ſi diceret, ſunt ipſi multi exitus ſeu rationes quibus per res diuerſas, pœnas mortiferas immittat in hoſtes ſuos ad interficiendos & conſumendos ipſos: quemadmodum Ægyptios in mari rubro ſubmerſit poſtquam eos decem plagis afflixerat: & lapidibus grandinis Reges Chananæorum proſtrauit: aut dum ingentem tumultum excitat in hoſtibus, itaut mutuis ſe vulneribus confodiant, ſicut de Philiſtæis dictum eſt, Vnuſquiſque gladium adigebat in ſocium ſuum tumultu maximo. Sic Philiſtæos hæmorrhoidibus afflixit, & eorum agros muribus infeſtauit. Et multa ſimilia pœnarum exempla in ſacris literis occurrunt. Deus ſolus eſt qui hæc præſtare poſſit; Quis enim Dei opera imitari valebit? vnâ enim nocte, momento vno interfecit centum & octoginta hominum millia, Deus ipſe ſolus eſt qui hoc præſtare poteſt.

V. 21. *Qui confringit capita inimicorum ſuorum*, ſine vllo gladio & ſine lanceis. *Verticem capilli.* Vertex eſt ea pars capitis in qua capilli hinc inde diuiduntur, vnde appellatur vertex capilli, in ea enim parte capilli capitis ſecernuntur, parte vnâ ad dexteram, parte alterâ ad ſiniſtram tendente. Quia verò vertex eſt ſumma pars capitis, idcirco ea quæ in hominem ex diuino decreto, mala aut bona immittuntur, vertici eius euenire dicuntur; ſic de Dei Gen. 49. 26. donis illud dicitur: *Fiant*, benedictiones, *in capite Ioſeph, & in capite Nazarei inter fratres ſuos.* De malis autem: *Et in verticem ipſius iniquitas eius deſcen-* Pſal. 7. *det. Transfiget verticem perambulantis in delictis ſuis.* Eius nempe qui obſtinatè pergit & oblectatur in ſceleribus ſuis & in ſua malitia, & ab illis conuerti non curat.

V. 22. *Dixit Dominus.* Auertam inimicos ex terra Iſraël ſicut olim reduxi Ægyptios ex profundis maris, ac ſi diceret, qui non reuerſi ſunt in Ægyptum, ſed in mare ſunt demerſi; ſic eueniet caſtris & exercitui Regis Aſſyriorum, nam ecce omnes interfecti iacebunt. Porro nominauit regionem Baſan, in ea ſiquidem primùm Rex Aſſur bello Iſraëlitas impetebat: & Phul Rex Aſſyriorum eam omnem terram occupauit. Et finis bellorum eius is fuit, quòd venerit contra Ieroſolyma, vbi omnes eius copiæ interierunt.

V. 23. *Vt intingatur pes tuus in ſanguine.* Hoc eſt, rubeſcat pes tuus, vt Iſ. 63. 1. ſit תמחץ timhhatſ idem quod תחמץ tibhmatſ vt in illo loco: *Rubefactus veſtibus per Metatheſim*; hoc eſt, rubefactus in ſanguine: ſenſus totius verſiculi iſte eſt, vt rubeſcat pes tuus, & rubeſcat etiam lingua canum tuorum lingentium ſanguinem hoſtium. Ac ſi diceret, quia interfectorum corpora vorabunt canes, & lingua eorum rubeſcet ſanguine & tingetur etiam ſanguine pes illorum qui ſuper cadauera tranſibunt: & litera כ *caph*, index pronominis tuus & tuorum poſt voces iſtas, pes & canum, refertur ad Iſraëlitam, licèt fortè ad Iſa. 63. 1. Deum etiam, ſed per metaphoram, poſſit referri iuxta illud, Rubefactus veſtibus de Boſra; Et aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia veſtimenta mea inquinaui. Et dictio: *In ſanguine*, conjungitur & refertur ad vocem, *ab inimicis*, licet ſit diſtans; non verò ad vocem, *lingua canum tuorum*, propinquam, & multa occurrunt ſimilia in ſacris literis; vt eſt illud: *Et vidit mulierem lauantem ſe ſuper tectum*, quod idem eſt ac, Et vidit de te-

cto mulierem lauantem ſe. Et ſunt alia ſimilia, ſicut ſcripſimus in libro Miclol. Et dictio בדם *bedam* eſt cum cametſ, quia non eſt conſtructa cum voce ללשון *lilſchon* lingua canum tuorum, ſed cum מאויבים *meoienim* ex inimicis tuis; at propter illud מ *mem*, non habet formam conſtructionis cum genitiuo, vt ſit cum patahh. Dictio autem מנהו *minnehou* de eo, eſt appoſita explicandi gratiâ, iam enim dixerat, de inimicis, aut inimicorum: & dixit adhuc, ex eo, & quidem in ſingulari per modum collectiui: aut, de eo ſignificat, de Regẽ Aſſur. Quod videtur conſentaneum, nam licèt ipſe in caſtris non fuerit interfectus cum ſuis, cùm tamen præ pudore in terram ſuam eſſet reuerſus, gladio à filijs ſuis interemptus fuit. PSAL. 68.

V. 24. *Viderunt inceſſus tuos.* Poſtquam Iſraëlitæ ſtragem illam hoſtium conſpexere, viderunt inceſſus tuos, viderunt & agnouerunt inceſſus tuos, viderunt & agnouerunt eos eſſe tuos ingreſſus quibus ante ipſos præceſſeras & hoſtes ipſorum percuſſeras. Illi autem inceſſus fuerunt inceſſus Dei mei qui eſt Rex meus in ſancto; hoc eſt, Ipſe eſt Rex in cœlo qui locus eſt ſanctus, & inde miſit Angelum ſuum ad ferendam opem Iſraëlitis, ſicut ſcriptum eſt, Et egreſſus Angelus Domini, percuſſit in caſtris Regis Aſſur.

V. 25. *Præceſſerunt cantores.* Illi nempe cantores qui tum erant in populo Iſraëlitico, quemadmodum illi erant ad canendum ore, & poſt ipſos ſequebantur muſica inſtrumenta pulſantes, ac inter vtroſque erant iuuenculæ tympaniſtriæ: vel qui ore cantabant, & qui muſica inſtrumenta pulſabant, erant in medio iuuencularum tympaniſtriarum. Dictio תופפות *tophephot* eas ſignificat quæ pulſant tympana quæ manu ſua geſtant: mos enim erat mulierum pulſare tympana, iuxta illud: *Sumpſit ergo Maria Prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua.* Et vox תופפות *tophephot* eſt nomen ſubſtantiuum, inſtar illarum Exod. 15. 20.
נחלות *nahhalot* שוממות *ſchomemot*.

V. 26. *In cœtibus benedicite Dominum.* Vt eius mirabilia omnibus nota faciatis. *De fonte Iſrael.* Benedicite Domino, ô vos omnes qui ex Iſraël, ceu ex fonte, originem ducitis. Simile eſt illud: *Omne ſemen Iacob benedicite eum.* Pſal. 22. 24.

V. 27. *Ibi Beniamin.* Ibi Benjamin & Iuda fuere temporibus Regis Ezechiæ, & aduersùs duas iſtas tribus bellum mouerat Rex Aſſyriorum, nam reliquæ tribus captiuæ fuerant abductæ tempore Regis Hoſee, anno nono regni illius, & anno ſexto regni Ezechiæ: hoc autem bellum Regis Aſſur contigit anno decimo quarto regni Ezechiæ. Quòd verò dicat: *Principes Zabulon, Principes Nephtali*, ratio eſt quia aliqui ex reliquis tribubus remanſerant in terra Iſraëlitica hinc inde pauci numero diſperſi, qui etiam ibi adhuc erant Oſiæ Regis temporibus, vt in libris Paralipom. refertur. Hic porro nominat Principes Zabulon & Principes Nepthali, quia ipſi Ieroſolyma venerant ad auxilium ferendum. Quò etiam eadem de cauſa conuenerant Principes Iuda, nec non Principes Benjamin, ſinguli ex proprijs locis. Et dictio רגמתם *rigmatam* ſignificat congregationem eorum, ac ſi diceret, fore vt Ieroſolyma congregentur vniuerſi ipſi. Appellat autem Benjamin paruulum, hominum ſcilicet numero, quoniam tribus Benjamin minima erat tribuum Iſraël. Vox רודם *rodem* eſt idem quod præualens fuit in illos nempe hoſtes; ac ſi diceret,

Benjamin dominatus eſt eis, ſcilicet hoſtibus, etiamſi maximus eſſet & for-
PSAL. 68. tiſſimus illorum exercitus, nam Deus percuſſit ipſos, & Benjamin cæterique
Iſraëlitæ eorum ſpolia diripuerunt. Dictio רודם *rodem* habet cametſ paruum
Iſa. 63. pro magno, hoc eſt dicitur rodem pro rodam, ſic etiam iſta vox המעלם *ha-
maalem* qui aſcendere fecit eos. Illa porro particula, *ibi*, hunc habet ſenſum
in eo loco vbi Diuinæ laudes & gratiarum actiones celebri pompâ decantaban-
tur, interfuerunt omnes ipſi Principes & Magnates harum tribuum, & Deum
laudabant in frequentibus populi cœtibus. Magiſtri autem noſtri F. M. hunc
verſum allegoricè exponunt de Iſraëlitis quando mare rubrum tranſierunt,
ſed hoc non videtur eſſe conſentaneum argumento & ordini huius Pſalmi.

V. 28. *Mandauit Deus tuus virtutem tuam.* Hæc ad Iſraëlitas dicuntur in
genere & ad Ezechiam Regem hoc ſenſu, ſingulare hoc factum & fortitudo
hæc quæ tibi contra hoſtes tuos ſubminiſtrata eſt, à Deo tuo mandata fuit,
quapropter gratias agite vos omnes, ac dicite, hanc fortitudinem tu Deus o-
peratus es nobis. Et dictio עוזה *ouzza* ſcribitur cum ו *vau* & cum dagueſ, &
ſimiles in libro Miclol annotauimus.

V. 29. *E templo tuo ſuper Ieruſalem.* Sunt qui literam מ *mem* vocis מהיכלך
mehecaleca poſitam eſſe velint loco ב *beth* vt in iſto loco, Dominus à Sinai
venit, pro, in Sinai. Sed neceſſe non eſt literam illam ex ſuo ſenſu proprio
dimouere ſed ſimpliciter exponenda eſt, à templo ſeu palatio tuo; ſicut dicitur
infra, Terribilis Deus è ſanctuarijs tuis; ac ſi diceret, A templo tuo, in quo
reſidet Gloria ſeu Arca, prodijt fortitudo ſuper Ieroſolyma quæ liberauit ea
ab hoſtibus, quando reliquæ ciuitates Iuda non fuerunt ereptæ. Quapropter:
Offerent tibi Reges munera. Agnoſcent enim robur eximium aduenisse Iſraëlitis
à tua Gloria quæ inter eos reſidet, & idcirco Reges tibi munera offerent.

V. 30. *Increpa cœtum arundinis.* Verbum נער *gaar* hoc loco diſperdere ſi-
Pſal. 9. 6. gnificat, vt in illo: *Perdidiſti Gentes, & perijt impius*, eſtque nox iſta גער
geaar infinitiuus eiuſdem formæ ac illud verbum, poſtquam שכב *ſcheeau* dor-
2. Reg. 14. mijſſet Rex cum patribus ſuis: & ſenſus eſt, in diſperdendo cœtum, &c. vel
eſt imperatiuus loco futuri: Cuiuſmodi eſt etiam illud שים *ſim* pro תשים
Num. 24. 21. *taſim*, *ſi poſueris in petra nidum tuum*, & ſenſus eſt, Tunc Reges tibi offerent
munera cùm diſperdideris cœtum lanceis armatum. *Et congregationem tauro-
rum, qui venerunt cum vitulis populorum*, ſed illos diſperde vſque dum quiſ-
quis ex eis remanſerit, conculcandum ſe præbeat coram te cum fruſtis argenti,
hoc eſt, cum inciſionibus argenti. Et horum verborum: *Diſsipa Gentes quæ
bella volunt.* Senſus eſt, cùm diſſipaueris eos populos, qui nonniſi bella exo-
ptant. Dictio בזר *bizzar* idem ſignificat quod פזר *pizzar* diſſipauit, iuxta
Dan. 11. 24. illud: *Et diuitias eorum diſsipauit*, & litteræ ב *beth* & פ *pe* ſunt eiuſdem or-
gani, חית *hhaiat* ſignificat cœtum vt iam ſuperiùs expoſitum eſt. Et vox
קנה *cane* lanceam denotat, & deſignatur cœtus hominum lanceis armatorum
& pugnantium. מתרפס *mitrapas* eſt idem quod משתטח *miſchtatahh* expanſus,
Prou. 6. 3. ſicut in iſto loco: *Proſterne te ad eius pedes & incita amicum tuum.* Demum
per vitulos populorum intelligit Reges & Principes, quos vitulis comparat ſi-
Pſal. 22. 13. cut & alio in loco: *Circundederunt me vituli multi.*

V. 31. *Venient Magnates.* Vox iſta חשמנים *hhaſchmannim* Principes &

Magnates ſignificat; & ſic iſto nomine inſignitus eſt Matathias filius Iohannan PSAL.
Sacerdos magnus, Haſmonæus, & ſic filij eius dicti ſunt Haſmonim, ſeu 68.
Haſmonæi. Cùm reuerteretur Sennacherib ab expeditionibus quas aduersùs Æthiopas & Ægyptios ſuſceperat, cum omnibus quos inde captiuos abducebat, venit Ieroſolyma, & contra vrbem caſtra poſuit: ſed ipsâ nocte egreſſus eſt Angelus Domini & percuſſit in caſtris Aſſyriorum, &c. Et egreſſi Iſraëlitæ ſibi omnem iſtam prædam diripuerunt, ac propterea ſic eſt ſcriptum; *Dedi* Iſa. 43.
pretium tuum Ægyptum, Æthiopiam & Saba pro te. Sic etiam poſtea, hæc 3.
dicit Dominus labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri proceræ ſtaturæ ſuper te tranſibunt, & tui erunt, &c. Qui autem ex illa ſtrage euaſerunt, ad legem Iſraëlitarum ſunt conuerſi, de quibus ſcriptum eſt quòd di- Iſa. 45.
xerint, tantùm in te eſt Deus, & nullus eſt vltrà, non eſt Deus præter Deum
Iſraëlis. De iiſdem etiam illud eſt dictum, erunt quinque ciuitates in terra Æ- Ibid.
gypti loquentes lingua Canaan, & iurantes per Dominum exercituum, &c. cap. 19.
Sic pariter hoc loco dicitur, venient Magnates ex Ægypto, & ad templum afferent munera: ſic & illud: *Cœtus Æthiopiæ currere faciet manus ſuas cum muneribus ad Dominum.* Vbi curſum aſſignat manibus etiamſi pedibus curratur, nempe quia manuum operâ dona offeruntur.

V. 32. *Regna terræ.* Nimirum ex omnibus orbis regionibus ibi aderant aliqui.

V. 33. *Ei qui equitat ſuper cœlos cœlorum.* Illud שמי שמי *ſcheme ſcheme* idem eſt ac שמי שמים *ſcheme ſchemaim* cœlum cœlorum, & ſphæra omnium ſuprema denotatur quæ ערבות *aaravot* appellatur, vt ſupra diximus. Addit verò, *Antiquitatis*, nempe quia cœli, ex quo ſunt conditi, vt & illorum indiuidua, adhuc perſtent: quod de terræ indiuiduis, dici non poteſt. *Ecce dat voce ſuà vocem fortitudinis.* Vocem in hoſtes emittet quæ erit vox vehementiſſimæ fortitudinis.

V. 34. *Date fortitudinem Deo.* Sermonibus veſtris attribuite illi fortitudinem eamque prædicate: nam illius fortitudine hæc clades hoſtibus veſtris illata eſt, non autem veſtro robore, conſilio aut manibus. *Super Iſrael magnificentia eius, & robur eius in nubibus.* hæc litera ו *vau* &, in dictione ועזו *vaonſo*, eſt ו *vau* ſimilitudinis index vt etiam in iſto loco: *Aqua frigida animæ ſitienti*, &, hoc eſt *ſicut nuntius bonus de terra longinqua.* Ac ſi diceret, Quem- Prou. 25. 25.
admodùm in nubibus eius, Dei potentia elucet, iuxta illud: *Cœli enarrant* Pſal.
gloriam Dei, ſic eius magnifica virtus in Iſraëlitis apparet, quippe pro ipſis con- 19. 1.
tra hoſtes ſemper magnificè & potenter pugnauit.

V. 35. *Terribilis Deus è ſanctuarijs tuis.* Metus & terror tuus obuenit hominibus ex ſanctuario tuo, ibi enim reſidet gloria ſeu Arca, & inde promanant admiranda facinora quæ fiunt in gratiam Iſraëlitarum, quamdiu inter ipſos reſidet gloria eius, & tu propter eos te terribilem exhibes. Porro ſcribitur dictio מקדשיך *miqdaſcheca* cum י *iod* notâ numeri plural. quia ſanctuarium inferius diſpoſitum eſt & ſitum è regione ſuperioris illius & cœleſtis, quod eſt ſolium gloriæ: & idcirco iſte locus electus fuit in terra. Vel ideo vſurpauit numerum multitudinis in exprimendo ſanctuario ſeu templo, quia in ſanctuario tres erant domus ſeu partes, nempe, Porticus, templum exterius, & Ora-

PSAL. 68. c[illegible]lum,[illegible] *Deus Iſrael ipſe dat robur & fortitudines populo.* Litera ל *lamed* præpoſi[illegible] עם *aam* populo, afficitur cametſ, quod eſt ſignum ה *he* notificatiui, ac ſi diceret, certo & noto populo, qui eſt Iſraël, qui eius ope eſt præpotens: *Benedictus Deus.* Ac propterea æquiſſimum eſt vt gratias ei agamus, & dicamus, Benedictus Deus. Sunt qui hunc Pſalmum exponant de bellis Gog & Magog olim futuris, ſed quod ſcripſimus in eum, nobis magis conſentaneum videtur.

PSALMVS SEXAGESIMVS NONVS.

Præcentori, ſuper Schoſchannim Dauid.

1. Saluum me fac Deus: quoniam venerunt aquæ vſque ad animam.

2. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſiſtentia: veni in profunditates aquarum, & fluxus inundauit me.

3. Defatigatus ſum clamando, aduſtum eſt guttur meum: defecerunt oculi mei, dum expecto Deum meum.

4. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis, roborati ſunt qui exſcindunt me, inimici mei injuſtè: quod non rapui tunc exſolui.

5. Deus tu ſcis inſipientiam meam; & delicta mea à te non ſunt abſcondita.

6. Ne erubeſcant in me qui expectant te, Domine, Deus virtutum, ne pudore ſuffundantur in me, qui quærunt te Deus Iſrael.

7. Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit ignominia faciem meam.

8. Extraneus factus ſum fratribus meis: & peregrinus filijs matris meæ.

9. Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria tibi exprobrantium ceciderunt ſuper me.

10. Et fleui, in ieiunio anima mea: & factum eſt in opprobria mihi.

11. Et poſui veſtimentum meum ſaccum: & factus ſum illis in parabolam.

12. Aduersùm me loquuntur qui ſedent in porta: & cantica fui bibentium ſiceram.

13. Ego verò orationem meam ad te, Domine; tempus bene- Psal.
placiti: Deus in multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me in veri- 69.
tate ſalutis tuæ.

14. Eripe me de luto & ne infigar: eripiar ab ijs qui oderunt me & de profundis aquarum.

15. Ne me inundet fluxus aquæ: neque abſorbeat me profundum, neque occludat ſuper me puteus os ſuum.

16. Exaudi me, Domine, quoniam benigna *eſt* miſericordia tua, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice ad me.

17. Et ne abſcondas faciem tuam à ſeruo tuo: quoniam anguſtia *eſt* mihi, feſtina exaudi me.

18. Appropinqua animæ meæ, redime eam: propter inimicos meos eripe me.

19. Tu ſcis opprobrium meum & confuſionem meam & ignominiam meam: coram te ſunt omnes tribulantes me.

20. Opprobrium contriuit cor meum & dolui, & expectaui ſi quis compateretur, & non fuit: & conſolatores & non inueni.

21. Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potabant me aceto.

22. Sit menſa eorum coram ipſis in laqueum: & pacifica ſint in offendiculum.

23. Obſcurentur oculi eorum ne videant: & lumbos eorum ſemper fac nutare.

24. Effunde ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

25. Sit palatium eorum deſertum: in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.

26. Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt: & de dolore vulneratorum tuorum narrant.

27. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in iuſtitiam tuam.

28. Deleantur de libro viuentium: & cum iuſtis non ſcribantur.

29. Ego autem afflictus & dolens, *cùm ſim*, ſalus tua, Deus ſubleuabit me.

30. Laudabo nomen Dei in cantico: & magnificabo illud in confeſſione.

31. Et placebit Domino, præ boue, & vitulo cornua producente & vngulas.

Psal. 69. 32. Videant manſueti, & lætabuntur: ô quærentes Deum viuet cor veſtrum.

33. Quoniam exaudit pauperes Dominus, & vinctos ſuos non deſpicit.

34. Laudent illum cœli & terra, maria, & quidquid reptat in eis.

35. Quoniam Deus ſaluam faciet Sion, & ædificabit ciuitates Iudæ: & inhabitabunt ibi, & poſſidebunt eam.

36. Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam: & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

COMMENTARIVS.

PRæcentori, *ſuper Schoſchannim Dauid.* Editus eſt hic Pſalmus de exulibus Iſraëlitis; & in ipſo ſingularis perſona ſub omnium nomine loquens inducitur, aut vnuſquiſque exulum orat & lacrymas effundit propter ſuas calamitates, ac dicit.

V. 1. *Saluum me fac Deus, quoniam venerunt aquæ vſque ad animam.* Iſta verba, vſque ad animam, ſignificant vſque ad illud calamitatis tempus & modum, vt iam anima egreſſura videatur, ac ſi diceret, morti ſum proximus. Comparat autem calamitates exilij cum aquis in quas ſit immerſus vſque ad collum ſuum, adeout ipſi mors immineat.

V. 2. *Infixus ſum in limo profundi.* Inſignis anguſtia inter alias calamitates indicatur, quare additur: *Et non erat firmitas*, hoc eſt, ſimilis eſt ea calamitas profundarum aquarum voragini, in quam quis demerſus eſt: & ita de Ier. 38. 6. Ieremia dicitur: *Et infixus eſt in luto*, licet non eſſet profunditas; éſtque dictio מעמד *moomad* participium paſſiuum conjugationis hiphil, ſenſúſque eſt, Et non eſt vnum è membris meis ſtatutum firmiter, quia in aqua ſubmerſus ſum. *Veni in profunditates aquarum & fluxus inundauit me.* Vox שבולת *ſchibolet* ipſum aquarum decurſum notat, ſenſúſque, Et fluxus, eſt, aut fluxus aquarum rapidus, nam in profundas aquas poteſt quis demergi, qui tamen inundantis aquæ fluxu non abripiatur, & præceps fluminis alueus, licèt aquæ non ita ſint profundæ, aliquem inundare poteſt: his porro omnibus grauiſſimæ exilij calamitates indicantur.

V. 3. *Defatigatus ſum.* Qui enim in aquas demerſus eſt ad poſcendam opem inclamare ſolet, vnde ego in clamore emittendo defatigatus ſum, adeout exſiccatum ſit guttur meum. Et vox נחר *nihhar*, eſt conjugationis niphal à themate חרר *hharar*, cui ſimile eſt illud: *Et habitabit in ſiccitatibus*, hoc eſt, Ier. 17. 6. in loco arido & torrido. *Defecerunt oculi mei dum expecto.* Nam qui mergitur in aquas, oculos ſuos ſurſum attollit, & ſolicitè expectat, ſi quis fortè veniat & liberet ipſum: ego verò iamdudum expecto Deum, adeout deficiant oculi mei dum frequentiùs in altum ſuſpicio: & hoc innuit longiſſimum exilij ſpatium.

V. 4. *Multiplicati ſunt.* Numero ſcilicet adaucti ſunt & roborati viribus. Psal. 69.
Qui oderunt me gratis. Vox enim שקר *ſchequer* idem ſignificat quod חנם *hinnam* gratis, immeritò; & retinet vtrumque ſegol cum accentu athnahh. Addit: *Quod non rapui.* Falſas verborum cauſas impoſuerunt mihi, aſſerentes me rapuiſſe & me ad reſtit·endum adegerunt res quaſi illas verè ſurripuiſſem, ac ſi diceret, falſis rationibus objectis, à me extorquebant quod à me raptum effingebant.

V. 5. *Deus tu ſcis inſipientiam meam.* An in aliquibus rebus minùs prudenter egerim. *Et delicta mea.* Si quid fortè per ignorantiam deliquerim, nihil eorum à te eſt abſconditum, ſed tu noſti eos me immeritò condemnare.

V. 6. *Ne erubeſcant in me.* Ego enim confido in te in hocce exilio, quamquam longiſſimo· & ſi caſſa fuerit ſpes mea omnium etiam qui in te confidunt ſpes erit irrita, & tum erubeſcent quippe dicent, iſti confidebant in Deo in ſuo exilio, nec tamen ipſe illos liberat; deinceps igitur in eo fiduciam collocare non debemus; ſic pudore ſuffundentur propter ſpem ſuam quâ in te hactenus ſunt confiſi. *Ne pudore afficiantur in me.* Eſt eiuſdem repetitio per alia verba, de more linguæ ſanctæ. Porro hoc loco nomen צבאות *tſebaoth* vſurpauit quia ipſe eſt Dominus exercituum, tum ſuperiorum, qui ſunt exercitus cœli, vnde decreta & iudicia ex ipſius nutu promanant, cum etiam Dominus eſt exercituum Iſraël, quos in exilium demigrare permiſit, ex quo ipſe aliquando eſt eos educturus. Et quoad lectionem quidem effertur Elohim tſeuaoth, quod idem valet ac Elohe tſeuaoth, Deus exercituum, retinétque literam ם *mem* in ſtatu conſtructionis, non ſecus ac vox אמרים *omerim*: ſi tamen, vt dicit aliquis, litera ם *mem* non cenſenda ſit abeſſe in voce יהוה *iehoui*, vel Elohim dictio צבאות *tſeuaoth* eſt nomen, per ſeipſam ſeorſim, nec nomen illud Elohim cum illa conſtructum eſt cenſendum. At quoad ſcripturam, conſtat literis iſtis quatuor י *iod*, ה *he*, ו *vau*, ה *he*, ſeu eſt nomen Tetragrammaton, & eſt nomen appellatiuum ſeu commune hoc loco; cuiuſmodi nomen conſtructum eſſe poteſt. Nomen autem proprium, non poteſt: nimirum in hac voce eſt nomen, Dei, proprium ipsique prorſus ſoli conueniens. Aliquando tamen hoc ipſum nomen fit appellatiuum, nam figuratè Angelis, & Regibus attribuitur, cum ſcilicet Dei nomine inſigniuntur. Sic etiam Dei nomen in tredecim eius attributis, primum eſt proprium, ſecundum appellatiuum.

V. 7. *Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium.* Nimirum in tam longo exilio, nam ſi vellem à tuis legibus recedere, & ad ritus illorum ſectandos conuerti, magnus inter illos euaderem non ſecus ac eorum aliquis.

V. 8. *Extraneus fui.* Dictio מוזר *mouzar* eſt à themate זור *zour*, ac ſi diceret, Ipſi me reputauerunt extraneum. Dum verò dicit, fratribus meis, filios Iſraël indicat, & per filios matris, poſteros Eſau.

V. 9. *Quoniam zelus domus tuæ.* Quia ipſi hoſtes illam occupant ego verò extra illam pulſus fui. *Et opprobria exprobrantium tibi.* Qui mihi exprobrant, in te etiam improperia conjiciunt, dicunt enim vanam eſſe ſpem meam nóſque non eſſe vnquam libertati reſtituendos; cùm tamen pollicitus ſis te nos tandem aliquando ocyus aut ſeriùs ab exilio educturum, & in libertatem aſſer-

Psal. 69. turum. Vel iſta dictio, Exprobrantium tibi, debet intelligi de falſis Gentilium opinionibus & religione, qui mala & indigna de Diuinitate loquuntur.

V. 10. *Et fleui, in ieiunio anima mea.* Deeſt hoc loco conjunctio, &, vt in
Leuit. 8. iſtis locis, Ruben Simeon. Sol, luna; & ſenſus eſt, & fleui, & in iejunio ani-
Habac. 3. ma mea fuit, iuxta illud: *Ieiunio affligetis animas veſtras.* Ac ſi diceret, ego
Leuit. 16, 29. fleo & continuis me ieiunijs affligo. *Et fuiſti in opprobria mihi.* Tu fuiſti cauſa opprobriorum quibus me affecerunt extranei populi ob veram fidem & religionem in qua conſtanter perſeuero, nec adduci poſſum vt ad vanos religionis ipſorum ritus deflectam, ſic igitur propter te ſum illis ludibrio & contemptui.

V. 11. *Et poſui.* Nam propter omnia quæ à Iudæis fieri conſpiciunt eos viles & deſpicat[illegible] habendos exiſtimant.

V. 12. *Aduersùm me loquebantur.* Si quando conuenirent vt ſimul ad publica negocia, in porta ſederent, aut ad commune conuiuium, tota illorum confabulatio ad me ſubſannandum & deſpiciendum pertinebat.

V. 13. *Ego verò orationem.* Ipſi me ſuis dicterijs traducunt; ego interim nihil aliud ago, quàm vt te deprecer, vt me aliquando ex eorum poteſtate redimas. Quod verò addit: *Tempus beneplaciti*, hunc habet ſenſum, ego continuis ad te orationibus clamo ſi fortè inter labentia temporum curricula, illud tandem optatiſſimum mihi adſit quo meis precibus exoratus me ex iſto exilio velis educere. *Exaudi me in veritate ſalutis tuæ.* Propter multam miſericordiam tuam & veritatem tuam exaudi me: nam conſtantiſſima tua veritas mihi fiduciam dedit; & reſponſio quam à te ad noſtras preces expectamus, eſt ſalus tua quam nobis aliquando concedes. Eſt porro veritas, ipſa ſaluatio, & miſericordia, eſt neceſſaria ad accelerandam ſalutem, idcirco dixit: *Secundùm multitudinem*, magnâ enim opus eſt miſericordiâ ad accelerandam redemptionem, atque vt non adſpiciat ad mala noſtra opera.

V. 14. *Eripe me de luto.* Illud eſt quod à te meâ oratione peropto conſequi: Porro dicit hîc, *ne infigar*, cùm ſuperiùs dixerit, *Infixus ſum in limo.* Dicit etiam ne me innudet, ne me abſorbeat, & ſupra dixit, demerſus ſum, inundauit me. Priori loco ita eſt loquutus vt grauiſſimam exprimeret anguſtiam, quæ ipſum in præſentiſſimum vitæ diſcrimen adduxerat: nam qui morti proxi-
1. Reg. 25. 37. mus eſt, iam mortuus dici ſolet; ſicut de Nabale dictum eſt: *Et mortuum eſt cor eius*, cùm tamen non niſi poſt decem dies interierit. Et de Ieremia, *Mor-*
Ier. 14. 16. *tuus eſt præ fame in loco ſuo.* Hoc autem loco de morte conſummata loquitur, nempe orat, ne per omnia ſæculi huius tempora in exilio deſeratur. *Eripiar ab ijs qui oderunt me & de profundis aquarum.* Vſurpat hîc figuram & rem per figuram deſignatam, & illa conjunctio, Et, ante vocem de profundis, vim habet ſimilitudinis, ſicut iam ſuprà ſcripſimus, ac ita loquitur, Eripiar ab ijs qui oderunt me tanquam ſi ex profundis aquarum liberarer, nam ipſi qui me odio proſequuntur, profundæ aquarum voragini ſunt ſimiles.

V. 15. *Neque occludat ſuper me.* Dictio תאטר *teetar* idem ſignificat quod
Iud. 3. 23. תסגור *tiſgor* claudat, iuxta illud: *Præcluſus manu ſuâ dexterâ.* Si enim puteus os ſuum occluſerit, nulla mihi deinceps erit ex eo exeundi facultas: per puteum verò exilium ſignificat metaphoricè.

V. 16. *Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua.* Tua mi- PSAL.
ſericordia bona eſt, nec decet eius effectus à me prohiberi, etiamſi ego ſim pec- 69.
cator, ſed quæſo, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice ad me,
non autem ſecundùm opera mea.

V. 17. *Et ne abſcondas.* Quemadmodum antea dixit, Reſpice ad me. Et hoc metaphoricè dicitur, qui enim aliquem alium minimè diligit, faciem ſuam ab illo abſcondit. Et quia me calamitas grauiter vrget, neceſſe eſt vt me celeriter audias.

V. 18. *Appropinqua animæ meæ.* Nimirum ita loquitur quaſi longè abſit ab illa, quandiu verſatur in exilio. *Propter inimicos meos.* Ne ſcilicet de me iactitent, tibi non ſatis eſſe potentiæ ad me in libertatem aſſerendum.

V. 19. *Tu ſcis.* Tribus vocabulis opprobrium exprimit ac ſi diceret, omni infamiæ & opprobrij genere me inceſſant inimici. *Coram te ſunt omnes.* Nihil enim à te eſt abſconditum, ſenſus eſt, Omnes tribulantes me, quos tam clarè perſpicis ac ſi coram te eſſent, arbitrantur tamen te ipſos non intueri.

V. 20. *Opprobrium contriuit cor meum, & dolui.* Dictio ואנושה *vaanouſcha*, hanc habet formam integram ואאנושה *vaanouſcha*, nam hoc loco א *aleph* prima radicalis verbi eſt abſconditum, & illud quod eſt ſcriptum, eſt nota primæ perſonæ futuri. *Et expectaui*, numquis veniret ad condolendum mihi, & ad me conſolandum ſuper meis contritionibus, nec vllus adfuit. Litera ו *vau* ante voces אקוה *acaue* & אין *ain*, afficitur cametſ quo tempus præteritum indicatur, & litera ל *lamed* ante vocem מנחמים *menahhamim* afficitur patahh & ה *he* emphaticum denotat, ac ſi diceret, expectabam eos qui mihi præ cæteris amici eſſe videbantur.

V. 21. *Et dederunt in eſcam.* Hoc eſt in cibum meum, iuxta illud : *Affer* 2. Sam.
cibum. Ac ſi diceret, etiamſi in exilio tentarem aliquid lætitiæ aut commodi 13.
percipere, ipſi hoſtes varijs me contentionibus exarcebabant, non ſecus ac ſi quis eſuriens vellet cibum ſumere & felle & abſynthio cibus eius permiſceretur, aut ſicut dum quis ſiti premitur, aceto potetur : nam ſic moleſtiam affert illud, vnde aliquid commodi expectabatur.

V. 22. *Sit menſa eorum.* Pro eo quod ante dixit, Dederunt in eſcam meam fel. *Et pacifica in laqueum.* Ea quæ ſibi fortunata & in felicitates fore ſperabant ſint illis in ruinam.

V. 23. *Lumbos eorum ſemper fac nutare.* Dictio המעד *hamaad* eſt imperatiuus conjugationis hiphil, & in fine verſus habet vocalem patahh; cui ſimile
eſt illud : *Et manum tuam* הרחק *harhhac amoue à me.* Cùm erunt obcæcati Iob. 13.
& videre non poterunt, nutabunt pedes eorum & concident; hoc eſt, à ſua 21.
dignitate & elatione deturbabuntur. Porro memorauit nutationem quæ fit in
lumbis quia præcipua pars humani roboris ſita eſt in erecta hominis ſtatura, &
lumborum firmus vigor, robuſtum maximè illum efficit; vnde dicitur : *In-*
fringe lumbos inimicorum eius & qui oderunt eum non conſurgant. Et illud, *Ac-* Deut.
cinxit fortitudine lumbos ſuos. Et, *Conforta lumbos*, robora virtutem valde. 33. 11.
Prou. 31.
V. 24. *Effunde ſuper eos iram tuam.* Quæ etiam eos apprehendat adeout 17.
effugere non poſſint indignationem tuam & furorem iræ tuæ. Nah. 2.
V. 25. & 26. *Sit palatium eorum deſertum, quoniam quem tu, &c.* Senſus 1.
eſt, Quoniam feciſti totum hoc malum quod ipſi faciunt, niſi enim tu velles,

PSAL. 69. haud illis eſſet poteſtas me afficiendi malis, ſed quem tu percuſiſti, ipſi perſequuntur. *Et ſuper dolorem vulneratorum tuorum.* Particula אל *el* hoc loco, eſt pro על *aal*, ita & alibi fit vt: *Et ſuper montes non comedit.* Senſus autem eſt,
Ezech. 18. 15. mutuis ſermonibus inter ſe diſſerunt de tuis vulneratis iterum dolore affligendis; iuxta illud: *Deus dereliquit eum perſequimini & comprehendite eum.* Ita
Pſal. 71. 11. dicunt ad inuicem, acciſi ſunt iſti à Deo, agite percutiamus eos. Cæterùm vox iſta, vulneratus, hoc loco non eum ſignificat qui omnino ſit mortuus, nec enim mortuus homo, dolore poteſt affici, ſed eum denotat qui ob inflicta vul-
Ier. 51. 52. nera morti eſt proximus. Quo ſenſu dicitur illud: *Et in omni terra eius clamabit occiſus.*

V. 27. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.* Hoc eſt, pœnam
Gen 15. 16. iniquitatis ipſorum, & ſic illa ſunt intelligenda: *Nondum completa eſt iniquitas Amorrhæorum.* Et, *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt feram.* Senſus igitur eſt,
Ibid. c. 4. 13. Appone illis pœnam pro iniquitate quâ nos afflixerunt. *Et non intrent in iuſtitiam tuam.* In eam ſcilicet iuſtitiam quam erga Iſraëlitas es facturus, & in illud bonum quod es aliquando tuis collaturus, iuxta illud: *Et non videat magni-*
Eſa. 26. 10. *ficentiam Domini.* Vel loquitur de eo quod mortem eſt conſequuturum in futuro ſæculo: & ſequens verſus eſt ſolùm huius explicatio.

V. 28. *Deleantur de libro viuentium.* Idem hoc verſu diuerſis verbis repetitur. Deleantur, hoc eſt, non ſcribantur in libro viuentium, qui eſt liber vitæ futuri ſæculi.

V. 29. *Ego autem afflictus & dolens.* Iſtis ſalutem tuam haud dabis, ſed eam mihi confeces qui tamdiu in exilio miſer & dolens iacui. *Salus tua ſubleuabit me.* Nimirum ex illa conditione mea abjectiſſima.

V. 30. *Laudabo nomen Dei.* Cùm me ab exilio extraxeris, laudabo nomen tuum confeſſionis cantico quo tuam miſericordiam prædicabo, & offeram in conſpectu eius hoſtiam gratiarum actionis.

V. 31. *Et placebit.* Laus iſta quâ ipſum celebrabo cum cantico, longè ei gratior erit ſacrificio bouis: vel dictio, placebit, refertur ad gratiarum actionem quam ante memorauit, & vox iſta תודה *thoda* divini nominis celebrationem ore editam ſignificabit. Illa autem verba משור פר *miſſchor par*, hunc habent ſenſum, præ boue & præ vitulo. Et particula מן *min* vocis משור *miſſchor* eſt loco duarum poſita · & bos quidem eſt maior, vitulus verò minor ipſo, & iſta verba: *Cornua producentem & vngulas*, referuntur ad vitulum qui iam habet cornua, & cuius manifeſtæ extant vngulæ; antequam enim iuuencus habeat cornua, vngulæ eius ſunt magnæ. Hoc autem ideo dicit quoniam iuuencus iſto minor non eſt aptus ſacrificio, nam vitulus quem lex offerri præcipit, debet eſſe triennis. Cæterùm Magiſtri noſtri F. M. hæc cenſent intelligenda de boue quem primus homo in ſacrificium obtulit: & de illo boue dicunt quòd habuerit priùs cornua quàm vngulas, nempe quia dicitur hìc cornua producentem & vngulas. Addunt etiam bouem illum vnicum in fronte cornu habuiſſe.

V. 32. *Videbunt manſueti.* Eam ſcilicet ſalutem & lætabuntur de ipsâ: nam humiles, ſunt ipſi qui ſalutem à Deo dandam ſunt viſuri. Qui verò conuerti ad Deum non voluerint, ipſo redemptionis tempore conſumendi ſunt ac perituri.

iuxta illud : *Et immittam tertiam partem in ignem*, &c. Et alio in loco : *Re-*
liquia Iſrael non facient iniquitatem, & non loquentur mendacium, &c. Qui Psal.
autem quærunt Dominum ſunt ipſi humiles, eſtque eiuſdem repetitio alijs ver- 69.
bis. Ipſi videbunt & viuet cor veſtrum : & hoc loco, de more Scripturæ, in Zach. 3.
eodem verſu ſecundam perſonam vſurpat, & aliam à ſecunda ; ſimile eſt illud: Soph. 3.
Confundentur enim ab ilicibus quas concupiuiſtis, & ab hortis quos elegiſtis. Il- 13.
lud porro, viuet cor veſtrum, idem ſignificat, ac id quod prædictum eſt, & Iſa. 1. 29
lætabuntur, eius enim qui mœret & dolore conficitur, cor perinde eſt quaſi
mortuum, vnde eſt illud : *Quia egenus & pauper ego ſum : & cor meum vul-* Pſal.
neratum eſt intra me. Sic autem affecti ſunt Iſraëlitæ in ſuo exilio : at vbi læti- 109. 22.
tia redit, cor veluti reuiuiſcit, vnde eſt dictum : *Reuixit ſpiritus Iacob patris* Gen.
eorum. 45. 26.

V. 33. *Quoniam audit pauperes.* Hi ſunt Iſraëlitæ exules qui etiam ſunt vincti eius, quamquam ſint pariter vincti nationum exterarum, quarum vinculis non erunt mancipati quando ipſe voluerit : quod cùm euenerit, tum dicent Gentes, Dominum audire pauperes, & eos in exilio omnino non deſpicere, vt tamen iactare ſolebant.

V. 34. *Laudent illum cœli & terra.* Hæc figuratè dicuntur, ad exprimendam ſummam lætitiam, & diuinarum laudum in toto mundo futuram celebra-
tionem : quo pariter modo alio in loco dicitur : *Lætentur cœli & exultet terra,* Pſal.
tonet mare & plenitudo eius. Gaudeant campi & omnia quæ eis ſunt. Sic etiam 95. 11.
hoc loco dixit, maria & omnia quæ repunt in eis.

V. 35. *Quoniam Deus ſaluam faciet Sion.* Cùm enim eſſent Iſraëlitæ ſub Gentium poteſtate, ſimiles erant homini exuli, & in carcere vincto. Nominat verò Sionem & alias ciuitates Iudæ, quia hæ erant præcipuæ, & magis celebres : ſed idem eſt intelligendum de cæteris Iſraëlitarum vrbibus : vel omnes ſub Iudæ nomine ponit, quia Rex ex tribu Iuda deligebatur. *Et inhabitabunt ibi & poſſidebunt eam.* Nempe vincti eius, de quibus antea mentionem fecit. Dictio ירשוה *ireſchouha* eſt à themate ירש *iareſch* cum tſere, ſicut חפץ *hhapets* deamauit. Illud pronomen, Eam, refertur ad Sionem, vel ad vnam quamque ciuitatum Iuda, quas ante memorauit, aut ad ipſam vniuerſam terram Iſraël, licèt eam hoc loco non nominauerit, nam Sionis meminit quæ erat caput regni.

V. 36. *Et ſemen ſeruorum eius.* Ac ſi diceret, ipſi & poſteri eorum, eam hereditate poſſidebunt.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS.

Præcentori, Dauid ad commemorandum.

1. DEus ad eruendum me : Domine in auxilium meum feſtina.

Psal. 70. — 2. Pudefiant & erubeſcant qui quærunt animam meam agantur retrorſum : & ignominiâ operiantur qui optant malum mihi.

3. Conuertantur in fugam : pro mercede confuſionis ſuæ,qui dicunt euge, euge.

4. Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te : & dicant ſemper, Magnificetur Deus qui diligunt ſalutem tuam.

5. Ego autem miſer & inops ſum, Deus feſtina ad me : auxilium meum & liberator meus tu *es*, Domine, ne moreris.

COMMENTARIVS.

P*Recentori, Dauid ad commemorandum.* Hic Pſalmus à Dauide fuit editus eo tempore quo fugiebat Saülem, aut Abſalomum, & poſterius magis conſentaneum videtur propter ſequentem Pſalmum, qui apertè videtur editus in poſteriori fuga, ſicut ibi exponemus.

V. 1. *Deus ad eruendum me.* Hoc eſt, Accelera vt me eruas, & media pars verſiculi, quæ non eſt aliud quam rei eiuſdem repetitio oſtendit quid hîc ſuppleri debeat, vel eſt hæc prima pars ſine ecclipſi exponenda, itaut vox, feſtina referatur & ad illud, Ad eruendum me, & ad dictionem, In auxilium meum: & ſicut ſignificatio repetenda eſt, ita & lectio. Vnde nomen Dei bis vſurpat, dicens, Deus, & Domine.

* V. 2. *Pudefiant & rubore ſuffundantur.* Idem alijs verbis ad emphaſim repetit, de more. *Conuertantur retrorſum.* Procul auertantur à ſuis cogitationibus quibus malum mihi inferre machinantur. Cúmque ipſorum conſilium fuerit irritum, erubeſcent & ignominiâ afficientur.

V. 3. *Conuertantur in fugam pro mercede.* Agantur retrorſum in mercedem pudoris ſui quo me ſuffundere aggreſſi ſunt, ipſi viciſſim erubeſcant & ignominiâ afficiantur, nempe dum in fugam vertentur irritis conatibus ſuis. Et hoc erit eis merces pro eo pudore quo me tentarunt afficere;eritque * menſura pro menſura. Vox עקב eequeu ſignificare mercedem patet ex iſto loco: *Proptereà quod* (Deut. 7. 12.) *audieritis iudicia*, &c. Euge, euge. Qui dum ego mœſtus fugerem, occinebant lætitia, lætitia.

V. 4. *Exultent & lætentur.* Illi quidem erubeſcant, at omnes qui te ſolum quærunt & ambiunt habere defenſorem, & tuam diligunt ſalutem quâ me ſaluum efficere ſoles, exultent ac dicant ſemper, Magnificetur Dominus Deus, hoc eſt, Magnus eſt Deus qui ſuam oſtendit magnitudinem erga eos qui diligunt ipſum, & liberat eos ex poteſtate illorum qui ipſis ſunt potentiores.

V 5. *Ego autem miſer & inops.* Ita ſeipſum appellat cóquòd è regno, à ſuo filio exturbatus fuiſſet.

* 1. Par pari: tritiſſ. prouerb.

PSAL.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS PRIMVS.

Psal. 71.

1. IN te Domine ſperaui: ne erubeſcam in æternum.
2. In iuſtitia tua erue me & libera me: inclina ad me aurem
tuam & ſalua me.
3. Eſto mihi in rupem fortitudinis, in quam veniam ſemper:
mandaſti ſaluum me facere: quoniam petra mea, & munitio
mea *es* tu.
4. Deus meus eripe me de manu peccatoris: de manu iniqua
agentis, & violenti.
5. Quoniam tu es expectatio mea: Domine Deus ſpes mea à
iuuentute mea.
6. Super te innixus ſum ex vtero, ex viſceribus matris meæ tu
extractor meus: de te laus mea ſemper.
7. Tanquam prodigium fui multis: & tu ſpes mea fortiſſima.
8. Repleatur os meum laude tuâ: omni die gloriâ tuâ.
9. Ne proiicias me in tempore ſenectutis: cùm deficit virtus
mea ne derelinquas me.
10. Quia dixerunt inimici mei de me: & qui obſeruant animam
meam, conſilium inierunt ſimul.
11. Dicentes Deus dereliquit eum: perſequimini & compre-
hendite eum, quia non eſt qui eripiat.
12. Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum
feſtina.
13. Confundantur & deficiant qui aduerſantur animæ meæ:
operiantur opprobrio & pudore qui quærunt malum mihi.
14. Ego autem iugiter expectabo: & adjiciam ſuper omnem
laudem tuam.
15. Os meum annuntiabit iuſtitiam tuam: omni die ſalutem
tuam, quoniam non cognoui numeros.
16. Introibo in potentijs Domini Dei: recordabor iuſtitiæ tuæ,
tui ſolius.
17. Deus docuiſti me à iuuentute mea: & vſque nunc annun-
tiabo mirabilia tua.
18. Et inſuper vſque in ſenectam & canitiem Deus ne deſeras-

PSAL. 71. me : donec annuntiem brachium tuum, generationi & omni qui venturus eſt, potentiam tuam.

19. Et iuſtitia tua Deus, vſque in excelſum : qui feciſti magnalia Deus quis ſimilis tibi ?

20. Qui oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas, iterum viuificabis me : & de abyſſis terræ iterum educes me.

21. Multiplicabis magnificentiam meam : & iterum conſolaberis me.

22. Etiam ego confitebor tibi in inſtrumento nablij : veritatem tuam Deus meus, pſallam tibi in cithara, ſancte Iſraël.

23. Exultabunt labia mea cùm pſallam tibi : & anima mea quam redemiſti.

24. Etiam lingua mea omni die meditabitur iuſtitiam tuam: quoniam confuſi ſunt, quoniam pudefacti ſunt qui quærunt malum meum.

COMMENTARIVS.

V. 1. IN *te, Domine, ſperaui.* Videtur hic Pſalmus à Dauide editus ſtatim poſt præcedentem, idcirco non vtitur hîc vt in alijs, iſto initio, Præcentori, aut Pſalmus. Scripſit autem hunc Pſalmum Dauid, quum filium Abſalomum fugeret; quod teſtantur iſta eius verba, Ne projicias me in tempore ſenectutis. Quum verò Saülem fugeret, nondum erat ſenex ſed annos tantùm triginta natus. Dicit igitur: *In te Domine ſperaui.* Et quandoquidem omnem meam fiduciam in te collocatam habeam, certus ſum me nunquam fore pudore ſuffundendum.

V. 2. *In iuſtitia tua.* Non verò in mea iuſtitia: nouerat enim Dauid eam calamitatem eſſe ſibi immiſſam in punitionem peccati in Vriam admiſſi, quemadmodum ſibi à Propheta erat denuntiatum : *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua.* 2. Sam. 12 11.

V. 3. *Eſto mihi in rupem fortitudinis.* Nempe quia ex ſuis ædibus in vrbe Ieroſolymitana poſitis, metu Abſalomi fugerat, iam petit à Deo vt ſibi ſit arcis fortiſſimæ & munitiſſimæ loco, in quam ſe poſſit tutò recipere ne in manus filij ſui incidat. *Mandaſti ſaluum me facere.* Hoc eſt, mandabis; præteritum pro futuro. Vel ſenſus eſt, Iam ſæpe aliàs dediſti mandatum de me ſeruando, ſic igitur & nunc etiam ſaluum me facias. Illud porro mandatum

Pſal. 91. 11. fuit Angelis, iuxta illud: *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.*

V. 4. *Deus meus eripe me.* Per peccatorem, ſeu turbulentum, intelligit Abſalomum, per iniquum verò & violentum Achitophelem. Et dictio hæc חומץ *hhometſ* idem ſignificatum habet ac ſi cum ſamech ſcripta eſſet, & ita

Eſa. 3. שבס *ſchauas* eſt idem quod שבץ *ſchabatſ* veſtis phrygionica ocellata.

V. 5. *Quoniam, tu es, ſpes mea à iuuentute mea.* Ac ſi diceret, iam inde à pueritia mea noui & expertus ſum te eſſe Deum fortiſſimum, & proinde om- Psal. 71.
nem ſpem meam & expectationem in te collocaui.

V. 6. *Super te innixus ſum ab vtero.* Quamquam non ex mea cognitione, ſtatim ac ex vtero egreſſus fui ſuper te ſum ſuſtentatus, tu enim iam ex viſceribus matris meæ alimenta mihi neceſſaria præparabas. *Tu extractor meus.* Eſt Num. 11. 31.
enim גוזי *gozi* idem quod [illegible] *motſi* eductor meus, vt patet ex illo loco: *Et auulſit coturnices à mari*, & eſt גוז *goz* nomen ſubſtantiuum, ex verbis in ſecunda quieſcentibus inſtar טוב *tou* bonus. *De te laus mea ſemper.* Nempe quia de te ſemper gloriari ſoleo propter beneficia quæ in me contuliſti.

V. 7. *Tanquam portentum fui multis.* Nam plurimi emendabuntur aduertentes me propter delicta pœnis affici; & fui illis in ſignum indicans te in hominum ſcelera animaduertere. Et tu tamen es ſpes mea, propter iſtam punitionem. Quamuis enim in pœnam mei ſceleris fugere cogar, firma tamen ſpe confido fore vt tu in regnum meum me reſtituas. Sapiens Rabb. Abraham Eſræ fil. ſic exponit, Propterea quòd ſuper te ſuſtentatus ſum ac tu non ſuſtentaſti me, fui tanquam ſignum multis qui in te non credebant.

V. 8. *Repleatur os meum laude tua.* Cùm me liberaueris te pleno ore celebrabo, ac tuam gloriam totâ die commemorabo; in te enim gloriabor quòd me ſaluum effeceris.

V. 9. *Ne proiicias me.* Me iam ſenio confectum, & priſtinis viribus deſtitutum ne projicias & deſeras, ſed tum maximè ſis robur meum ac fortitudo.

V. 10. *Quia dixerunt mihi.* Vox לי *li* ſignificat de me; ac in verſu ſequenti declarat quid de ſe dixerint, & quòd ſimul aduersùm ſe conſilium inierint. Illud verò: *Qui obſeruant animam meam.* Senſum hunc habet, qui priùs diligebant & obſeruabant animam meam, nunc ſimul aduersùm me conueniunt ad conſilium. Vel poſſunt iſta verba, qui obſeruant animam meam, exponi de hoſtibus, qui animam eius obſeruarent in malum, iuxta illud: *Si peccaui* Iob. 10.
& obſeruaſti me ad malefaciendum mihi quotidie. Aut exponi etiam poſſunt 14.
hoc ſenſu, & qui cuſtodiunt animam meam ne ex ipſorum manibus elabatur: cui ſimile eſt illud: *Miſit ergo Saul ſatellites in domum Dauid vt cuſtodirent* 1. Sam.
eum & interficeretur manè. 19. 11.

V. 11. *Dicentes, Deus dereliquit eum.* Hoc eſt, hactenus adjuuit illum Deus, ac idcirco bella felici ſucceſſu geſſit; at modò videtur à Deo derelictus, nam etiam filius illum ad necem quærit & nemo eſt qui illum curet eripere. Siquidem Deus qui illum hactenus liberauit, eum nunc deſeruit. *Perſequimini & comprehendite eum.* Sic eorum quilibet ſocium ſuum adhortatur, Perſequimini & comprehendite eum: ſicut ſupra dixit, conſilium fecerunt in vnum.

V. 12. *Deus ne elongeris à me.* Vt iſti ſibi perſuadent, te longè à me receſſiſſe, fac etiam vt intelligant te nequaquam à me abeſſe.

V. 13. *Confundantur & deficiant.* Cum defecerint confundentur.

V. 14. *Ego autem ſemper ſperabo.* Etiamſi grauibus anguſtijs iam premar, nihilominus tamen ſemper ſperabo te me ſeruaturum. *Et adiiciam ſuper omnem laudem tuam.* Spero ego fore vt te ampliùs adhuc celebrem poſtquam me

ſaluum feceris, & addam ad eas laudes quibus te prædicaui antea, quòd me li-
Psal. 71. beraſſes ex alijs calamitatibus in quas incideram.

V. 15. *Os meum annuntiabit iuſtitiam tuam, omni die.* Hoc eſt, diebus ſingulis, ſimile eſt illud: *Et te expectaui omni die.* Senſus eſt, Cùm me ſaluum ex præſenti diſcrimine eripueris ſupra omnes eas laudes quibus te hactenus celebraui, Os meum enarrabit laudem tuam, etiamſi diebus ſingulis tenear ſalutis tuæ beneficia recenſere: Continuis enim me bonis afficis, adeout eorum numeros ignorem. Dictio ספורות *ſephorot* eſt nomen idem ſignificans quod מספרים *miſparim*, numeros, à ſingulari, ספורה *ſephora* eiuſdem formæ ac בשורה *beſora* nuntium.

V. 16. *Introibo in potentijs Domini.* Quando ad pugnam ingrediar, cum ijs qui mihi aduerſantur, non procedam ad prælium confiſus robori potentiſſimorum, nec ſpem victoriæ in eorum viribus reponam, ſed tuâ vnius virtute fretus aggrediar bellum; Et tuæ iuſtitiæ ſolius memoriam mihi ob oculos ponam, à nullo enim alio quàm à te certum auxilium & ſalutem expecto.

V. 17. *Deus docuiſti me.* Nimirum quia dediſti mihi cor intelligens à iuuentute mea, vt agnoſcerem omnia à te eſſe: & à pueritia ad hoc vſque tempus ſenectæ & canitiei annuntio, ac omni demum tempore annuntiabo tua mirabilia.

V. 18. *Et inſuper vſque ad ſenectam & canitiem.* Sicut hactenus me non deſeruiſti, ita me non deſeres vſque ad ſenectam & vſque ad canitiem. Eſtque canities ætatis tempus magis prouectum quàm ſenectus; vnde dicitur, Ego
Eſa. 46. 4. conſenui & ad canos perueni. *Donec annuntiem brachium tuum.* Si enim hoſtes meos hoc imbecillæ ſenectutis tempore deuicero, omnes profectò dicent, tuo brachio ſalutem mihi eſſe comparatam, non meâ virtute: Sicque eâ ratione annuntiabo potentiam brachij tui. *Generationi*, hoc eſt hominibus eius temporis in quo ego ſum. *Et omni.* Senſus eſt, Omni generationi quæ ventura eſt poſt me: qui enim ex huius ætatis hominibus mihi erunt ſuperſtites, illam tuam potentiam prædicabunt. Vel ſenſus eſt, Ego annuntiabo tuam fortitudinem futuris omnibus ſeculis dum teſtimonia eius literis conſignabo.

V. 19. *Et iuſtitia tua.* Nempe magna eſt & exaltata vſque ad excelſum, vt
Pſal. 57. 11. alibi dicitur, quoniam magna eſt vſque ad cœlos miſericordia tua. *Qui feciſti.* Mecum ſcilicet & cum alijs mirabilia tam ſtupenda, vt omnes dicturi ſint,
Exod. 15. 11. Deus quis ſimilis tibi? quemadmodum dixit Moſes: *Quis ſicut tu in fortibus, Domine?* Item dicit idem: *Quis enim alius Deus vel in cœlo vel in terra qui*
Deut. 3. 24. *poſsit facere ſecundùm opera tua, & ſecundum fortitudines tuas?* Porro vox Deus, eſt vocatiui caſus & ad Deum benedictum ſermo dirigitur hoc ſenſu; Tu es Deus præpotens, & quis eſt ſicut tu fortis & potens? omnium enim poteſtate aliquâ valentium potentia, defectui eſt obnoxia præter tuam ſolam potentiam quæ defectum neſcit.

V. 20. *Qui oſtendiſti mihi.* Dictio הראיתנו *hiritani* ſcribitur cum ו *vau*, in fine & legitur cum י *iod*; forma igitur ſcripturæ notat pluralem numerum de Iſraëlitis omnibus expulſis à patria; Lectio verò perſonam indicat ſingularem in genere loquentem. Ita etiam vox תחיינו *tehhaieni* ſcribitur in fine cum ו *vau* & cum י *iod* legitur, nam etſi hunc Pſalmum ediderit David de ſeipſo

in illo tamen diuino afflatus Spiritu, etiam Iſraëlitarum exulum calamitatem PSAL.
complexus eſt. Nam ſicut ipſe coactus eſt demigrare ex vrbe regia, & grauiſ- 71.
ſima anguſtia preſſus eſt, ac poſtmodum optata requie potitus, & Ieroſolyma reuerſus eſt vnde metu Abſalomi fugerat, ſic modò Iſraëlitæ inter exteras nationes gemunt exules, ſed tandem ex iſta calamitate in refrigerium inducentur, ac in ſanctam Ieroſolymitanam ciuitatem redibunt. Et ab hoc verſu vſque ad finem Pſalmi agitur de Iſraëlitis à patria exulantibus. Sunt tamen interpretes qui totum Pſalmum de Dauide exponant; & iuxta iſtorum interpretationem dicendum erit ea quæ in plurali numero efferuntur, dici de ipſo Dauide & de ijs qui cum ipſo erant. Hæc autem maxima erit iuſtitia tua erga nos quòd cùm oſtenderis nobis multas tribulationes, & mala maxima, adeout omnes Gentes nos in exilio penitus aſſumendos eſſe exiſtimarent. *Tu tamen iterum viuificabis nos*, in exilio enim quaſi mortui fuimus. *Et de abyſsis terræ*, ſiquidem veluti iacuimus demerſi in abyſſis terræ, & tu iterum inde nos induxiſti, hæc profectò erit iuſtitia vſque ad altitudinem magna.

V. 21. *Multiplicabis magnificentiam meam.* Non ſatis fuit tibi nos ab exilio in libertatem aſſerere, quinetiam noſtram magnitudinem ampliorem effeciſti quàm eſſet antequam ex patria depelleremur. *Et conuerteris & conſolaberis me.* Conuerteris ad nos; dum enim verſamur in exilio, videris faciem tuam à nobis auertiſſe, & longè fauorem tuum à nobis amouiſſe; at te conuertos ad nos & omnes exilij noſtri moleſtias abſterges.

V. 22. *Etiam ego confitebor tibi.* Quemadmodum tu me nouis & maioribus beneficijs cumulabis, ego pariter ampliores tibi gratiarum actiones rependam inſtrumentis muſicis nablio & cithara, & dicam tibi me non poſſe iam id præſtare in exilio; quia obtenebratum eſt gaudium noſtrum, ſicut dicebant Iſa. 24.
olim qui in exilio Babylonico verſabantur, Suſpendimus organa noſtra, & 8.
addebant, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? *verita-* Pſal.
tem tuam. Siquidem promiſiſti te nos educturum ab exilio; quod cùm præſta- 136. 4.
bis, tua in promiſſis tuis ſeruandis fides impleta conſtabit & ego tibi pſallam. *Sancte Iſrael.* Tunc verò ſanctum prædicabitur nomen tuum inter Iſraëlitas.

V. 23. *Exultabunt labia mea.* Quando te Pſalmis meis celebrabo, tum verò anima mea & labia mea ſimul exultabunt, hoc eſt, os meum & cor meum
vno & pari conſenſu laudes tuas decantabunt, vt alibi dicitur: *Cor meum &* Pſal. 84.
caro mea exultant in Deum viuum. Quam redemiſti. Nempe ab exilio; ſi- 2.
quidem in exilio cor meum non erat ſtabili pace confirmatum, nec anima mea tunc erat apta vt poſſet Spiritum ſanctum recipere ad te canticis & pſalmis celebrandum.

V. 24. *Etiam lingua mea.* Vt ſuperiùs labiorum mentionem fecit, ita modo linguam nominat, verba enim linguæ & labiorum adminiculo efferuntur. *Quoniam confuſi ſunt.* Ipſi ſiquidem pudore afficientur, ego verò Pſalmos lætus cantabo.

PSAL. 72.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS SECVNDVS.

Salomoni.

1. Deus iudicia tua Regi da : & iuſtitiam tuam filio Regis.
2. Iudicet populum tuum in iuſtitia : & pauperes tuos in iudicio.
3. Afferant montes pacem populo, & colles propter iuſtitiam.
4. Iudicet pauperes populi, ſaluos faciat filios inopis : & conterat calumniatorem.
5. Timebunt te cum ſole & ante lunam : in generatione generationum.
6 Deſcendet ſicut pluuia ſuper herbam reſectam : ſicut ſtillæ irrorantes terram.
7. Efflorebit in diebus eius iuſtus : & abundantia pacis, donec non ſit luna.
8. Et dominabitur à mari vſque ad mare : & à flumine vſque ad terminos terræ.
9. Coram illo procident incolæ deſertorum : & inimici eius terram lingent.
10. Reges Tharſis & inſularum munera offerent : Reges Arabum & Saba dona adducent.
11. Et adorabunt eum omnes Reges : omnes Gentes ſeruient ei.
12. Quia liberabit pauperem clamantem : & pauperem cui non eſt adjutor.
13. Miſerebitur pauperis & inopis : & animas pauperum ſaluas faciet.
14. A dolo & iniuria redimet animam eorum : & pretioſus erit ſanguis eorum in oculis eius.
15. Et viuet & dabit ei de auro Arabiæ : & orabit pro ipſo iugiter omni die benedicent ei.
16. Et erit pugillus frumenti in terra, in ſummitate montium, commouebitur ſicut Libanus fructus eius : & florebunt de ciuitate ſicut herba terræ.

17. Et erit nomen eius in æternum, ante ſolem ſoboleſcet PSAL.
nomen eius, & benedicent ſe in ipſo: omnes Gentes beatum 72
dicent eum.
18. Benedictus Dominus Deus: Deus Iſraël qui facit mirabilia ſolus.
19. Et benedictum nomen gloriæ eius in æternum: & replebitur gloria eius omnis terra: fiat, fiat.
20. Finem habent orationes Dauid filij Ieſſe.

COMMENTARIVS.

V. 1. **D***Eus iudicia tua.* Hunc Pſalmum compoſuit Dauid de Salomone filio ſuo poſtquam ipſum conſtituiſſet Regem, quapropter in fine Pſalmi dicitur, finem habent orationes Dauid filij Ieſſe. Nam hoc contigit extremo ætatis ipſius tempore cùm iam in lecto decumberet, neque deinceps quidquam ei accidit de quo carmen ederet. Et hic Pſalmus eſt vltimus Pſalmorum eius & orationum, éſtque finis vnius ex quinque libris Pſalmorum. Non tamen qui Pſalmos in ordinem redegerunt, iſtum librum vltimo loco poſuerunt, eoquòd conſentaneum videretur obſignare librum qui Dei laudes continet, Pſalmis de diuinis laudibus editis: & quia etiam iſti Pſalmi agunt de ijs quæ contingent aliquando Iſraëlitis vbi ab exilio fuerint reuocati. Sunt alij qui Pſalmum hunc de Rege Meſſia exponant, qui in cantico canticorum Salomon appellatur, *Mille tibi ô Salomon.* Dicit ergo Dauid: *Deus iudicia tua* Cant.
Regi da. Ac ſi diceret, vt ſecundùm iudicia tua ius adminiſtret, & non erret 8. 11.
in ſuis iudicijs da tu illi ſcientiam & intelligentiam, vt iudicet in iudicio & iuſtitia; & verſus ſequens eſt huius expoſitio. *Et iuſtitiam tuam.* Hoc eſt rectitudinem tuam, quâ rectè iudicet. Illa autem verba: *Filio Regis*, ideò adduntur ac ſi diceret, quoniam ex tuo imperio regni moderamen ſuſcepit ipſe & pater eius; cùm igitur nutu tuo regnet, da illi vt ſit Rex amans iuſtitiæ. In Deras circa illa verba, Iudicia tua Regi da, ſic diſſeritur, quemadmodum tu iudicas ſine teſtibus & proteſtatione, ſic facias vt filius meus Salomon ita iudicet ſine teſtibus & proteſtatione. Dixit ſanctus benedictus Deus, quomodo ita ego faciam? quia dicitur: *Seditque Rex Salomon ſuper ſolium Domini.* Et 1. Paral.
qui fieri poteſt vt homo ſedeat ſuper ſolium Domini, nonne de eo ſcriptum 29. 23.
eſt: *Thronus eius ſcintillæ ignis?* Sed quid eſt aliud ſedere ſuper ſolium Domi- Dan. 7.
ni, quàm decernere iudicium eo modo quo ipſe Deus, nimirum abſque teſti- 9.
bus & proteſtatione? Tale autem fuit iudicium quod tulit Salomon in negotio duarum meretricum. Si verò de Meſſiâ Pſalmus exponatur, hoc ipſi aptiſſimè conuenit, nam de illo ſcribitur: *Non ſecundum viſionem oculorum iudi-* Iſa. 11. 3.
cabit, &c.

V. 2. *Iudicet populum tuum, & pauperes tuos in iudicio.* Itaut non honoret vultum magnorum & diuitum, quando cum alijs tenuioris fortunæ hominibus iudicio contendent.

Psal. 72. V. 3. *Afferant montes.* Hic per montes & colles metaphoricè Reges externorum populorum indicantur, qui pacem allaturi erant Iſraëlitis ipſius Salomonis tempore. Et hoc ſenſu dicitur illud: *Audite montes iudicium Domini*, hoc eſt Reges & Magnates; & ſic quidem contigit Salomonis tempore. Et
Mich. 6. 2. ita quoque res ſe habebunt Meſſiæ Regis ſeculo, Omnes enim externi cum Iſraëlitis iuſtitiam & æquitatem colent eo tempore. Atque ad hæc verba ſic dicitur in Deras, quandoquidem iudicabit populum tuum in iuſtitia, erit omnium rerum abundantia cum pace, ſicut ſcriptum eſt: *Si in ſtatutis meis ambuletis, dabo vobis pluuiam opportunis temporibus. Afferent montes pacem populo.* Et quid an montes afferunt pacem populo? Ecquando? Eo ſcilicet tempore quo præ ſterilitate, rari ſunt fructus in terra, lites & iurgia inter homines oriri ſolent. dum quiſque vicini ſui vineam irrumpit, in qua ab alio repertus interrogatur quidnam rei agat ibidem, vnde inter vtrumque contentio excitatur. At quando magna eſt frugum copia, viget etiam in mundo liberalitas & concordia, ſicut dicitur: *Tunc vocat vnuſquiſque amicum ſuum ſubter vitem ſuam & ſubter ficum.*

Leu. 26. 4

Zach. 3. 10.

V. 4. *Indicabit pauperes populi.* Vindicabit illos ab iis à quibus injuſtè opprimuntur: ſic dicitur alibi, *Iudica me Deus & diſcerne cauſam meam.*

Pſal. 43.

V. 5. *Timebunt te cum ſole & ante lunam.* Hoc eſt in perpetuum, quod & ſequentibus verbis repetitur. *In generatione generationum.* Ac ſi diceret, in diebus illius diſcent te timere, adeout tibi deinceps per omnes ætates ſint cultum & reuerentiam exhibituri. Illa autem verba: *Cum ſole & ante lunam,* ſignificant quandiu erunt ſol & luna; & hoc per hyperbolen dicitur. Particula, Ante, ſignificat adhuc dum, quo ſenſu dicitur illud: *Ante Arcturum.* Si de Rege Meſſia hoc intelligatur, proſſus & præcisè vt verba ſonant, eſt accipiendum, nam ipſius temporibus: *Plena erit terra ſcientiâ ſeu cognitione Domini.* Sicque deinceps perpetuò futurum eſt, nec vnquam poſtea inter homines deſiturus eſt timor Dei: nec iſta verba ſunt in ſenſu hyperbolico accipienda, verè enim ita eſt futurum in perpetuum.

Iob. 4. 19.

Iſa. 11. 9.

V. 6. *Deſcendet ſicut pluuia.* Dictio גז *guez* herbam deſectam ſignificat vt in iſto loco. Et ecce herba ſerotina poſt exciſa gramina Regis: & vox זרזיף *zarziph* ſtillationem deſignat, vnde ſic reperitur in verbis Magiſtrorum noſtrorum F. M. Peruenit ſtilla aquæ ſuper caput eius. Eſt autem ſenſus, Rex iſte veniet ſuper populum in bonum ac ſalutem eorum, ſicut imber decidens ſuper deſectam herbam, quæ eius beneficio rurſum ſuccreſcit, & ſicut ſtillæ guttatim defluentes in terram & locum aridum ad nouam herbam proferendam diſponentes; ita Rex ille in populum, ad eius bonum eſt deſcenſurus. Si de Salomone, illa verba intelligantur res ita verè ſe habuit, nam cunctis diebus regni eius, ſedebat vnuſquiſque ſub vite ſua & ſub ficu ſua, nullus inſtabat hoſtis, & nihil mali occurrebat. Et ſi de Rege Meſſia, ſub eius regno Iſraëlitæ in ſumma erunt ſecuritate & pace, cui nunquam alia ſimilis extitit aut extabit. Modò enim Iſraëlitæ exulantes inter Gentes deſectæ herbæ haud ſunt abſimiles, at quando veniet ſuper illos Meſſias, iterum quaſi pullulabunt, florebunt & mirum in modum excreſcent.

Amo. 7. 1.

V. 7. *Efflorebit in diebus eius iuſtus,* Ipſius temporibus creſcent & florebunt

bunt iuſti ac probi multaque pax vbique vigebit, quæ durabit donec non ſit lu- PSAL.
na, hoc eſt, quandiu hic mundus durabit. Quæ verba de Salomone quidem 72.
ſunt hyperbolicè intelligenda, vt ſupra iam alia expoſuimus: at de Rege Meſ-
ſia accipienda ſunt vt ſonant, ſiquidem per eum perpetua in mundo pax eſt futura.

V. 8. *Et dominabitur à mari vſque ad mare.* Si de Salomone hoc intelligitur, illud erit quod his verbis exprimitur de ipſo, quoniam ipſe obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, à Thaphſa vſque ad Gazam. (1. Reg. 4.) Hanc verò omnem terram præter Iſraëliticam poſſidebat; nam de terra Iſraëlitica ſic dicitur, Ponam autem terminos tuos à mari rubro vſque ad mare Palæſtinorum, & à deſerto vſque ad fluuium. (Exod. 23. 31.) Ipſe verò Salomon ſupra terram Iſraël, regionem quæ à flumine Euphrate & vltra protendebatur. Et hoc eſt quod iſtis verbis ſignificatur: *Et à flumine vſque ad terminos terræ.* Addunt præterea de Salomone, & ita de ipſo ſcriptum eſt, (Ezech. 27.15.) quod in ditione ſua habuerit omnia regna. Nempe quia omnes Reges terræ ipſum metuebant, ac illi obſequebantur & munera offerebant: quæ omnia de Rege Meſſia accepta, longè magis ſunt perſpicua, nam eius regnum per totum orbem eſt diffundendum. Sapiens verò Rabbi Abraham fil. Eſræ ſic hunc verſum exponit. A mari meridionali quod aliter, mare Idumæum vocatur, ad mare ſeptentrionale, hoc eſt, Oceanum: Et à fluuio, ſcilicet à fluuio exeunte ex Eden regione ad initium orientis ſitâ vſque ad terminos terræ, hoc eſt, ad vltimum occidentem.

V. 9. *Coram illo.* Vox ציים *tſiim* locorum deſertorum & aridorum incolas denotat, quales erant Cedræi & alij, qui etſi in remotis ab hominibus locis degant; eum tamen adoratum venient ac multò magis finitimi populi. *Et inimici eius.* Qui verò eſſe ei hoſtes voluerint, nihil aduersùs ipſum valebunt, ſed præ illius pauore, terram cogentur lingere.

V. 10. *Reges Tharſis.* Si de Salomone, hoc eſt perſpicuum, omnes ſiquidem Reges terræ ei munera offerebant. Si verò de Rege Meſſia res etiam eſt perſpicua, ſic enim verè eſt futurum; & vox אשכר *eſchcar* idem ſignificat quod vox מנחה *minhha* nempe donum, verbum autem illud ישיבו *iaſchiuu* reddent ſeu adducent ſingulis quibuſque annis: propterea vſus eſt ſignificatione reditus, ac ſi diceret per vices annuatim pendent; vnde ſcriptum eſt: *Et reddebat Regi Iſrael centum millia agnorum.* (2. Reg. 3. 4.) Et alibi, *Dentes eburneos & hebeninos reddiderunt in domum tuam.*

V. 11. *Et adorabunt eum.* Hoc etiam clarum eſt tum de Salomone cùm de Rege Meſſia. (1. Reg. 4. 21.)

V. 12. *Quia liberabit.* Propterea diligent eum omnes populi, eique ſeruient, quia ipſum agnoſcent eſſe Regem iuſtitiæ amantiſſimum, vt qui pauperes & miſeros omni ope deſtitutos ſuo auxilio foueat ac tuetur.

V. 13. *Miſerebitur pauperis.* Eſt eiuſdem repetitio ad emphaſim, de more; quod etiam fit in verſu ſequenti.

V. 14. *A dolo & iniuria.* Dictio תוך *toc* fraudem ſignificat non manifeſtam ſed intus latentem; at חמס *hhamas* ſignificat iniuriam quæ vi apertâ infertur. *Et pretioſus erit ſanguis eorum.* Verbum ייקר *iiecar* ſcribitur cum duplici י *iod* quorum vnum eſt nota tertiæ perſonæ futuri, alterum eſt radica-

Psal. 72. le. Dicit igitur ſanguinem afflictorum pretioſum fore in oculis eius, & ea propter ipſum animas eorum eſſe liberaturum, & redempturum è manibus improborum ne illorum ſanguinem effundant. Hoc ſenſu dicitur etiam illud:
Pſal. 116. 5. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.*
V. 15. *Et viuet, & dabit.* Senſus eſt, & viuet quilibet miſerorum cum
Leu. 25. 36. ipſo, ſicut dicitur alibi: *Viuétque frater tuus tecum.* Et hoc confirmatur ſequentibus: *Et dabit ei de auro Arabiæ.* Ac ſi diceret, pauperi de ſuis facultatibus impertietur vt poſſit ſecum viuere. Quod dicit, de auro Arabiæ, hunc habet ſenſum, de auro quod illi afferetur ex Arabia, iuxta illud quod paulò ante dictum eſt: *Reges Arabum & Saba donum adducent,* hoc eſt aurum, quod affertur ex Arabia. *Et orabit pro ipſo.* Pauper orabit pro Rege ſemper & omnibus rebus fauſta ei omnia precabitur.

V. 16. *Erit pugillus frumenti.* Illius Regis temporibus tanta erit, Deo fauente, fertilitas in mundo, vt ſi quis tantùm frumenti ſeminauerit, quantùm vola manus capere poteſt, etiam in montium cacuminibus, inde ſpicæ atque ſegetes tam bonæ ac plenæ & denſæ prouenturæ ſunt, vt à vento flante impulſæ talem edant ſonum, qualem arbores Libani. *Fructus eius*, hoc eſt, fructus pugilli ſeu volæ frumenti ſeminati. *Et florebunt de ciuitate.* In agris quidem & extra vrbes mira erit ex Dei benedictione rerum omnium copia; ſed etiam in vrbibus, homines fœcunda prole à Deo donabuntur, adeout videri poſſint è ciuitatibus veluti gramen è terra copioſè exoriri.

V. 17. *Erit nomen eius in æternum.* Hoc nomen Regis illius perpetuum eſt futurum, hoc eſt, æterna eius memoria futura eſt propter multas eius opes & ſummam gloriam *Ante ſolem ſoboleſcet nomen eius.* Hoc eſt, quandiu ſol permanebit, vt ſuperiùs dictum eſt ad iſta verba, Ante lunam; perinde ac ſi diceret omni tempore quo erit ſol in mundo, illius nominis vigebit memoria. Eius porro vocis ינון *innon* ſignificatio petenda eſt à nomine נין *nin* quod fi-
Iſa. 14. 22. lium deſignat, vt in iſto loco: *Et ſuccidam ipſi Babel nomen & reſiduum & filium & nepotem*; vt ſit verbum paſſiuum ſignificans, filiabitur, quaſi diceret, ſicut filius eſt memoria patris, ita eius nomen perpetua erit memoria bonorum eius operum quæ eſt facturus. *Et benedicent ſe in ipſo.* Quæ verba eun-
Gen. 22. 18. dem habent ſenſum ac iſta: *Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ* omnes enim ſunt dicturi, benedicat nos Deus ſicut illum talem benedixit. *Omnes Gentes beatum dicent eum.* Hoc eſt de illo dicent, beatus eſt.

V. 18. *Benedictus Dominus.* Hæc intelligenda ſunt quemadmodum expoſuimus in fine libri primi, hic enim verſus, vt & ſubſequens, verba continet eius qui librum compoſuit, qui gratias agit Deo, quòd eius ope adjutus, librum abſoluere potuerit. *Qui facit mirabilia ſolus.* Qui in Iſraëlitis liberandis ſtupenda edidit opera: nam in nullo alio populo, præterquam in Iſraël, exhibita ſunt mirabilia. Quare verò? nempe quia ipſe eſt Deus Iſraëlitarum. Si ita ſit, ipſe ſolus eſt qui poteſt mira & inſolita opera efficere, non verò vlli aliarum Gentium Dij.

V. 19. *Et benedictum nomen gloriæ eius.* Illud ſcilicet nomen quod ſcribitur quidem ſed non legitur, quod eſt * nomen Dei glorioſum, & de illo
Zach. 14. 9. dictum eſt: *In die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum:* quia

nempe hoc ſolo nomine, tunc appellabitur. Tunc etiam omnem terram re- Psal. 72.
plebit gloria eius, ſicut ſcriptum eſt: *Quoniam repleta eſt terra cognitione*
Domini. Amen & amen. Ratum ac fixum ſit, ac ſi diceret, firma ſit res illa
futura, & certiſſima veritate eueniat. Iſa. 11. 9.

V. 20. *Finem habent orationes Dauid filij Iſai.* Si de Salomone Pſalmus hic exponatur, iam in eius initio horum verborum ſenſum expoſuimus. Si verò de Rege Meſſia, ſic illa exponit Dominus pater meus P. M. Quando prædictæ in hoc Pſalmo conſolationes adimpletæ fuerint, tum finem etiam habebunt orationes Dauidis filij Ieſſe. Non dixit Pſalmorum decantationes aut gratiarum actiones, verùm orationes; ac ſi diceret, completæ ſunt orationes de venia obtinenda, de propitiationibus ac liberatione. Cùm enim omnia iſta perfecta fuerint, nimirum vt Iſraëlitæ ab exilio liberati in terram ſuam redierint, ac Regem ſuper ſe habebunt Meſſiam filium Dauidis, tunc non erit opus orare pro obtinenda propitiatione aut felicitate, quia omnia illis erit Meſſias, & tum verè finem habebunt orationes Dauidis filij Ieſſe. Abſolutus eſt ſecundus Pſalmorum liber.

* Cuius nominis author ſibimet eſt Deus Exod. 3. 14. & dicitur ſcribi quidem ſed non legi, quod intelligi debet vt olim fuit lectum, & à Sacerdotibus rariſſimè in loco ſancto pronunciatum, nam alioqui legitur Adonai, & aliquando Elohim, hoc eſt, Dominus & Deus. Vnde hoc Deo ſoli proprium nomen, conſtans 4. litt. Iod, he, vau, he, ideo à Græcis dictum *Tetragrammaton*, afficitur vocalibus duorum nominum iſtorum. Et ſic illud pronunciarunt 70. Interpretes, Chaldæus Paraphraſtes, Apoſtoli, Origenes, &c.

LIBER TERTIVS

Psal. 73. PSALMVS SEPTVAGESIMVS TERTIVS.

Pſalmus Aſaph.

1. PRofectò bonus Iſraëli Deus : iis qui mundo ſunt corde.
2. At ego , pene vacillarunt pedes mei : pene effuſi ſunt greſſus mei.
3. Quia zelaui aduersùs inſanos, pacem peccatorum videbo ?
4. Quia non ſunt conſtrictiones morti eorum : & viuida eſt fortitudo eorum.
5. In labore hominum non ſunt : & cum hominibus non flagellantur.
6. Ideo vt torques, cingit eos ſuperbia : operit eos ornamentum violentiæ.
7. Exit præ adipe oculus eorum : tranſeunt cogitationes cordis.
8. Diſſoluunt & loquuntur in malitia calumniam : de alto loquuntur.
9. Ponunt in cœlum os ſuum : & lingua eorum ambulat in terra.
10. Ideo reuertitur populus eius huc : & aquæ pleni , *calicis*, exprimuntur eis.
11. Et dicunt , quomodo ſcit Deus : & eſt ſcientia in excelſo ?
12. Ecce iſti peccatores : & pacifici ſeculi, multiplicant opes.
13. Profectò ſine cauſa mundaui cor meum : & laui in innocentia manus meas.
14. Et fui flagellatus omni die : & caſtigatio mea in matutinis.
15. Si dixero, narrabo ſic : ecce *in* generationem filiorum tuorum præuaricatus ſum.

16. Et cogitaui vt cognoſcam hoc: labor eſt in oculis meis. PSAL.
17. Donec intrem in ſanctuaria Dei intelligam nouiſſimum 73.
eorum.
18. Profectò in lubricis ponis eos. dejicis eos in deſolationes.
19. Quomodo ſunt in deſolationem ſubitò: deficiunt conſu-
muntur à terroribus.
20. Velut ſomnium ab expergefacto, Domine: in ciuitate
imaginem illorum ſpernis.
21. Quia exacerbabatur cor meum: & in renibus meis pun-
gebar.
22. Et ego brutus, & neſciebam: iumenta eram apud te.
23. Et ego ſemper tecum: tenuiſti manum dexteram meam.
24. In conſilio tuo deduces me: & poſteà *ad* gloriam ſuſci-
pies me.
25. Quis mihi *eſt* in cœlo? & tecum nihil volo in terra.
26. Defecit caro mea & cor meum: robur cordis mei, &
pars mea Deus in æternum.
27. Quia ecce qui elongant ſe à te peribunt: perdidiſti om-
nem fornicantem abs te.
28. Mihi autem appropinquare Deo bonum eſt; poſui in Do-
mino Deo ſpem meam: vt enarrem omnia opera tua.

COMMENTARIVS.

V. 1. P*Rofectò bonus*, eſt, *Iſraeli Deus rectis corde.* In hoc Pſalmo agitur de perplexitate hominum huius ſeculi propter tranquillam & perpetuam felicitatem improborum, & miſerias iuſtorum in hac vita: & Aſaphus cantor iſta dicit vel in ſua, vel in cuiuſlibet ijs de rebus anxij & perturbati perſona. Ita etiam in libro Iob multa de iſto argumento propoſita agitantur: de quo pariter multi Prophetæ ſunt loquuti plurima; Ieremias quidem ſic dixit: *Iuſtus es, Domine, ſi diſputem tecum, verumtamen iudicia loquar tecum,* Ier. 12. 1. *Quare via impiorum proſperatur?* Dicit igitur Pſalmographus, Profectò bonus eſt Iſraëli Deus. Nam licèt multis afficiantur malis in exilio Iſraëlitæ, Deus tamen bonus eſt erga illos, & ipſis adhuc reſeruat bona ipſorum opera. Sic pariter eſt benignus erga mundos corde qui in cæteris nationibus exiſtunt, qui etſi in hac vita multis atterantur malis, bono tamen afficientur in futuro ſeculo. Particula אך *ac* hunc habet ſenſum, certè, hoc ego perſpectum habeo veriſſimè futurum eſſe illud quod eſt euenturum, nempe quòd illis adhuc ſit benefacturus. Vel illa vocula אך *ac* vim habet ad rei propoſitæ veritatem con- Gen. 29. 14.
firmandam, vt in iſto loco: *Verè os meum & caro mea es.* Et, *Profectò Rex* 1 Reg.
Iſrael eſt, & ſimilia iſtis, in quibus ea particula rei veritatem affirmat. Illa 22. 32.

Psal. autem verba: *Certè bonus eſt Iſraeli Deus*, ſic exponunt Interpretes,
73. quibuſnam? iјs nempe qui inter illos mundo ſunt corde. At ſi mundi ſint
——. animo, quantò magis rationum æternarum actionum mundi erunt?

V. 2. *At ego ferè vacillarunt.* Legitur נטיו *nataion* & ſcribitur נטוי *nataoni*, quod eſt participium paſſiuum, & hic eſt ſenſus omnis homo ea de re perplexus, vacillans efficitur. *Effuſi ſunt*, dictio שפכה *ſchupecon* ſcribitur cum ה *he* nota fœminini gen. de vtroque pede, & legitur cum ו *vau*, de duobus pedibus per quos fiunt greſſus. Porro is eſt huius verſiculi ſenſus, pene declinarunt pedes mei à recta fide cùm fœlicitatem improborum viderem; parum abfuit quin dicerem palam, non eſt iudicium neque Iudex. Hæc autem verba, pene effuſi ſunt, hunc habent ſenſum, ferè à fide mea in terram dejectus ſum, ac ſi diceret, quaſi nulli rei ſeu nihilo innixus ſteti ne caderem, adeo res à caſu me cohibens & retinens exigua erat & quaſi non erat; idcirco dicit: *Quaſi nihilum.*

V. 3. *Quia zelo commotus ſum aduerſus inſanos.* Hi ſunt impij, ipſi ſiquidem commodis & deſiderijs huius vitæ ſtudioſe incumbentes, quæ vera eſt inſania & ſtultitia, non curant interim, quòd alienas res vi apertà aut furto rapiant, & omnia malorum genera perpetrent vt ſuis cupiditatibus faciant ſatis. Et video eos tranquillâ proſperitate frui, ac idcirco tanto zelo commotus ſum, vt ferè pedes mei nutarint.

V. 4. *Quia non ſunt conſtrictiones morti eorum.* Vſque adeo feliciter per totum vitæ ſpatium ſe habent, vt etiam inſtante mortis tempore nullis affligantur doloribus, ſed placidè moriantur. Nam dictio חרצבות *hhartſubbot*
Iſai. 58. colligationes ſignificat, iuxta illud: *Solue colligationes impietatis.* Qui verò
6. moritur duris cruciatibus diuexatus & quaſi cum luctamine, ſtrictis veluti vinculis colligatus videtur dum anima ſeparatur à corpore, quæ vincula nonniſi ægrè & cum maximis cruciatibus reſoluuntur: at illi improbi pacatè omnino & tanquam nullis dolorum conſtrictam vinculis animam emittunt. *Et viuida eſt fortitudo eorum.* Et ſano ſunt robore. Vox iſta אולם *oulam* ſignifi-
Gen. catum habet quale eſt in iſto loco: *Eſt* לאל *leel fortitudo in manu mea ad red-*
31. 29. *dendum tibi malum.* Dicit igitur per totam vitam ſuam vigore naturali vegeto & robuſto fruuntur, & in morte ſua quietè expirant. Sunt qui vocem אולם *oulam* poſitam exiſtiment cum defectu literæ כ *caph* notæ ſimilitudinis, ac ſi diceret, firmi ſunt inſtar palatij quod firmis & validis ædificijs conſtructum eſt. In Deras autem ſic exponitur dictio חרצבות *hhartſubbot*, vt ſit compoſita ex voce מאחר *meaher.* quæ ſignificat retardans, & צביונות *tſiuionoth*, hoc eſt, cupiditates, vt ſit ſenſus, non retardat Deus cupiditatem impiorum, ſed quidquid exoptant ipſe illis concedit, quod patet hac ſimilitudine ægroti ad quem inuiſendum aſcendit Medicus, & elatâ manu dicit iјs qui ipſum curant, date illi quidquid edendum petierit: quare verò? nempe quia eſt certò moriturus: ſic Deus Opt. Max. bona ſuis inimicis confert ad eos poſtea perdendos.

V. 5. *In labore hominum non ſunt.* In reliquorum hominum labore, qui multo ſudore & moleſtia coguntur victum & alia neceſſaria ſibi comparare: at improbi ex illis non ſunt hominibus, nam victum ſuum & alia vitæ ſuæ

..oda abſque vllo labore aſſequuntur. Cúmque clades aut morbi cæ- Psal.
..tos homines affligunt, iſti malorum communium ſunt expertes, nec cum 73.
alijs flagellantur.

V. 6. *Ideo vt torques, cingit eos ſuperbia.* Præ ſuperbia torquem collo ſuo & gutturi circumponunt, & pretioſis veſtibus ex rapina comparatis ſe ſe exornant, quod iſtis verbis indicatur: *Operit ornamentum violentiæ illos*, induunt ſe ornamento iniquitatis iugiter; Quemadmodum homo ſe ſemper omni die veſte ſuâ induit, ſic ipſi omni die iniquitatem circumponunt ſibi.

V. 7. *Exit præ adipe oculus eorum.* Propter nimiam pinguedinem oculi ipſorum exiſſe videntur, quaſi non ſint ipſis ampliùs oculi. Nempe quia præ denſa & prominente faciei pinguedine oculi conteguntur. In Midras ita circa hæc verba diſſeritur, oculi eorum exeunt ab ipſis, propter res pingues quibus ipſi veſcuntur, & quæ ipſis in loco oculorum ſuccedunt, ipſi verò oculi penitus in illorum vultu apparere deſinunt; Quod vel inde conſtare poteſt, quia præ afflictione & nimio fletu humani oculi profundiores effici videntur: vnde
filij Core ita loquuntur: *Oculus meus elanguit præ afflictione. Tranſeunt cogi-* Pſal 88.
tationes cordis ſui. Paraphraſtæ Chaldæi vocem Hebræam מצפה *mitſpa* ſpe- 10.
culam aut ſpeculationem, per vocem שכותא *ſacouta* contemplationem tra-
ducunt: hinc & ipſum cor dicitur שכוי *ſecui*, vnde eſt illud: *Quis dedit cordi* Iob. 38.
ſeu menti intelligentiam? quaſi ipſa mens res cogitatione ſuâ contempletur. 36.
Senſus ergo huius loci eſt, quidquid bonorum huius mundi mens eorum cogitat & aſſequi exoptat, hoc totum majori copiâ & facilitate ipſis euenit, quàm expectauerant, & tranſeunt ſupra id quod cogitatione & deſiderio ſibi propoſuerant. In Deras ſic dicitur circa hunc locum, Longè plura & majora quàm expeterent ipſi contuliſti eis: qui enim proponebat tantùm eò peruenire vt eſſet apparitor, effeciſti vt Dux fieret, & qui eò ſolùm aſpirabat vt præfecti officio fungi poſſet, tuo nutu exercitus imperator eſt creatus: longè plura & majora ijs quæ ſe aſſequi ſperabant aut optabant ipſis tua deſtinatione contigerunt, vnde factum eſt vt ex alto loquuti ſint.

V. 8. *Diſſoluunt.* Verbis ſuis malis ac ſuperbis alios homines tabeſcere faciunt. Et hoc verbum ימיקו *iamiqou* non alio in loco reperitur in Scriptura ex ordine quieſcentium ſecundâ; at in ſcriptis Magiſtrorum occurit: Sæpe autem
inuenitur in Scriptura ſacra in ordine duplicantium vt: *Tabeſcet caro vniuſ-* Zach.
cuiuſque. Et tabeſcet omnis militia cælorum. Et alia prætérea. *Et loquuti ſunt* 14. 12.
in malitia calumniam. De ſuis rapinis & calumnijs palam loqui non verentur, Eſa. 34.
quibus alios opprimunt: eas occultare non curant, ſed de ſuis iniquè factis im- 4.
pudenter loquuntur, adeout etiam ex alto dicere audeant, nullum eſſe ſe ſuperiorem à quo propter ſuâ ſcelera puniri formident.

V. 9. *Ponunt in cælum os ſuum.* Punctum dagues in voce שתו *ſchattou* eſt loco li-
teræ ו *vau* quieſcentis radicalis, alias ſcribitur ea dictio שותו *ſchatou*, vt alio in lo-
co reperitur: *Poſuerunt in circuitu aduersùm me bellum*, ſic & קמו *camou*,
שבו *ſchauou*, &c. Dominus autem pater meus F. M. illam vocem exiſtimat eſſe à Pſal. 3.
themate שתת *ſchatat* ex claſſe verborũ duplicantium, ſed in eo ſignificatu quod 7.
habet in ſcriptis Magiſtrorum noſtr. F. M. cum dicunt, ſanguis eius שותת *ſchotet*
effluit vt ſit ſenſus, os eorũ effundit ſe ſe, & excurrit in cælum. Et ſic etiam, Et lin-

gua eorum excurrit in terran. Quod verbis iſtis indicatur. *Et lingua*
PSAL. 73. *am'ulat in terram.* Dicit igitur Pſaltes de improbis. Poſuerunt in cœlum
os ſuum, hoc eſt, contra Deum impiè ſunt loquuti, aſſerentes eum nullam
ſuarum rerum habere notitiam. *Et lingua eorum ambulat per terram*, hoc eſt
os ſuum & linguam ſuam, quibus vtuntur ad loquendum pro libito de ijs omnibus quæ fiunt in terra, etiam aduersùs cœlum laxare & exerere impudenter ſunt auſi. Vel ſenſus eſt, contra Deum cœlos inhabitantem ſunt loquuti; & etiam aduersùs eos, qui ipſum in terris reuerentur & colunt.

V. 10. *Ideo reuertitur populus eius huc.* Dictio ישוב *iaſchoun* cum ו *vau*, idem ſignificat ac ſi eſſet ſcripta ישיב *iaſchiu* cum י *iod*, hoc eſt, adducet eum Deus. Dicit ergo, populus eius qui modò verſatur in exilio & videt tranquillam improborum felicitatem, ſæpius huc ſubinde reuertetur. Vox הלום
Exod. 3. 5. *halom* idem hîc habet ſignificatum ac in iſto loco: *Ne appropinques* הלום *halom huc.* Eſt verò ſenſus, in hanc ſæpius reuertetur objectionem animo reuoluendam, vt tentet num fortè poſſit oppoſitam ipſi rationem inuenire, quâ
Abac. 1. 16. iuſtum eſſe Dei iudicium demonſtret. *Et aqua pleni exprimentur eis.* Deeſt hoc loco, ſubſtantiuum, dicendúmque eſt, & aquæ calicis pleni, ſicut in iſtis lo-
Cant. 4. 2. cis, cibus eius, pinguis. Grex tonſarum, &c. his ſimilia. Senſus eſt, & aquæ
Ezech. 23. 34. calicis pleni ſtuporis & amaritudinis exprimuntur eis; iuxta illud: *Bibiſti & expreſiſti vſque ad fæces.* Ac ſi diceret, Aquæ amaræ exprimuntur intra os illorum iſtam ob rem, nimirum felicitatem improborum. Sunt qui vocem חלום
Iud. 5. 22. *halom* putent eſſe infinitiuum & eiuſdem ſignificationis ac in iſto loco: *Contritæ ſunt vngulæ equorum*, ac ſi diceret, contuſus eſt & contritus populus eius ob illam rem, ſeu prauorum felicitatem.

V. 11. *Et dicunt.* Hæc eſt anxia illa dubitatio quâ agitantur & in quam ſubinde per dies ſingulos reuoluuntur vt eam animo perpendant & excutiant, & dicunt, quî fieri poteſt, vt Deus vias & res hominum pernouerit? & ſit Deus verax & fidelis? Et ſiquidem vias hominum nouerit, quomodo tot mala populo ſuo infligit, & ijs qui ambulant in vijs ipſius: & bonis cumulat eos qui ipſum negant, nec-non omnes improbos ſeculi? & ſi foret ſcientia in Excelſo, quî iſta ita contingerent?

V. 12. *Ecce iſti peccatores.* En iſti exterarum nationum populi ſunt peccatores & improbi, & tamen ipſi ſunt pacati & diuites ſeculi, ac in dies ſuas opes & gloriam adaugent.

V. 13. *Sanè in vanum mundaui.* Et ego qui ſum populus eius, ſanè gratis ſtudui mundum ſeruare cor meum, & in vanum laui in innocentia manus meas; ac ſi diceret, mundum eſt cor meum & ſcelerum expers, ac pura ſunt opera mea, & interim malis opprimor, nec tranquillâ proſperitate fruor, iſti è contra bonis omnibus pacatiſſimè potiuntur.

V. 14. *Et fui.* Ego ſum probus, & tamen improborum manibus continuò diuexor & flagellor. *Omni die.* Hoc eſt, per dies ſingulos, ſic & illud explicandum eſt. *In matutinis.* Hoc eſt, ſingulis matutinis, ac ſi diceret, quotidiè ipſi me caſtigandi & corripiendi poteſtatem habent.

V. 15. *Si dixero.* Hic iam eſt ſermo Aſaphi aut cuiuſlibet hominis pij qui per ſingulas ætates in exilio verſatur; ſi dixerim ego de iſta dubitatione circa

Dei

Dei ſcientiam, cenſebo & eloquar eodem modo ac de ea loquuntur filij & cultores tui cæteri, ecce aduersùm te præuaricatus ſum. Dictio autem ecce, per hyſteron proteron eſt poſita, ſic enim periodus eſt conſtruenda, ſi dixerim narrabo ſicut generatio filiorum tuorum de illa quæſtione, ecce peccaui. Et multa occurrunt ſimiliter tranſpoſita in Scriptura quale eſt illud: *Et luctum ad ſcientes lamentum*, pro, & ſcientes lamentum, vocabunt ad planctum, &c. PSAL. 73. Am. 5. 16.

V. 16. *Et cogitaui.* Ecce quidem ego ſum veritus, ita liberè ore meo diſſerere de ea quæſtione ſicut ipſi loquuntur palam dum dicunt, Quomodo ſit Deus? ſed ecce ſtatui apud me diligentiùs animo perſcrutari quiduam hoc ſit; at ecce illud ipſum: *Labor eſt in oculis meis*, hoc eſt, ante oculos mentis meæ nimis laborioſum eſt viſum: licèt enim illud dubium animo meo voluam ſæpius & ſubinde revoluam, nihil tamen acie mentis meæ conſequi poſſum, quo dignoſcam quidnam ſit illud. Et vox היא *hi* ſcribitur cum י *iod*, & tum refertur ad quæſtionem & ad reſponſionem illam; & legitur הוא *hou* cum ו *vau* de ipſa re, ſed idem eſt omnino.

V. 17. *Donec intrem.* Quæſtionem hanc animo meo ſcrutatus ſum multo cum labore vt eius notitiam haberem, nec eam aſſequi valui donec mentis contemplatione intraui in Sanctuaria Dei, hoc eſt, in mundum Angelorum & Spirituum, vbi vltima eſt merces & præmium certum: bona enim huius mundi non ſunt ſtabilia & fixa. At in altero mundo qui eſt mundus animarum, probi & improbi explorabuntur; & illud eſt quod iſtis verbis denotatur: *Intelligam nouiſſimum eorum.*

V. 18. *Profectò in lubricis ponis eis.* Hoc eſt, quidquid bonorum eis elargitus es in hoc mundo, cauſa fuit cur in altero mundo corruerint: ſicuti qui per viam lubricam incedit quæ ipſi bona videtur & ſecura apparet eóquòd leuis ſit & mollis, ſed breui admodum tempore firmis per illam greſſibus ambulat, quin ſtatim nutent pedes eius, & in deſolationes corruat. Sic in hoc mundo prauorum bona & proſperitas haud longo tempore permanent; imò etiam ipſa illorum memoria morte deletur; nec opes eorum ad filios ipſorum tranſmitti ſolent, quod mox ſequenti verſiculo declaratur: *Deficiunt, conſumuntur præ terroribus.*

V. 19. *Quomodo ſunt?* Quotquot illos intuentur, attoniti ita de illis loquuntur, quomodo tam repente redacti ſunt in deſolationem.

V. 20. *Velut ſomnium expergefacti.* Ecce enim ſomnio facti ſunt ſimiles; vt enim quis ſtatim à ſomno expergiſcitur, & nihil eius rei inuenit quam ſomnians finxerat, ſicut dictum eſt: *Quemadmodum ſomniat eſuriens & ecce comedit, quum autem fuerit expergefactus vacua eſt anima eius.* Ita eſt de improbis, quos modò in ſumma felicitate videre eſt, & modò ampliùs non apparent, ſicuti dicit Baldad Suhhithes, *Si abſorbuerit eum de loco ſuo, negabit eum & dicet non noui te. Domine in ciuitate imaginem illorum ſpernis.* Ecce declaratur ipſos in hoc mundo explorari, cum felicitas eorum breuiſſimæ ſit durationis, & maxima probatio eos in futuro ſeculo maneat. Animæ ſiquidem iuſtorum erunt colligatæ in faſciculo viuentium cum Domino Deo, ſed animas impiorum fundà projiciet, quod ſuperiùs iſtis verbis indicauit: *Deijcis eos in deſolationes.* Hic verò aliam adhuc probationem addit. *In ciuitate ima-* Iſa. 29. 8. Iob. 8. 18. 1. Sam. 25. 29.

Psal. *ginem illorum ſpernis.* Dominus pater meus F. M. vocem בעיר *baair* exiſti-
73. mauit eſſe poſitam pro בהעיר *behairr* in ſuſcitando, hoc ſenſu, dum mortui
ſuſcitabuntur, imaginem impiorum & figuram eorum ſpernes, ſicut dicit Scri-
Dan. ptura: *Et multi de ÿs qui dormiunt in terra puluere euigilabunt, alÿ in vi-*
12. 2. *tam æternam, alÿ in opprobria & in contemptum ſempiternum,* Vox autem
צלמם *tſalmam* imaginem eorum, accipi poteſt vel pro corpore, vel pro ſpi-
Gen. 1. ritu, vt cùm dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem, ſecundùm ſimilitudi-*
26. *nem noſtram:* vel pro vtroque ſimul. Vox etiam בעיר *baiir*, vt ſonat exponi
poteſt, vt ſit ſenſus, In ea ciuitate in qua illorum imago celebris erat propter
opes & felicitatem ipſorum, cùm malis eos affeceris fiet ibidem contemptibi-
lis, cùm priùs ab omnibus ſuſpiceretur: ſed prior explanatio magis conſen-
tanea videtur.

V. 21. *Quia exacerbabatur.* Sanè antequam hoc intelligerem, cor meum
propter anxiam illam dubitationem exacerbabatur. Vox יתחמץ *ithhammetſ* ſi-
Num. milem habet ſignificationem iſtis verbis: *Acetum ex vino,* &c. *non bibent,*
6. 3. ac ſi diceret, nihil inueniebam quod eſſet dulce & gratum animo meo in quo
quieſcerem, præ magna illa perplexitate. *Et in renibus meis pungebar.* Deeſt
2. Reg hoc loco ſeruilis litera ב *beth* vt in iſto loco: *Inuentus in domo Domini.*
12. Dicit igitur, Et in renibus meis, quorum eſt conſulere, etiam pungebar ob
illam difficilem quæſtionem. Dictio אשתונן *eſchtonan* ab eodem themate ori-
Prou. tur ac illa, *Et ſagitta* שנון *ſchanoun acuta*: ac ſi diceret, vt ſagitta acuta fui
25. 18. cum illis ſuper re iſta, cùm de illa ſententiam cum illis vt conſiliarijs con-
ferrem.

V. 22. *Et ego brutus, & ignorabam.* Antequam illud intelligerem ego inſi-
piens eram inſtar bruti, hoc eſt, homo omnis expers rationis & ſcientiæ, & ſi-
milis bruto animali à Deo condito. *Iumenta eram apud te.* Et inſtar iumen-
torum eram apud te dum colerem te, ignorabam enim vtrum præmium eſſet
colentibus te an non.

V. 23. *Et ego ſemper tecum.* Cùm verò tecum ſemper eſſem tibique con-
ſtanter adhærens tuo cultui vacarem, & darem operam ſapientiæ, ea in re di-
judicanda opem mihi dediſti, adeout veram eius intelligentiam tuo beneficio
ſim conſequutus. Et hoc indicat iſtis verbis: *Tenuiſti manum dexteram meam,*
hoc eſt, mihi auxilio fuiſti, ac nutantem confirmaſti.

V. 24. *In conſilio tuo.* Ac quemadmodum in hac perplexitate me adjuui-
ſti ne errarem & tuo me conſilio deduxiſti, ſic deinceps eodem me ſemper di-
rige ac me edoce omnibus vitæ meæ diebus. *Et poſtea ad gloriam ſuſcipias me.*
Hoc eſt, dum ſeparabitur vita, & gloria ſeu anima reſtabit à corpore ſeparata,
tunc me aſſumas, hoc eſt, colligas ad te gloriam ſeu animam meam. Porro
vox ואחר *veahhar* & poſt, non eſt conjungenda cum voce כבוד *cauod* gloriam
accentus enim muſicus illas voces diſtinguit; ac propterea dictio, Et poſt,
ſeorſim per ſe ab alijs ſeparata eſt, hoc ſenſu exponenda, & poſt mortem meam;
ac ſi diceret in meo nouiſſimo tu me aſſumas, hoc eſt gloriam meam quæ eſt
anima mea. Vel dictio illa כבוד *cauod* ſignificat ad gloriam, hoc eſt, ad tuam
gloriam me ſuſcipias.

V. 25. *Quis mihi* eſt *in cælo?* Nihil eſt in cœlis quod amore velim proſe-

qui præter te vnum. Eorum quidem qui malas & falſas religiones profitentur; ſunt qui ſolem aut aliquam ex ſtellis colant, & in illis confidant. Mihi autem nihil placet aut honore dignum videtur quàm tu ſolus; nullum mei erga te amoris & venerationis tecum participem eſſe volui, neque in cœlo neque in terra. Nomine terræ, quatuor elementa intelligit, ſunt enim qui aquas venerentur, ſunt qui aërem & terram colant. PSAL. 73.

V. 26. *Defecit caro mea & cor meum.* Quando conſumetur caro mea, hoc eſt corpus meum, & cùm deficiet cor meum, hoc eſt anima viuens quæ ſita eſt in corde omnis animalis, robur cordis mei non deficiet, nempe ratio ſeu facultas intellectiua, & mens quæ eſt robur animi, quia mentis operationes per ipſam exercentur, quæ eſt robur cordis mei & pars mea, quia eſt pars Dei, in perpetuum erit, permanebit, hoc eſt Deo adhærebit in æternum. Quo etiam ſenſu illud eſt dictum: *Thronus tuus Deus in æternum*, hoc eſt, Thronus tuus, thronus eſt Dei. Sic pars mea Deus, pars mea pars Dei. Vel ſenſus eſt, poſtquam corpus meum & cor meum conſumpta erunt, robur cordis mei & pars mea, erit Deus in æternum. Sic igitur pars mea ſeu bonum meum, erit in æternum, nempe quia tibi conſtanter adhæſi, at verò. Pſal. 44.

V. 27. *Qui elongant ſe à te peribunt, perdidiſti omnem fornicantem à te.* Omnis qui à vijs tuis aberrat, à te ſucciditur, non erit enim illi pars vlla poſt mortem eius corpoream.

V. 28. *Mihi autem appropinquare Deo, bonum.* Ipſi improbi longè à Deo recedunt, ac idcirco ſunt perituri; at quod ad me attinet, acceſſus ad ipſum mihi eſt res optima: dum enim accedo ad te, contemplor animo & ſpero æternum illud fœlicitatis præmium in futuro ſeculo poſſidendum. *Et poſui in te ſpem meam.* Nempe confido te educturum eſſe me ad enarranda omnia opera tua; ac ſi diceret, vt noſcam & poſſim enarrare ac intelligere ſcientiæ naturalis arcana. Eius ſiquidem beneficio, tuorum omnium operum corporeorum inferiorum ac ſuperiorum habetur notitia, & inde ad cognitionem tuorum operum longè excellentiorum aſcendam, ac tandem ſcientiam omnium ſupremam cognoſcam.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS QVARTVS.

Erudiens, Aſaph.

1. VT quid Deus repuliſti in æternum: fumat ira tua contra oues paſcuæ tuæ?

2. Memor eſto congregationis tuæ *quam* poſſediſti ab antiquo: redemiſti virgam hereditatis tuæ; montem Sion in quo habitaſti in eo.

3. Leua pedes tuos ad deſolationes perpetuas; ſuper omnem

PSAL. 74. qui mala operatus eſt inimicum, in Sancto.

4. Rugierunt hoſtes tui, in medio templi tui: poſuerunt ſigna ſua, ſigna.

5. Cognoſcebatur quaſi adducens ſurſum in perplexitatem ligni ſecures.

6. Et nunc cælaturas eius ſimul ſecuri & malleis conquaſſant.

7. Miſerunt in ignem Sanctuarium tuum: in terram polluerunt tabernaculum nominis tui.

8. Dixerunt in corde ſuo, depopulemur eos ſimul: incenderunt omnia tabernacula Dei in terra.

9. Signa noſtra non vidimus, non eſt ampliùs Propheta: &, *non*, eſt nobiſcum qui cognoſcat vſquequo.

10. Vſquequo Domine probris afficiet inimicus: blaſphemabit aduerſarius nomen tuum in ſeculum?

11. Vt quid conuertis manum tuam & dexteram tuam? è medio ſinu tuo, conſume.

12. Deus autem Rex meus ab initio: operans ſalutes in medio terræ.

13. Tu dirupiſti in virtute tua mare: contriuiſti capita draconum in aquis.

14. Tu confregiſti capita Leuiathan: dediſti eum eſcam populis deſertorum incolis.

15. Tu dirupiſti fontes & torrentes: tu ſiccaſti fluuios fortes.

16. Tuus eſt dies, etiam tua eſt nox: tu præparaſti lumen & ſolem.

17. Tu ſtatuiſti omnes terminos terræ: æſtatem & hyemem tu plaſmaſti ea.

18. Memento huius, inimicus improperauit Domino, & populus inſipiens blaſphemauit nomen tuum.

19. Ne tradas cœtui, *hoſtium*, animam turturis tui: congregationem pauperum tuorum ne obliuiſcaris in perpetuum.

20. Reſpice ad fœdus tuum: quia repleta ſunt loca tenebroſa terræ habitaculis iniquitatis.

21. Ne reuertatur afflictus, factus confuſus: miſer & inops laudent nomen tuum.

22. Exurge Deus, iudica cauſam tuam: memor eſto improperii tui ab inſipiente omni die.

23. Ne obliuiſcaris vocem inimicorum tuorum: ſtrepitus eo-

rum qui inſurgunt in te, aſcendit ſemper. PSAL. 74.

COMMENTARIVS.

V. 1. *VT quid Deus repuliſti in finem?* Pſalmus hic de præſenti exilio eſt editus, ac dicit Pſaltes, quare, ô Deus, nos à te in perpetuum abjeciſti: *Fumat naris tua*, ſic ideo loquitur quia dum quis grauiter excandeſcit, intus ſolet inardeſcere, ideoque fumum è naribus efflare, quod Deo ſemper laudando, figuratè attribuit.

V. 2. *Memor eſto congregationis tuæ quam acquiſiuiſti.* Et ſicut ipſos Iſraëlitas ex Ægyptiaca ſeruitute erutos, tunc tibi acquiſiuiſti; ita etiam nunc eoſdem à præſenti exilio reuocatos tibi iterum acquire: verbum illud acquiſiuiſti, hunc propriè habet ſenſum, tuos peculiari iure feciſti, quia ipſi antea ſeruiebant Ægyptijs quaſi mancipia quæ ipſis fuiſſent ære vendita, & illorum iuris ac poteſtatis effecta. *Tribus hereditatis tuæ*, Memor ſis omnium Iſraëlis tribuum, tanquam vnius, quoniam in Ægypto ita fuerunt ſimul omnes adunatæ inter populum vnum, ibique fuerunt vnus populus & Dei hereditas, & de eius nomine appellatus. Vel idcirco vocat eos hereditatem Dei, quia ex quo eos è domo ſeruitutis eripuit ac ſibi acquiſiuit, eius hereditas appellantur vt ſcri-
ptum eſt: *Quoniam ipſi ſunt populus tuus & hereditas tua quam redemiſti in* Deut.
fortitudine tua magna. *Montis Sion in quo habitaſti*, hoc eſt, Acquiſiuiſti eos 9. 29
& redemiſti ex Ægypto imò etiam adduxiſti eos vſque ad montem Sion iſtum in quo habitaſti. Ita pariter in illo cantico quod poſt maris tranſitum fuit decantatum dicitur, Donec pertranſeat populus iſte quem acquiſiuiſti. Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo quod operatus es Domine. Meminit autem montis Sion, præ alijs, quia ipſe erat notiſſimus; vel quia in eo monte hic Pſalmus fuit decantatus.

V. 3. *Leua pedes tuos.* Sunt qui vocem פעמיך *peaameca* velint ſimilem ha-
bere ſignificationem cum iſto loco, *Ad percuſsionem ſuper incude*: vel ſim- Iſa. 41.
pliciter ſignificat pedes tuos, & eadem ratione debet exponi, ac illud: *Exur-* 7.
ge Domine & diſsipentur inimici tui. *Ad deſolationes perpetuas.* Eſt hoc Pſal. 68.
loco nomen pro infinitiuo ſicut in iſto loco למשות *lemaſot* ad euellendum 1.
eam radicitus, pro להשיא *lehaſsi*: ita hîc למשאות *lemaſchaot* erit pro Ezech.
להשאות *lehaſchot* ad deſolandum. *Omnem qui malefecit inimicum, in ſan-* 17. 9.
cto. Similis eſt verborum tranſpoſitio in hoc loco: *Omnem condona iniquitatem* Of. 14.
& accipe bonum; pro, omnem iniquitatem condona, &c. ſic etiam in iſto: 4.
Etiam ignis hoſtes tuos deuoret, pro, Etiam hoſtes tuos ignis deuoret. Ac ſen- Iſa. 26.
ſus verſiculi eſt, Leua pedes tuos ad deſolandum in perpetuum omnem ini- 11.
micum qui malè fecit in Sancto, hoc eſt in Sanctuario, ſeu in templo.

V. 4. *Rugierunt in medio conuentuum tuorum.* Hoc eſt, loci Sanctuarij, quod appellabatur conuentus quia in templum Iſraëlitæ conueniebant ad ſolemnitates celebrandas; ſic etiam inferiùs dicetur: *Incenderunt omnes conuentus Dei.* Dicit verò, Rugierunt hoſtes tui, quemadmodum alibi dicitur de
ijſdem: *Vocem dederunt in domo Domini ſicut in die ſolemni*, fieri ſolet à popu- Thren.
lo præ gaudio clamante. *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna.* Nabuchodonoſor con- 2. 7.

PSAL. uentum inſtituit circa ſigna & auguria capienda ad domum Sanctuarij euer-
74. tendam, ſicut dicitur à Propheta, ſtetit Rex Babel in biuio vt diuinaret diui-
nationem, interrogauit imagines, inſpexit iecur, vt noſſet an contra Hiero-
Ezech. ſolyma, aut contra terram filiorum Amon bellum moueret, & indicatum eſt ipſi
21. per ſigna & oracula vt exercitum duceret aduerſus Hieroſolyma & ea de-
uaſtaret.

V. 5. *Cognoſcebatur quaſi emittens ſurſum.* Quum extructa eſt domus Sanctuarij, cognitus fuit qui adducebat & inferebat ſecures in perplexas arbores quò illas exſcinderet in vſum ædificij, perinde ac ſi intuliſſet aliquid ſupernè in cœlum coram throno gloriæ. Nunc autem venerunt hoſtes, diiecerúntque bipennibus & malleis ſculpturas. Dictio בסבך *baſauoc* hîc idem ſignificat ac
Gen. 22. in iſto loco, Et vidit, & ecce aries poſt ſe detentus cornibus ſuis in perplexi-
13. tate veprium. Quo in loco vox בסבך *bisbac* eſt alterius formæ, nam in hoc litera ב *beth* ſcripta eſt & legitur cum cametſ hhateph.

V. 6. *Et nunc cælaturas eius ſimul.* Omnes ſculpturas & figuras quæ in auro fuerant elaboratæ, pariter bipennibus & malleis conquaſſant ac disjiciunt. Pronomen eius refertur ad artem ſeu mirum opificium quo illæ elegantes ſculpturæ fuerant efficæ, ac ſi diceret, elegans templi opificium, quod pulcherrimis ſculpturis conſlabat, hoſtes effregerunt. Dictio כשיל *caſchil* ſecurim ſignificat vnde illam Chaldæus Paraphraſtes vſurpat pro voce קרדום *cardom*
Ierem. bipenni in iſto loco, cum ſecuribus venient contra illam quaſi cæſores arbo-
46. 22. rum: vox etiam כלפות *chelaphot* denotat inſtrumenta ad res diſſipandas apta, inſtar ſecuris: éſtque eiuſdem formæ ac vox אלמות *elamot* à ſingulari אלם *elam* ſic כלף *chelaph* inſtrumentum quo lapides effringuntur ac cæduntur.

V. 7. *Miſerunt in ignem Sanctuarium tuum.* Ac ſi vocibus tranſpoſitis di-
Iud. 1. 8. ceret, miſerunt ignem in Sanctuarium tuum; ita etiam alibi dicitur: *Et ciuitatem miſerunt in ignem.*

V. 8. *Dixerunt in corde ſuo, opprimamus eos.* Dictio illa נינם *ninam*, idem eſt ac נינם אותם *nine otham*, hoc eſt, occidamus eos, à themate ינה *iana*,
Ier. 46. Quo ſenſu alibi dicitur: *Reuertamur ad populum noſtrum à facie gladij* היונה
26. *haiona occidentis*, ſeu vim inferentis. Vox enim iſta id habet proprium vt ſignificet oppreſſionem quæ infertur alicui propter diuitias vt: *Ne opprimatis*
Leu. 25. *vnuſquiſque proximum ſuum.* Significat etiam vim illatam opibus & corpori
17. iuxta illud: *Non opprimen t vltra Principes mei populum meum.* Item, *Et co-*
Ezech. *medere faciam depopulantes te, carnem ſuam. Omnia tabernacula*, ſeu conuen-
45. 8. tus Dei. Iſta verba iam ſupra explanauimus.
Eſa. 49.
26. V. 9. *Signa noſtra non vidimus.* Noſtræ ſcilicet liberationis futuræ nulla ſigna huc vſque vidimus, etiamſi exilij huius noſtri tempus iam multum durauerit. *Non eſt ampliùs Propheta.* Nempe ex quo ex patria depulſi fuimus. Ex quo Haggæus Zacharias & Malachias mortui ſunt, nullus adfuit ampliùs Propheta qui nobis futura prænuntiet, & quamdiu præſens exilium ſit duraturum prædicat. Vel ſenſus eſt, non eſt adhuc Propheta, hoc eſt, huc vſque non apparuit Propheta ille; ac ſi diceret, Propheta qui nobis eſt reuelaturus quandonam ſit tandem euentura liberatio noſtra, nempe Elias Propheta nondum venit. *Et non* eſt *nobiſcum qui cognoſcat vſquequo.* Nimirum differenda ſit no-

ſtra ex iſtis malis liberatio : Vox iſta מה *ma* idem hoc loco ſignificat ac מתי Psal.
matai quando, ſic & in iſto, *Vſquequo Deus iraſceris in finem.* 74.

V. 10. *Vſquequo Domine probris afficiet inimicus, & blaſphemabit nomen tuum?* contumelioſè enim objectat tibi non eſſe ſatis roboris ad nos ex præ- Pſal. 79.
ſenti exilio educendos. 5.

V. 11. *Quare conuertis manum tuam?* Similis loquendi modus occurrit alibi,
confregit in ira furoris omne cornu Iſraël & auertit retrorſum dexteram ſuam Thren.
à facie inimici. Per manum verò, ſiniſtram intelligit. *De medio ſinus tui con-* 2, 3.
ſume, hoſtes noſtros ſcilicet ex medio ſinu tuo, qui ſinus tuus eſt Sanctuarium, eſt enim locus arcani tui, vt ſinus in homine: vel ſenſus eſt, Prohibe dexteram tuam de medio ſinus tui, ne in illum conuertatur, ſed illa exertâ & extensâ exerce vltionem noſtram; qui enim manus ſuas in ſinu ſuo recondit, nihil operatur, ſicut piger qui otio torpens, manus ſuas in ſinu ſuo repoſitas habet nec quidquam molitur operis. Ideo autem dicit, prohibe: nempe Deum ſic orans ne vnquam poſthac manum in ſinum tuum reducas donec pœnas de improbis ſumpſeris; hoc autem totum figuratè eſt dictum.

V. 12. *Deus autem Rex meus.* Quomodo fieri poteſt vt ipſe nos tam longo temporis ſpatio in exilij hujus miſerijs deſerat, cùm iam ab initio ſit Rex meus, & qui olim ſolebat mihi in medio terræ & palam in anguſtijs ſalutem afferre. Nunc autem videtur noſtri curam & regimen depoſuiſſe, cùm alij præter ipſum nobis dominentur; & eandem ob rationem dixit hîc : *In medio terræ*, ob quam
dixit Deus Pharaoni: *Vt ſcias quia ego Dominus in medio terræ*; ac ſi diceret, Exod.
Etiamſi ego ſim Altiſſimus, hæc tamen inferiora prouidentiâ meâ dirigo, & 8. 22.
quidquid mihi libuerit in ipſis operor. Senſus verò huius vocis, In medio, iſte eſt, etiam in medio terræ hoſtium & aduerſariorum ipſorum; nec ſatis habent virium vt ſe ab eius poteſtate liberent vel in ipſo terræ ſuæ medio.

V. 13. *Tu dirupiſti.* Vox פוררת *porarrta* confractionem & ſciſſionem deſi-
gnat vt in iſtis etiam locis : *Confringendo confracta eſt terra.* Et, *Quietus fui* Iſa. 24.
& confregit me. Senſus ergo eſt, Iam à primis temporibus his omnibus libe- 19.
rationum modis nos ſeruaſti: noſtri gratia ipſum mare diſſecuiſti tuâ virtute, Iob. 16. 12.
& nos per eius medium tranſiuimus; & contriuiſti capita inimicorum noſtrorum in aquis; illud enim eſt quod iſtis verbis denotatur : *Contriuiſti capita draconum in aquis.* Nam Ægyptios draconibus aſſimilat : Quo etiam modo de
Pharaone dictum eſt alibi : *Draco* magnus *cubans in medio fluminum ſuorum.* Ezech.

V. 14. *Tu confregiſti capita Leuiathan.* Hoc eſt, Pharaonis ſeu Regis Ægy- 29. 3.
pti, nam vox Leuiathan ingentem cetum ſignificat, iuxta illud, In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, ſeu oblongum, inſtar vectis. Dicit verò capita, numero multitudinis, de Principibus & Magnatibus Pharaonis. *Dediſti eum eſcam populis deſerta incolentibus.* Spolia Ægyptiorum aquis maris extinctorum intelligit quæ ſibi diripuerunt Iſraëlitæ, qui tum erant populus per deſerta iter faciens. Dictio ציים *tſiim* loca ſqualida & deſerta ſignificat, nam ex quo Iſraëlitæ egreſſi ſunt ex Ægypto, per deſerta ſemper inceſſerunt, quia omnes profectiones eorum per deſertas regiones fuere.

V. 15. *Tu dirupiſti fontem.* Hoc eſt, dirupiſti eis petram ſicciſſimam, adeout

PSAL. 74. fons aquarum & torrens ex ea erúperit, dicit verò dirupiſti fontem, metonymicè, factâ denominatione à fine, neque enim fons diſrumpitur ſed petra. Eodem modo dictum eſt illud: *Coxi ſuper prunas eius panem.* Et illud, *Mole farinam.* Nam neque coquitur panis, nec molitur farina, ſed farina ſubacta coquitur, & fit panis, & triticum molitur, & fit farina; ſic etiam petra diſrumpitur, fitque fons: ac ſic dicitur alibi dirupit petras in eremo. *Tu ſiccaſti fluuios fortes.* Eſt hoc loco antithesis, petra enim & ſilex in fontes à te ſunt conuerſa: contra verò fluuios ob nimiam aquarum exundantiam exſiccaſti. Iordanem autem appellat fluuios fortitudinis, quia tum erat in ſua fortitudine & pleno alueo ſuper omnes ripas ſuas exundabat cùm ſiccatus eſt, & per ſicca eius vada Iſraëlitæ tranſierunt. Dicit autem Pſaltes, fluuios in numero multitudinis cùm vnus ſit fluuius, propter alios fluuios qui in ipſum influunt: & vox איתן *ethan*, non eſt nomen adjectiuum, ideóque nomen præcedens ipſi in forma regiminis conjungitur.

Iſa. 44. 26. & 47. 2. Pſal. 78. 20.

V. 16. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox.* Quoniam ante memorauit res contrarias quas ad ſalutem & liberationem Iſraëlitarum effecit, itaut ſiccum in humidum & humidum in ſiccum conuerterit, hîc etiam facit mentionem contrariarum rerum quas in mundo operatus eſt, cùm ſcilicet in eius creatione res aliquas alijs ex naturæ ſuæ proprietatibus oppoſitas condidit: Et quemadmodum primæ conditionis tempore res innatis ſibi qualitatibus cum alijs pugnantes edidit, ſic omni tempore rerum quarumlibet naturas, vt voluerit, immutare poteſt ſi ſeruis ſuis neceſſarium ita fuerit: nimirum ad oſtendendum omnibus omnia in ſua poteſtate eſſe poſita. Illa verò ſunt in rerum natura ſibi oppoſita quæ recenſet, quæque ſingula cum ſibi oppoſitis ad commodum rerum creatarum vſum Deus condidit. Nam dies & nox ſunt ſibi oppoſita; & vtrumque rebus creatis eſt vtile; nocte ſiquidem homines quiete corpora reficiunt, & feræ ſibi conquirunt pabula; idcirco de illa dicit, *Tua eſt nox*, etſi enim non multùm in ipſa videatur eſſe commodi & vtilitatis, tu tamen eam inſtituiſti, ac feciſti, vt media temporis pars tenebris eſſet obſcura in vſum & commodum rerum à te conditarum.

V. 17. *Æſtatem & hyemem tu plaſmaſti ea.* Hæc etiam ſibi ſunt contraria: non meminit autem frigoris & caloris, quia hyemis & æſtatis appellatione comprehenduntur: & eorum quodlibet rebus creatis eſt neceſſarium. Cæterùm intelligit Pſaltes perpetuos diei ac noctis motus & ſucceſſiones, temporaneas verò æſtatis & hyemis per certa anni ſpatia viciſſitudines. Sic etiam.

V. 18. *Tu ſtatuiſti omnes terminos terræ.* Qui ſunt ſeptem mundi climata in quæ totus orbis terræ eſt diuiſus, quorum vnumquodque diuerſum eſt ab alio, & differentem ab illo habet aëris temperiem: & hæc omnia propter vſum & vtilitatem rerum creatarum. Quod autem dixit: *Tu præparaſti lumen & ſolem,* hunc habet ſenſum, vt per lumen, intelligatur lux ipſius lunæ ac ſtellarum, ad noctem illuſtrandam, & lux ſolis ad lucendum interdiu, iuxta illud: *Luminare maius ad dominium diei, & luminare minus ad dominium noctis, & ſtellas.* Et hæc omnia præparaſti ob creaturarum neceſſitatem & commodum; nam ſolis quidem manifeſta eſt vtilitas ex eius luce & calore promanans: Lunæ etiam ac ſtellarum lumen valde eſt neceſſarium ijs qui aut per deſerta loca

Gen. 1. 16.

iter

lier faciunt, aut in mare deſcendunt. Et iſtorum ſyderum virtus, plantis admodum eſt vtilis ſicut ſcriptum eſt: *Et de optimis fructibus lunarum*, ſeu quos ad maturitatem perducunt lunæ. Præterea ſingularem in aquas poteſtatem habet luna. Dictum eſt etiam: *Nunquid cohibebis delicias virgiliarum aut conſtrictiones Orionis aperies?* Quælibet etiam ſtella propriam vim habet in plantas aut in lapides aut in metalla, ſicut dicunt Magiſtri noſtri P.M. nulla eſt herba inferiùs in terra quæ non habeat ſtellam in firmamento quæ eam afficit eique dicit, creſce. PSAL. 74. Deut. 33.14. Iob. 38.31.

V. 18. *Memento huius.* Tu qui omnia iſta feciſti, memineris hoſtes noſtros in his omnibus contrà mentiri, ac eorum tibi gloriam abrogare & nomen tuum blaſphemis vocibus profanare; huius, inquam, recorderis, eóſque deprime, ac nos ex ipſorum poteſtate libera, nec ſinas nos illorum dominio perpetuò eſſe ſubjectos.

V. 19. *Ne tradas cœtui.* Nomen hoc loco conſtructum occurrit ſine ſuo adjuncto, ac ſi diceret, Cœtui hoſtium. *Animam*, ſcilicet Iſraëlis qui eſt turtur tuus; nam turturi & columbæ ſimiles ſunt Iſraëlitæ: columbæ quidem ſicut ſcriptum eſt: *Columba mea in foraminibus petræ*, Columbæ enim infirmis admodum ſunt viribus, vnde ab alijs auibus multis diſcerpuntur, ipſæ verò nullas rapiunt aut diſcerpunt, & ita Iſraëlitæ. Vox חית *hhaiat* hoc loco cœtum ſignificat vt in iſtis: *Cœtus Philiſtaorum.* Et, *Increpa cœtum arundinis.* Et, *Cœtum pauperum tuorum ne obliuiſcaris*; licèt hoc loco חית *hhaiat* exponi poſſit, animam pauperum tuorum, ſicut hìc dicitur, ne tradas animam turturis tui vt in iſtis verbis: *Faſtidiuit vita ſeu anima eius panem.* Item, *Et vita eius ſit inter cinados;* vbi חית *hhaiat* idem ſignificat quod נפש *nepheſch* animam ſcilicet. Denique poteſt vox לחית *lehhaiat* exponi vt ſit nomen ſignificans contritionem ex illo loco: *Vaſtitas animalium conteret ea.* Cant. 2. 14. 2. Sam. 23. Pſal. 68. 31. Iob. 33. 20. Ibid. c. 36 14.

V. 20. *Reſpice ad fœdus tuum.* Litera ל *lamed* in voce לברית *labberit* habet patach ה *he* emphatici; ac ſi diceret, Ad illud fœdus quod olim cum majoribus noſtris iniuiſti. *Tenebroſa terræ.* Ipſa ſunt loca & regiones in quibus Iſraëlitæ exules ſunt, quæ illis ſunt inſtar caliginis & tenebrarum: ſunt etiam iniquitatis habitacula, nam populi nationum ibi habitantes Iſraëlitas deprædantur. Dicit verò, repleta ſunt, quia in locis omnibus, in quibus ipſi verſantur exules, nihil aliud eſt, præter illa graſſatorum latibula. Abac. 2. 17.

V. 21. *Ne reuertatur.* Iſte miſer coram te preces effundens, ne à te recedat pudore ſuffuſus, nempe quia eius orationem non exaudis: ille porro miſer eſt populus Iſraëliticus in exilio poſitus. *Miſer & inops laudant nomen tuum.* Et quæſo conſidera eos in ſuo etiam exilio nomen tuum celebrare; vel ſenſus eſt, cùm à te receſſerit non pudore ſuffuſus ſeu ſpe ſuâ non fruſtratus, tunc verò laudabit nomen tuum.

V. 22. *Exurge Deus.* Si præſtare iſta non vis noſtri gratiâ, at ſaltem ob tuam cauſam præſtes, noſtra enim cauſa tua eſt etiam, probris ſiquidem te quotidie afficit aduerſarius, ac impiè iactitat ſatis tibi non eſſe virtutis ad nos in libertatem aſſerendos.

V. 23. *Ne obliuiſcaris.* Iſtæ nationes exteræ palam tibi ſe aduerſari teſtantur, & impudenter aduerſùm te inſurgunt, ne igitur voces earum obliuiſca-

ris, & ſtrepitum earum quem contra nos excitant; ipſe ſemper in dies increſcens coram te aſcendit, ne quæſo illius ſis immemor.

PSAL. 75.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS QVINTVS.

Præcentori, ne diſperdas, Pſalmus Aſaph, cantici.

1. Confitemur tibi Deus, confitemur, etenim propinquum *eſt* nomen tuum: narrauerunt mirabilia tua.

2. Cùm accepero tempus: ego rectitudines iudicabo.

3. Diſſoluentur terra, & omnes habitatores eius: ego confirmaui columnas eius.

4. Dixi ſtultis nolite inſanire: & improbis, nolite exaltare cornu.

5. Nolite extollere in altum cornu veſtrum: nolite loqui in collo durum.

6. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à deſerto, exaltatio erit.

7. Quoniam Deus Iudex *eſt*: hunc humiliat & illum exaltat.

8. Quia calix in manu Domini, & vinum rubet, plenus miſto, & effundit ex hoc: fœces tamen eius ſugent, bibent omnes peccatores terræ.

9. Ego autem annuntiabo in ſeculum: pſallam Deo Iacob.

10. Et omnia cornua peccatorum confringam: exaltabuntur cornua iuſti.

COMMENTARIVS.

Pſalmus hic de congregatione exulantium Iſraëlitarum editus eſſe videtur. V. 1. *Confitemur tibi Deus, confitemur tibi.* Sic dicturi ſunt Iſraëlitæ, Confitemur tibi. Idem verbum repetit ad diuinæ celebrationis ſtudium & ardorem amplificandum. *Etenim propinquum eſt nomen tuum.* Ac dicent nomen tuum eſſe propinquum ijs qui te inuocant. *Narrauerunt mirabilia tua.* Tunc enarrabunt Iſraëlitæ & nationes etiam aliæ videntes redemptionem iſtam, enarrabunt mirabilia quæ Præpotens Deus in gratiam Iſraëlitarum fuerit operatus, & enarrabunt etiam ea quæ iam olim per Prophetas tuos futura prædixeras.

V. 2. *Cùm accepero tempus.* Verba ſunt Dei benedicti dicentis quum pro arbitrio meo ſumpſero & aſſignauero certum tempus Iſraëlitis vt exeant è

captiuitate, ego rectitudines iudicabo; ac ſi diceret, ſummâ æquitate illorum PSAL.
hoſtes iudicabo & puniam. 75.

V. 3. *Diſſoluentur terra & omnes habitatores eius.* Et tunc veluti colliqueſcent terra & omnes incolæ eius, nimirum commouebuntur ac contremiſcent; videbunt quippe vltiones quas contra nationes exteras pro Iſraëlitis exercebit. *Ego confirmaui columnas eius.* Et tunc agnoſcent me vnum eſſe qui columnas eius ſtabiliuerim: quia cùm mihi libitum fuerit ſtabit immobilis, aut pro arbitrio meo veluti diſſoluta concidet: per terræ verò columnas montes intelligit. Cæterùm metaphoricè tantùm terra commoueri aut contremiſcere dicitur hoc loco, ſicut & in iſto, conterendo contrita fuit terra. Iſa. 24.

V. 4. *Dixi ſtultis.* Verba ſunt Pſalmographi qui eos inſanos appellat qui bonorum huiuſce mundi fruitione impenſiùs delectantur, neque Deum vllo modo reuerentur, quia ſtultè ſibi perſuadent ſe ſuis viribus tantùm & induſtriâ eas opes ac diuitias eſſe conſequutos. *Nolite inſanire*, ne totum ſtudium & operam veſtram rebus vanis & fallacibus impendatis. *Et improbis*, Similiter dixi, *Ne exaltetis cornu*, nolite ſuperbè caput efferre contra ſupremum Deum vt facere ſoletis: Non enim Deum timetis; nec vos ipſos humiliter ſubmittitis, neque animo perpenditis omnia veſtra bona vobis ab illo eſſe conceſſa, non autem viribus veſtris acquiſita.

V. 5. *Nolite extollere.* Rem eandem repetit ad amplificationem. *Nolite loqui cum collo durum.* Ne loquamini ſuperbe durum & verba fortia ac tumida contra Deum: ac ſi diceret, ne loquamini ore veſtro, cum collo illo veſtro craſſo & pingui; & ſignificatio vocis עתק *aathac* durum referri poteſt ad verbum aut ad collum, ne duro aut pingui & craſſo collo loquamini. Simile eſt illud: Iob. 15.
Curret contra eum in collo, in craſsitiem corporum ſcutorum eius: Quia nempe 26.
iſti præ multa felicitate ſua Deum obliti, ei parere detrectant iuxta illud: *Impinguatus fuiſti, incraſſatus pinguedine obductus, & dereliquit Deum*, &c. Deut. 32. 15.

V. 6. *Quia neque ab oriente, nec ab occidente.* Dictio illa הרים *harim* elenationem & exaltationem ſignificat, vt ſit ſenſus, nulla dignitas aut honoris culmen & ſupra cæteros euectio euenit homini aut ab oriente, vel ab occidente aut meridie; ac ſi diceret, etiam ſi multùm impendat ſtudij & operæ hîc aut illic, & modò in hunc modò in iſtum locum ſollicitè ſe conferat, nihil tamen magnitudinis & potentiæ niſi diuino nutu & beneficio conſequetur: ſicut mox ſubjungitur.

V. 7. *Quia Deus Iudex eſt, hunc humiliat & hunc exaltat.* Illud porro hanc expoſitionem confirmat, & vocem הרים *harim* habere ſignificationem exaltationis ſuadet, quòd vox ממדבר *mimmidbar* à deſerto, affecta ſit vocali cametſ, & idcirco non ſit conſtructa cum dictione ſequenti. In Midras etiam ita circa hæc verba quæritur, quid eſt, neque ממדבר הרים *mimmidbar harim?* Rabbi Abba dixit, omne הרים *harim* quod in Scriptura occurit montes ſignificat præter hoc quod eſt exaltatio & ad honorem euectio: quo indicatur hominem nullum illis rationibus ad amplam fortunam extolli, ſed Dei ſancti & benedicti arbitrio, quo diuitiæ & facultates ab hoc auferuntur & alteri conceduntur, quia ſcriptum eſt, Deus Iudex eſt, hunc humiliat & hunc exaltat; & quantùm hunc deprimit, tantùm & illum exaltat; & omnia cum iudicio &

Psal. rectitudine ab ipſo procedunt. Dominus autem pater meus P. M. vocem מערב
75. *maarau*, negotiationem interpretatur iuxta illud: *Ad negotiandum in nego-*
tiatione tua. Et dictionem מוצא *motſa* pro regijs reditibus accipit; & voca-
Ezech. bulum מדבר *midbar* pro eloquio, ſicut iſto in loco accipitur: *Eloquium tuum*
27. 9. *dulce.* Dicit igitur aliquo ex tribus iſtis modis ſolere hominem ad dignitatum
Cant. 4 culmen aſcendere, ſi nimirum ſit præfectus regijs reditibus, cuiuſmodi ſolet
3. omnia abalienare & abire. Aut per negotiationem, cui qui ſedulam nauat operam
multas opes ſibi comparat. Vel denique ſi eloquentiæ arte polleat, multùm
honoris coram Regibus acquiret.

V. 8. *Quia calix in manu Domini.* Nempe quem externis populis epotan-
dum porrigat, quando populum ſuum ab exilio reuocabit, tum enim alias Gen-
tes deprimet & Iſraëlitas extollet, quoniam in eius poteſtate omnia ſunt poſi-
ta. Et illum quidem calicem iam biberunt Iſraëlitæ in ſua captiuitate vt ſcri-
Iſa. 51. ptum eſt: *Surge Ieruſalem quæ bibiſti de manu Domini calicem furoris eius,*
17. *fæces calicis ſoporis bibiſti, exſuxiſti.* At cùm ab exilio reducentur, illum cali-
cem epotabunt Gentes impiæ inter quas nunc verſantur. Dicit verò: *Et vi-*
num calicis illius rubeſcit, hoc eſt, rubrum eſt: vini enim excellentia, eſt ru-
Prou. bedo iuxta illud: *Ne intuearis vinum quòd rubrum ſit, quòd det in calice colo-*
23. 31. *rem ſuum.* Dictio חמר *hhamar* eſt verbum præteriti temporis: vnde etiam
rubeum in lingua Arabica dicitur אחאמר *ahhamar.* Dicit etiam illum calicem
Prou. 9. eſſe plenum mixto, hoc eſt, temperamento aquæ infuſæ, iuxta illud: *Miſcuit*
2. *vinum ſuum.* Additur. *Et effudit ex hoc*, vſque adeo plenus erit calix vt vi-
num in eo contentum ex ipſo hinc inde effundatur. Cæterùm vocem כוס *cos*
calicem vſurpat in maſculino genere cùm dicit, calix plenus, & effundet, licèt
vt plurimùm ſit ea vox generis fœminini. *Sed fæces eius.* Nempe calicis fœces
quia dictio כוס *cos* vt plurimùm eſt fœminina.

V. 9. *Ego autem annuntiabo.* Sic Iſraëlitæ dicunt, Ego autem annuntiabo
in perpetuum hoſtium meorum pœnas ipſis à Deo inflictas quas tum intuebor,
& pſalmos ea de re, in laudem Dei Iacob cantabo; quia nempe in exilio me
non deſeruit & vltionem pro me exercuit.

V. 10. *Et omnia cornua peccatorum exſcindam.* Quum iuſtorum cornua
exaltabuntur, nimirum quando ex captiuitate ſua egredientur Iſraëlitæ, qui
iuſti ſunt inter cæteras nationes; tunc omnia impiorum cornua exſcindam,
itaut nullum aliud regnum in terra ſit remanſurum præter Iſraëliticum: ſicut
in ſomno Nabuchodonoſoris demonſtratum refertur: *Suſcitabit Deus re-*
gnum quod in æternum non corrumpetur. Et additur, *Comminuet autem &*
Dan. 2. *conſumet omnia iſta regna; & ipſum ſtabit in æternum.* Porro dixit, Ex-
44. ſcindam, quia in bellis Gog & Magog, hæc omnia regna diſſipabunt
Iſraëlitæ.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS SEXTVS. Psal. 76.

Præcentori, in Neghinoth, Pſalmus Aſaph, cantici.

1. NOtus in Iudæa Deus: in Iſrael magnum nomen eius.
2. Et erit in Salem tabernaculum eius: & habitatio eius in Sion.

3. Ibi confregit ſagittas arcus: ſcutum, gladium & bellum.

4. Splendidus tu *&* magnificus, *velut* è montibus prædæ.

5. Spoliati ſunt fortes corde; dormierunt ſomnum ſuum: & non inuenerunt omnes viri roboris manus ſuas.

6. Ab increpatione tua, Deus Iacob: conſopitus eſt & currus & equus.

7. Tu terribilis es, & quis ſtabit coram te ex quo ira tua?

8. De cœlo audire feciſti iudicium: terra tremuit & quieuit.

9. Quum exurget ad iudicium Deus: vt ſaluos faciat omnes manſuetos terræ.

10. Quoniam furor hominis confitebitur tibi: reſiduum irarum cingis.

11. Vouete & reddite Domino Deo veſtro: omnes qui in circuitu eius ſunt, afferant munera terribili.

12. Qui aufert ſpiritum principum: terribilis eſt Regibus terræ.

COMMENTARIVS.

V. 1. N*Otus in Iudæa.* Hic Pſalmus de bellis Gog & Magog eſt conſcriptus: futurum enim eſt vt tunc temporis dicatur, Agnitus eſt in Iuda Deus, & magnum eſt in Iſraële nomen eius: cùm nempe videbunt Iſraëlitæ vltionem à Deo, ſui causâ, exercitam in Gentes illas quæ vno conſenſu aduerſus Ieroſolyma conuenerant. Iudæ verò ſpeciatim meminit, quòd Ieroſolyma ciuitas eſſet in tribu Iudæ, & ibi etiam maximè regnum foret ſtabiliendum.

V. 2. *Et erit in Salem tugurium eius.* Et tunc in Salem erit eius tabernaculum, in ea enim vrbe Sanctuarium eſt ædificandum. Et Sionem idcirco nominatim expreſſit, quia locus erat regiæ domus. Salem verò eſt Ieruſalem, vt dictum legitur: *At verò Melchiſedech Rex Salem.* Is porro fuit Sem filius Noë, alio nomine dictus Salem. Et Abraham quidem ipſum Sanctuarij locum appel- Gen. 14. 18.

Psal. 76. laŭit יראה ierae, hoc eſt videbitur, ſicut ſcriptum eſt, *Et vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus videbit.* De illo autem loco dixit ſanctus & benedictus Deus, ſi appellem ipſum eo nomine quod illi à Semo inditum fuit, Gen. 22.14. Abrahami verba abrogabo, qui locum iſtum vocauit, *ierae*, ſi verò eum hoc nomine quo ipſum inſigniuit Abrahamus, inania reddam verba Semi; atque idcirco vocauit eum Ieruſalem.

V. 3. *Ibi confregit ſagittas arcus.* Litera פ *pe*, dictionis רשפי *riſchphe* eſt Cant. 8. 6. lenis, at in iſto loco: *Prunæ eius, prunæ ignis flammæ magnæ*, eſt affecta dagueſch. Porro per prunas arcus hoc loco, ſagittas arcus intelligit quarum ferrum prunarum inſtar ſplendet & ardet. Dicit igitur Deum in iſto prælio contriturum omnia inſtrumenta bellica Gentium nempe ſagittas, arcus, lanceas, ſcuta, gladios & cæteros belli apparatus.

V. 4. *Splendidus tu.* Sunt qui literam נ *nun* in voce נאור *naor* putent eſſe Tren. 2. radicalem à themate נאר *naar* quod reperitur in illo loco, Aſpernatus eſt Sanctuarium ſuum: & eſſe nomen adjectiuum inſtar גדול *gadol* magnus, & קרוב *carou* propinquus, & hunc habere ſenſum, Deum fore projecturum & perditurum omnem virum fortem ex hoſtibus. Sed rectiùs dicetur eſſe participium paſſiuum à themate אור *or* ſplenduit, ſicut נכון *nacon* paratus, vt ſenſus ſit, Tu illuſtris es, ſicut antea dixit, notus in Iudæa; nimirum quia in iſto prælio agnoſcetur Deus & manifeſtus eluceſcet inſtar ſplendidiſſimi luminis inter Iſraëlitas, quorum ipſe tum bella conficiet. *Et magnificus* velut *è montibus præda.* Et tu, ô Deus fortis & magnificus apparebis aduersùs hoſtes Iſraëlitarum, inſtar leonis è montibus prædæ erumpentis ad diripiendam prædam, ſic tu omnia hoſtium caſtra diſperdes. Cæterùm montes prædæ appellat eos in quibus leones, vrſi aliæque rapaces feræ degunt.

V. 5. *Spoliati ſunt fortes corde.* In dictione אשתוללו *eſchtolalou* litera א *aleph* eſt pro ה *he* charactere conjugationis hitpolel, ac ſi eſſet hiſchtolalou; cui ſi- Iſa. 63. 3. mile eſt illud: *Et omnia indumenta mea* אגאלתי *egalti inquinaui*, pro *higalti.* Eſtque eſchtolalou à themate ſchalal ſpoliauit. Dicit igitur omnes populos illos animo forti præditos, aduersùs Ieruſalem congregatos, in prædam ceſſuros Iſraëlitis. *Dormierunt ſomnum ſuum.* Scilicet ſomnum mortis, nec vllæ eis fuerunt vires ad bellandum, ac ſi dormijſſent ſomnum ſuum; hoc eſt ſomnum illum ſuum quo ſunt aliquando corripiendi, qui eſt ſomnus mortis: in eum ſtatum deuenerunt ac ſi eſſent mortui; & robuſtiſſimi quique ipſorum & viribus præſtantiſſimi non inuenerunt manus ſuas quibus ad pugnandum vterentur.

V. 6. *Ab increpatione tua.* Conſopitus eſt Rex, nimirum Gog & Magog duces & principes Meſchet & Theual. Et quoniam facta eſt mentio robuſtorum corde, dicit abſolutè in ſingulari, Sopitus eſt de ipſo Rege qui eſt dux ſeu princeps robuſtorum corde: ſic pariter currus & equus ſopiti ſunt.

V. 7. *Tu terribilis es.* Verè tu es terribilis, te ſiquidem ab hoc die & deinceps Gentes omnes reformidabunt: & quidem meritò timere te debent, quis enim eſt qui coram te conſiſtere valeat ſtatim atque ſemel ira tua exarſit?

Ezech. 38. 22. V. 8. *De cœlo auditum feciſti iudicium.* Simile dicitur in iſtis locis: *Ignem & ſulphur pluam ſuper eum & ſuper exercitus eius.* Item, *Et dabo lapides* Ib. c. 13.

grandinis deſuperirruentes. Et eapropter dicit. De cœlo auditum feciſti iu- PSAL.
dicium, hoc eſt, efficies vt pœnæ quibus eos afficies, ex ipſo cœlo audiantur. 76.
Terra tremuit & quieuit, quapropter populorum terra Deum timuit, & aduerſùm Iſraëlitas arma mouere deſtiiit.

V. 9. *Cùm exurget ad iudicium Deus.* Tunc quando accinget ſe ſe Deus ad iudicium in extraneos populos exercendum, atque vt ex illorum poteſtate & tyrannide vindicet Iſraëlitas qui ſunt manſueti terræ, tum omnes populi contremiſcent & à bellis ceſſabunt.

V. 10. *Quoniam furor hominis confitebitur tibi.* Hæc verba vt dicta ad Deum benedictum ſunt referenda, Iſti omnes populi qui ad Ieroſolyma oppugnanda ſimul ſunt congregati, & quorum furor, etſi homines ſint tantùm, aduersùs te excanduit, ipſi, inquam, tibi vel inuiti confitebuntur: ac ſi diceret, furor eorum ac temeritas in tuam laudem cedet. *Reſiduum irarum cinges.* Vbi grauiſſimam vltionem in caſtris Gog & Magog exercueris, reſiduum irarum ſuccinges ac cohibebis; hoc eſt, reliquas Gentes coërcebis; te ſiquidem formidabunt, nec rurſus earum ira & ferocia contra Iſraëlitas deſæuiet.

V. 11. *Vouete & reddite.* Et tunc mutuò ſe ſe his à verbis cohortabuntur, Vouete & vota perſoluite Domino Deo veſtro, qui veſtri causâ hæc tam ſtupenda opera peregit. Ita pariter omnes qui in circuitu eius ſunt; nempe Gentes extraneæ, quæ in circuitu Iſraëliticæ terræ ſunt, munera Deo benedicto afferant, quia ipſe eſt terribilis ſeu timor. Et eodem ſenſu illud eſt dictum:
Dominum exercituum ſanctificate, ipſe pauor veſter, & ipſe timor veſter. Ac Iſa.8.13.
ſi diceret, & tunc erit terror omnium Gentium, Omnes enim ipſum reuerebuntur & expaueſcent. Porro illa verba: *In circuitu eius*, ſignificant in circuitu Dei: nam cùm Deus habitet in terra Iſraël, qui eius terræ vicini ſunt, Dei etiam vicini cenſentur.

V. 12. *Qui ſuccidit.* Verbum יבצור *iutſor* adimet, decerpet idem hìc ſignificat ac iſto loco: *Vineam tuam non vindemiabis*: ſenſúſque eſt, decerpet,
ſuccidet Deus benedictus ſpiritum ducum, hoc eſt elationem, ſuperbiam eo- Deut.
rum: ſiétque terribilis Regibus terræ. Et iam in libro Miclol in ea parte quæ 24. 21.
eſt de radicibus dictionum ad thema חגר *hhagar* hunc pſalmum expoſueram de deletis Aſſyriorum caſtris quum Ieroſolyma oppugnarent: nunc verò propter cohærentiam eius cùm argumento Pſalmi præcedentis, viſus eſt mihi exponendus de Gog & Magog.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS SEPTIMVS.

Præcentori ſuper Idithun, Aſaph, Pſalmus.

1. VOx mea ad Deum, & clamo: vox mea ad Deum & attendet mihi.

PSAL. 77. 2. In die tribulationis meæ Dominum quæro, manus mea nocte effunditur & non ceſſat: renuit conſolari anima mea.

3. Memor ſum Dei, & tumultuor: meditor, & deficit ſpiritus meus.

4. Tenuiſti cuſtodias oculorum meorum: contritus ſum & non loquar.

5. Cogitaui dies antiquos: annos ſeculorum.

6. Recordor cantici mei: nocte cum corde meo meditor, & ſcrutatur ſpiritus meus.

7. Nunquid in ſecula repellet Deus: & non addet vt adhuc bene velit placatus?

8. An deſiit in perpetuum miſericordia eius? an defecit verbum in generationem & generationem?

9. Nunquid oblitus eſt miſereri Deus? an cohibuit in ira miſericordias ſuas?

10. Et dixi vulnus meum hoc: annorum dexteræ Excelſi.

11. Memor ſum operum Domini: quia memor ſum ab initio mirabilium tuorum.

12. Et meditor in omnibus operibus tuis: & in factis tuis recogitandis exerceor.

13. Deus in ſanctitate via tua: quis Deus magnus ſicut Deus?

14. Tu *es* Deus faciens mirabilia: notam feciſti in populis fortitudinem tuam.

15. Redemiſti in brachio populum tuum: filios Iacob & Ioſeph.

16. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, timuerunt: etiam turbatæ ſunt abyſſi.

17. Inundauerunt aquis nubes, vocem dedit æther: etiam ſagittæ tuæ diſcurrerunt.

18. Vox tonitrui tui in rota: illuxerunt corruſcationes orbi terræ contremuit, & commota eſt terra.

19. In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis: & veſtigia tua non ſunt cognita.

20. Deduxiſti ſicut gregem populum tuum: in manu Moſis & Aaronis.

COMMENTARIVS.

1. Sam. 1. 11. P*Racentori, ad Idithun.* Iſta particula על *aal* idem ſignificat quod ל *lamed* dandi caſus index, aut אל *el* ad, ſicut in iſto loco: *Et orauit Anna* אל *aal ad*

ad Dominum. Quod fit ob mutationem conſuetudinis loquendi in exilio; hic Psal.
enim Pſalmus in perſona Iſraëlitarum exulum fuit editus. 77.

V. 1. *Vox mea ad Deum.* Idem bis dicit ad vehementiam clamoris indicandam, ac ſi diceret, ad nullum alium, quàm ad te voce meâ exclamo, & tu meis precibus attendes.

V. 2. *In die tribulationis meæ Dominum quæro.* Quia eſt ipſe Dominus ſupra omnia, ideo ipſum meæ calamitatis tempore exquiro. *Manus mea noctè* Exod.
effunditur. Hoc eſt plaga mea, vt iſto in loco: *Ecce manus Domini erit ſuper* 9. 3.
agros tuos, & ſuper equos, &c. Porro illa plaga, eſt gemitus ac dolor animi quo afficitur ob exilium: idcirco dixit, nocte; eo enim tempore cùm vacet homo ab externis occupationibus, ſuas cogitationes liberiùs poteſt ſuis rebus & negotijs adhibere. Illud verò, effunditur, figuratè eſt dictum propter
aſſiduam gemituum emiſſionem: vel iuxta illud, *Effuſi ſunt velut aqua rugi-* Iob. 3.
tus mei. Et non ceſſat. Verbum תפוג *taphoug* denotat remiſſionem & debi- 24.
litationem, ac ſi diceret, plaga mea non remittitur aut diminuitur, imò ſem-
per effunditur. Quo ſenſu illud eſt dictum: *Et debilitatum eſt, ſeu quieuit à* Gen 45.
motu cor eius. Et illud, *Propterea debilitatur lex.* Et omnia ab iſta radice 26.
deriuata eius ſunt ſignificationis. *Renuit conſolari anima mea.* Etiamſi re- Abac. 1.
bus lætis in animum meum reuocatis demulcere tentem eum ac in ſpem in- 4.
ducere fore tandem vt nos ex iſto exilio Deus educat, vt vt illud prorogari permittat, tamen præ calamitatum magnitudine renuit omne ſolatium anima mea.

V. 3. *Memor ſum Dei & tumultuor.* Illius ſemper in ore meo ſum memor, & ad ipſum infremo. Et vox אהמיה *ehemaia* habet quidem tertiam radicalem expreſſam, ſed ה *he* in י *iod* mutato. *Meditor,* meipſum alloquor, & agitor in meis anguſtijs. *Et deficit ſpiritus meus.* Hoc dicitur vt
illud: *Oratio pauperis cum præ anguſtijs animæ deficit.* Et illud: *Qui defi-* Pſal.
ciebant fame. Solet enim homo tempore anguſtiæ, incuruatus eſſe & depreſ- 102. 1.
ſus quaſi iunctâ extremitate ad ſui extremitatem, conduplicato corpore, ſeip- Thren.
ſo obtectus. 2. 19.

V. 4. *Tenuiſti vigilias oculorum meorum.* Vox שמרות *ſchemurot* cuſtodiæ, ſignificat vigilias, quo ſenſu is qui de nocte vigilat dicitur cuſtos, iuxta il-
lud, *Cuſtos quid de nocte?* hinc etiam tempora excubiarum cuſtodiæ appel- Iſa. 21.
lantur: dicit igitur, Tenuiſti, ac ſi diceret, quaſi in vigilijs fortiter appre- 11.
henſos contines oculos meos vt ſemper vigilent, & propter vim doloris animi mei non poſſim dormire. At Rabbi Moſes Sacerdos cenſet dictionem שמרות *ſchemurot* eſſe nomen adjectiuum & referri ad palpebras quæ ſunt veluti oculorum cuſtodes, vt ſenſus ſit, tenuiſti palpebras meas, & cohibes ne claudantur & ſomnum capere non potui. *Contritus ſum.* Hîc idem eſt
ſenſus ac in iſto loco: *Et fuit manè & contritus eſt ſpiritus eius.* Sic enim Gen 41.
dicit, ego per totam noctem vigilo & de meis afflictionibus cogito, & manè 8.
ita ſum contritus vt loqui non valeam.

V. 5. *Cogitaui dies.* Quamdiu in hoc exilio verſor, in tantis calamitatibus meis reuoco in memoriam meam illos dies antiquos. *Annos ſeculorum.* Idem alijs verbis repetit, & per ſecula, annos intelligit multis iam antea tempori-

PSAL. 77. bus elapſos; ac ſi diceret, Quum illa tempora recogito ex quibus Iſraëlitæ in exilij iſtius miſerijs poſiti iacent, & illa quibus ex illo egredientur, ac læti in terram ſuam tandem revertentur, & hoc iſtis verbis indicat.

V. 6. *Recordor cantici mei.* Iam in mentem meam induco tempus illud poſt ſolutam captiuitatem, quo lætus muſicis inſtrumentis ea de cauſa cantabo; & eapropter illud per noctes recogito, & mentis meæ cogitatione reuoluo. *Et ſcrutatur ſpiritus meus.* Idem alijs verbis exprimit. Aliud quippe non eſt ſpiritus meus, & cor meum, nam in corde mens ſeu ſpiritus cogitationes efformat, & cor ipſum cogitationibus res perpendit & ſcrutatur, & idem prorſus hæc duo ſignificant, Cum corde meo loquor aut meditor, & meis cogitationibus perſcrutor.

V. 7. *Nunquid in ſecula repellet Dominus.* Illud etiam mente perpendo quàm ſit diuerſum hoc exilium ab alijs exilijs, & vtrum relicturus ſit Dominus populum ſuum perpetuò in hac captiuitate? Et nunquid rurſus populo ſuo bene volet placatus ſicut præteritis temporibus ſolebat, tandem Iſraëlitis reconciliari, ac vt antea fauere, vbi aliquamdiu contra ipſos fuiſſet indignatus.

V. 8. *An deſiit in æternum miſericordia eius?* Nunquid ita eſt exhauſta eius miſericordia, quâ Iſraëlitas ſolebat proſequi, vt eam rurſus erga eos nunquam ſit exhibiturus? *An deficit verbum?* Nunquid verba eius conſolatoria defecerunt ac deſierunt ita vt nulla amplius futura ſint?

V. 9. *Nunquid oblitus eſt miſereri Deus?* An gratiarum ſuarum & miſericordiarum quas ſolebat impendere, prorſus eſt oblitus? *An cohibuit*
Deut. 15. 9. *in ira miſerationes ſuas?* Quod iuxta illud eſt dictum: *Et non claudes manum tuam à fratre tuo.* Ac ſi dicat an ita ſuas miſerationes irâ concluſas retinet, vt nunquam eas nobis reſeraturus ſit & in nos effuſurus?

V. 10. *Et dixi, vulnus meum* eſt *hoc.* Vox חלותי *hhallot* eſt nomen, eiuſdem formæ ac חנותי *hannot* à themate חלל *halal*, & eam habet ſignifica-
Deut. 21. 1. tionem quæ eſt in iſto loco: *Cùm inuentus fuerit occiſus in terra.* Significat igitur, Mors mea eſt, ac ſi diceret, & ſi dicam, occiſio ſeu mors mea eſt hæc tam longa exilij prorogatio, nec vnquam futurum eſt vt inde exeam ſed in captiuitate moriar. *Annorum dexteræ Excelſi.* In memoriam meam reuocabo annos dexteræ Excelſi, hoc eſt, præteritos illos annos, quibus ſuſcitauit Deus Opt. Max. dexteram ſuam, & nos ex captiuitate Ægypti eduxit nec-non ex Babylonica, ſic futurum eſt vt etiam ex præſenti exilio aliquando extrahat. Et dictio אזכור *eſcor*, quæ eſt initium ſequentis verſiculi, ad præcedentia & ſequentia ſuam vim & ſenſum extendit: Scribitúrque cum י *iod* אזכיר *eſchir* ac ſi diceret, alijs in memoriam reducam, & legitur cum ו *vau* אזכור *eſcor*, hoc ſenſu, quando Dei operum recordor tum conſolatione afficior. *Quia memor ſum ab initio mirabilium tuorum.* Eorum ſcilicet quæ olim ab initio in Ægypto feciſti, cùm mira illa & magnifica opera in mentem reuoco quæ olim patraſti ad nos ex Ægypto educendos. Erant enim tunc Iſraëlitæ pauci & minimæ exiſtimationis, adeout nemo eſſet qui bene de ipſis ſperaret nec vllus vnquam homo cogitauit tot ac tam mira opera à Deo ſancto & benedicto in gratiam Iſraëlitarum eſſe præſtanda. Et quemadmodum ſtupenda illa facta exhibuiſti poſtquam omnino petierat ac defecerat liberationis illorum expectatio,

a etiam ſe erga nos geret in præſenti exilio, licèt ob tantam eius longitudi- Psal.
nem, deſperatus videatur noſter exitus. 77.

V. 11. *Et meditor in omnibus operibus tuis.* In animum reuoco ea magnifica
opera quæ feciſti ac ipſa mente & ore meditor, ac ſi diceret, illa profero lin-
guâ meâ vt vnuſquiſque illa audiens, aliquid inde ſolatij percipiat. Porro dixit
in omnibus, hoc eſt, ſiue in prævalidis operibus quæ in Ægypto & in ſciſ-
ſione maris feciſti, ſiue in illis quæ facta ſunt in monte Sina, & in deſerto.
Vox פעלך *paaleca* non habet י *iod* notam pluralis numeri expreſſum. *In factis
tuis recogitandis exerceor.* Rem eandem alijs verbis enunciat.

V. 12. *Deus in ſancto.* Sunt qui vocem hanc, in ſancto, exponant in cœlo
hoc ſenſu, ex vijs & actibus tuis quos in cœlis perſpicimus, anſam arripimus
exclamandi, Quis eſt Deus magnus ſicut Deus? iuxta illud: *Quis ſimilis tui in* Exod.
Dijs Domine? quis ſicut tu magnificus in ſanctitate? Quibus in verbis per for- 15.11.
tem & Deos, intelligit Angelos & ſphæras cœleſtes: qui enim res iſtas attentè
conſiderat, facilè pernoſcit vim omnem in ipſas à prima & ſuperiori cauſa de-
riuari, nec ex ſeipſis habere vnde ſubſiſtant: nec eſt in ipſis quidquam tibi ſi-
mile, tu ſiquidem es qui das, & quidquid habent tibi acceptum ferunt. Con-
gruum autem videtur illud, In ſancto, intelligere de apparitione Dei in mon-
te Sina ſicut alibi dicitur, Dominus cum eis in Sina in Sancto, ac ſi diceret, Pſal. 68.
quum eius majeſtas deſcendit in montem Sina, tum omnes Iſraëlitæ dixerunt, 18.
Quis Deus, fortis, magnus ſicut Deus noſter?

V. 14. *Tu es Deus faciens mirabilia.* Tu verè is es qui præpotens mira
poſſis edere opera, qualia iam olim oſtendiſti Iſraëlitis dum iuxta montem Sina
conſiſterent. Præterea, notam feciſti etiam in populis fortitudinem tuam
propter Iſraëlitas, in Ægyptijs præſertim & in Regibus Cananæorum per-
dendis.

V. 15. *Redemiſti in brachio.* Populum tuum redemiſti, non ex voluntate
& placito eorum qui ipſos ſibi ſeruire grauiter vrgebant, ſed illis inuitis ac po-
teſtate magnâ & brachio extenſo ipſos in libertatem aſſeruiſti. Dicit verò, fi-
lios Iacob & Ioſeph, quia nimirum ipſe Ioſeph in cauſa fuit cur in Ægyptum
deſcenderint, vbi eos omnibus vitæ ſuæ diebus aluit, non ſecus ac ſi omnes
eius liberi fuiſſent.

V. 16. *Viderunt te aquæ Deus.* Aquæ ſcilicet maris rubri te viderunt &
& te ſunt reueritæ ac ſciſſæ ſunt & diuiſæ. *Etiam turbatæ ſunt abyſsi.* Ipſæ
etiam profundiores aquæ quæ ſunt abyſſi, commotæ ceſſerunt ac fiſſæ ſunt.

V. 17. *Inundauerunt aquis nubes.* Sicut ſcriptum eſt: *Et reſpexit Do-* Exod.
minus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, & contriuit exer- 14. 24.
citum, &c. Et vox זורמו *zoremou* eſt conjugationis Poël quæ formam habet Abac. 3.
quadratæ; & ſimilis ſignificatio occurrit in iſto loco: *Inundatio aquarum tran-* 14.
ſiit. Dicit igitur, nubes inundauerunt aquis; hæc nimirum eſt illa contritio
quâ contriti fuerunt Ægyptij vt dictum eſt, *Et contriuit caſtra Ægyptiorum.*
In illos ſiquidem ignis, nubes, aquæ & tonitrua ſimul Dei motu deſæuierunt,
iuxta illud, Vocem dederunt nubes. *Etiam ſagittæ tuæ diſcurrerunt.* Nempe Exod.
lapides grandinis. Licèt in iſto Scripturæ loco non fiat eorum expreſſa mentio, 14.
ſunt tamen qui velint intelligi de lapidibus grandinis, qui in Cananæorum Re-

Psal. ges à Deo ſunt immiſſi. Ita etiam appellantur lapilli arenæ, qui lapidibus
77. grandinis ſunt ſimiles. Lapilli etiam ſignificatum habet dictio חצץ *hatſatſ*, in
—. iſtis locis : *Et confregit lapillo dentes meos.* Et, *Et poſteà implebitur os eius*
Thren. *lapillis.*
3. 16. V. 18. *Vox tonitrui tui in rota.* Dictio גלגל *galgal* afficitur patahh ſub
Prou. vtroque ג *guimel*, ſub quorum primo locus erat vocali hhiric, eodem modo vox
20. 17. iſta reperitur illo in loco: *Nec conteret rota plauſtri eius.* Porro dictio גלגל *galgal*
Eſa. 28. rota ſeu ſphæra, cœlum deſignat, & eo nomine quælibet ex nouem ſphæris ap-
27. pellatur, eóquòd continuò veluti rotantur & circumuoluuntur; Quamuis enim
tonitrua fulgura, lapides grandinis & pluuiæ in nulla ſphærarum cœleſtium fiant
ſed in ipſo aëre, ipſe tamen aër metaphoricè appellatur ſphæra, & cœlum &
firmamentum & æther ſeu nubes. Et quidem cœli nomen ei attribuitur & cœ-
li veri, eóquòd ſphæræ altitudinis aëris ſint vt è regione cœli expanſæ : & ſecun-
dùm propriam naturam ſuam aër vocatur firmamentum ſeu expanſum, iuxta
Gen. illud quod dicitur: *Fiat expanſum in medio aquarum*, & illud appellauit Deus
1. 6. cœlum vt ſcriptum eſt, *Et vocauit Deus expanſum, cœlum.* Dicitur etiam de
Iſa. 55. pluuia quòd ſit è cœlis ; *Sicut cùm deſcendit pluuia aut nix de cœlo.* Dicun-
10. tur etiam portæ cœli, frumentum cœli, Et tranſtulit ſubſolanum in cœlo.
Pſal. 78. Aër etiam nubes appellatur, ſicut ſcriptum eſt, *Cùm ſuperiores nubes deflue-*
Iob. 36. *rent. Vocem dederunt nubes. Et mandauit nubibus deſuper.* Appellatur &
28. ſphæra. Vox tonitrui tui in rotâ. Hæc verba de rotis curruum Pharaonis ſunt
Exod. intelligenda vt ſcriptum eſt : *Et abſtulit rotas curruum eius. Illuxerunt coruſ-*
14. 25. *cationes orbi.* Iuxta illud : *Et illuminauit noctem. Contremuit terra.* Nempe
Ibid. quia grauiter commoti ſunt & contremuerunt Ægyptij.

V, 19. *In mari via tua.* Nam tuo nutu diuiſum eſt mare, & per ſiccum
eius medium Iſraëlitæ traiecerunt. *Et ſemita tua in aquis multis.* Idem alijs
verbis repetit, & dictio שבילך *ſcheuileca* formam habet pluralis numeri quia
non vna fuit ſed plures ſemitæ, iuxta illud, ad mare rubrum in varias ſe-
ctiones diſſcindendum. Aſſerúntque ipſum in duodecim ſectiones fuiſſe diſſe-
Pſal. ctum. *Et veſtigia tua non ſunt cognita.* Et nulla viarum à te factarum indicia
136. remanſerunt, ſtatim enim ac Iſraëlitæ tranſierunt, aquæ maris ſuper Ægyptios
ſunt reuerſæ, iuxta illud, Et reuerſum eſt mare matutino tempore ad vehe-
mentiam ſuam. Item & reuerſæ ſunt aquæ & operuerunt currus & equites, ſic-
que non remanſit in mari vllum viæ indicium.

V. 20. *Deduxiſti ſicut gregem.* Vbi ſcilicet egreſſi ſunt è mari, eos per ſo-
litudines deduxiſti. *Per manum Moſis & Aaron*, ſicut dicitur, quia paſtor
gregem ſuum deducit & ipſum cuſtodit.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS OCTAVVS. Psal. 78.

Erudiens Aſaph.

1. ATtende popule mi, legem meam: inclinate aurem veſtram in verba auris mei.

2. Aperiam in parabola os meum: eloquar ænigmata ab initio.

3. Quæ audiuimus & cognouimus ea: & Patres noſtri narrauerunt nobis.

4. Non occultabimus à filiis eorum: generationi poſteræ narrantes laudes Domini: & virtutem eius, & mirabilia eius quæ fecit.

5. Et ſtatuit teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſraël, quæ mandauit Patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis.

6. Vt cognoſcat generatio poſtera: filij *qui* naſcentur, exurgent & narrabunt filijs ſuis.

7. Vt ponant in Deo ſpem ſuam: & non obliuiſcantur operum Dei & mandata eius cuſtodiant.

8. Nec fiant ſicut Patres eorum, generatio declinans & rebellis: generatio *quæ* non direxit cor ſuum, & non fuit firmus cum Deo ſpiritus eius.

9. Filij Ephraim armati, iaculantes arcu, verterunt *terga* in die belli.

10. Non cuſtodierunt pactum Dei: & in lege eius noluerunt ambulare.

11. Et obliti ſunt factorum eius: & mirabilium eius quæ oſtendit eis.

12. Coram Patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in agro Taneos.

13. Secuit mare & traduxit eos: & ſtatuit aquas quaſi aceruum.

14. Et deduxit eos in nube per diem: & tota nocte in lumine ignis.

15. Scidit petras in deſerto, & adaquauit *eos* velut abyſſis magnis.

16. Et eduxit fluenta de petra: & deſcendere fecit tanquam flumina aquas.

Psal. 78. 17. Et addiderunt adhuc peccare ei : vt in iram prouocarent Excelſum in deſerto ſicco.

18. Et tentauerunt Deum in corde ſuo: petendo eſcam animæ ſuæ.

19. Et loquuti ſunt in Deum: dixerunt nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?

20. Ecce percuſſit petram & fluxerunt aquæ & torrentes innundauerunt: nunquid etiam panem poterit dare? num apparabit carnem populo ſuo?

21. Ideo audiuit Dominus & excanduit, & ignis accenſus eſt in Iacob: & etiam ira aſcendit in Iſraël.

22. Quia non crediderunt in Deo : nec ſperauerunt in ſalutari eius.

23. Et *tamen* mandauit nubibus deſuper : & iannas cœli aperuit.

24. Et pluit ſuper eos manna ad manducandum : & frumentum cœli dedit eis.

25. Panem fortium manducauit homo: viaticum miſit eis ad ſatietatem.

26. Excitauit Eurum in cœlo : & induxit in virtute ſua Auſtrum.

27. Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnem: & ſicut arenam marium, volatile pennatum.

28. Et projecit in medium caſtrorum eorum : circa tabernacula eorum.

29. Et comederunt & ſaturati ſunt valde : & deſiderium eorum attulit eis.

30. Non ſunt alienati à deſiderio ſuo: adhuc eſca eorum erat in ore ipſorum.

31. Et ira Dei aſcendit in eos: & occidit pingues eorum & electos Iſraël incuruauit.

32. In omnibus his peccauerunt adhuc : & non crediderunt in mirabilibus eius.

33. Et conſumpſit in vanitate dies eorum, & annos eorum cum feſtinatione.

34. Cùm occideret eos quærebant eum: & reuertebantur, & diluculò veniebant ad Deum.

35. Et recordabantur quòd Deus rupes eorum *eſſet* : & Deus excelſus redemptor eorum.

36. Et illexerunt eum in ore ſuo : & linguâ ſuâ mentiti ſunt ei. Psal. 78.
37. Cor autem eorum non erat rectum cum eo : nec fideles fuerunt in pacto eius.
38. Ipſe autem erat miſericors, condonabat iniquitatem nec diſperdebat : & multiplicauit vt auerteret iram ſuam, & non excitauit omnem iram ſuam.
39. Et recordatus eſt quia caro ſunt : ſpiritus vadens & non rediens.
40. Quoties exacerbauerunt eum in deſerto ? in iram concitauerunt eum in ſolitudine ?
41. Et conuerſi ſunt & tentauerunt Deum : & Sanctum Iſraël limitauerunt.
42. Non ſunt recordati manus eius : die quâ redemit eos de tribulante.
43. Quâ poſuit in Ægypto ſigna ſua : & prodigia ſua in agro Taneos.
44. Et conuertit in ſanguinem flumina eorum : & fluenta eorum ne biberent.
45. Miſit in eos cœnomiam & comedit eos : & ranam & diſperdidit eos.
46. Et dedit brucho fructus eorum : & laborem eorum locuſtæ.
47. Occidit in grandine vineas eorum : & ſycomoros eorum in pruina.
48. Et tradidit grandini iumenta eorum : & poſſeſſionem eorum igni.
49. Miſit in eos furorem indignationis ſuæ : excandeſcentiam & iram & tribulationem : immiſſionem Angelorum malorum.
50. Librauit ſemitam iræ ſuæ, non prohibuit à morte animas eorum : & iumenta eorum in mortem concluſit.
51. Et percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti principium fortitudinum in tabernaculis Cham.
52. Et tranſtulit ſicut oues populum ſuum : & deduxit eos tanquam gregem in deſerto.
53. Et deduxit eos in ſpe & non timuerunt : & inimicos eorum operuit mare.
54. Et induxit eos ad terminum ſanctitatis ſuæ : montem iſtum quem acquiſiuit dextera eius.
55. Et eiecit à facie eorum Gentes, & cadere fecit eos in fu-

niculum hereditatis: & habitare fecit in tabernaculis earum tribus Iſrael.

56. Et tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelſum: & teſtimonia eius non cuſtodierunt.

57 Et auerterunt ſe, præuaricati ſunt, quemadmodum patres eorum: conuerſi ſunt ſicut arcus doloſus.

58. Et in iram concitauerunt eum in excelſis ſuis: & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt.

59. Audiuit Deus & excanduit: & aſpernatus eſt valde Iſrael.

60. Et dereliquit tabernaculum Silo: tentorium *vbi* habitauit in hominibus.

61. Et tradidit in captiuitatem fortitudinem ſuam: & decorem ſuum in manus inimici.

62. Et concluſit in gladium populum ſuum: & in hereditatem ſuam iratus eſt.

63. Iuuenes eius comedit ignis: & virgines eius non ſunt laudatæ.

64. Sacerdotes eius in gladio ceciderunt: & viduæ eius non plorabant.

65. Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus: tanquam potens vociferans præ vino.

66. Et percuſſit inimicos ſuos retrorſum: opprobrium ſempiternum dedit illis.

67. Et proiecit tabernaculum Ioſeph: & tribum Ephraim non elegit.

68. Sed elegit tribum Iuda: montem Sion quem dilexit.

69. Et ædificauit ſicut excelſa ſanctuarium ſuum: ſicut terram quam fundauit in ſeculum.

70. Et elegit Dauid ſeruum ſuum: & tulit eum de caulis ouium.

71. De poſt fœtas adduxit eum, vt paſceret Iacob populum ſuum: & Iſrael hereditatem ſuam.

72. Et pauit eos ſecundùm innocentiam cordis ſui: & in prudentijs manum ſuarum deduxit eos.

COMMENTARIVS.

V. 1. A*ttende legem meam.* Quidnam per illa verba, legem meam, ſignificat? Illud nempe, attende, inquit, quod ego doceo, dum ea commemoro beneficia quæ Deus Iſraëlitis contulit; & ex verbis meis diſcite vos debere ipſum colere ac revereri, & ſtudioſiſſimè cauere ne eius verbis ac præceptis rebelles aliquando ſitis.

V. 2.

V. 2. *Aperiam os meum.* In quibuſdam libris litera ה *tau* vocis אפתחה PSAL.
ephtehba ſcribitur cum vocali hhateph cametſ, in alijs cum ſcheua ſolo; loqui- 78.
tur autem de parabolis & ænigmatibus quæ in hoc Pſalmo continentur, vt ſcri-
bit ſapiens Rabbi Abraham filius Eſræ: ex cuius quidem ſententia verba iſta:
Armati iaculantes arcu, ſunt parabola, ſicut & iſta: *Parare menſam in deſer-
to.* Et illa, *Ignis ſuccenſus eſt in Iacob.* Et, *Ianuas cœli aperuit.* Item, *fru-
mentum cœli.* Illa autem verba ſunt ænigmata ſcilicet, *Panem fortium man-
ducauit homo*, quæ de manna ſunt dicta: Quæ quidem inſtar ænigmatis ſunt
obſcura. Verba etiam iſta: *Et tradidit in captiuitatem fortitudinem eius.* Quæ
de Arca quidem ſunt dicta, at non ita fuiſſent intellecta ab vllis, niſi in libro
Samuelis primo Arcæ captiuitas deſcripta fuiſſet: ſic & illud, *Filij Ephraim
armati mittentes arcum*, nam incognitum eſt omnino quonam de bello ſit ſer-
mo, at res abſtruſa, vocatur ænigma.

V. 3. *Quæ audiuimus.* Ipſas res quas ego dicturus ſum, ex ore antiquorum
accepimus. *Et Patres noſtri narrauerunt nobis.* Et ipſi Patres noſtri ſunt illi
qui nobis eas enarrauerunt, qui nihil niſi quod verum eſt dicere poſteris ſolent.
Et cognouimus ea. Eaſdem res etiam per ſcripturam nouimus, nimirum ex lege
Moſis Magiſtri noſtri.

V. 4. *Non occultabimus à filijs eorum.* Hoc eſt à filijs majorum noſtrorum,
nempe fratribus noſtris, qui cum non didicerint & non nouerint traditionem,
nos qui ea omnia nouimus, illa ipſis enarrare debemus, nec eos celabimus
iſta, adeout ipſi pariter filijs ſuis enarrent & filij ipſorum poſteris ſuis, vt quot-
quot deinceps ad poſtremam vſque generationem ſunt futuri, Diuinas laudes
enarrent.

V. 5. *Et ſtatuit teſtimonium in Iſraël.* Atque ſicut mira Dei opera poſteris
eorum ſunt commemoranda & declaranda, ita ſimiliter inſtruendi ſunt de lege
ac teſtimonijs quæ ſtatuit, & Iſraëlitis obſeruanda tradidit poſtquam eos edu-
xit ex Ægypto; & noſtris majoribus præcepit vt ea filijs ſuis nota facerent, Deut.
ſicut iſto in loco dicitur: *Et docebis ea filios ac nepotes tuos.* 4. 9.

V. 6. *Vt cognoſcat generatio.* Ita rurſus poſteri ea debent nota facere filijs
ſuis vſque ad poſtremam generationem, vt qui tum etiam ſunt naſcituri, cùm
ipſorum ſcientiâ imbuti fuerint, eadem ſimiliter filijs ſuis enarrare poſſint.

V. 7. *Vt ponant in Deo ſpem ſuam.* Cùm enim audient quàm mira ſit ope-
ratus in gratiam majorum noſtrorum, ſuam in illo fiduciam collocabunt, nec
obliuiſcentur eorum quæ didicerint & acceperint, ſed ea iugi memoriâ con-
ſeruabunt, ne vnquam ex ore ſuo excidant: ac eâ ratione credent in ipſum &
in legem eius, & ipſius mandata perficient.

V. 8. *Nec fiant ſicut Patres eorum.* Qui ſcilicet ſpem ſuam in Deo exaltan-
do non repoſuerunt, ſed fuerunt, *Generatio declinans & rebellis*: hæc autem
fuit generatio eorum qui per deſertum vagati ſunt, qui ſua corda conſtanter ad
Deum benedictum non direxerunt. *Et non fuit firmus cum Deo ſpiritus eius.*
Non fixa permanſit cum Deo anima eius, cogitatio ac voluntas; quo ſenſu di-
citur illud; *Et affigam illum clauum in loco fideli*, hoc eſt, fixo & ſtabili. Vel Iſa. 22.
dictio נאמנה *neemna*, ſimpliciter ſumitur pro fideli. 23.

V. 9. *Filij Ephraim armati.* In deſerto contigit illud quod hic refertur; li-

cet enim in Pentatheuco eius non fiat mentio, ſit tamen in libro Paralippo-
Psal. 78. menon, his verbis, Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia deſcende-
rant vt inuaderent poſſeſſionem eorum. Luxit igitur Ephraim, &c. Cæterùm
1 Paral. 7. in librum Chronicorum ſcribens dixi contigiſſe hoc in deſerto; & apparet eſſe
veriſimile ex eóquòd occiſi ſint octo millia filiorum Ephraim, ſicuti ibidem
expoſui. Irruperant autem in regionem Geth, non ex diuino præcepto, ſed
potiùs contra Dei verbum, nam edixerat eos fore in deſerto per annos quadra-
ginta, ipſi verò ſpiritui eius rebelles fuerunt & percuſſi ſunt. Per illa autem ver-
ba: *Armati iaculantes arcu*, innuitur illos bellum eſſe aggreſſos armis ſuis non
Dei benedicti auxilio confiſos, quapropter coram hoſtibus ſuis terga verterunt,
& hoc illis verbis exprimitur: *Conuerſi ſunt in die belli*, hoc eſt, ceruicem
conuerterunt, fugientes prælij tempore. Et hoc loco, duo conſtructa ſimul
Iſa. 19. 11. ponuntur נושקי רומי *noſcheque* & *rome*, vt in illo: *Sapientes conſiliarij Pha-
raonis*, & ſenſus eſt, Armati & iacientes ſagittas arcu. Magiſtri verò noſtri
P. M. hunc verſum & illum qui eſt in Chronicis interpretantur de poſteris
Ephraim qui ante tempus ex Ægypto migrarint, & quibus illud euenerit. At
verſus illum conſequentes, hoc contigiſſe poſt egreſſum ex Ægypto demon-
ſtrant, innuunt enim ipſos mira Dei opera vidiſſe, ſed eorum eſſe oblitos; ſic
& fœderis initi ac legis quam præſcripſerat ipſis; hæc autem omnia poſt exi-
tum ex Ægypto contigerunt. Sapiens autem Rabbi Abraham filius Eſræ ſcri-
pſit hunc verſum agere de clade Silo quæ erat vrbs Ephraimitarum, eo enim
tempore quo Arca fuit capta ab hoſtibus & multi Iſraëlitarum interfecti, Silo
fuit deuaſtata: ſed illa etiam expoſitio aliena eſt, nam poſtea Silonitarum cla-
dem commemorat ſuo ordine, vbi Iſraëlitas in terram promiſſam introduxiſ-
ſet. Præterea cur filios Ephraim præ cæteris nominaſſet, cùm ex omnibus
Iſraelitis tribubus multi interfuerint iſti bello ſicut eſt ſcriptum: *Et fuit ver-
bum Samuelis ad omnes Iſraelitas.*

V. 10. *Non cuſtodierunt pactum Dei.* Illud ſcilicet quod pepigerat cum illis in monte Sina. *Coram Patribus eorum.* Nempe illorum qui in deſerto nati ſunt & non viderunt mira opera quæ fecit Deus benedictus in Ægypto, ſed à ſuis majoribus acceperunt.

V. 12. *Nam coram Patribus eorum fecit mirabilia.* Vbi vox פלא *pele* collectiuè ſumitur, nec enim vnicum ſed plurima à Deo in Ægypto ſunt edita miracula. *In agro Taneos.* Idem alijs verbis repetit, dictio enim, Ager ſeu regio idem ſignificat quod terra, vt cum alibi dicitur, Ager Siriæ, Ager Moab. Tanis enim ſeu Tſoan Ægyptum deſignat, vrbs quippe Ægypti regia eſt.

V. 13. *Secuit mare.* Poſt illa inſignia quæ in eorum gratiam in Ægypto edi-
dit opera, alia adhuc in eorum exitu non minùs ſtupenda pro eis effecit; mare
Exod. 15. 7. ſiquidem diſſecuit ipſis & ſtatuit aquas quaſi aceruum iuxta illud: *Steterunt fluen-
ta inſtar acerui: & aquæ fuerunt illis loco muri.*

V. 14. *Et deduxit eos.* Et vbi per mare eos traduxiſſet, tum diurno tempore deduxit illos per nubem quæ ipſos antecedens viam quâ eſſet eundum oſtendebat. Imò priuſquàm mare traieciſſent, eodem vtebantur beneficio, ſtatim atque reliquiſſent Socot. *Et tota nocte in lumine ignis.* Toto ſiquidem tempore noctis, columna ignis eis allucebat donec lumen diei affulgeret, ita

vt nunquam lucernis per noctem indigerent ad lucem, cùm etiam dum in ca- PSAL.
ſtris fixis hærerent, ipſa columna ignis ſupra fœderis tentorium reſidens præ- 78.
bret eis lucem.

V. 15. *Scidit petras in deſerto.* Raphidim ſcilicet & Cades; & hoc loco vſurpatur futurum loco præteriti, quod in multis alijs contingit. Porro hîc recenſet mirifica Dei opera, non quidem ſuo quodque ordine referens; ſed eo quo geſta ſunt ordine in Pentatheuco ſunt deſcripta. Priùs enim Manna, & primas coturnices habuerunt quam in Raphidim venirent, horum enim beneficium acceperunt in deſerto Sin. *Et adaquauit.* Et potum eis dedit ex petris quaſi ex abyſſis magnis. Dictio רבה *rabba* eſt adjectiuum ad nomen abyſſum referendum; quo ſenſu dicitur, Aquæ abyſſi. Eſtque vox ſingularis iuncta cum dictione plurali ſicut in iſto loco: *Filiæ diſcurrit ſuper murum*, pro Gen.
diſcurrunt. 49.22.

V. 16. *Et eduxit fluenta de petra.* Eandem rem alijs verbis enuntiat de more, ad auxeſim. Dicit verò deſcendere fecit, quia rupes eſt locus altus.

V. 17. *Et addiderunt adhuc peccare ei.* Dicit addiderunt, quia ipſis datæ ſunt aquæ per peccatum & murmurationem. *Vt irritarent Excelſum.* Dictio למרות *lamrot* eſt pro להמרות *lebamrot*, cui iſta eſt ſimilis לצבות *latſeuot* ad tumidum reddendum ventrem. Eademque formâ dicitur alibi, *Ad irritan-* Num. 5.
dum oculos gloriæ eius. Porro rebellionem ſignificat illud verbum. *In ſicco*, 22.
hoc eſt in deſerto. Deum autem, Excelſum appellat, quia ipſe Excelſus eſt ſuper Eſa. 3. 8.
omnia, & ſuâ poteſtate omnia complectitur: & ſicut aquas ex arenti ſilice valuit educere, & Manna demittere ex aëris regione, ita ſimiliter in eius poteſtate ſitum erat vt carnes ipſis in deſerto præberet; at illi non ita poſſe fieri credebant, ideóque tentare voluerunt cum num id præſtare poſſet: illud autem contigit in Sepulchris concupiſcentiæ.

V. 18. *Et tentauerunt Deum in corde ſuo.* Hoc facere apud ſe cogitatione ſuâ decreuerunt, nam vt eius potentiæ experimentum facerent, efflagitauerunt carnes: Manna ſiquidem optimus erat & ſuauiſſimus cibus, nec carnibus vllo modo indigebant, ſed cum hac ratione tentare voluerunt; at ore ſuo illud non palam exprimebant, ſed tantùm carnes ſibi dicebant eſſe neceſſarias, & ſpreto Manna dixerunt, Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt Num.
oculi noſtri niſi Man. Et alio in loco, Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo 11.
iſto leuiſſimo. *Vt peterent eſcam animæ ſuæ.* Hoc eſt, concupiſcentiæ ſuæ vt Ibid.
dicitur, vulgus quippe promiſcuum flagrauit deſiderio. Dixit tamen animæ 21.
ſuæ, quia cupiditas eſt potentia animæ iuxta illud, Et volueris veſci carnibus Ibid. 11. Deut.
quas deſiderat anima tua. 12.

V. 19. *Et loquuti ſunt in Deum.* Quid verò dixerunt? illud ſcilicet, An etiam panem dare poterit? huiuſmodi autem loquutionem & ſermonem ſuo tantùm animo conceperunt, iuxta illud, *Loquutus ſum ego cum corde meo.* Et, *Dixi ego in corde meo.* Nec enim palam ore ſuo loquuti ſunt; ſed ſolùm experimenti faciendi cauſâ, petierunt carnes non neceſſitatis. *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* Nempe in loco vbi nihil ad humanum victum reperitur accommodum, an ibi valebit menſam lautiſſimam adornare? ac ſi diceret omnibus ad victum neceſſarijs inſtruere. Iam enim dederat aliquid eo-

Psal. 78. rum quæ ad apparandam menſam ſunt neceſſaria, Manna ſcilicet · verùm poſ-ſetne etiam illam perfectè omni ciborum genere, nimirum carnibus inſtru-ctam proponere? Ita etiam aquas quidem dedit: ſed longè maius miraculum patraret Deus ſi carnem pariter nobis daret: nam è cœlis Manna demiſit inſtar grandinis aut niuis. Quod vero ſpectat ad aquas, quamplurima extant ſaxa è quibus copioſas aquas educat; at vndenam carnes huc valebit adducere? & hoc iſtis exprimitur. *Nunquid etiam panem poterit dare?* hæc omnia apud ſe re-cogitabant.

V. 20. *Ecce percuſſit petram.* Vtitur verbo iſto, percuſſit, quia nimirum poſt Moſis percuſſionem ex Dei iuſſu, aquæ in Raphidim è ſilice effluxerunt. Dicit porro hîc, petram, cùm ſuperiùs dixerit petras; quia ſcilicet quando carnes petierunt in ſepulchris concupiſcentiæ, nondum huc vſque ſermo fuerat de aquis contradictionis; illud enim in Cades euenit; quod verò hîc refert, Percuſſit petram hoc in Raphidim contigit. Cæterùm quod dixit: *Et torren-tes innundauerunt*, hunc habet ſenſum, magna aquarum copia erupit ex petra ita vt magni inde torrentes emanarent, omnia per quæ diffluebant loca inun-

Num. 28. dantes. *Nunquid & panem;* hoc eſt, carnem vt in illo loco, *Oblationem meam, & carnem meam*, &c. *Num parabit menſam populo ſuo.* Eandem rem diuerſis verbis repetit, vox enim שאר *ſcheer* idem hic ſignificat quod בשר *baſar.*

V. 21. *Ideo audiuit Deus.* Etiamſi hæc tantùm in animo ſuo dixiſſent, audiuit tamen Deus, & grauiter aduerſus eos commotus eſt. *Et ignis accen-ſus eſt.* Diuini furoris ignis accenſus eſt in Iacob. *Ira aſcendit in Iſrael*, eamdem ſententiam aliis verbis enunciat. Dictio נשקה *niſchca* idem ſigni-ficat ac בערה *baara* exarſit; ſic etiam in iſto loco. *Præterea ſuccendet fur-*

Iſa. 44. 15. *num & coquet panem*, &c. Rectum etiam mihi videtur ſi verſus hic duas hi-ſtorias complecti dicatur, ſcilicet hiſtoriam eius rei quæ contigit in loco qui ab ea dictus eſt, Incenſio, & illam quæ locum ipſum denominauit, ſepul-

Num. 10. chra concupiſcentiæ: vtriuſque locus quidem eſt vnus, niſi quod primus caſus euenit, eóquòd mali aliquid coram Domino loquentes conquerebantur, & ignis exarſit in eos diuino nutu: vnde loco nomen fuit, Combuſtio. Et pro-pter alterum peccatum nempe quia carnium concupiſcentiâ exarſerunt, & mor-tui ſunt qui eas concupierant, idem locus eſt appellatus, Sepulchra concupiſ-centiæ. Quod autem in hoc verſu dicitur, Et ignis accenſus eſt in Iacob, hoc eſt intelligendum, de pœna combuſtionis, & quemadmodum in lege dicitur:

Num. 11. *Et audiuit Dominus & exarſit ira eius;* ita in hoc verſu dicitur, Audiuit Dominus & excanduit. Quod verò dicitur hîc, Et etiam ira aſcendit in Iſrael, intelligendum eſt de concupiſcentia quâ exarſerunt, ſicuti etiam ibidem dici-tur; *Et ira Dei exarſit in populum.* Et hæc duo delicta eodem in loco conti-gerunt, & ob vtrumque fuerunt puniti; & in vtroque modicam in ipſis fuiſſe fidem conſtitit. Cùm enim murmurantes dixerunt, Mittamus viros ante nos qui conſiderent terram, non crediderunt in Deum, nec confiſi ſunt ipſum da-turum ipſis eam terram ſine bello. Ipſa etiam carnium petitio modicæ illo-rum fidei fuit indicium, ſicuti ſunt locuti.

V. 22. *An etiam panem poterit dare?* Nempe quia in Deum minimè cre-diderunt; nec fide certâ confiſi ſunt ipſum poſſe dare ſibi carnes, ac ſe in terram

promiſſam introducere. *Nec ſperauerunt in ſalutari eius.* A quo tamen iam PSAL.
toties ſeruati fuerant. 78

V. 23. *Et mandauit nubibus.* Et iam antea mandauerat nubibus vt illis darent Manna. *Et ianuas cœli* iam *aperuerat*, vt per eas manna plueret ipſis. Et hæc omnia in animum non reuocabant, nec feriò perpendebant eum æquè illa poſſe efficere ſicut hæc iam effecerat. Cæterum ianuas cœli dixit figuratè vt indicet Deum copiosè ipſis demiſiſſe manna: ſic eâdem loquendi formâ
dicitur: *Et cataractæ cœli apertæ ſunt.* *Frumentum cœli.* Siquidem manna fuit Gen. 7.
illis in eſcam pro tritico, & longè illo meliorem ac ſuauiorem. 11.

V. 25. *Panem fortium.* Hoc eſt, cœlorum vt de illis dicitur; *Qui ſunt* Iob. 37.
fortes quaſi ſpeculum fuſum. Hæc verò per admirationem ſunt dicta, quòd 18.
nempe homo ex terra formatus panem cœlorum ederit. In Deras autem dicitur panis אבירים *auirim* quaſi panis אברים *euarim* membrorum, hoc eſt, in membris omnino abſorptus. *Viaticum miſit eis.* Nam in quemcumque locum proficiſcerentur, ibi paratum ſibi commeatum abundè reperiebant.

V. 26. *Excitauit Eurum.* Effecit vt Orientalis ventus flaret vehementer ad coturnices deferendas vt ſcriptum eſt: *Et ventus profectus eſt à Domino, &*
auulſit coturnices à mari, &c. *Et induxit in virtute ſua Auſtrum.* Hoc eſt, Num.
ventum meridionalem, erat enim Orientalis & Auſtralis ſeu ſubſolanus. 11. 31.

V. 27. *Et pluit ſuper eos.* Quia ſcilicet magna auium copia inſtar pluuiæ delata fuit; ingens ſanè miraculum quod ipſis carnes tanquam imbrem è cœlo dimiſit. *Volatile pennatum.* Hæ verò carnes erant aues alis quidem prææditæ, at non valentes huc & illuc volare, ſed in media caſtra à Deo ſunt dejectæ.

V. 29. *Et proiecit in medium caſtrorum eorum.* Sicut ſcriptum eſt, *Et de-*
miſit coturnices *in caſtra.* *Circa tabernacula eorum*, vt dicitur ibidem, Ex Num.
omni parte caſtrorum per circuitum. 11. 31.

V. 30. *Et comederunt & ſaturati ſunt.* Nimirum pluſquam ſatis eſſet, iu-
xta illud, Donec exeat per nares veſtras. *Non ſunt alienati præ nauſea.* Vt Ibid. 21.
ſcriptum eſt: *Et vertatur vobis in nauſeam*; quod Chaldæus Paraphraſtes tran- Ibid. 21.
ſtulit, donec faſtidiatis ipſam carnem. Dicit igitur, nondum faſtidio erant ipſis carnes, nec eas præ nauſea auerſabatur, nam eſca eorum adhuc erat in ore ipſorum.

V. 31. *Et ira Dei aſcendit in eos.* Quemadmodum ſcriptum eſt, Adhuc caro erat inter dentes eorum, & ira Dei exarſit in populum. Et eodem modo
hic dicit de ira aſcendit, quo ſuperiùs dixit. Aſcendit fumus in ira eius. *Et* Pſal. 18.
occidit pingues eorum. Dictio משמניהם *miſchmanehem* ſcribitur cum vocali 9.
hhiric ſub primo מ *mem*, éſtque nomen adjectiuum, ac pingues & robuſtos
eorum ſignificat; quo etiam ſenſu illud eſt dictum: *Sed percuſſerunt Moabi-* Iud. 3.
tas in tempore illo circiter decem millia, omnes robuſtos & fortes viros. Ac ſi di- 29.
ceret, Pingues quilibet ac præcipui & iuuenes diuinâ in eos irâ deſæuiente, morti ſunt traditi.

V. 32. *In omnibus hic peccauerunt adhuc.* Nempe in relatione exploratorum;
in conſpiratione Core & aliorum, & in ſeditione propter aquas excitata *Et* Num. 13.
non crediderunt in mirabilibus eius. Hoc eſt, à prodigijs quæ in gratiam ipſo- 16. & 20.

PSAL. 78. tum fecerat, adduci hactenus non potuerunt vt certâ fide crederent fore vt ipſos in terram promiſſam induceret, eámque ſibi poſſidendam traderet, ſed dixerunt, Inducit nos Dominus in terram iſtam vt cadamus gladio, & vxores ac

Num. 14. 3. liberi noſtri ſint in prædam.

Ibid. V. 33. *Et conſumpſit in vanitate.* Dixit quippe illis: *Annis quadraginta recipietis iniquitates veſtras*: vnde ſingulis iſtis annis multi ſunt extincti, donec omnes tandem qui nati erant viginti annis & ſupra interierunt. *Cum feſtinatione.* Litera ב *beth* vocis בבהלה *babahala* afficitur vocali patah ad denotandum certum aliquid notum, ac ſi diceret, eâdem feſtinatione quâ mortui ſunt ipſi qui terræ detraxerunt, plagâ ſcilicet ſubitâ.

V. 34. *Cùm occideret eos.* Particula אם *im* hoc loco eſt pro כאשר *caaſcher*

Num. 36. quum, vt in iſto loco, quum fuerit Iubileus filijs Iſraël, & his ſimilia. Senſuſque eſt, Quum eorum aliquos occidiſſet, qui ſupererant illum quærebant, & ſe peccaſſe agnoſcentes conuertebantur & diluculo quærebant Deum. Aut ſenſus eſt, Quum illos occidere ſtatuiſſet ipſi quærebant eum, vt ſcriptum eſt:

Num. 14. 40. *Parati ſumus aſcendere ad locum de quo Dominus loquutus eſt, quia peccauimus.*

V. 35. *Et recordabantur.* Ipſius nempe Dei, vt dicit paulò inferiùs, Cor autem eorum non erat rectum cum eo.

V. 36. *Et illexerunt eum in ore ſuo.* Iuxta ſuam quidem ſententiam, fictè blanditi ſunt ei, at ipſe Deus, cuius ſit nomen benedictum decipi non poteſt, nam cor eorum perſpectiſſimum habebat. Attamen propter miſericordiæ proprietatem quæ ineſt ipſi, illis etiam indulget qui aliquam pœnitentiam exhibent, verùm non omnia illis peccata condonat, ſicut & ipſi non conuertuntur ab omnibus nec corde ſincero, ſed iniquitates illorum caſtigat, non tamen eos omnino diſperdens ſed ab eis iram ſuam auertit nec omnem ſuum furorem aduersùs illos excitat, at partem eius duntaxat; & quia non eſt perfecta illorum pœnitentia, perfectam quoque à Deo veniam non conſequuntur.

V. 37. *Cor eorum non* erat *rectum cum eo.* Æquum erat quidem, vt illis omnino non ignoſceret, quando quidem cor eorum non erat rectum; omnia ſiquidem cordis intentionem ſequuntur, attamen propter homines qui externa pœnitentiæ opera vident, licèt corda non inſpiciant, qui ſi iſtis pœnitentibus nihil penitus indulgeret, pœnitentiam prorſus inutilem eſſe dicerent: & hoc iſtis verbis indicatur: *Ipſe autem eſt miſericors*, & condonabit iniquitatem & non diſperdet eos penitus; etiamſi fideles non fuerint in pacto eius obſeruando ipſe tamen miſericors eſt erga illos, eiſque iniquitates condonat, nec ipſos vt erant commeriti omnino conſumit.

V. 38. *Ipſe autem* erat *miſericors.* Ideo conſequenter iſta verba adjunxit: *Multiplicauit vt auerteret iram ſuam ab illis*, quoniam opus eſt robore cordis, nec-non multiplicatione potentiæ attributi miſericordiarum ad auertendum iram; vnde ſic dicebat Moſes Magiſter noſter, qui ſit in pace: *Nunc ergo*

Num. 14. 17. *magnificetur quæſo fortitudo Domini*, &c.

V. 39. *Et recordatus eſt quia caro ſunt.* Carnis enim eſt innata proprietas vt ſuas cupiditates implere ſtudeat, nec fieri poteſt vt omnino non peccet, ac proptereà neceſſe eſt vt ipſis indulgeat Deus. Præterea etiam quoniam vento abeunti ſunt ſimiles, hoc eſt, quia breuiſſimum eſt tempus vitæ ipſorum,

eis condonat dum adhuc in viuis agunt, quemadmodum Iob ſanctus dixit, *Cur* PSAL.
non tollis peccatum meum & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc 78.
in puluere dormiam, &c. Quod verò dicit, *Et non rediens*, hoc intelligendum eſt de communi naturæ ordine & potentia; non enim naturalis ordo Iob 7.
rerum exigit aut efficere valet vt ſpiritus ſemel è corpore egreſſus, in illud re- 21.
uertatur: ſed Deus futuris olim temporibus miranda opera eſt effecturus, itaut in corpora reuertatur ſpiritus, quando ipſi placuerit, ſed non ſingulis hoc eueniet; tùncque talia fient miracula qualia ſunt facta cùm naturalis ordo rerum ab eo fuit olim immutatus.

V. 40. *Quoties exacerbauerunt eum in deſerto?* Iam ſpeciatim refert quaſdam illorum rebelliones & peccata quæ commiſerunt, atque exclamans dicit, quot vicibus Deum exacerbarunt præter illud quod eſt memoratum, dum adhuc in deſerto verſarentur. Verbum autem illud ימרוהו *iamrouhou* ſignificat ad iracundiam prouocarunt eum, cùm ſcilicet ab eius præceptis declinarent. *Dolore affecerunt eum in ſolitudine.* Eandem ſententiam alijs verbis repetit.

V. 41. *Et conuerſi ſunt & tentauerunt Deum.* Poſtquam ob præpoſteram carnium petitionem caſtigati agnouerunt ſe peccauiſſe, propter iram Dei quæ in ipſos exarſit, rurſus ad peccandum conuerſi ſunt & Deum tentauerunt in aquis contentionis, ac multis alijs in rebus, quæ in Pentatheuco non ſunt ſcriptis mandatæ. Deum porro appellat hoc loco nomine אל *el*, hoc eſt fortem, quippe qui potentiâ ſuâ ſuperat omnia; ipſi tamen apud ſe poteſtatem eius minorem eſſe reputabant, vnde voluerunt explorare an hoc & illud ſeu quodlibet, valeret exequi. *Et ſanctum Iſrael limitarunt.* Et ipſum Deum, tot ſignis & miraculis in ipſorum conſpectu editis ſanctificatum inter Iſraëlitas circumſcripſerunt; ac ſi diceret, terminos ipſi in ſuo corde ſtatuerunt ſic apud ſe reputantes, illud quidem præſtare valet, hoc verò non poteſt: huc vſque rerum naturas immutare poteſt, at deinceps vltra non poterit, ac ſic eum tentauerunt: Et verbum התוו *hituou* eandem hîc habet ſignificationem ac illo
in loco: *Et ſignabis tau ſignum ſuper frontes virorum Gementium.* Sic etiam Ezech.
dicitur, *Et limitabitis vobis*; hæc enim duo verba תאוו *taa* & תוו *taua*, 9.4.
eumdem habent ſignificatum, nempe ſignum & terminum rei alicui circum- Num.
ſcripſit. 34.

V. 42. *Non ſunt recordati manus eius.* Hoc eſt, ſummæ illius potentiæ, quâ eos ex anguſtijs in quibus miſeri iacebant, magno robore, & præualidâ manu redemit.

V. 43. *Quâ poſuit.* Hic verſus eamdem rem iterum de more enuntiat.

V. 44. *Et conuertit in ſanguinem.* In hoc etiam verſu, eadem ſententia repetitur. *Ne biberent*, ſicut eſt ſcriptum, Et non potuerunt Ægyptij bibere Exod.
de aquis fluminis. 7.21.

V. 45. *Miſit in eos.* Non deſcribuntur hîc plagæ ordine quo ſunt deſcriptæ in Pentatheuco, quia in hoc nihil eſt defectus. *Et ranam, & diſperdidit eos.* nomen, rana, collectiuum eſt de innumeris ranis vſurpatum; ſic etiam alibi dicitur, Et aſcendit rana. Exod.

V. 46. *Et dedit brucho laborem eorum.* Iſto vocabulo fruges & fructus agro- 8.4.

PSAL. 78. rum deſignat, nam in his curandis omnis labor humanus impenditur, iuxta illud: *Omnis labor hominis propter os eius.*

V. 47. *Occidit in grandine.* Metaphoricè verbo occidendi vſus eſt Pſal-
Eccl. 6. 7. miſta; & hac etiam loquendi formâ illud eſt dictum; Er omnem agrum bo-
num lapidibus dolore afficietis. Imò non incongruè de vegetabili poſſet dici
2. Reg. 3. 19. vox occiſio, cùm ipſi inſit anima vegetans; vnde illud eſt dictum, *Et ſi in*
Iob. 14. 8. *puluere mortuus fuerit truncus eius. Et Sycomoros eorum.* Hæ ſunt ſpecies
quædam ficuum ſylueſtrium: vineas autem & Sycomoros tantùm nominat, licèt alias etiam omnes agri arbores grando percuſſerit, quia nimirum hæ præſertim arbores frequentiſſimæ & copioſiſſimæ eſſent in Ægypto. Dictio חנמל *hhanamal* ſpeciem grandinis indicat. Rabbi Saadias eam Arabicâ linguâ interpretatur אלצקיע *altſaquia*, hoc eſt, glaciem fortem & acrem quæ flores arborum frangit & excutit & humorem exſiccat. In Midraſch verò ſic de voce iſta dicitur, In vineas, cùm fuerint teneræ deſcendit inſtar bipennium, at venit in Sycomoros, ipſiſque inhæret ac eas exſcindit.

V. 48. *Et tradidit grandini.* Hoc eſt prunis ignitis iuxta illud, ignis &
Exod. 9. 24. grando miſta pariter ferebantur.

V. 49. *Miſit in eos iram indignationis.* Verſus hic eas plagas complectitur quarum nulla ſpeciatim eſt facta mentio. *Angelorum malorum.* Vox מלאכי *malache* non eſt conſtructa ſed abſoluta, ſed eſt deſtituta litera ם *mem* notâ
1. Reg. 6. pluralis num. éſtque pro מלאכים *malachim*, cui ſimilis eſt iſta חלוני שקופים
hhalone ſchequouphim feneſtræ, pro חלונים *hhalonim*: & aliæ his ſimiles vt ſcripſimus in eâ parte libri Miclol quæ agit de Grammaticis. Illæ autem plagæ dicuntur eſſe Angelorum malorum, quoniam ipſi à Deo benedicto miſſi, eas ex motu illius infligebant: ſignificat autem vox משלחת *miſchalahat* rem quæ multipliciter, ſed ſucceſſiuè aduenit iuxta illud: *Ecce ego mittam id te dimiſſum & derelictum.* Ita in operibus Magiſtrorum noſtrorum P. M. de luporum immiſſione fit mentio.

V. 50. *Librauit ſemitam.* Viam iræ ſuæ direxit Deus vt abſque mora vlla in illos veniret: hoc ipſo ſenſu dicitur, *Libra ſemitam pedum tuorum*, hoc
Prou. 4. 26. eſt, dirige ad viam vitæ. Sic & illud: *Semitam vitæ num fortè ponderabit?*
Prou. 5. 6. hoc eſt, num diriget greſſus ad illam. *Non prohibuit.* Non eſt neceſſe dicere Deum prohibuiſſe animas eorum à morte quando mortis illorum tempus aduenerat, cùm morti præmaturæ eos ante tempus addixerit: hoc porro dicitur de morte primogenitorum, vt clariùs in verſu proximè ſequenti declaratur. *Et vitam eorum.* Dictio חיתם *hhaiatham* idem eſt ac נפשם *napſcham* vitam eorum. Sunt tamen qui verba iſta exponant, Et animalia eorum in mortem concluſit, nempe de iumentorum morte.

V. 51. *Et percuſſit omne primogenitum in tabernaculis Cham.* Hîc per contemptum Ægyptios nomine Cham patris Miſraim appellauit.

V. 52. *Et tranſtulit.* Ipſos Iſraëlitas abſtulit ex Ægypto poſt mortem primogenitorum, ac eos ſenſim & leniter vt ſolet oues paſtor, deduxit.

Exod. 14. 10. V. 53. *Et deduxit eos in ſpe.* Sicut ſcriptum eſt. *Et non timuerunt.* Eſt quidem etiam ſcriptum. Et timuerunt valde filij Iſraël, clamauerúntque ad Dominum; ſed pauor iſte nonniſi vnius tantùm momenti fuit, ſtatim namque

que certò promiſit eis Moſes fore vt mox omnes inimici ipſorum extinguerentur, quod ſuis oculis factum inſpexerunt; quare ſtatim ſubjunxit. *Et inimicos eorum operuit mare.* Quidam hæc verba, Et deduxit eos cum fiducia, ſic exponunt, ſecurè per ſicca vada dum mare tranſirent eos deduxit, & non timuerunt.

V. 54. *Et induxit eos ad terminum ſanctitatis ſuæ.* Hoc eſt, In terram Iſraëliticam. *Montem iſtum.* Domum nempe ſanctuarij vt ſcriptum eſt, Exod. 15. 17. Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ. Porro dixit, iſtum, eóquòd editus eſt hic Pſalmus poſtquam per Gad Prophetam hic locus eſſet indicátus. *Quem acquiſiuit dextera eius*, ſicut dicitur, ſanctuarium tuum Exod. 15. 17. quod firmauerunt manus tuæ Domine.

V. 55. *Et eiecit, & cadere fecit eos.* Nempe Iſraëlitas cadere fecit in funiculum hereditatis quam eis ſe dixerat eſſe daturum. Hic loquendi modus ſimilis eſt iſti, *Coram cunctis fratribus ſuis cecidit.* Gen. 25. 18. *Et habitare fecit in tabernaculis eorum.* In tabernaculis Gentium illarum collocauit tribus Iſraëliticas. Non deſunt qui verba iſta, Cadere fecit eos, exponant de iſtis populis quos Deus gladio proſtrauit in ſua ipſorum terra.

V. 56. *Et tentauerunt & exacerbauerunt.* De eo loquitur quod mortuo Ioſue & ſenioribus alijs euenit.

V. 57. *Et auerterunt ſe.* Nimirum temporibus Iudicum inter vnum & alterum Iudicem. *Sicut Patres eorum.* Poſteri fuerunt antiquis ſimiles. *Conuerſi ſunt ſicut arcus doloſus.* Arcus ideo doloſus dicitur, quoniam ſagittarius fraudulentus & callidus ſimulat ſe velle arcum in vnam partem eiaculari; & tamen ipſum in aliam emittit, vt ſibi ab eo non caueant qui ſtant ex vna parte, & ipſe interim quàm citiſſimè conuërtitur in partem alteram in quam arcum dirigere non videbatur: pari modo Iſraëlitæ Iudicis vnius tempore Deum quidem colebant, at illo mortuo, ſtatim ad cultum Idolorum conuertebantur.

V. 58. *Et ad iram concitauerunt eum in excelſis ſuis.* Nam Heli & Samuëlis temporibus, multi erant inter eos qui idola colerent, donec ipſos ad viam bonam reduxit Samuël cùm nempe Arca è regione Philiſtæorum reportata fuiſſet.

V. 59. *Audiuit Deus.* Eorum verba ipſius iram prouocantia quæ de ſe dicebant, cùm Dijs extraneis exhiberent cultum. *Et auerſatus eſt valde.* Permiſit enim vt ab eis Arca alio transferretur.

V. 60. *Et dereliquit tabernaculum Silo.* Hoc eſt, Arcam quæ apud Silonitas aſſeruabatur, & illud erat tentorium in quo, Deus, inter homines habitabat, vt ipſemet alio in loco dixit; *Et habitabo in medio filiorum Iſrael.* Exod. 29. 45. Dicit verò, tentorium, quoniam ſub cortinis erat Arca apud Silonitas.

V. 61. *Et tradidit in captiuitatem virtutem ſuam.* Dei fortitudo & gloria erat ipſa Arca iuxta illud, *Tu & Arca fortitudinis tuæ.* Pſal. 132. 8. In ea ſiquidem Dei virtus & gloria apparebat.

V. 62. *Et concluſit.* Nam in eo bello multi Iſraëlitæ ſunt interfecti.

V. 63. *Iuuenes eius comedit ignis.* Bellum metaphoricè ignem appellat, vt etiam in iſto loco, quia ignis egreſſus fuerat de Heſebon & flamma de medio Sihhon. Nominat autem Iuuenes præ cæteris, quòd ad bellum ſolėant profi- Ier. 48. 45.

Psal. 78. ciſci vt aptiores alijs. *Et virgines eius non ſunt laudatæ.* Poſtquam enim iuuenes bello ſunt abſumpti, puellæ in thalamum nuptialem non fuerunt aſſumptæ, quippe mortuis iuuenibus à quibus ſi vixiſſent, ducendæ erant in vxores. Verbum iſtud הוללו *houllalou* lætitiam indicat quæ in nuptiali cubiculo fiebat; vnde etiam domum nuptialem, domum laudis appellant eóquòd in ipſa ſponſus & ſponſa ſolerent carminibus celebrari. *Vide Ierem. 7. 33.*

V. 64. *Sacerdotes eius.* Ophni ſcilicet & Phinees ac cæteri Sacerdotes qui erant cum Arca, & illo in prælio ſunt interfecti. *Et viduæ non plorabant.* Nam ipſæ ſubitò cordis dolore correptæ expirabant, quo modo vxor Phineæ eſt extincta.

V. 65. *Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus.* Senſus eſt, ſicut homo qui graui ſopore iacebat oppreſſus propter vinum quod ante copioſè potarat, at vbi ex ſomno expergefactus eſt, tum exclamat ac vociferatur. Cæterùm dicit, Tanquam potens, vir enim illo in ſtatu non patitur ſui roboris imminutionem niſi propter vinum: ita Deus ſanctus & benedictus erat veluti ſimilis homini dormienti aut ſomno graui oppreſſo: nam iniquitates & peccata Iſraëlitarum pernouerat, ſed quaſi dormiens aut profundo ſopore fuiſſet obrutus, nihil illis pœnæ infligebat; at vbi ſupra omnem modum eorum ſcelera increuerunt, ac prauis operibus ſuis eum ad iram grauiter prouocarunt, à ſomno quaſi expergefactus, in eos animaduertit, ac fuit inſtar potentis præ vino largiùs hauſto vociferantis.

V. 66. *Et percuſſit inimicos ſuos retrorſum.* Hoſtes ſuos appellat præuaricatores Iſraëlitarum, quos ita percuſſit donec conuerſi ſunt retro coram hoſtibus. Vel ideo dicit, retrorſum, quoniam fugerunt Iſraëlitæ à Philiſtæis qui ipſos ſunt inſecuti, ac eorum terga grauiter ceciderunt. Atque illud egit Deus in punitionem ſcelerum ipſorum quàmmultiplicium. *Opprobrium ſempiternum dedit illis.* Quod enim Arca fuerit capta & abducta à Philiſtæis, id probro æterno verſum eſt Iſraëlitis. Sunt qui duos verſus iſtos, Et excitatus tanquam dormiens; Et percuſſit inimicos ſuos, exponant de eo malo quod Philiſtæis inflixit Deus: Qui quidem ſimilis dormienti videbatur quamdiu Arca apud Philiſtæos capta remanſit: at poſt modum veluti expergefactus eſt, eóſque qui eam ceperant grauiter afflixit. *Inimicos ſuos.* Hi ſunt Philiſtæi, quos percuſſit retrorſum, hoc eſt, mariſcarum plagâ; quæ toti illorum Genti æternum incuſſit probrum.

V. 67. *Et proiecit tabernaculum Ioſeph.* Nam etſi tandem Arca fuerit reddita Iſraëlitis, non tamen in vrbem Silo fuit reducta, ſed ex loco in locum tranſlata eſt donec eam Dauid aſportarit in Ieroſolymitanam vrbem.

V. 68. *Sed elegit Tribum Iuda.* Siquidem in parte Tribus Iudæ ſita erant Ieroſolyma, & ex eadem Tribu Iudæ originem ducebat ipſe Dauid.

V. 69. *Et ædificauit ſicut excelſa.* Ac ſi diceret, Palatia excelſa, quo modo
Cant. 4. 2. dicitur illud, *Sicut grex tonſarum*, ſupple caprarum. *Sicut terram quam fundauit in ſeculum.* Vt ſcriptum eſt, *Terra autem in æternum ſtat.* Ita ſuum
Eccl. 1. 4. ibi Sanctuarium ædificauit in perpetuum, non erit ibi ſicut fuit in Gilgal, in Silo, in Nobe & in Gabaon, ſed in æternum ibi eſt permanſurum. Eritque
1. Reg. 8. 27. hoc Sanctuarium in monte Moria, vt teſtatur ita fore Salomon: *Ædificaui*

locum habitationis tibi, locum vbi habites in ſæcula.

V. 7. *Et elegit David ſeruum ſuum.* Ita pariter elegit Dauidem ſeruum Psal.
ſuum in Regem perpetuum, adeout, nullus alius Rex ſit futurus Ieroſoly- 78.
mis præter ipſum & poſteros eius, *Et tulit eum de caulis ouium.* Nempe vt
ſuper Iſraëlitas regnum obtineret. Vox מכלאות *miclegt* idem ſignificat ac Deut.
ex גדרות *gidrot* ſeptis gregum. 23. 4.
Pſal. 21.

V. 71. *De poſt fœtas.* Hoc nomine appellantur fœmellæ gregis lactantes 4.
ex nomine ſuorum paruulorum, qui nominantur עולים *oolim.* Ideo autem dicitur, de poſt fœtas aut lactantes, quòd paſtor debeat oues fœtas & lactantes ſequi, vt eas pedetentim & pacatè deducat, quemadmodum ſcriptum eſt, *Fœtas ipſe leniter deducet.* Et alio in loco, Noſti Domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecum quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. *Vt paſceret Iacob.* A paſcendis ouium gregibus eum aſſumpſit ad paſcendos & regendos Iſraëlitas.

V. 72. *Et pauit eos ſecundùm innocentiam cordis ſui.* Vox כתום *chetom* ſcribitur cum litera כ *caph*: vt rectitudini & innocentiæ addictus erat eius animus, ita rectitudine cordis & ſapientiâ ipſos Iſraëlitas gubernauit. *Et in prudentÿs manuum ſuarum deduxit eos.* Prudentiam manibus attribuit, eóquòd paſtor oues dirigat baculo quem geſtat manibus quo illas prudenter debet deducere. Manibus intelligentiam tribuit quamuis ipſa ad animum ſpectet, quia ipſæ opus animi prudentiâ directæ exequuntur; quo ſenſu dicitur
illud: *Intelligere fecit manus ſuas.* Gen.
48. 14.

PSALMVS SEPTVAGESIMVS NONVS.

Pſalmus, Aſaph.

1. DEus venerunt Gentes in hæreditatem tuam: polluerunt Templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in aceruos lapidum.

2. Poſuerunt cadauer ſeruorum tuorum eſcam volatilibus cœli: carnem Sanctorum tuorum beſtiis terræ.

3. Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ieruſalem: & non erat qui ſepeliret.

4. Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris: ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt.

5. Vſquequo Domine iraſceris in perpetuum? ardebit velut ignis zelus tuus?

6. Effunde iram tuam in Gentes quæ te non nouerunt: & in re-

PSAL. gna quæ nomen tuum non inuocauerunt.
79. 7. Quia comederunt panem Iacob: & habitationem eius deſolauerunt.

8. Ne memineris nobis iniquitatum antiquarum: citò præueniant nos miſericordiæ tuæ: quia attenuati ſumus valde.

9. Adiuua nos Deus ſalutis noſtræ propter gloriam nominis tui: & libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

10. Vt quid dicent Gentes, *vbi eſt* Deus eorum? innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris vltio ſanguinis ſeruorum tuorum qui effuſus eſt.

11. Introeat in conſpectum tuum gemitus vincti: ſecundùm magnitudinem brachii tui fac reliquos filios mortis.

12. Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum: improperium ipſorum quod exprobrauerunt tibi Domine.

13. Nos autem populus tuus & oues paſcui tui confitebimur tibi in ſeculum: in generationem & generationem narrabimus laudem tuam.

COMMENTARIVS.

V. 1 D*Eus venerunt Gentes.* Pſalmus de Ieroſolymorum vaſtatione eſt editus; vt conſtat apertiſſimè ex contextu, & vox illa, Deus, eſt vocatiui caſus, ac ſi diceret Pſaltes, Tu qui es Deus, quomodo iram & potentiam tuam tum cohibuiſti quando Gentes exteræ irruerunt in hereditatem tuam? *In aceruos lapidum.* Dictio לעיים *leiim* idem quod לגלים *legallim* ſignificat; nam deuaſtata ciuitas in aceruos lapidum ſolet redigi: hinc illud, *In acervum agri*, Chaldaicè vertitur in cumulos agri: & illa dictio Hebraica
Mich. 1. 6. גלעד *galaad* aceruus teſtis, Aramicè conuertitur tumulus teſtis.
Gen. 31. 47. V. 2. *Poſuerunt cadauer ſeruorum tuorum.* Ad hæc verba ſic Dominus pater meus F. M. ſcripſit, Nunquid apud Ieremiam ſcriptum eſt, circuite vias Ieruſalem & aſpicite, & conſiderate & quærite in plateis eius an inueniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem, & propitius ero ei? qui ergo dicit hoc loco, *Seruorum tuorum. Sanctorum tuorum*? At dicendum eſt fuiſſe tum inter Iſraëlitas non paucos Dei ſeruos ac pios viros; Daniel enim, Ananias, Miſael & Azarias ex illorum fuere numero qui Ieroſolymis in exilium abducti ſunt, & hi pij erant ac ſerui Dei. Nec alij adhuc deerant iſtis ſimiles, ſed qui in domibus latebant abſconditi, nec in vicis aut plateis ſe conſpiciendos exhibebant. Et nonnulli Sanctorum iſtorum qui erant Ieroſolymis, mortem euaſerunt & captiui ſunt abducti: aliqui verò à morte non fuerunt erepti; quæ omnia contigerunt ſecundùm iudicium à Deo ſemper laudando præſtitutum. Et Magiſtri noſtri F. M. vocem illam, Seruorum tuorum, ſic explanant dicentes morte, illos qui occiduntur, expiari, cùm

igitur iſti ſint occiſi Dei cauſâ, de eis loquens ait, Seruorum tuorum. *Beſtijs* Psal.
terræ. Vox לחיתו *lehaiato*, idem eſt ac חיתו *haiat*, & litera ו *vau* eſt parago- 79.
gica vt & in iſto loco, *Et beſtias terræ ſecundum ſpeciem ſuam.* Sic etiam li-
tera ו *vau* addititia eſt in iſto nomine בנו *beno* filius Beor filius Tſephor. Gen. 1.
V. 3. *Et non erat qui ſepeliret.* Nimirum ex Iſraëlitis; ſolent quippe Iſraë- 25.
litæ ſuos qui gladio fuerint occiſi terræ mandare. Num.
V. 4. *Facti ſumus opprobrium.* Hoc contigit captiuitatis tempore. *Ludi-* 24. 3.
ficatio. Hoc eſt, ſubſannatio & opprobrium, vt iſto in loco: *Propterea dedi* Ezech.
te opprobrium Gentibus & irriſionem vniuerſis terris. 22. 4.
V. 5. *Vſquequo Domine.* Quamquam hic Pſalmus de prima captiuitate
fuerit compoſitus, quæ per ſeptuaginta ſolùm annos durauit, hæc tamen ip-
ſis longiſſima videbatur. Pari modo conquerebatur Zacharias Propheta his
verbis: *Vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem & ciuitatibus Iuda, in quas* Zach. 1.
iam ab annis ſeptuaginta iratus es? 12.
V. 6. *Effunde iram tuam in Gentes.* Zelum tuum & furorem tuum, qui
inſtar ignis aduersùm nos inardeſcit, effunde ſuper Gentes exteras. *Quæ te*
non nouerunt. Nos etenim, licèt in te peccauerimus, te tamen agnoſcimus,
tuúmque nomen inuocamus. Vox אל *el* hoc loco, eſt eiuſdem ſignificatio-
nis ac על *aal* contra, ſupra Gentes, ſic etiam in iſtis locis, אל *el ſuper montes* Ezech.
non comedit. Et percuſſit Philiſtæum ſuper frontem eius. Et ſuper regna. Quo- 18. 14.
niam exilij Babylonici tempore regnum Iſraëliticum erat extinctum, ideo 1. Sam.
Tribus Iuda in ipſa Ieroſolymorum vaſtatione aliorum regnorum mentionem 17. 49.
facit; nam hactenus etſi decem aliæ tribus iam in exilium fuiſſent abductæ, re-
gnum Iſraëliticum non omnino defecerat.
V. 7. *Quia comedit.* Hoc verbum collectiuè ſumitur, illud verò, *Deſo-*
lauerunt, de omnibus ſpeciatim hoſtibus. Et quia populum Iacobæum qui te
Deum cognoſcit, penitus abſumpſerunt & deſolarunt eum locum in quo ipſe
tibi cultum exhibebat, oportet vt omnem iram tuam in illos effundas. Nam
etiamſi peccauerimus multùm, & ipſi ex tuo iuſſu & nutu in nos irruerint, eos
tamen oportebat noſtri potiùs miſeratione affici, quàm nos omnino perdere
ac conſumere: & ita loquitur alibi ſcriptura: *Quia ego iratus eram parum,* Zach. 1.
ipſi verò adiuuerunt in malum. 15.
V. 8. *Ne memineris nobis.* Illud dicit de primis iniquitatibus quas antea
tempore iuuentutis admiſerant, ac ſi diceret, iniquitatum iuuentutis. Sapiens
autem Rabbi Abraham Eſræ filius exponendum cenſet de Patrum noſtrorum
peccatis: Et hoc videtur rectius, iuxta illud Ieremiæ: *Patres noſtri peccaue-* Thren.
runt & non ſunt, & nos iniquitates eorum portauimus. Etſi enim ipſi etiam 5. 7.
peccaſſent, Deus tamen etiam puniebat in ipſis majorum peccata, ex ſua iu- Exod.
ſtiſſima æquitate, quemadmodum illo in loco dicitur de ipſo: *Viſitans iniqui-* 20. 5.
tatem patrum in filios. In illos ſcilicet filios qui factis ſuis patrum opera imi-
tantur; ideo ita loquitur, Ne memineris nobis iniquitatum priorum noſtræ
quippe nobis ſufficiunt, ne memineris in nos iniquitatum priorum ſeu pa-
trum noſtrorum. *Citò preueniant nos*, vox iſta מהר *maher* eſſe poteſt ver-
bum modi imperatiui, aut nomen. *Preueniant nos.* Hoc verbum indicat
alicuius rei præparationem quæ deinde ante aliquem adducatur; ita conſtat ex

Pſal. 79. altis locis : *Eoquod noluerunt nobis occurrere cum pane & aqua in via*, &c. Et, *Quoniam preuenisti eum benedictionibus bonitatis. Attenuati ſumus valde*
——. Non eſt ſatis roboris in nobis ad tolerandas exilij moleſtias

V. 9. *Adiuua nos, propter gloriam nominis tui.* Quod quidem nunc à Gentibus profanatur, at vbi nobis opem attuleris, ab iiſdem glorioſum prædicabitur.

V. 10. *Vt quid dicent Gentes, vbi* eſt *Deus*? Et hoc eſt illud ludibrium quo nomen tuum profanant. *Innoteſcat in nationibus.* Te nempe palam ſumente vindictam de ſanguine ſeruorum tuorum effuſo.

V. 11. *Introeat in conſpectu tuo gemitus vincti.* Dictio אסיר *aſir*, hoc loco eſt lenis, alibi occurrit affecta dagueſch vt, *Et educeres de concluſione vin-*
Iſa. 42. 7. *ctum.* Et, *Niſi incuruauerit ſe inter vinctos*, &c. *Fac reliquos filios mortis.*
Ibid. 10. hoc eſt, eos qui tam propè ad mortem adducti ſunt vt filij mortis ſeu occiſioni deſtinati appellentur; eos inquam, fac eſſe in vita ſuperſtites, illos ſeruando. Et ſunt qui vocem התר *hoter* ſic interpretentur, ſolue vincula eorum qui vincti in captiuitate detinentur : Sicque illos appellabit vinctos eòquòd in exilio poſiti, ſimiles eſſent ijs qui in carceribus compediti & vincti ſunt incluſi.

V. 12. *Et redde vicinis noſtris improperium ipſorum quod tibi exprobrauerunt.* Dum ſcilicet per ludibrium dicerent, vbi eſt Deus eorum?

V. 13. *Nos autem populus tuus?* Siue in captiuitate poſiti, ſiue ex ea tuo nutu egreſſi, confitebemur tibi in ſeculum.

PSALMVS OCTOGESIMVS.

Præcentori, ſuper Schoſchannim Eduth, Aſaph, Pſalmus.

1 QVi paſcis Iſrael, attende : qui ducis velut ouem Ioſeph, qui ſedes inter Cherubim, illuſceſſe.

2. Coram Ephraim & Beniamin & Manaſſe excita potentiam tuam : & veni in ſalutem nobis.

3. Deus fac nos redire : & lucere fac faciem tuam & ſalui erimus.

4. Domine Deus exercituum quouſque fumabis contra orationem populi tui?

5. Cibaſti eos pane lacrymarum : & potaſti eos in lacrymis in menſura.

6. Poſuiſti nos contentionem vicinis noſtris : & inimici noſtri ſubſannauerunt nos ſibi.

7. Deus exercituum fac nos redire : & lucere fac faciem tuam & ſalui erimus.

8. Vitem de Ægypto tranſtuliſti : eieciſti Gentes & plantaſti eam. Psal. 79.

9. Euerriſti ante eam : & radicare fecit radices ſuas, & impleuit terram.

10. Operti ſunt montes vmbrâ eius : & ramis eius cedri Dei.

11. Extendit palmites ſuos vſque ad mare : & vſque ad flumen propagines eius.

12. Quare dirupiſti macerias eius : & decerpſerunt eam omnes qui prætergrediuntur viam.

13. Deuaſtauit eam aper de ſylua : & fera agreſtis depaſta eſt eam.

14. Deus exercituum reuertere nunc : & reſpice de cœlo & vide & viſita vineam iſtam.

15. Et ſedem quam plantauit dextera tua : & ſuper filium quem confirmaſti tibi.

16. Incenſa *eſt* igni & ſucciſa : ab increpatione vultus tui perierunt.

17. Sit manus tua ſuper virum dexteræ tuæ : ſuper filium hominis *quem* confirmaſti tibi.

18. Et non diſcedemus à te : viuifica nos & nomen tuum inuocabimus.

19. Domine Deus exercituum conuerte nos : luceſcere fac faciem tuam & ſalui erimus.

COMMENTARIVS.

P*Ræcentori, ſuper Schoſchannim Edouth.* Sunt qui vocem Edouth ſignificare putent ornamentum ex iſto loco Prophetæ : *Et ornata es ornamento.* Ac ſi diceret, Pulchritudo rei : ſed hoc minimè conſentaneum videtur, ac de hac voce, vt de ſimilibus, verum eſt quod ſcripſimus, nempe inſcriptiones Pſalmorum quaſdam res aut notas muſices ſignificare iam nobis ignotas. Et hic quidem Pſalmus de præſenti exilio conſcriptus eſt. Ezech. 23. 40.

V. 1. *Qui paſcis Iſrael attende.* Ex eo tempore quo regnum Iſraël fuit diuiſum, Iſraël appellatus eſt Ioſeph & Ephraim, nám Ioſeph primogeniti ius loco Ruben accepit; vnde & ipſe Iacob ait : *Et vocabitur nomen meum in illis,* ac ſi diceret, Iſraël appellabitur nomine Ioſeph, ſicut de meo nomine, dictus eſt Iſraël. Dum autem recenſet Ioſeph & Ephraim & Manaſſe filios, perinde eſt ac ſi etiam nominaſſet Benjamin, quia & ipſe filius erat Rachel, cuius liberi præcipui erant Iſraëlitarum ; vnde & de ipſis omnibus dictum eſt: *Si filius honorabilis mihi Ephraim.* Dicitur etiam, Rachel plorans de filijs ſuis. Dicit igitur Pſaltes, Tu qui olim fuiſti inſtar paſtoris Iſraëlitis, & eos 1. Paral. cap. 5. 1. Gen. 48. 16.

Psal. 80. velut gregem deduxiſti, attende in orationem Iſraëlis populi tui in exilio ver-
ſantis. Et quemadmodum olim ſedebas inter Cherubim vt Iſraëlitis illuc con-
uenientibus gloriam tuam, præ tuo in illos amore, oſtenderes; ita etiam mo-
dò fac vt eis affulgeat lumen gloriæ & fauoris tui.

V. 2. *Coram Ephraim, & veni in ſalutem nobis.* Antecede etiam coram
nobis vt nos in libertatem aſſeras.

V. 3. *Deus fac nos redire.* Nimirum ad te; ac ſi diceret, noſtra ad te cor-
da dirige ac diſpone. *Et lucere fac faciem tuam.* Deus enim ſuæ indignatio-
nis tempore faciem abſcondere dicitur, quando verò eſt placatus, vultum
lucere facere, ac bona omnia ſuis proſpicere & procurare.

V. 4. *Domine Deus.* Hoc in loco deeſt nomen formæ conſtructæ, ac ſi
Ioſ. 3. 3. dixiſſet אלהים אלהי *elohim elohe* Deus Deus exercituum cui ſimile eſt illud,
Pſal. 74. Arcam fœderis pro Arcam Arcam fœderis. *Fumabis.* Ita ſuperiùs; fumat,
1. ſeu iratus eſt furor tuus contra oues paſcui tui.

V. 5. *Cibaſti eos pane lacrymarum.* Eodem ſenſu hoc dictum eſt ac illud:
Pſal 42. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte.* Quaſi diceret ſicut cibus &
potus ſunt die ac nocte ſtatutus hominis victus, ita lacrymæ ſunt eorum quaſi
ſtatuta quotidie cibaria. *In lacrymis in menſura.* Sunt qui hæc verba quaſi
Iſa. 40 per hypallagen poſita exponant, lacrymis in menſura magna, eſt enim שליש
12. *ſcaliſch* nomen menſuræ magnæ vt iſto in loco: *Et menſus eſt in menſura pul-
uerem terræ.* Sunt alij qui iſta voce putent deſignari Babylonicam captiuita-
tem quæ per ſeptuaginta annos durauit, quæ eſt tertia pars Ægyptiacæ capti-
uitatis quæ fuit ducentorum & decem annorum, quod ſpatium iſtâ voce רדו
Gen. *redou* deſcendite illuc, denotetur: ſed videtur rectius ſi dicatur Pſaltes loqui
42. 2. de præſenti Iudæorum exilio, ac ideo vti voce שליש *ſchaliſch* quæ numerum
ternarium deſignat, quòd hoc exilium ſit tertium. Cæterùm litera ב *beth*
Prou. præpoſita voci דמעות *demaaot*, abundare videtur vt in iſto loco: *Venite
9. 5. comedite* בלחמי *belahhmi panem meum, & bibite vinum quod miſcui.* In De-
ras de iſta voce ita diſquiritur, quid eſt שליש *ſchaliſch*, deſignat mercedem
Gen. trium lacrymarum quas ſceleratus Eſaü effudit; de illo enim dicitur: *Et excla-
27. 34. mauit clamore magno & amaro.* Ipſum ideo conſtituiſti dominum ab extre-
mo mundi vſque ad finem eius, cùm igitur venies ad videndam afflictionem
noſtram & ſeruitutem animæ noſtræ, quanto magis?

V. 6. *Poſuiſti nos contentionem vicinis noſtris.* Hi ſiquidem continuò no-
Ier. 15. biſcum contendunt iuxta illud: *Genuiſti me virum rixæ & virum contentio-
10. nis vniuerſæ terræ. Subſannauerunt ſibi.* Hoc eſt, apud ſeipſos, éſtque rela-
tum ad Deum ſemper laudandum, ac ſi diceret, ſubſannauerunt te ac dicere ſo-
lent te nos minimè ſeruare poſſe.

V. 7. *Deus exercituum.* Iam hæc verba ſunt expoſita: hunc autem verſum
tribus vicibus repetit ex more deprecantis vt ſua verba multiplicet, & ora-
tionem vehementiorem efficiat; in quolibet tamen horum verſuum nonnihil
eſt varietatis.

V. 8. *Vitem de Ægypto tranſtuliſti.* Iſraëlitici populi cœtum cum vite
Iſai. 5. 7. comparat: ita etiam de illo loquitur Iſaias, *Vinea enim Domini exercituum
domus Iſrael eſt & vir Iuda germen eius delectabile.* Illa autem verba תסיע
taſiaa

taſiaa תגרש *tegareſch* ſunt futuri temporis loco præteriti ; quibus multa ſi- PSAL.
milia paſſim occurrunt. Vtitúrque vocabulo profectionis de vite loquens , vt 80.
etiam fit in iſto loco : *Transferet ſicut arborem ſpem meam.*

V. 9. *Expediuiſti ante eam.* Ne quis proficiſcentibus eis obſiſteret , ver- Iob. 19.
bum illud תשרש *taſchreſch* in conjugatione quinta ſeu hiphil , ſignificat fir- 10.
mam radicis poſitionem ; at in tertia conjugatione affecta dagueſch ipſius
radicis euulſionem, iuxta illud , *Et omnem prouentum meum eradicaſſet.* Et illud, Iob. 31.
Et eradicabit te de terra viuentium. 8.

V. 10. *Operti ſunt montes vmbrà eius.* Quaſi diceret , in, aut per vmbram Pſal. 52.
eius : ſic illud , *Quod inueniri potuit domo* , pro , *in domo Domini. Cedri* 7.
Dei. Ac ſi diceret , cedros altiſſimas , ideò enim appellat eas cedros Dei : ita 2. Reg. 16.
etiam , *Sicut montes Dei* : Omnem enim rem quam Scriptura vult magnam Pſal. 36.
prædicare , eam cum Dei nomine conjungit : vnde eſt illud , *Ciuitas magna* 7.
Dei. Senſus autem eſt , vſque adeo vitis magna effecta eſt vt ramos ſuos vſ- Ion. 3.
que ad mare extenderit. Dictio hæc קצירים *quetſirim* ramos iam duriores 2.
& firmiores ſignificat , יונקות *ionecot* autem ramos teneriores & qui vnius
tantùm ſunt anni. Per mare, Philiſtæum intelligit ſeu mediterraneum , quod
eſt terminus longitudinis terræ Iſrael , & per flumen , Euphratem deſignat, qui
eſt terminus eiuſdem terræ Iſrael, vt hoc loco ſcribitur : *Ponam autem terminos* Exod.
tuos à mari rubro vſque ad mare Palæſtinorum , & à deſerto vſque ad fluuium. 23. 31.
Et alio in loco rurſus ſcriptum eſt , *Et a flumine* , Nempe Euphrate , *vſque ad* Deut.
mare nouiſsimum erunt termini veſtri. 11. 24.

V. 12. *Quare dirupiſti.* Abſtuliſti ab eis ſingularem curæ tuæ cuſtodiam,
eámque tunc depopulati omnes per viam iter facientes iuxta illud : *Et ab-*
ſcondam faciem meam ab eis & erunt in prædam. Deut. 31. 17.

V. 13. *Deuaſtauit eam.* Paraphraſis Hieroſolymitana hæc verba Hebraica ,
Quia conſumet illud locuſta , ſic conuertit , Ecce יכרסם *iecarſen* conſumet Deut.
illud locuſta. Et in Miſchna ſeu textu Talmudico ita legitur , Ager quem 28. 38.
קרסמוה *carſemouha* , exciderunt formicæ : & literæ כ *caph* & קוף *quof* , ſunt
eiuſdem exitus. *Aper de ſylua.* Litera ע *aain* vocis יער *iaar* eſt ſuſpenſa , cu-
ius hic Allegoricus datur ſenſus ; ſi fuerint Iſraëlitæ putiores fluuio , quemad-
modum porcus e mari egreſſus non dominatur in aridam ſeu terram , ſic in eos
hoſtes ipſorum non dominabuntur , ſin alias etiam ipſa animalia fera ſyluarum
& ſaltuum. *Et fera agreſtis.* Vox שדי *ſadai* idem eſt quod שדה *ſade* ager, Pſal. 96.
& ſimiliter reperitur hac formâ in alijs locis , vt , Exultabit שדי *ſadai* ager.
Dictio autem זיז *ziz* nomen eſt generale omnibus beſtijs agreſtibus. Et per
hæc animalia porcum , &c. nationes mundi metaphoricè deſignantur , quæ
toto ore deuorant Iſraëlitas. In Deras porcus ſylueſtris dicitur impium Eſaü
denotare. Moſes de porco dixit quòd vngulas diuideret ; quia igitur porcus
vngulas diuidit dicendum eſt , inquiunt , illum eſſe animal mundum. Sic agunt
impij iſti. ædificant palatia , &c. ex ijs quæ per vim & injuſtitiam rapuerunt, &
ipſi iudicant raptores & alieni occupatores , ac dicunt ſe eſſe iudices integros
& veraces. Dixit Rabbi Hhelcias nomine Rabbi Simon , exemplum habe-
mus in quodam Imperatore qui eodem die iudicium tulit de præſtigiatoribus,
homicidis & adulteris quibuſdam, & alicui ex ſuis ducibus dixit , hac ipſa nocte

tria hæc crimina perpetraui, Eheu aper ſyluestris ſuffodit eam. Quòd ſi aper
PSAL. ſyluestris de Eſau * exponatur, fera agreſtis de Iſmaële eſt exponenda; hæ
80. ſiquidem duæ Gentes imperium in Iſraëliras exercent. In Deras de voce iſta
——. וזיז שדי *veziz ſadai* & fera agri, ita diſſerit Rabbi Iuda filius Rabbi Simon,
fera iſta, eſt auis magna quæ vbi ſuas alas expanderit Solem obfuſcat, & eſt
Iob. 39. accipiter; & hoc eſt quod ſcribitur: *An ob intelligentiam tuam volabit accipi-*
26. *ter, expandet alas ſuas ad Auſtrum?* Et cur tali appellatur nomine? Nempe
quia in ea ſunt de omnibus guſtuum ſpeciebus, partim ex hoc partim ex illo.

V. 14. *Deus exercituum.* Iam illud nomen explicuimus ac ipſum diximus carere alio nomine conſtructo, vox enim illa צבאות *tſeuaot* non eſt nomen adjectiuum reſpectu Dei ſemper laudandi: & teſtimonium conſtructionis nominis Dei cum nomine צבאות *tſeuaot* multis in locis videre eſt,
Pſal. 24. vt cùm dicitur, Dominus exercituum, Deus exercituum, & eſt ſenſus Deus
10. mundi exercituum ſuperiorum; ac ſi diceret, quòd ad eius mandata perficienda ipſi eant, & in mundum eius nomine dominentur, ſed ipſe eſt illorum Deus, non vt quidam dicunt, quòd illi ſint Dij. Et in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum multæ ſunt ea de re controuerſiæ, ſunt enim qui dicant hanc vocem eſſe nomen ſubſtantiuum, & non eſſe conſtructum, alij è contra volunt eſſe nomen ipſúmque conſtructum. *Reuertere nunc.* Iam tandem ad nos conuertaris, & videas calamitates noſtras. *Et reſpice de cœlo.* Ac ſi diceret, etiamſi tu ſis excelſus & eleuatus, nos verò depreſſi & abjecti, reſpice in nos:
Pſal. ſic alibi ſcriptum eſt; *Quoniam excelſus Dominus & humilia reſpicit.* Et
138. 6. alio in loco ſic ipſe dicit: *Excelſum & ſanctum, locum, ego habito & cum con-*
Iſa. 57. *trito & humili ſpiritu*, &c. *Et viſita vitem iſtam.* Ne illam conculcent ite-
15. rum ac perdant apri illi ſyluestres. In Deras, circa illa verba, Reſpice de cœlo, ſic dicitur: Nonne tu dixiſti Abrahamo patri noſtro, ſuſpice ad cœlum & numera ſtellas, reſpice de cœlo.

V. 15. *Et plantam.* Vox כנה *canna* ſecundùm loci huius contextum, plantam ſignificare videtur. Alij cenſent eſſe pro וגנה *veganna* & hortum, litera ג *guimel* pro כ *caph* poſita, quia ſunt eiuſdem organi. Sunt pariter qui dicant vocem illam ſignificare locum qui vocetur גנה *ganna* hortus. Sed videtur dicendum illam vocem כנה *canna* idem ſignificare quod מכון *macon* firmam ſedem, & dagueſch eſſe loco literæ quieſcentis נ *nun*, ac deſignari vr-
Exod. bem Ieroſolymitanam, nempe locum Sanctuarij iuxta illud: *Locum ſeſſionis*
15. 17. *tua Domine quem operatus es, Sanctuarium quod firmauerunt manus tua.* *Et*
ſuper filium. Hoc eſt, ramum, ſurculum, ſcilicet viſita: ſic dictio בן *ben* expo-
Gen. nitur alio loco: *Ramus creſcens Ioſeph.* *Quem confirmaſti tibi.* Pridem enim
49. 22. tibi iſtum ſurculum aſſerueras, & modò prorſus illum deſeris.

V. 16. *Incenſa eſt.* Aduerte ad vocem בן *ben* fœmininam irregulariter poſitam, ſicut fit in prædicto loco, Surculus accreſcens Ioſeph; vel erit referenda ad voces præmiſſas כנה *canna* ſedem aut vitem. *Succiſa*, vox כסוחה *cheſouhha* idem quod כרותה *cherouta* exciſam ſignificat; vnde illud verbum
Leu. 25. Hebræum, Ne תזמור *tiſmor* amputes, vertit Chaldæus, ne תכסח *ticſahh* ne ſuccidas. Et in Deras apud Rabbi Schila dixerunt, non fuit euulſa ſed diſciſſa.

* Per Edom, Romanos, & per Iſmaëlem, Turcas intelligit.

Ab increpatione vultus tui peribunt. Iſraëlitæ qui viti ſunt ſimiles, ab increpatione vultus tui peribunt, faciem enim tuam ab illis abſcondiſti & increpaſti eos. PSAL. 80.

V. 17. *Sit manus tua ſuper virum dexteræ tuæ.* Vt protegas eum; ſuper virum dexteræ, hoc eſt, ſuper Iſraëlitas quos dexterâ tuâ & brachio magno ex domo ſeruitutis tibi acquiſiuiſti. *Super filium hominis.* Idem repetit. *Quem confirmaſti tibi.* Nam pridem illum tibi aſciuiſti & potenter addixiſti, vt ſit populus tuus & tu Deus eius.

V. 18. *Et non diſcedemus à te.* Non retro conuertemur à te, hoc eſt, à tuo cultu. *Viuifica nos.* Serua nos à morte quâ in exilio afficimur. *Et nomen tuum inuocabimus.* Tu enim es Redemptor noſter.

V. 19. *Domine Deus exercituum, luceſcere fac vultum tuum.* Hoc opponitur illi quod ante dixerat, Ab increpatione vultus tui.

PSALMVS OCTOGESIMVS PRIMVS.

Præcentori, ſuper Haggittith, Aſaph Pſalmus.

1. ACclamate Deo robori noſtro: iubilate Deo Iacob.
2. Sumite pſalmum, & date tympanum: cytharam dulcem cum pſalterio.

3. Buccinate in neomenia, tubâ: tempore conſtituto ad diem ſolemnitatis noſtræ.

4. Quia præceptum Iſraeli eſt: iudicium Dei Iacob.

5. Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, quum exiſſet ipſe ſuper terram Ægypti: linguam *quam* non noueram audiui.

6. Diuerti *inquit* ab oneribus humerum eius: manus eius ab olla receſſerunt.

7. In tribulatione inuocaſti & erui te: exaudiui te in abſcondito tonitrui: probaui te apud aquas contradictionis.

8. Audi populus meus & conteſtabor te: Iſrael ſi audieris me.

9. Non erit in te Deus extraneus: neque adorabis Deum alienum.

10. Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum & implebo illud.

11. Et non audiuit populus meus vocem meam: & Iſrael non acquieuit mihi.

12. Et dimiſi eos in prauam obſtinationem: vt irent in ſuis conſilijs.

Psal. 81. 13. O ſi populus meus audiſſet me : Iſrael in vijs meis ambularet.

14. Quaſi nihilum inimicos eorum humiliarem & ſuper hoſtes eorum conuerterem manum meam.

15. Inimici Domini mentirentur ei : & eſſet tempus eorum in ſeculum.

16. Et cibaret eos ex adipe frumenti : & de petra melle ſaturarem te.

COMMENTARIVS.

SCriptus eſt hic Pſalmus de exitu ex Ægypto, & in eo fit mentio ſolutionis quâ Patres noſtri à laborum ſeruitute ſunt liberati ; quod in anni initio contigit, vt inferiùs indicatur his verbis : *Diuerti ab oneribus dorſum eius.* Quapropter hunc Pſalmum in templo decantare ſolebant in principio anni. In eo pariter fit mentio clangoris tubarum.

V. 1. *Acclamate Deo.* Veſtrum erga Dominum officium illud exigit vt acclametis Deo robori noſtro, eíque gratias agatis, & eum collaudetis ob ſingulare beneficium quod hoc die vobis contulit : nam etiamſi perfectæ liberationis dies fuerit decimâ quintâ menſis Niſan ſeu Martij, ipſa tamen initium habuit cùm dura ſeruitus ceſſare incepit, quia tum quieuerunt à grauiſſimis laboribus quibus antea defungi cogebantur, idcirco valde conſentaneum eſt vobis vt in laudes Dei roboris noſtri decantandas erumpatis. Quare verò dicit, *Robori noſtro*, nempe quia dum onera ab humeris noſtris remouit, ſuum robur & potentiam demonſtrauit ; eramus enim ſub grauium dominorum poteſtate oppreſſi, at vbi placuit Deo, cuius nomen ſit exaltatum, nullam poteſtatem habuerunt Ægyptij quà nos, vt antea ſibi ſeruire cogerent ; quapropter dicit, Acclamate Deo robori noſtro. *Iubilate Deo Iacob.* Nomen Iacob expreſſit, eóquòd Tribus à Iacob ortæ, ſeruituti fuerunt addictæ, & ipſe Iacob cum filijs ſuis deſcendit in Ægyptum, & tunc incepit numerus annorum ſeruitutis, quâ ſerui fuerunt in Ægypto, ſecundùm numerum quem literæ vocis רדו *redou* deſcendite, conficiunt ; idcirco dixit, Deo Iacob.

V. 2. *Aſſumite Pſalmum.* Attollite ſonum Pſalmi ſeu pſalterij. *Et date tympanum*, hoc eſt, ſonum tympani ; quod eodem ſenſu dicitur ac illud : *Et*
Ioel. 2. 11. *Dominus dedit vocem ſuam.* Vel ſenſus eſt, & date manus veſtras in tympano. *Citharam decoram cum pſalterio.* Date etiam manus veſtras in cithara, quæ amœna eſt cum pſalterio, ac ſi diceret, omnibus inſtrumentis cantus adhibitis à vobis celebrandus eſt & laudandus Iſraëlitarum liberator.

V. 3. *Buccinate in Neomenia, tubâ.* In Neomenia, primus dies menſis, hoc
1. Sam. 20.18. nomine חדש *hhodeſch* appellatur vt, *Ecce* חדש *hhodeſch noúilunium cras* : ſiquidem in ipſo, luna innouatur & de eius nomine totus menſis denominatur. Et ſic menſis quilibet nominatur חדש *hhodeſch* ab innouatione lunæ, vnde hîc dicit, buccinate in hoc die qui eſt initium menſis. Buccinate tubâ, hoc eſt,

cum tuba ſicut vobis Moſes præcepit agendum primo die menſis ſeptimi, in PSAL.
memoriam clangoris. Hæc porro videtur eſſe ratio cur ſit præceptus clangor 81.
tubarum ipſo anni initio, nempe quòd Patres noſtri eo die durâ ſeruitute premi
deſierint, & quieuerint à laboribus ſuis: eſt enim tubæ clangor ſignum Num.
manumiſſionis ſeruorum, ſicut Deus ſanctus & benedictus clangorem tuba- 29. 1.
rum præcepit fieri ipſo die expiationum Iubilæi, quod erat ſignum manumiſ- Leuit.
ſionis ſeruorum, & egreſsûs eorum à poteſtate ſuorum dominorum. Pari ra- 25.
tione Deus benedictus mandauit vt in cuiuſlibet anni principio clangere-
tur tubis ad reuocandum in memoriam noſtram ipſo die abrogatam fuiſſe
Ægyptiacam ſeruitutem, & noſtræ libertatis primum initium. *Tempore con-
ſtituto ad diem ſolemnitatis.* Vox iſta בכסה *bacheſe* tempus certum & ad
ſolemnem conuentum determinatum notat vt patet ex hoc loco: *Ad diem con-* Prou.
ſtituti temporis in domum ſuam eſt rediturus. Ad diem ſolemnitatis noſtræ. Qui 7. 20.
erat dies feſtorum celeberrimus ac ipſis notiſſimus.

V. 4. *Quia præceptum Iſraeli eſt.* Illud ad quod ego vos hortor vt tubâ clangatis, ſtatutum & iudicium eſt vobis impoſitum, quod vobis Deus Iacob imperauit, quare autem id vobis præcepit?

V. 5. *Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud.* Quaſi diceret, in memoriam &
teſtimonium poſuit hoc ſtatutum, nempe clangorem tubæ in Ioſeph. Cæterùm
dicitur Iehoſeph & Ioſeph vt Iohaannan & Iehohhannan, Iehonadab & Iona-
dab. Nomine autem ipſius Ioſeph hic vniuerſus Iſraël appellatur, vt futu-
rum ipſe Iacob prædixerat, *Et vocabitur nomen meum in eis.* Superiùs etiam Gen.
de Iſraëlitis loquens dixit Pſaltes, *Qui deducis velut gregem Ioſeph.* Et alio in 48. 16.
loco, *Si forte Deus exercituum miſereatur reliquijs Ioſeph.* Quandonam ve- Amo. 5.
rò teſtimonium illud poſitum fuit, nimirum. *Quum exiret ſuper terram Æ-* 15.
gypti. Quæ verba ſic exponunt aliqui, Cùm ex terra Ægypti Iſraëlitæ egrede-
rentur. Dixit autem, ſuper terram Ægypti, ſecundùm quod ſcriptum eſt, *Et* Exod.
filij Iſrael egrediebantur in manu excelſa. Sed rectius mihi videtur, ſi illud 14. 8.
cùm exiret, de Deo ſemper laudando dictum accipiatur hoc ſenſu, Quum
egrederetur Deus ſuper, aut contra terram Ægypti, ad nos inde liberandos;
ſicut dictum eſt: *Ego egrediar in medio Ægypti, &c. Linguam quam non* Exod.
noueram, audiui. Ac ſi diceret, tunc quando liberauit nos, audiebam lo- 12. 12.
quentes Ægyptios, idiomate quod erat aliud quàm noſtrum, vt ſcriptum eſt:
In exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob de populo Barbaro. Et dicit, non Pſal.
noueram, eóquòd non oportuiſſet me idioma iſtud noſcere, niſi fuiſſem in 114. 1.
ſeruitutem ab ipſis redactus; vel idcirco dicit, non noueram, quoniam eorum
plurimi linguam Ægyptiacam non intelligebant, eóquòd ſemper linguâ ſan-
ctâ loquerentur. Atque ita Magiſtri noſtri F. M. tradiderunt Iſraëlitas in Æ-
gypto linguam ſuam & nomina ſua non mutauiſſe. *

V. 6. *Diuerti ab oneribus humerum eius.* Verba ſunt Dei laudandi ipſo, inquit, die humeros eorum à ferendis oneribus remoui, nec enim ampliùs ſunt deinceps adacti ad ſeruilia opera, nam eo ipſo die duræ illorum ſeruituti finem impoſui; & eapropter illud ſtatutum indixi, nempe tubarum ſonitum

* Addunt alij eos etiam veſtimentum ſuum, ſeu veſtium formam non mutaſſe per totum illud ſuæ peregrinationis tempus.

in memoriam abrogatæ ſeruitutis, quod iſto die contigit. Ratio autem cur
PSAL. 81. dicat humerum eius, eſt quia lateres humeris ſuis deferre cogebantur: nam illorum quidam conficiebant lateres eóſque ferebant. *Manus eius ab olla receſſerunt.* Ita etiam manus eius ab ollis conficiendis ſunt liberatæ. Sunt autem דודים *doudim* idem quòd קדרות *chedarot* Chaldaria, ollæ, vt in iſto loco, *Et mittebat eam in ollam* vel *in caldarium*: nec enim duntaxat lateres fingebant, ſed etiam omnia opera fictilia vt ſcriptum eſt: *Ad amaritudinem perducebant animas eorum operibus luti & laterum, omnique famulatu in agris.* (Exod. 1. 14.)

V. 7. *In tribulatione inuocaſti & erui te.* Cùm in Ægypto premereris anguſtiâ, clamaſti ad me, & te liberaui ex illis calamitatibus, quod iſtis verbis indicatur, Aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus: & ſtatim additur, Et audiuit gemitum eorum. *Exaudiui te in abſcondito tonitrui.* Tu me inuocaſti clam tempore tuæ calamitatis; ego autem exaudiui te in magnis tonitrui fragoribus, mea palam oſtendens mirabilia. Alij ſic volunt eſſe exponendum, Ego te abſcondi à tonitruis quibus Ægyptios affligebam: nam per tonitrua etiam plagæ illis fuerunt inflictæ. Vel hoc refertur ad illa ſcripturæ verba: *Et reſpexit Dominus ad caſtra Ægyptiorum per columnam nubis & ignis*: de quo ſimiliter loco ita dicitur, Vox tonitrui tui in rota, vt ſuperius ibidem explicuimus. (Exod. 14. 24.) *Probaui te apud aquas contradictionis.* Dictio אבחנך *eubhenca* ſcripta eſt per ח *hheth* affectum cametshhateph, vt illa alia, אזכרך *eſcorca memor ero tui ex terra Iordanis.* (Pſal. 42. 7.) Tot & tantis beneficijs te affeci, nam ex ſeruitute Ægyptiaca te liberaui, traduxi te per mare, & tandem te probare volui, permiſique vt ſiti grauiter laborares, vt experirer an conſtanter mecum in tentatione permaneres, & vtrum eſſes memor tot ſignorum ac prodigiorum quæ tui causâ effeci, & non perſtitiſti fidelis, nam contendiſti mecum in Raphidim propter aquas, & dixi tibi.

V. 8. *Audi populus meus.* Si me audieris, nec ſit penes te Deus aliquis extraneus, nec in alio quàm in me tuam fiduciam colloces, nec Deum alienum colueris; ſed memineris me eſſe Dominum qui te ex terra Ægypti eduxi, *Dilata os tuum.* Ad petendum & ego tuas omnes petitiones implebo, ſi mihi obtemperaueris, efficiam vt nec ciborum nec potus penuria labores.

V. 9. *Non erit in te Deus extraneus.* Hoc eſt, penes te non reperiatur. *Neque adorabis Deum alienum.* Aliorum populorum, ſed recorderis me eſſe Deum qui te eduxi. Sic Magiſtri noſtri F. M. explicant iſta verba, Non erit in te Deus extraneus, Iſte Deus extraneus, ille ipſe eſt, qui eſt in corde humano, & loquitur de praua concupiſcentia.

V. 10. *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Mentis tuæ cogitatione meam agnoſcas exiſtentiam, ac memor ſis beneficij quod tibi feci quum è terra Ægypti te eduxi.

V. 11. *Et non audiuit populus meus vocem meam.* Nempe in deſerto, ac temporibus Iudicum, imò etiam Regum poſt Dauidem ac Salomonem, vſque dum migrauit in exilium & templum fuit deſtructum, mihi acquieſcere noluit.

V. 12. *Et dimiſi eum in duritiam cordis.* Cúmque vidiſſem eos nolle mihi obtemperare, dimiſi eos in duritiam cordis eorum mali, quòd à ſua malitia non

vult conuerti. *Et dimiſi eos.* Hoc eſt, ſingularem meam cuſtodiam ab ipſis Psal.
ſubduxi, ac permiſi alijs Gentibus vt liberè in eos manus violentas mitterent. 81.
Vt irent in conſilijs ſuis. Quemadmodum ſibi ipſis malè conſuluerunt, ſic in
malum ruent ac tandem peribunt.

V. 13. *O ſi populus meus audiſſet me.* Res omnino aliter eueniſſet.

V. 14. *Quaſi parum, inimicos eorum humiliarem.* Nam ipſe populus meus
ſuis hoſtibus imperaret, non illi in ipſum exercerent imperium. *Quaſi parum,*
ſcilicet temporis, & litera illa כ *caph* eſt litera affirmandi vt etiam in iſtis lo-
cis כהיום *chebaiom*, *ſtatim inuenietis eum.* Et, *Iura ergo mihi hâc horâ*, & 1. Sam. 11.
in alijs ſimilibus. *Conuerterem manum meam*, hoc eſt, repetitis toties vicibus do-
nec omnino conſumerem hoſtes eorum. Quo ſenſu dicitur, *Et reuertar in* Gen. 25. 13.
domum Domini. Item illud, *Et reuertere, circumcide.* Hoc eſt, iterum atque Pſal. 25. 6.
iterum donec, &c.

V. 15. *Inimici Domini.* Hoc eſt, nationes mundi mentirentur ei, nempe Ioſ. 5. 2.
de Iſraëlitis præ timore Dei, ac dicerent ſe illis nihil mali intuliſſe: quâ loquendi
formâ dicitur alibi: *Et mentientur tibi inimici tui.* *Et eſſet tempus eorum in* Pſal. 66. 3.
ſeculum. Tempus & duratio felicis eorum multiplicationis quâ bonis frui in-
ciperent, eſſet in æternum, nec vllus ei finis adueniret; nec ipſis vlla eſſet à fe-
lici ſtatu mutatio, ſi voci Domini obtemperare vellent.

V. 16. *Et cibaret eos.* Et Deus ſemper benedicendus populum ſuum ciba-
ret ex adipe frumenti. *Et de petra melle ſatiarem te.* Mel quod è petris na-
tum educitur inducit ſatietatem. Porro nomine mellis, figuratè ſuauiſſimos
terræ fructus deſignat; Quo ſenſu dicitur illud, *Et fecit vt ſugeret mel de pe-* Deut. 32. 13.
tra oleúmque de ſaxo duriſsimo. Per ſaxum & petram, loca duriſſima deno-
tat; ac ſi diceret, Spolia magnatum ac delicias regum exterarum nationum,
quos ipſis cernentibus erat proſtraturus.

PSALMVS OCTOGESIMVS SECVNDVS.

Pſalmus Aſaph.

1. DEus ſtat in cœtu Dei: in medio Deorum iudicat.

2. Vſquequo iudicabitis iniquitatem: & facies peccatorum ſumetis?

3. Iudicate inopem & pupillum: miſerum & pauperum iuſtificate.

4. Eripe tenuem & egenum de manu improborum liberate.

5. Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouentur omnia fundamenta terræ.

6. Ego dixi, Dij eſtis: & filij Excelſi omnes vos.

Psal. 82. 7. Verumtamen vos ſicut homines moriemini : & ſicut vnus de principibus cadetis.

——. 8. Surge Deus iudica terram : quoniam tu hereditas in omnibus Gentibus.

COMMENTARIVS.

Pſalmus Aſaph. *Deus ſtat in cœtu Dei.* Editus eſt hic Pſalmus aduerſus Iudices qui iniquè iudicant, & fortaſſe temporibus Regis Ioſaphat, videmus enim quòd vbi eſſet reuerſus ex Rama Galaad, & populum Iſraëliticum per pœnitentiam ad cultum Dei reduxiſſet, Iudices in omnibus terræ Iudæ vrbibus conſtituerit, illóſque ſollicitè & grauiter his verbis admonuerit, *Videte quid faciatis, non etenim homini iudicatis ſed Deo*, &c. Et addidit, Nunc igitur ſit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia, cuncta facite; non apud Dominum Deum noſtrum eſt iniquitas, nec perſonarum acceptio nec munerum. Ex his conſtare videtur ante illud tempus fuiſſe iudices iniquè ſuo fungentes officio, adeout oportuerit ipſum alios iudices conſtituere, eóſque diligenter admonere de ijs quæ ad iudicium pertinent in hæc verba.

Amo. 3. 2.

V. 1. *Deus ſtat in cœtu Dei.* Ac ſi diceret, Majeſtas eius inter vos reſidet vt veſtra opera intueatur, quemadmodum ſcriptum eſt alibi : *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. In medio Deorum*, hoc eſt in medio Iudicum, nempe vt recta ferant iudicia ſicut ipſe præcepit : quòd ſi ita minimè fecerint, ille pernouit eóſque propter ipſorum iniquitatem eſt puniturus.

V. 2. *Vſquequo, & facies peccatorum ſumitis?* Nimirum quia potentes, magni ac diuites ſunt, facies illorum ſuſcipitis, nec ius pauperum ex illorum manibus eripitis.

V. 3. *Iudicate tenues.* Æquam illorum cauſam vindicate ab eis qui opes ipſorum injuſtè occupare conantur. *Iuſtificate*, cùm iuſtitia ſtat ab eorum partibus, illos abſoluite, nec reuereamini potentiam illorum à quibus calumniam patiuntur, nec vllam eorum habeatis rationem.

V. 4. *Eripite tenuem.* Ne vi aut injuriâ eum in corpore afficiant.

V. 5. *Neſcierunt neque intellexerunt.* De iudicibus loquitur, iniquum ait, iudicium ferunt ac ſi neſcirent & non intelligerent quid ſit ius & æquum dicere. *In tenebris ambulant*, munera quippe excæcant illos. *Mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Propter ſua praua opera, vident omnia terræ fundamenta concuti & mundum vniuerſum deuaſtari; nam & propter injuſtitiam & calumniam diluuium olim totum orbem inuaſit.

V. 6. *Ego dixi, Dij eſtis.* Nam Iudices Dij appellantur, cùm ex recta veritatis norma iudicant, vt patet ex iſto loco, vſque ad Deos, Iudices, deferetur cauſa vtriuſque. Vt etiam exercitus ſuperiores ſeu Angeli, Dij appellantur, qui conditoris ſui miſſionibus fungentes, hunc mundum iudicant ac dirigunt: & propter eos dicitur ipſe Deus Deorum, & Dominus Dominorum, quod indicat Deum ſanctum & benedictum eſſe Deum exercituum ſuperiorum,

Exod. 22. 9.

rum, qui ſunt Dij & Domini, & mundum hunc regunt ex nutu & imperio ſui PSAL.
conditoris. Ego dixi pariter de vobis quòd ſitis verè Dij, & ſimiles filijs Dei 82.
Altiſſimi, qui etiam Dij appellantur, ſi in veritate ac rectitudine iudicetis: eſt enim vobis ſocietas cum filijs Altiſſimi ſeu cum Angelis.

V. 7. *Verumtamen vos ſicut homines moriemini.* Attamen ego ex veſtris operibus præuideo fore vt dignitatem animæ veſtræ labefactetis, & ſimili genere mortis cum aliquo è populi vulgo moriamini, & anima veſtra ſimul moriatur cum corpore ex terra formato, nec vna cum filijs Excelſi ſeu Angelis aſcendat. *Et ſicut vnus de Principibus cadetis.* Sicut Magnates iſti, qui cæteros homines ſecundùm ſuperbiæ & magnitudinis ſuæ faſtum iudicant & regunt, & humiles quoſque deſpiciunt, ac ſuis calumnijs opprimunt, ita, inquam, vos caſuri eſtis, quando moriemini, eóquòd in vijs illorum ambuletis.

V. 8. *Surge Deus.* Quandoquidem nulli ſint ex iudicibus qui recta ferant iudicia, neceſſe eſt vt tu ipſe terram dijudices, & miſerorum ius propugnandum ſuſcipias aduersùs eos à quibus injuſtè opprimuntur. *Quoniam tu hereditas in omnibus Gentibus.* Tu pauperes & oppreſſos, in quocumque tandem populo ipſi ſint, poſſides; ac ſi diceret, ipſi tua ſunt hereditas; ſiquidem in tanta miſerorum & oppreſſorum multitudine, multi reperiuntur contriti corde, & viri æquitatis ac veri amantes.

PSALMVS OCTOGESIMVS TERTIVS.

Canticum Pſalmi Aſaph.

1. DEus ne ſilentium tibi *ſit*: ne taceas neque quieſcas Deus.
2. Quoniam ecce inimici tui tumultuantur: & qui oderunt te extulerunt caput.

3. Super populum tuum callidum excogitauerunt conſilium: & conſultauerunt ſuper abſconditos tuos.

4. Dixerunt, venite & deleamus eos de Gente: & non memoretur nomen Iſraël vltra.

5. Quoniam conſpirarunt corde pariter: aduersùs te fœdus pepigerunt.

6. Tabernacula Idumæorum & Iſmaelitæ: Moab & Agareni.

7. Gebal & Ammon & Amalec: Palæſtina cum habitantibus Tyrum.

8. Etiam Aſſur conjunctus eſt cum eis: facti ſunt brachium filijs Lot.

PSAL. 9. Fac illis ſicut Madian : ſicut Siſaræ, ſicut Iabin in torren-
82. te Ciſon.

10. Perierunt in Endor : fuerunt ſtercus terræ.

11. Pone Principes eorum ſicut Oreb, & ſicut Zeb: & ſicut Zebee, & ſicut Salmana, omnes Principes eorum.

12. Qui dixerunt : poſſideamus nobis habitacula Dei.

13. Deus meus pone illos vt ſtipulam: ſicut ſtipulam ad faciem venti.

14. Sicut ignis comburit ſyluam : ſicut flamma ſuccendit montes.

15. Ita perſequere eos in tempeſtate tua : & in turbine tuo turba illos.

16. Imple facies eorum ignominiâ : & quærent nomen tuum Domine.

17. Erubeſcant & conturbentur vſque in ſeculum : probro afficiantur, & pereant.

18. Et cognoſcant quòd tu, nomen tuum Domine : ſolus tu altiſſimus ſuper omnem terram.

COMMENTARIVS.

Canticum Pſalmi Aſaph. Conſcriptus eſt hic Pſalmus de illo bello quod Regis Ioſaphat temporibus geſtum fuit ; quando incolæ montis Seir,
2. Paral. Ammonitæ & Moabitæ ſimul ad ipſum impugnandum conuenerunt, vt
20. narratur in libris Chronicorum : quibus etiam aliæ ſe adjunxerunt Gentes, quarum ibi non fit expreſſa mentio. Ibi tamen ita dicitur, Et cum eis de Ammonitis. Qui ſimiliter in bello Ioſiæ recenſentur cum Arabibus; vbi prætereà literis tranſpoſitis, Maaomin appellantur. Sic quoque in libro Iudicum dici-
Iud. 10. tur. Sidonij quoque & Amalech & Maamon oppreſſerunt vos. Iſtæ ſiquidem
12. omnes Gentes vicinæ erant nec procul ab inuicem habitabant, idcirco hic Iſmaëlitas Agarenos & Amalecitas commemorat : hæ enim omnes ſupradictæ Gentes ſimul congregatæ ſunt cum filijs Ammon & Moab & incolis montis Seir, qui eo in loco recenſentur. Cæteræ verò Gentium aliarum turbæ ibi ad bellum collectæ, cum Ammonitis ibi nominatis comprehenduntur.

V. 1. *Deus ne ſilentium tibi.* Noli quæſo ſilere huiuſmodi anguſtiæ tempore.

V. 2. *Quoniam ecce inimici tui.* Nam ecce Gentes quamplurimæ ſimul contra nos ſunt congregatæ, ac ferociter tumultuantur vt nos omnino diſperdant, & ſuperbè caput efferunt vt nobis iam quaſi à ſe deuictis inſultent.

V. 3. *Super populum tuum.* Arcanum & callidum Gentes illæ conſilium
Pſal. 31. ineunt, vt nos incautos aſtutè inuadant. *Super abſconditos tuos.* Hoc eſt,
21. Iſraëlitas, qui ſunt abſconditi tui, quos nempe in abſcondito protectionis tuæ

abſcondis iuxta illud, *Occultæ eos in tabernaculo à contradictione linguarum.* PSAL. 79.

V. 4. *Dixerunt, deleamus eos de Gente.* Hoc eſt, ne ſint ampliùs Gens vna inter cæteras, vt quampauciſſimi ex illis ſuperſint & hinc inde diſperſi ac fugientes, vſquedum non ſint ampliùs populus, & ne nominis quidem eorum vlla ſit memoria.

V. 5. *Quoniam conſpirarunt.* Etiamſi antea omnes illæ Gentes mutuis in ſe ſe bellis exardeſcerent, nunc vno animi conſenſu conſpirarunt ſimul, & fœdus pariter inierunt vt cum Iſraëlitis bellum gerant. Quod autem dicit, *Aduerſum te*, hunc habet ſenſum, auſi ſunt iactare te nos ex ipſorum manibus minimè poſſe liberare.

V. 6. *Tabernacula Idumæorum & Iſmaelitæ.* Iſti quidem venerunt cum ſuis tentorijs & alio apparatu bellico ad bellum contra Iſraëlitas prorogandum, ſi breui tempore eos expugnare non valerent. Porro Idumæi ſunt incolæ montis Seir, Iſmaëlitæ verò & reliquæ Gentes hoc loco commemoratæ, ſub nomine communi Maonim ſunt comprehenſi, vt iam ſupra declarauimus. Ibi enim ſpecialiter non recenſentur niſi incolæ montis Seir, ſeu Idumæi, & Moabitæ & Ammonitæ. Agareni, ſunt reliqui filij Hagar quos ex viro alio habuit: vel orti ſunt ex Abrahamo; ſiquidem ſit Chetura mater illorum.

V. 7. *Gebal.* Incolæ loci eiuſdem nominis.

V. 8. *Etiam Aſſur.* Ideo dixit, Etiam, quòd Aſſyrij à terra Iſraëlitica remotiores eſſent quàm cæteræ Gentes hactenus hic nominatæ. Dominus Pater meus P. M. exiſtimat dici, Etiam Aſſur, quaſi hoc indicaret, adhuc perſeuerat in ſua malitia, nec ſuæ cladis recordatur quæ facta eſt, quùm Dei iuſſu, egreſſus Angelus caſtra eius percuſſit. Et iuxta expoſitionem iſtam, dicendum hoc bellum fuiſſe poſt tempora Ioſaphat. In Deras autem, illud, Etiam Aſſur, ſic explicatur, Etiam iſte, populus, qui olim à ſuo initio bonis operibus ſolebat eſſe addictus, vnde & ab impio Nembrodi conſilio receſſit, vt ſcribitur his verbis: *De terra illa egreſſus eſt Aſſur*, iam iterum incipit eſſe improbus, & Gen. 10. cum iſtis impijs Gentibus ſeſe adjunxit ad tuam domum excidendam. *Filijs Lot*, 11. Ammonitis nempe & Moabitis.

V. 9. *Fac illis ſicut Madian.* Sicut Madianitis feciſti, operâ Gedeonis. *In torrente Ciſon.* Nam eo in loco geſtum eſt bellum Siſaræ iuxta illud, *Torrens Ciſſon traxit cadauera eorum.* Iud. 5. 21.

V. 10. *Perierunt in Endor.* Hoc ad Madianitas refertur, licèt in libro Iudicum eius non fiat mentio. Aliqui de prælio Siſaræ exponunt. Porro ſitus eſt hic locus Endor vt & Thanach & Mageddo, in regione Manaſſes, & ibidem nominantur in cantico Deboræ. *Fuerunt ſtercus terræ.* Iacuerunt eorum cadauera pedibus conculcanda vt ſtercus terræ, hoc eſt, inſtar fimi qui eſt in ſterquilinio. Iud. 5.

V. 11. *Pone eos Principes eorum.* Hoc loco poſt relatiuum pronomen ponitur dictio notificans: ita etiam fit in iſto loco, *Et vidit eum infantem.* Dicit Exod. ergo, pone duces eorum, ſeu Principes eorum, ſicut Oreb & ſicut Zeb, qui 2. 6. erant Principes Madianitarum: & ſicut Zebee & ſicut Salmana, qui ſimiliter duces erant Madianitarum, ita etiam pone Principes eorum, qui ſunt ipſorum Reges.

PSAL. 83. V. 12. *Qui dixerunt.* Illi enim exiſtimauerant ſe ſtatim occupaturos omnia Dei habitacula, hoc eſt, terram Iſraëliticam, ſed operâ Gedeonis & Iſraëlitarum armis fuerunt interfecti: ſic etiam modò Reges iſtos & duces redige qui pari conſilio in nos irruperunt vt Dei habitacula, ſua efficiant, vt ipſe querebatur Ioſaphat, vt veniant ad nos ejiciendos de tua poſſeſſione, quam iure hereditario nobis poſſidendam tradidiſti. 2. Paral. 20.

V. 13. *Deus meus pone illos.* Dictio גלגל *galgal* hoc loco feſtucam denotat huc illuc à vento raptatam.

V. 14. *Sicut ignis comburit ſyluam.* Hoc eſt in ſylua accenditur. Sunt qui verbum תבער *tinaar* eſſe actiuum exiſtiment; ac tum vox, ſylua, deſtitura non erit litera ב *beth* in, ſeruili ante ſe. Idcirco autem dixit, Sicut ignis comburit, quia nimirum ignis multa ſimul ligna poteſt abſumere: nam vbi ſemel ignis in vna ſyluæ arbore vehementer exarſit, mox proximam inuadens accendit, ſicque alia incenſa corripit alteram, donec tandem in cineres tota ſylua redigatur. Ita Dei nutu excitata turbatione ſic hoſtes noſtri agitentur, vt vnuſquiſque in alium pari impetu irruens conficiatur. *Succendit montes,* hoc eſt ligna & gramina quæ ſunt in montibus; ſenſus eſt, ventum in montes flatu ſuo flammas impellere, quibus tandem correptæ arbores omnes mox penitus abſumuntur.

V. 15. *Ita perſequere eos.* Quemadmodùm ibidem eo in bello contigiſſe narratur, Et Dominus conuertit inſidias eorum in ipſos, filiorum ſcilicet Ammon & Moab, & montis Seir, &c.

V. 16. *Imple facies eorum ignominiâ.* Quia ipſi ſperant fore vt de nobis victis & in ignominiam redactis glorientur, tu verò imple facies eorum ignominiâ, itaut deſpicabiles ſint & à nobis viles habeantur, pro eo quòd exiſtimant ſe nobis longè glorioſiores euaſuros. Dominus autem Pater meus P. M. dictionem קלון *calon* ſignificationem habere putat à voce קלוי *caloui* toſtum in igne, ac ſi diceret, Imple facies eorum rubore & fac vt pudore ſuffuſi reuertantur ij qui fortè ex ipſis remanſerint: nam facies eius qui pudore ſuffunditur, ignis inſtar rubeſcit, *Et quærent nomen tuum Domine.* Et tunc quærent nomen tuum; agnoſcent enim nullum præter te eſſe Deum, iuxta illud, In die illa erit Dominus vnus & nomen eius ſolum. Nimirum tu ô Deus, & nomen tuum: ſuo quippe animo cognoſcent nullum eſſe præter te Deum, imò te verum eſſe Deum; ſicque nullum aliud nomen niſi tuum, ore ſuo proferent, non verò nomina Deorum externorum. Et hoc dicit his verbis: *Solus tu Altiſſimus ſuper omnem terram.* Nempe quia in eius manu & poteſtate, omnia ſunt poſita.

PSALMVS OCTOGESIMVS QVARTVS. PSAL. 84.

Præcentori ſuper Haggith, filiis Core, Pſalmus.

1. QVàm dilecta tabernacula tua : Domine exercituum !
2. Concupiſcit, & etiam deficit anima mea ad atria Domini : cor meum & caro mea exultant ad Deum viuum.
3. Etiam paſſer inuenit domum, & hirundo nidum ſibi vbi ponat pullos ſuos : altaria tua Domine exercituum, Rex meus & Deus meus.
4. Beati qui habitant in domo tua Domine : perpetuò laudant te.
5. Beatus homo cui eſt fortitudo in te : ſemitæ in corde eorum.
6. Tranſeuntes in valle mori, fontem ponunt eam : etiam piſcinas operiet pluuia.
7. Ibunt de turma in turmam : donec videatur Deus Deorum in Sion.
8. Domine Deus exercituum exaudi orationem meam : auſculta Deus Iacob.
9. Clypeus noſter aſpice Deus : & reſpice in faciem Chriſti tui.
10. Quia melior *eſt* dies in atrijs tuis præ mille : elegi ad limen ſedere in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis improbitatis.
11. Quia ſol & ſcutum Dominus Deus : gratiam & gloriam dat Dominus : non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.
12. Domine exercituum : beatus homo qui ſperat in te.

COMMENTARIVS.

EDitus fuit hic Pſalmus de Dauide fugiente & in terra Philiſtæorum exule, atque ſummo deſiderio ad locum Arcæ & altaris anhelante. Aut certè exulantium Iſraëlitarum nomine eſt compoſitus ; & hoc rectum eſſe videtur.

V. 1. *Quàm dilecta tabernacula tua !* Quanto amore ſunt digna tabernacula tua ? & quàm valde cupio & deſidero in ipſis adeſſe ?

PSAL. 84. V. 2. *Concupiſcit & etiam deficit.* Illud, deficit longè maius eſt, quàm, deſiderio tenetur, idcirco dixit etiam, ac ſi præ magnitudine deſiderij iſtius deficeret: ideo in illa ſignificatione vſurpatur deſiderium. *Ad atria Domini.* Ibi etenim ſtabat populus Iſraël in domo Sanctuarij in atrijs, non in ipſo Templo ſeu Sancto. *Cor meum & caro mea.* Per hanc vocem, caro mea, ſuam denotat linguam quæ cantica cum animi intentione decantare ſolebat: vel ſenſu hyperbolico, totum corpus intelligit, vt cùm alibi dicitur: *Omnia oſſa mea dicent,* Pſal. 34. 10.

V. 3. *Etiam paſſer.* Si Pſalmus conſcriptus ſit de Dauide apud Philiſtæos exule, illud tempus hîc denotatur quo adhuc ſupererant ſacella ſeu excelſa, & in quolibet loco erant altaria in quibus auiculæ nidulabantur. At verò in domo Sanctuarij ſeu templo, non ſinebantur aues illæ nidulari, ne quid adferrent immunditiæ. Et ea etiam de cauſa, in ipſo templi tecto aliquid erat affixum, ne ibidem aues inſiderent, illúdque * vocabatur כולא עורב *cole oorev* prohibens coruum. Dicit igitur Dauid, vtinam ego eſſem paris hac in re conditionis cum auiculis, illæ ſiquidem liberè ad tua altaria nidos componunt, ego verò illic eſſe non auderem. Ideo autem paſſerem & hirundinem præ alijs nominauit, quòd illæ auiculæ in locis inhabitatis nidificare ſoleant. Et dictio צפור *tſippor* ſignificat auiculam quam lingua vulgari paſſerem appellant; nominauit etiam hirundinem auiculam notiſſimam, eòquòd ſemper nidum ſuum domibus affigere ſoleat: vnde & דרור *deror* à libertate nomen habet, quia hæc auis liberè inter homines agit, & in ipſorum domibus nidulatur. Si autem Pſalmus ſit de captiuis editus, indicabit Pſalmiſta auiculis ſibi locum inuenire & nidos figere poſſe illis in locis in quibus modò nonniſi altarium tuorum ruinæ ſuperſunt, nobis verò non licere ibidem feſta agere, & offerre ſacrificia. Porro in Midras hic verſus figuratè explicatur, itaut per paſſerem & hirundinem metaphoricè deſignentur cœtus Iſraëlitarum, qui ſingulis annis ter ſolebant adire templum ad feſta celebranda, ibique ſua dona offerre: & iam dicunt ipſi exules, anima noſtra ſummo tenetur deſiderio illuc aſcendendi, vt olim ſolebant Iſraëlitæ, dum tuti ac liberi in patria ſua verſarentur. Pullis verò prædictarum auium ſignificari dicuntur † flores ſacerdotij, ſeu filij in ſacerdotio ſucceſſuri, qui perpetuò iuxta altaria, ceu pulli auium in nidis, morabantur. *Rex meus & Deus meus.* Quamquam enim in exilio ſum poſitus, tu nihilominus es Deus meus & Rex meus.

V. 4. *Beati qui habitant in domo tua.* Nimirum beati erant olim Sacerdotes, qui in Templo tuo, dum adhuc ſtaret, aſſiduè verſabantur. Beati etiam erant ſapientes illi, & pij homines qui ibidem à mundi negotijs ſecreti, vitam agebant ſolitariam: vel ſenſus eſt, Beati erunt habendi qui digni erunt qui videant aliquando nouam tuæ domus ædificationem, ac in eadem ſacris vacare aut intereſſe poterunt. *Perpetuò laudabunt te.* Vox עוד *ood* eundem ha-

* Hæc debent intelligi de ſecundo templo in quo volunt fuiſſe imaginem quæ coruos vel aues alias ex templi tecto abigeret ne ſuper illud volantes aliquid immundi injicerent. Alij fuiſſe id volunt laminam ferream inſtar gladij acutam altitudinis cubiti, poſitam ſuper loricam, ne aues ſupra templum quieſcere poſſent. Alij clauos acutos in cacumine templi.

† Sic vocant Sacerdotes iuuenes quibus incipit barba progerminare, & proximi ſunt fungendo ſacerdotio.

bet ſignificatum ac עולם *oolam* in perpetuum, per totum vitæ ſuæ tempus : Psal.
ita vox eadem ſumitur iſto in loco ; *Perpetuò cunctis terræ diebus.* 84.

V. 5. *Beatus homo.* Dominus Pater meus P. M. ſic iſta verba exponit,
Beati ſunt illi quibus eſt robur & ſapientia in tuæ vnitatis notitiâ : hæc enim eſt Gen.
radix veri tui cultus, quemadmodum olim Dauid filio ſuo Salomoni dicebat, 8. 22.
Tu autem Salomon fili mi, ſcito Deum patris tui & ſeruito ei. Semitæ in corde eorum. Illi ex tui cognitione ſemitas habent in corde ſuo, per quas eunt 1. Paral.
tranſeuntes & redeunt, ac per dies ſingulos nouum roboris capiunt incrementum ; & recta eſt illa expoſitio : & hic verſus cum præcedenti eſt conjungendus, Beati qui habitant in domo tua, Qui enim perpetuò in tua domo verſantur, in te fortitudinem habent: nam ibi degunt ſolitarij, & ſapientiæ dant operam ad Dei notitiam ſibi comparandam. Sapiens verò Rabbi Abraham filius Eſræ hunc locum de illis intelligendum cenſet qui pedites ad templum aſcendebant, de quibus Pſalmiſtam dicere ait, Beatus homo, Beati ſunt illi Iſraëlitæ qui feſtorum celebrationi intereſſe ſtudent, & ijs fortitudo eſt neceſſaria, quia pedites ad templum iter faciunt, & ipſis robur à te ſuppeditatur. Illa autem verba, *Semitæ in corde illorum*, vult hunc habere ſenſum, ſcilicet nullum in animo eorum eſſe ſtudium, nec aliam cogitationem niſi de ſemitis per quas ad templum Dei ſemper laudandi contendunt. *Tranſeuntes per vallem ſtillationis, fontem ponunt illam.* Quapropter, primus ſenſus erit figuratus, de ſapientibus Allegoricè dictus, & dictio בכא *bacha* ſignificationem habebit ſimilem illi quæ eſt in hoc loco : *Nunquid ingreſſus es vſque ad effuſiones maris.* Vbi deſignatur locus fluentis ſcatens. Dicitque ipſos tranſire
per vallem ſcaturiginum ſapientiæ. *Et ponunt eam fontem.* Suis nempe diſcipulis ac ipſis qui eos ſunt ſequuturi, qui aquas ſapientiæ bibent ad cognoſcendum Deum. *Etiam benedictionibus operiet doctor.* Benedictionibus in via ſapientiæ eos doctor induet, diſcipulos. Sic eodem pariter ſenſu verſus ſequens ab ipſo explicatur, *Ibunt de turma in turmam.* Ibunt, inquit, ex cœtu in cœtum diſcipuli, ac ſi diceret, in loca ſeu domos ſcholarum in quibus frequentes ſunt diſcipulorum cœtus, donec videatur ſapientiæ doctor apud Deum in Sion : ibi enim in domo Dei in Sione præſtantiſſimi erant ſapientiæ Magiſtri. Si verò hic verſus exponatur de ijs qui pedites ad templum aſcendebant, verba iſta, Per vallem בכא *baca*, ſignificabunt locum à moris arboribus, quæ multæ illic erant, ita dictum. Sunt autem arbores quæ lingua Talmudicâ תותים *toutim* appellantur: Quæ quidem in loco aquis deſtituto naſci & creſcere ſolent ; ac idcirco dixit eos qui pedites ad feſta aſcendebant, cùm per illam vallem tranſirent, ipſam efficere fontem. Nimirum ob frequentes hominum cœtus per illum locum iter facientes, qui cùm quaquauerſum terram certatim ad aquas educendas effoderent, ipſa vallis quaſi fons irriguus fiebat. *Etiam piſcinas operiet pluuia.* Dictio ברכות *beracot* hoc loco, idem ſignificat ac cum ſcribitur cum tſere ברכות *berecot* ſcilicet piſcinas aquarum : ſicque eadem forma dictum eſt alibi: *Da mihi* ברכה *beraca* Ioſ. 15.
benedictionem ſeu *piſcinam*, eodem ſenſu ac ſi eſſet ſcriptum ברכה *bereca* 19.
cum tſere. Eſt verò piſcina, foſſa ſeu locus in terra inciſus ex lapidibus & calce conſtructus, ad quem pluuiales aquæ colliguntur. Dicit igitur aquarum co-

Iob. 38. 16. (margin)

piam habuiſſe eos qui ad feſta aſcendebant, cum ex fontibus tum ex ciſternis
PSAL. 84. paſſim in vijs occurrentibus, illas ſiquidem aquâ plenas inueniebant, quippe
quas pluuia copioſiſſimis aquis explebat. Dictio מורה *more* pluuiam ſignificat
Iolël. 2. 23. æquè ac יורה *iore* vt iſto in loco, deſcendere fecit vobis imbrem, pluuiam temporaneam & ſerotinam; ac ſi diceret illos dum ad feſta aſcenderent, nullius rei penuriâ laboraſſe.

V. 7. *Ibant de turma in turmam.* Qui ad feſta aſcendebant à turba in turbam ibant, quia turmam alteram aliorum aſcendentium aſſequebantur, ſicque turmatim ac conjunctim pergebant. In Deras autem ſic dicitur, vallis בכא *baca* eſt Gehenna, ibi enim lacrymantur improbi. *Fontem ponunt eam.* Præ copia lacrymarum, & ipſi ſuam nequitiam confitentur, ac dicunt, quod ille benedictionibus operiebat ipſos qui viam rectam edocebat; ſed nos, inquiunt, non obediuimus voci Domini, idcirco in hac valle iacemus. *Ibunt de turma in turmam.* Illa verba iam ſecundùm duplicem ſenſum explicuimus, ſed in Deras referuntur ad iſta, Beati qui habitant domo tua, quæ paulò ſuperiùs ſunt poſita, hoc ſenſu, Ibant ex domo Sanctuarij ad domum Scholæ. Imò etiam verba hæc de ijs quæ futuris temporibus ſunt euentura, ſic exponunt dicentes, Sapientum diſcipulos futuro poſthàc tempore quietem non habituros, nempe quia dictum eſt, Ibunt de cœtu in cœtum. Sic pariter Magiſtri noſtri F. M. eadem verba allegoricè interpretantur, Quiſquis egreditur ex loco publicæ congregationis ad locum doctrinæ, purus eſt ac dignus qui videat aliquando faciem diuinæ Gloriæ, quia ſcriptum legitur, Ibunt de cœtu in cœtum, videbitur Deus Deorum in Sion.

V. 8. *Domine Deus exercituum.* Verba hæc iam fuerunt expoſita. *Exaudi orationem meam.* Nimirum de noſtra redemptione quantocyus adducenda, vt iam antea dicebat, Concupiſcit etiam defit anima mea. *Deus Iacob.* Hic nominat Iacob, quia ipſe eſt pater Iſraëliticarum tribuum in quibus nullus eſt alienigena.

V. 9. *Clypeus noſter aſpice Deus.* O Deus tu clypeus noſter es, nos enim clypei inſtar vndique circumtegis, vide igitur & attende in faciem Chriſti tui: perinde ac ſi diceret, vt quàm citiſſimè noſtris temporibus Regem Meſſiam adducas. Attentâ verò illa vultus inſpectione, beneuola Dei erga hominem prouidentia indicatur. Si verò Pſalmus de Dauide ſit editus, hæc verba, Reſpice in faciem Chriſti tui, de ſeipſo dixerit.

V. 10. *Quia melior* eſt *dies vna in atrijs tuis præ mille.* Senſus particulæ iſtius, Quia, eſt eóquòd orat vt Meſſias & templi inſtauratio adueniat breui, dicit, melior eſt mihi dies vna in atrijs, etiamſi poſtridie moriar, quàm vt viuam mille dies aut annos, & in aliena terra ſim exul. Sunt qui vocem illam, Quia, putent eſſe referendam ad iſta verba initio Pſalmi poſita, Concupiſcit & etiam deficit anima mea. *Elegi ad limen ſedere in domo Domini.* Dictio הסתופף *hiſtopheph* denotat commorationem in ipſo limine portæ; eligerem, inquit, potiùs vel ſolùm admitti & ſtare in limine portæ domus Domini, quàm pacatâ & ſecurâ habitatione commorari in terris Gentium externa-
Eccl. 8. 8. rum, quæ ſunt tabernacula improbitatis. Et quidam iſta verba, Tabernacula impietatis, eumdem habere volunt ſenſum ac iſta: *Neque liberabit im-*

pietas

pietas poſſeſſores ſuos. Item, *Et quocumque ſe vertebat, impiè agebat*; quibus PSAL. 84.
verbis indicatur perturbatio ſtrenua virilitas & victoria, ac ſi diceret, eligerem potiùs immorari in ipſo limine domus Dei ad vacandum ibi ſapientiæ, quàm verſari in illis tabernaculis in quibus mundi huius negotijs datur opera cum perpetua ſolicitudine.

V. 11. *Quia ſol & ſcutum Dominus.* Solis inſtar & magni luminis ipſe eſt illis qui in denſis exilij tenebris iacent, vt eos ex caligine ad lucem educat. Ita etiam illorum eſt clypeus vt ipſos à Gentium alienarum malitia vindicet, & aduersùs illarum tyrannidem eos defendat. Ipſe pariter in earumdem Gentium conſpectu gloriam illis dabit; ac ipſæmet eos exeuntes ab exilio honore afficient. Nec bonis Gentium eos priuabit iuxta hæc vaticinia: *Et afferent filios* Iſa. 49.
tuos in vlnis, &c. Et paulò poſt, *Et erunt Reges nutritij tui*, &c. Et alio in 22.
loco, *Fortitudinem Gentium comedetis*, &c. Ibid. 61. 6.

V. 12. *Domine exercituum.* Beatus es quicumque confidit in te, nec propter exilij longitudinem deſperat animus eius, ſed certam in te ſpem habet fore vt ipſum aliquando educas ex iſto exilio, domúmque Sanctuarij tui ædifices ac ipſum illuc adducas, nempe in locum ad quem ſummo deſiderio anhelant animæ.

PSALMVS OCTOGESIMVS QVINTVS.

Præcentori, Filijs Core, Pſalmus.

1. BEne voluiſti Domine terræ tuæ: reduxiſti captiuitatem Iacob.

2. Remiſiſti iniquitatem populi tui: operuiſti omnia peccata eorum.

3. Continuiſti omnem iram tuam: auertiſti, ne iraſceretur, furorem tuum.

4. Conuerte nos Deus ſalutis noſtræ: & ſolue iram tuam aduersùs nos.

5. Nunquid in æternum iraſceris in nos? extendes iram tuam in generationem.

6 An non tu conuerſus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te?

7. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutem tuam da nobis.

8. Audiam quid loquetur Dominus Deus: quoniam loquetur

PSAL. 85. pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & non conuertentur ad ſtultitiam.

9. Sanè propinqua eſt timentibus eum ſalus ipſius: vt inhabitet gloria in terra noſtra.

10. Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.

11. Veritas de terra efflorebit: & iuſtitia de cœlo proſpiciet.

12. Etiam Dominus dabit bonum: & terra noſtra dabit fructum ſuum.

13. Iuſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.

COMMENTARIVS.

NOn deſunt qui hunc Pſalmum de Babylonico exilio cenſeant exponendum; ſed rectiùs eſſe videtur vt de præſenti explicetur; agit enim de longa aliqua tranſmigratione vt conſtat ex his verbis, nunquid in æternum iraſceris in nos? tum etiam ex illis quibus aſſerit poſt exulum reditum, iuſtitiam eſſe germinaturam; hoc autem non contigit poſt reditum ex Babylonico exilio, tum enim diuinæ legis præuaricatores fuere quamplurimi.

V. 1. *Bene voluiſti.* Tribus primis verſibus propheticè loquitur; poſteà ipſorum exulum nomine orationem exprimit; ac tandem orationem illorum à Deo fuiſſe exauditam aſſerit; eiſque certiſſimam liberationem promittit. Alij ſic hæc verba exponunt, quemadmodum fauore proſequutus es olim Iſraëlitas in templo ſecundo inſtaurando, & populi tui iniquitatem remiſiſti, nec-non continuiſti omnem iræ tuæ impetum; ita etiam modò reſtitue nos ex præſenti exilio in patriam. Idcirdo autem dixit, Bene voluiſti, poſtquam enim contra terram tuam per annos quamplurimos iratus eam contemptiſti, randem placatus, eidem beneuolum te exhibuiſti. *Reduxiſti captiuitatem Iacob.* Dictio שבית *ſchauta* actiuam habet ſignificationem quaſi diceret, השיבות *haſchiuota* reuerti feciſti. Sunt tamen qui dicant eam vocem non habere hìc ſignificationem actiuam ex conjugatione cal, in hoc ſenſu, ab iſta radice, ſed volunt eam denotare quietem; qualem ſignificatum eandem habere exi-
Num. 10. 36. ſtimant in iſtis locis: *Requieſce Domine in myriadibus millium Iſrael*: ſic,
Et requieſcere faciet Dominus captiuitatem tuam, &c. Quibus omnibus in
Deut. 30. 3. locis verba ſunt actiua conjugationis cal, ab hac radice שוב *ſchou* & requiem, vt quidem ipſi volunt, deſignant. Et hæc eſt ſententia Rabbi Chiug, ac ſenſus eſt, quòd quieſcere faciet eos, & requiem eis conceder ab ipſorum anguſtia quam patiuntur in exilio. Dictio שבות *ſchevout* legitur cum י *iod* & ſcribi [illegible], ſed perinde eſt.

V. [illegible] *iniquitatem.* Iam ſuperiùs explicui in Pſalmo cuius initium eſt, [illegible] condonatum eſt peccatum, &c. quis ſit ſenſus horum verborum remiſiſti, operuiſti.

Ioel. 2. 10. V. 3. *Continuiſti omnem iram tuam.* Pari ſenſu dictum eſt illud, *Stella*

retraxerunt ſplendorem ſuum. Et, *Dominus abſtulit opprobrium meum. A-* Psal.
uertiſti, ne iraſceretur furorem tuum. Dictio מחרון *mebharon* eſt infinitiuus, 85.
cum additione literæ נ *nun* pro מחרות *mebharot*, nec idem ſunt iſta verba
cum his, reuertere ab ira furoris tui, in quibus vox חרון *bharon* eſt nomen Gen.
conſtructum cum voce אפך *appeca*; & ſi eſſet idem ſenſus, dicendum fuerat, 30.31.
שברת *ſchauta* conuerſus es ab ira furoris tui, ſed vox השיבות *aſchiuota* eſt
verbum actiuum ſeu tranſitiuum, cuius ſubjectum eſt vox אפך *appeca* furorem
tuum, perinde ac ſi diceret, auertiſti furorem tuum, vt non excandeſcat.

V. 4 *Conuerte nos.* Hoc iam fuit expoſitum. *Deus ſalutis noſtra.* Hoc eſt, à te noſtra ſalus omnino dependet, túque ſolus nos ſaluos efficies, & non alius. *Solue iram tuam*, quâ hucuſque aduersùs nos indignatus es, diſſolue illam & fac vt ceſſet.

V. 5. *Nunquid in æternum.* Quomodo exilij huius duratio tandiu protenditur? num verè contra nos perpetuò iratus eris? *Extendes iram tuam.* Ac ſi diceret, prorogabis iram tuam in generationem & generationem?

V. 6. *An non tu?* Nullus enim præter te eſt, qui nos poſſit à morte huius exilij ſeruare; quod ſi præſtiteris aliquando, tunc populus tuus in te lætabitur.

V. 7. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.* Si enim iniquitates noſtræ multæ & magnæ ſint; at tu ſoles tuam erga peccatores exhibere miſericordiam, nec illis ſecundùm præuaricationes eorum retribuis; illam ergo miſericordiam in nos exere & exerce.

V. 8. *Audiam quid loquatur Deus.* Propheta, inquit, ego ſum, & audio quid loquatur Dominus; potentiſſimus eſt Deus & quod ipſe loquitur, illud adimplere valet; quid verò ipſe loquitur? *Quoniam loquetur pacem in populum ſuum.* Nempe vt illum ab exilio liberet. *Et erga Sanctos ſuos*, hoc eſt, erga illos qui piè inter mundi nationes viuentes, legem Iſraëlitarum
ſunt amplexuri, quando ipſi ex alieno ſolo in patriam reuertentur. *Et non* Iſai. 60.
conuertentur ad ſtultitiam. Nec iterum ad ſtultitiam & ad viam malam reuertentur iuxta illud Prophetæ, Populus autem tuus omnes iuſti, in perpetuum hereditabunt terram; & hoc indicat, Pſaltem hîc loqui de præſenti exilio; nam qui ex Babylonica captiuitate in patriam ſunt reuerſi, ad ſtultitiam, & peccata iterum perpetranda redierunt, adeout ſecundùm templum penitus deuaſtatum ſit, & ipſi Iſraëlitæ è terra ſua ſint depulſi & deportati.

V. 9. *Sanè propinqua eſt.* Si omnes Iſraëlitæ Deum verè timerent ac colerent, ſalus ipſius & liberatio ad eos propiùs accederet, nam à pœnitentia
pendet redemptio iuxta illud, *Reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam,* Deut.
& miſerebitur tui, &c. *Cùm reuerſus fueris ad eumdem Dominum Deum* 30. 3.
tuum in toto corde tuo & in tota anima tua. Vt inhabitet gloria in terra noſtra. Et hoc quoque argumentum eſt, hunc Pſalmum eſſe editum de præſenti exilio, cùm in templo ſecundo gloria Dei minimè habitauerit ſecundùm
Magiſtrorum noſtrorum P.M. ſententiam, qui ita circa iſta verba diſſerunt: *Æ-* Agg. 1.
dificate domum & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit Dominus, hæc 2.
inquiunt, de illa domo ſcripta ſunt, éſtque ſcriptum ואכבד *veeccabed*, ſed nos legimus ואכבדה *veeccabeda*: quid verò innuit defectus ille literæ ה *he*?

Nimirum illas* quinque res, quibus primum templum ſupra ſecundum excellit?
Psal. 85. Sunt autem illæ, Arca cum propitiatorio & Cherubim. Præſentia Dei, Ignis
ſuperior? Spiritus ſanctus; Ourim & Tummim. Cùm verò Redemptor ſeu
Meſſias aduenerit, & templum denuo fuerit ædificatum, ibi diuina gloria inha-
bitabit, ſecundùm illa verba: *Et habitabo in medio filiorum Iſrael, & non derelin-*
1. Reg. 6. 13. *quam populum meum Iſrael.* Et addit, *Quia ego Dominus Deus Iſrael venio*
in eum; quod de glorioſa majeſtate ſua dicit, quæ futura erat in templo.

V. 10. *Miſericordia & veritas.* Sic dicit, tunc redemptionis tempore,
Gloria inhabitabit in domo Sanctuarij, eruntque ſimul in mundo miſericordia
& veritas; omnes ſiquidem Iſraëlitæ viæ veritatis inſiſtent, vt vaticinium il-
lud conteſtatur, *Reliquiæ Iſrael non facient iniquitatem, nec loquentur men-*
Soph. 3. 5. *dacium, & non inuenietur in ore eorum lingua doloſa.* Erit etiam iuſtitia &
pax in mundo. *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Perinde ac ſi diceret, fratrum
inſtar & amicorum mutuis ſeſe excipient oſculis: Simulac, inquit, veritas &
iuſtitia viguerint inter homines, miſericordia etiam & pax ipſis à Deo bene-
dicto aderunt.

V. 11. *Veritas è terra efflorebit.* Quando homines bonis operibus exercen-
dis in terra dediti erunt, iuſtitia ſuper ipſos de cœlis proſpiciet. ex cœlis enim
emanant decreta & deſtinata à Deo bona, vt mox innuitur.

V. 12. *Etiam Dominus.* Sicut ipſi homines bonum facient, etiam ipſe
Deus, bona illis conferet, pluuiam nempe neceſſariam vt his verbis eſt ab eo pro-
miſſum: *Aperiet tibi Dominus theſaurum ſuum optimum, cœlum vt det pluuiam*
Deut. 28. 12. *terræ veſtræ in tempore ſuo. Et terra noſtra dabit fructum ſuum.* Nullius quippe
boni inopiâ deinceps laborabunt.

V. 13. *Iuſtitia ante eum ambulabit.* Quia ſcilicet ante hominem præibit
iuſtitia: ac ſi diceret, iuſtitiam ſemper illi fore ob oculos propoſitam. *Et po-*
net in via greſſus ſuos. Et ad viam iuſtitiæ ſuos diriget greſſus: idem ad auxe-
ſim eſt repetitum.

* Litera enim ה *he* nota eſt numeri quinarij apud Hebræos. Per Arcam intelligitur Arca fœderis vnà cum operculo & Cherubim. Per præſentiam Dei ſeu שכינה *ſchechina*, majeſtas Dei quæ habitabat in templo, vel gloria Dei, quæ apparebat in Sancto Sanctorum ſuper Arcam inter Cherubim. Per ignem ſuperiorem, ignis perpetuus qui è cœlo deſcendit ad comburenda ſacrificia. Per Spiritum ſanctum, prophetiæ, ſiue Spiritus ſanctus loquens per Prophetas, qui in Malachia ceſſauit. Per Ourim & Thummim intelligitur mirum illud oraculum, per quod Sacerdotes induti pectorali reſponſa dabant, quid autem fuerit, quomodo & quando Deus per illud reſponderit non prorſus hodie conſtat, quia dudum & cum captiuitate Babylonica expirauit. Quid de eo veteres tradiderint refert Guillelmus Schickardus, libro de Iure Regio Hebræorum, c. 2.

PSALMVS OCTOGESIMVS SEXTVS. Psal. 86.

Oratio ipſius Dauidis.

1. INnclina Domine aurem tuam, exaudi me: quoniam miſer
& pauper ſum ego.
2. Cuſtodi animam meam quoniam pius ſum: ſaluu n fac ſer-
uum tuum, tu Deus meus ſperantem in te.
3. Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamo totâ die.
4. Lætifica animam ſerui tui: quia ad te Domine animam
meam leuo.
5. Quoniam tu Domine bonus *es* & propitiabilis: & multæ
miſericordiæ omnibus inuocantibus te.
6. Aures præbeas Domine orationi meæ: & intende voci de-
precationum mearum.
7. In die tribulationis meæ clamo ad te: quia exaudis me.
8. Non eſt ſimilis tui in Dijs Domine: & non eſt ſecundùm o-
pera tua.
9. Omnes Gentes quaſcumque feciſti venient & adorabunt
coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.
10. Quoniam magnus *es* tu & faciens mirabilia: tu es Deus
ſolus.
11. Doce me Domine viam tuam, ambulem in veritate tua: vni
cor meum, vt timeat nomen tuum.
12. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: &
glorificabo nomen tuum in æternum.
13. Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti ani-
mam meam ex inferno inferiori.
14. Deus, ſuperbi inſurrexerunt contra me, & congregatio
crudelium quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt te
in conſpectu ſuo.
15. Et tu Domine es Deus miſerator & miſericors: patiens &
multæ miſericordiæ & veritatis.
16. Reſpice ad me, & miſerere mei, da robur tuum ſeruo tuo:
& ſaluum fac filium ancillæ tuæ.

Psal. 17. Fac mecum ſignum in bonum, & videant me qui oderunt
86. me & erubeſcant: quòd tu Domine adjuueris me & conſolatus
—— fueris me.

COMMENTARIVS.

V. 1. ORatio Dauidis. *Inclina Domine.* Pſalmum hunc Dauid compoſuit, cùm adhuc exularet è patria, & Saülis iram & inſidias fugeret; illúmque iſtis verbis inſcripſit: *Oratio Dauidis*, tum enim cùm illum recitaret, Deum laudibus digniſſimum precabatur vt ſe cuſtodiret, & ab ijs liberaret, qui vitam ipſi auferre moliebantur. Dicitque, *Quoniam miſer & pauper ſum ego.* Idem ſcilicet ad orationis vehementiam repetens, ſéque ipſum appellat miſerum; verè etenim miſer erat tunc, & afflictus illis in locis per quæ fugitans vagabatur: nec ſibi ad vitam ſuſtentandam neceſſaria habuiſſet, niſi ipſum affines & viri Iuda clam adjuuiſſent. Vel loquitur de tempore illo quo apud Regem Achis verſabatur, tum enim victum ſibi parare cogebatur ex ſpolijs à Gentibus direptis; meritóque tunc ſe vocabat inopem, erat enim ſimilis miſero alicui & afflicto, cui nemo ferre opem ſatagit, ad eum ipſe ſtatum erat tum redactus, nemo Iſraëlitarum opem ei ferre & eum adjuuare audebat, cóquòd Saul & ſi[illegible]nnieritò illum perſequeretur.

V. 2. *Cuſtodi animam meam.* Litera ש *ſchin* vocis שמרה *ſchomra* legitur cum camets lato, & accentus Gaaia eſt appoſitus ipſi camets, ad indicandum ſic deberi legi & non cum camethhatouph. Eſtque vox hæc imperatiuus ſic
1.Paral. & iſto in loco: *Cuſtodi hoc in ſæculum*, & in illo, *Memento mei Deus in*
29. 3. *bonum*; quæ ſunt cum hhatouph ſecundùm formam conſuetam, hoc autem in
Nehe. 5. loco protrahitur vocalis ſub ש *ſchin* cum accentu, ad dilatandum tonum &
29. Pſal. 16. ſuauitatem cantus. Pari modo legitur eadem vox iſto in loco: *Conſerua me*
2. *Domine, quoniam ſperaui in te. Quoniam pius ſum.* Sunt qui valde mirentur quomodo ſeipſum Dauid pium appellet; & hoc Magiſtri noſtri P. M. ſic explicare coguntur, nonne iuſtus ego ſum, omnes enim Reges tum Orientis tum Occidentis ſedent in gloria ſua, cùm ego habeam manus ſanguine pollutas impuriſſimo & fœdiſſimo vt mundam reddam vxorem marito ſuo. Nulla eſt igitur in hoc admirationis cauſa quòd ſe pium vocet; verè etenim pius erat erga Deum & erga homines. Et licet aliquando peccauerit, at ſemper cor eius rectum fuit, & admiſſi criminis non mediocriter ipſum pœnituit: nec de ſua pietate gloriebatur niſi inimicorum ſuorum reſpectu, quippe qui mala ſibi inferrent cùm nihil mali ab ipſo fuiſſent paſſi, imò beneficijs affecti. Illi
Pſal. 7. de eius calamitatibus læti erant, ipſe cùm eis euenirent bona lætabatur, vt
5. ipſemet his verbis teſtatur, *Eripui eos qui mihi aduerſabantur ſine cauſa.*
Pſal. 4. Et alio in loco, *Dediſti lætitiam in corde meo à tempore*, quo, *frumentum*
7. *eorum & muſtum eorum multiplicata ſunt.* Ita etiam Saülem, à quo diuexa-
Pſal. 16. 10. batur non ſemel à periculo liberauit; & ſic cum alijs hoſtibus ſuis piè & beni-
Pſal. gnè ſe gerebat. Pari modo loquitur alio in loco: *Non dabis pium tuum vi-*
18. 21. *dere corruptionem.* Item, *Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam*

& multa ſimilia iſtis. Quibus omnibus non gloriatur aut conqueritur niſi de ſuis inimicis, & illud mirum videri non debet. Vnde in Deras Rabbi Houna dixit in nomine Magiſtri noſtri Alexandri, Is qui audit maledictum in ſe conjectum & conticeſcit, iure merito ſe ſe probum appellare poteſt. *Sperantem in te*, perinde ac ſi diceret, tu Deus meus es ſaluum fac igitur ſeruum tuum qui ſperat in te: conjungitur hoc loco vox ſignificans fiduciam cum particula אל *el* ad pro ב *beth* in, qualis conſtructio legitur in iſto loco, *Confide* אל *el in Domino, in toto corde tuo.* Aliquando enim particula אל *el* ad deſeruit, loco ב *beth* in, exemplo eſt illud ואל *veel & ad Arcam pones teſtimonium*; quod perinde eſt ac ſi eſſet, & in Arcam, &c.

Psal. 86. — Prou. 3. 5. Exod. 25.

V. 3. *Miſerere mei Domine, tota die.* Hoc eſt, continuò per totos dies, ſic alio in loco, quoniam te expectaui totà die, ac ſi diceret, non clamaui ad alium adjutorem, ac idcirco miſerere mei.

V. 4. *Lætifica animam ſerui tui.* Quæ in mœrore & gemitibus verſatur, illam, quæſo, exhilara. *Ad te animam meam leuo.* Scilicet per modum orationis toto corde effuſæ, iuxta illud: *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum*, vel per modum oblationis, quâ ratione dictum eſt illud, *Et leuauit dona à facie ſua*: aut in ſignum ſpei & expectationis, quo ſenſu dicitur, *Et ad eam leuat animam ſuam.*

Thren. 3. 40. Gen. 43. 14. Deut. 24. 15.

V. 5. *Quoniam tu Domine bonus es & propitiabilis.* Bonus quidem erga omnes omnino, & propitiabilis ſeu facilis ad ignoſcendum peccatoribus. In Deras ſic circa verba iſta inquirit Rabbi Phinees, cur ipſe eſt bonus? quia nempe ad ignoſcendum eſt facilis: & quare eſt propitius? eóquòd ſit bonus. *Omnibus inuocantibus te.* Nimirum dum calamite aliqua premuntur, licèt antea malum eſſent operati; poſtquam enim ad te ſunt conuerſi, ſuæ calamitatis tempore, tu multæ es miſericordiæ erga illos; quanto magis talem te erga me exhibebis?

V. 6. *Aures præbe Domine voci deprecationum mearum.* Multas & frequentes meas deprecationes, quibus ante te oro aſſiduè in anguſtia poſitus, exaudias.

V. 7. *In die tribulationis meæ, quia exaudis me.* Idcirco in die tribulationis meæ clamo ad te, quia certò noui te me exauditurum; omnem enim corde perfecto clamantem ad te ſoles exaudire. Neque enim tu es ſicut falſi illi Dij qui eos à quibus inuocantur & coluntur minimè exaudiunt; vnde conſequenter addit.

V. 8. *Non eſt ſimilis tui in Dijs Domine.* Quemadmodum ipſe Moſes dixit: *Quæ eſt enim alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes ſibi ſicut Dominus Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Iſti verò Dij ſunt ſol, luna, atque alia aſtra; & qui tales Deos colunt, arbitrantur eos poſſe clamantes ad ſe liberare à malis. At licèt iſti quoddam imperium in hæc inferiora habeant, nullus tamen ex illis tibi eſt ſimilis; illi enim tanquam Miniſtri ſunt miſſi, tu verò is es à quo mittuntur. Nec quidquam efficere valent aut deſtruere, niſi quatenus à te præceptum fuerit: non poteſt quiſquam eorum tuam in agendo æquare potentiam aut ſapientiam. Nam & ipſi à te ſunt facti, & tu rerum omnium creatarum es conditor: in tua ſitum eſt poteſtate

illorum opera efficere, aut illa deſtruere, & ab illis nihil fieri poteſt niſi ex tuo
Psal. 86. mandato præſcriptum.

V. 9. *Omnes Gentes.* Hoc quidem tempore omnes Gentes errant in eo cultu quem multis falſis Dijs exhibent, at venturum eſt aliquando tempus aliud, quo populi omnes quos condidiſti, agnoſcent ſe à te ſolo fuiſſe creatos. *Et tunc venient & adorabunt coram te Domine.* Quia nempe cognoſcent te verum eſſe rerum omnium Dominum. *Et glorificabunt nomen tuum.* Non verò nomen cuiuſcumque alterius: hoc porro futurum eſt Regis Meſſiæ tempo-
Zach. ribus, vt his Prophetæ verbis fuit olim prædictum, *Et erit Dominus Rex ſu-*
14. 9. *per omnem terram*, & ſic multi alij verſus hoc perſpicuè confirmant.

V. 10. *Quoniam magnus es tu.* Quia tunc omnes alij populi palam agnoſcent & fatebuntur te longè eſſe majorem alijs omnibus Dijs, & à te ſolo mira fieri opera, qualia ipſi videbunt te propter Iſraëlitas efficientem, quando eos ex ipſorum terris educes, tum verò intelligent te ſolum eſſe Deum.

V. 11. *Doce me Domine viam tuam.* Etiamſi ego te ſolum eſſe verum Deum ex Majorum traditione, & pro tenui intelligentiæ meæ modulo certo nouerim, attamen coram te proſtratus enixe deprecor vt me viam tuam edoceas, ac efficias vt clariorem & ampliorem habeam notitiam creationis tuæ quâ res omnes condidiſti; & tuæ potentiæ qua cuncta creata permanent: ac vbi eam cognitionem habuero, quæ eſt rerum naturalium ſcientia, poſtea progrediar in veritatem tuam, hoc eſt, in Diuinitatis ſcientiam. Dicit verò progrediar, ac ſi diceret, via mihi patebit qua in illam progrediar; quamuis perfectam eius cognitionem non valeam aſſequi, in illa tamen comparanda gradum facere contendam, eámque paulatim intelligere pro captu intellectus humani. *Vni cor meum vt timeat nomen tuum.* Adjuua me & ad vnum cor meum, ne huc & illuc feratur, ſed vni ac collige ipſum, vt tuum nomen ſolum veneretur & colat, fer mihi opem, & homines non pertimeſcam ſed ſolum nomen tuum reuerebor, ac eius fortitudine ero adjutus.

V. 12. *Confitebor tibi Domine.* Et tunc cùm animum meum ad te vnum cogitandum vnìueris & applicueris, confitebor tibi in toto corde meo, tum enim pars vlla cordis mei & cogitationum mearum non aliò à te diſtrabetur, ſed tibi vni ex toto corde meo confitebor & glorificabo nomen tuum in æternum.

V. 13. *Quia miſericordia tua.* Et magnopere ſum obſtrictus ad gratias tibi referendas, atque ad nomen tuum laudibus celebrandum, tua quippe erga me miſericordia eſt maxima. Et conueniens eſſe videtur illa verba exponere de beneficijs præteritis, quòd nempe ipſum multoties eripuerit è manu inimicorum eius, & præſertim e manu Saülis qui necem ipſi inferre moliebantur. Cæterùm, iſtis verbis, *Et inferno inferiori, indicatur ſepulchrum.* Cùm verò dicitur inferiori, anguſtiæ grauitas amplificatur: omne ſiquidem ſepulchrum eſt profundum, ſed hoc addidit vocabulum ad amplificandum, ſicut
Prou. alio in loco dicitur, *In profundis inferni inuitati eius.* Sunt qui totum ver-
9. 18. ſum de futuro tempore exponant, vt illud, Eripuiſti, ſit pro, eripies; & multa ſimilia in Propheticis libris occurrunt. Quidam illas voces, inferno inte-

Inferiori, interpretentur, ex ſupplicio gehennæ. PSAL. 85.

V. 14. *Deus ſuperbi inſurrexerunt aduerſùm me.* Illos notat qui ſe ex ſola ſuperbia, & nulla vi aut neceſſitate inducti, ad mortem inſequebantur: multi enim eum exagitabant propter metum Saülis qui cùm Rex illorum eſſet, nullà causà impediri poſſe videbantur quominus ipſi ſeſe adjungerent. Plures verò alij odio ipſum Dauidem habentes, illum ſuâ ſponte præ ſuperbia divexabant: & quidem Magiſtri noſtri per ſuperbos iſtos, Doëgum & Achitophelem eſſe intelligendos volunt. *Et non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.* Perinde ac ſi diceret, ipſi contra me inſurrexerunt, & vitam mihi auferre ſunt machinati nec te vllo modo ſunt reueriti, qui debitas illorum criminibus pœnas eras rependurus.

V. 15. *Et tu Domine Deus es miſerator & miſericors.* Tuas enim miſerationes erga me exibuiſti. *Et miſericors*, vnde multis me beneficijs affeciſti. *Patiens.* Si enim contra te aliquando peccaui, iuſtam iræ tuæ vindictam tu patienter cohibes, nec me ſtatim punis, donec perfectâ coram te pœnitentiâ conuertar, & tu mihi culpam condones: tibi etenim proprium eſt iracundiam cohibere, ita etiam, *Multa es miſericordia & veritatis.* Nam tu erga me tuam miſericordiam & veritatem multiplicas. Iam verò ſæpius antea explicuimus quid ſit miſericordia & quid veritas: & veritas Dei erga Dauidem fuit vt promiſſum illi regnum certò conferret.

V. 16. *Reſpice ad me.* Inſtar hominis qui à ſuis occupationibus conſpectum auertens in rem aliam conuertit oculos. *Filium ancillæ tuæ.* Matrem idcirco nominat quoniam præcipuas partes obtinet in filij procreatione; vnde ſic alibi dicit, *Ego ſeruus tuus, filius ancillæ tuæ.* Nam fœtus efformatur atque enutritur in materno vtero, ibique ad certum tempus creſcit & perficitur; atque etiam vbi editus eſt in lucem, matris vberibus alitur; Quapropter indoles matrum magis viget in filijs quàm patrum, hinc ſæpè dicitur de Regibus Iſraël, *Et nomen matris eius*, vt indicetur filiorum mores & actus vt plurimùm eſſe ſimiles matrum actibus. Quamquam enim actiones hominis ſiue bonæ ſiue malæ, à libero ſunt arbitrio, atque etiam ab eius aſſuetudine & educatione; aliquæ tamen ſunt, quæ à natura & procreatione pendent, ac idcirco hic ait, *Seruus tuus & filium ancillæ tuæ*; hoc eſt, ego, inquit, ſum tuus ſeruus duplici titulo; primo quidem quòd meipſum tuæ ſeruituti tradidi & aſſueſeci; deinde quia & naturâ & indole mea ſum talis, nam & mater mea fuit ancilla tua. Pſal. 116.16.

V. 17. *Fac mecum ſignum in bonum.* Nempe circa regni mihi tradendi negotium, & hoc erit ſignum hoſtibus meis quòd me ad illud pridem elegeris, túmque erubeſcent aduertentes te mihi opem attuliſſe, ac conſolationem.

PSAL. 87.

PSALMVS OCTOGESIMVS SEPTIMVS.

Filijs Core Pſalmus cantici. Fundamentum eius in montibus Sanctis.

1. Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.

2. Glorioſa dicta ſunt de te: ciuitas Dei.

3. Memor ero Ægypti & Babylonis cognoſcentibus me, ecce Palæſtina & Tyrus cum Æthiopia: iſte natus eſt ibi.

4. Et de Sion dicetur, vir & vir natus eſt in ea: & ipſe fundauit eam Altiſſimus.

5. Dominus numerabit in deſcribendo populos: iſte natus eſt ibi.

6. Et cantores vt tibicines: omnes fontes mei in te.

COMMENTARIVS.

Filijs Core, &c. In ipſo libri ſecundi principio iam expoſui quid iſta verba, Filijs Core, ſignificarent. Porro hunc Pſalmum compoſuit Dauid in laudem Sionis, & illum Filijs Core decantandum dedit: vel ab ipſis filijs Core fuit editus. Hæc verba, fundamentum eius, hunc habent ſenſum, materia cantici huius eſt de montibus Sanctis, Hieroſolyma ſcilicet & Sione. Ideo autem dixit, montibus in numero multitudinis, quia duplex ibi mons erat, nempe mons Sion & mons Moria qui erat mons templi. Vel ita loquitur, propter alios montes vicinos ipſis Hieroſolymis, ſicuti alio in loco dicitur, *Hieruſalem montes in circuitu eius*; & illorum montium vnus erat mons oliuarum. Nominauit autem expreſſè Sion, eóquòd in iſto monte eſſet locus regiæ domus, ac ſub eo vrbs tota Ieroſolymorum comprehenditur, vt ipſe Pſaltes his verbis innuit, ciuitas Dei. [Pſal. 125. 2.]

V. 1. *Diligit Dominus portas Sion.* Ita loquitur per portas ipſam vrbem deſignans, quia in portis ciuitatum fiebant ſeniorum & ſapientum conuentus, vt conſtat ex illo loco, *Perget mulier ad portam ciuitatis & interpellabit maiores natu.* Sic etiam in negotio Boos, *Aſcendit ergo Boos ad portam tollens decem viros de ſenioribus ciuitatis.* Et ſenſus horum verborum hic eſt, Etſi omnia Iſraëlitarum tabernacula & vrbes diligat Deus, vt ſcriptum eſt: *Quàm pulchra ſunt tabernacula tua Iacob, habitacula tua Iſrael.* Longè tamen maiori amore portas Sion proſequitur, eóquòd ibi reſideant ſapientes, & diuino cultui & operi dent operam, [Deut. 25. 7. Ruth. 4. 1. Num. 24. 5.]

V. 2. *Glorioſa dicta ſunt de te.* Præclara celebrantur elogia de ijs qui te incolunt; vel ſenſus eſt, glorioſæ dignitates de te prædicantur, quòd nempe cæteras regiones, vt vt glorioſas, longè excellentia ſuperes. Nam terra habitabilis in ſeptem partes diuiditur, & in media parte ſita eſt vrbs Ieroſolymitana, ſicque in media terra habitabili, quomodo à Propheta dicitur: *Habitantes in vmbilico terræ.* Idcirco aër eius eſt optimus, & quaſi ex aëre omnium regionum attemperatus, & commodus cùm valetudini corporis, tum acquirendæ ſapientiæ, vt etiam dicitur Pſalmo quadrageſimo octauo, *Pulcher ſitu gaudium vniuerſæ terræ, mons Sion.* Vnde & Magiſtri noſtri P. M. dicunt, Aër terræ Iſraël, ſapientem reddit. *Ciuitas Dei.* Quam ſcilicet elegit Deus vt in ea gloriæ ſuæ locum & domicilium figeret. PSAL. 87. Ezech. 38. 12.

V. 3. *Memor ero Rahab.* Hoc nomine deſignatur Ægyptus, ſicut & iſto in loco, *An non tu es*, brachium, *quod excidit Ægyptum.* Senſus verò eſt, quando cum notis & amicis meis magnas quaſque ciuitates Gentium aliarum commemoro, nullam ex illis video, quæ cum Sione meritò comparari poſſit: quod dicit, *Cum ſcientibus me*, perinde eſt ac ſi diceret, cum ijs qui norunt Sionis excellentiam: vt dictio ליודעי *liodeaai* conſtructæ formæ, ſit pro abſoluta ליודעים *liodeiim*, quomodo alibi occurrit alia, *Et aperuit ſibi* חלוני *hhalone* pro חלונים *hhalonim*, *feneſtras.* Aut litera י *iod* eſt affixum pronomen relatiuum de Sione aut de ipſo Pſalte hoc ſenſu, ijs qui æqualiter mecum nouerunt Sion. *Iſte natus eſt ibi.* Quod ſpectat ad magnas regiones illas, ſi quando in earum aliqua ſapiens quiſpiam oriatur, non continget niſi poſt longa temporum interualla, vt de illa per modum laudis prædicent, Iſte natus eſt ibi. Iſa. 51. 9. Ierem. 22. 14.

V. 4 *Et de Sion.* At verò de Sione dicitur, vir & vir natus eſt in ea. Nam de quot & quantis viris ſapientiæ laude celeberrimis dici poteſt quòd in ea Sionis vrbe ſint nati. Adde quod ſemper & quolibet tempore, quamplurimi & maximi ſapientes & viri nominatiſſimi in ipſa extiterint. *Et ipſe fundauit eam Altiſsimus.* Hoc eſt, Et ipſe Altiſſimus fundauit eam: ſimilis vocum tranſpoſitio reperitur iſto loco: *Ipſe præcepit mihi frater meus*, pro, *Et ipſe frater meus præcepit mihi.* Ita etiam, *Et dabo Gog locum ibi ſepulchri*, pro, *Dabo ibi locum ſepulchri.* Senſus verò hic eſt, Deus qui eſt Altiſſimus ſupra omnia, & qui totum mundum condidit, locum hunc etiam condidit ac ſtabiliuit, vt ſit præ omnibus alijs locis celebris. Exponi quoque poſſunt hæc verba per modum orationis, vrbem hanc ſtabiliat Altiſſimus, & per annos quamplurimos conſeruet incolumem. 1. Sam. 20. 29. Ezech. 39. 11.

V. 5. *Dominus numerabit in deſcribendo populos.* Vox יספור *iſpor*, hoc loco, ſcribendi habet ſignificationem ac ſi diceret, Cùm Deus ſemper exaltandus deſcribet illos populos, in quibus pauci aliqui ſapientiâ celebres reperiantur, de quibus illud poſſit prædicari, Ipſe in iſto populo aut prouincia eſt ortus; tum verò locum hunc, Sionem, vt omnium aliorum celeberrimum recenſebit, quia ex ipſo innumeri viri ſapientiâ & pietate clariſſimi, ortum duxiſſe reperientur. Porro hîc ſcripturæ nomine Dei decretum innuitur: & hic verſus ſimilem habet ſententiam cum illo, *Quando diuidebat Altiſsimus Gentes quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populo-*

Psal. *rum, iuxta numerum filiorum Iſrael.* Sapiens Rabbi Abraham filius Eſræ
87. verbo יספור *iſpor* ſignificatum numeri & computationis attribuit; & illa ver-
ba, Iſte natus eſt ibi, ſic exponit, Dominus recenſebit omnes ſapientes qui in Sione nati ſunt: ipſe enim noſcet quando omnes, qui ex alijs populis ſapientes nati ſunt, volet deſcribere, noſcet, inquam, numerum ſapientum virorum, qui ex Sione ſunt exorti, longè eſſe majorem numero eorum ſapientum qui inter cæteros homines aliquando fuerint.

V. 6. *Et cantores vt tibicines.* Hoc eſt, cantores & tibicines ſimul omnes tuas laudes celebrabunt; ita etiam ego idem præſtabo: *Nam omnes fontes mei in te*, ac ſi diceret, omnes fontes ſeu venæ cordis mei, quia fons cordis mei cantica in tuam laudem effundit. Vel dictio מעיני *maaianai* exponenda eſt, aſpectus meus & ſpes mea ſunt ad te. Litera verò כ *caph* præpoſita voci חללים *hholelim*, eumdem habet ſenſum ac in iſto loco, Partem ciborum eandem comedent quam & cæteri. Perinde ac ſi diceret, Omnes illi æquè ac illi, Omnes ſimul te celebrabunt, & in laudem tuam carmina concinent. Dictio חוללים *hholelim* illos propriè denotat qui tibijs canunt. Porro in Deras hic Pſalmus ſic explicatur. *Diligit Dominus portas Sion.* Dicit ſanctus & benedictus Deus, ego quidem amo loca cœtuum publicorum & ſcholas, attamen longè magis diligo Sionem, ibi enim meum eſt palatium. *Glorioſa dicta ſunt de te.* Hoc eſt quod dicebant in Scriptura eius cum Deo in domo Sanctuarij, quare oportet uereri Deum glorioſum & terribilem: non dictum eſt de qualibet ciuitate, ſed duntaxat de ciuitate Dei. *Commemorabo Ægyptum & Babylonem.* Iſtæ mundi nationes munera ſunt allaturæ Regi Meſſiæ vnà cum Iſraëlitis qui in terris earum nati ſunt, ac dicturæ, *Iſte natus eſt ibi.* Et de Sione dicitur, Ex omnibus nationibus ei afferent do-
Iſa. 66. num vir & vir qui in ea eſt naſciturus, ſcriptum quippe eſt, *Et adducent*
20. *omnes fratres veſtros ex cunctis Gentibus, donum Domino. Vir & vir.* Ipſe eſt Iſraëlita, ipſe eſt Sacerdos, iſte eſt Leuita: etiam ex eis aſſumam in Sacerdotes & in Leuitas, tum ex ijs qui adducunt, cùm ex ijs qui adducuntur. *Dominus recenſebit in ſcribendo populos, ipſe natus eſt ibi.* Ex illis populis qui Iſraëlitas adducent, ipſe non paucos inter Iſraëlitas deſcribet, quaſi ibidem eadem horâ nati eſſent, verè iſte natus eſt ibi; O mirum! *Et cantores vt tibicines.* Quemadmodum viri ſua cantica concinent; ita pariter mulieres ſua
Iud. 21. decantabunt. Sunt verò tibicines, ipſæ mulieres, vt patet ex illo loco: *Ra-*
23. *puerunt ſibi de his quæ ducebant Choros, vxores ſingulas*: Cui etiam ille alius locus conſonat, egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam, ad canendum in tympanis & choris. Mos enim fuit mulierum Iſraëlitarum choros ducere tibijs canendo. Nec à ratione videtur aliena iſta allegorica interpretatio vocis חוללים *holelim* tibicines, de mulieribus, cum ſcriptum reperiamus de iiſdem: *Sed faciemus vt ſacrificemus Reginæ cœli, & libemus ei liba-*
Ier. 44. 17. *mina, ſicut fecimus*: éſtque ſermo mulierum. *Omnes fontes mei in te.* Non ſecus ac puteus aut ſcaturigo nouas ſubinde aquas continuò emittit, ita cantores & tibicines.

PSALMVS OCTOGESIMVS OCTAVVS. Psal. 88.

Canticum Pſalmi Filijs Core, Præcentori ſuper Mahhalath leaannoth: Erudiens Heman Eſrahitæ.

1. DOmine Deus ſalutis meæ in die clamaui: in nocte coram te.
2. Intret in conſpectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.
3. Quia repleta eſt malis anima mea, & vita mea ad ſepulchrum pertigit.
4. Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in foueam: factus ſum ſicut homo ſine robore.
5. Inter mortuos liber, ſicut interfecti dormientes in ſepulchro, quorum non es memor amplius: & qui à manu tua exciſi ſunt.
6. Poſuiſti me in fouea inferiori: in tenebroſis & profundis.
7. Super me incubuit furor tuus: & omnibus fluctibus tuis afflixiſti me.
8. Longè feciſti notos meos à me: poſuiſti me abominationes illis: concluſus ſum & non egrediar.
9. Oculus meus languit præ afflictione, clamaui ad te Domine omni die: expandi ad te manus meas.
10. Nunquid mortuis facies mirabile? an mortui reſurgent & confitebuntur tibi?
11. Nunquid narrabitur in ſepulchro miſericordia tua: veritas tua in perditione?
12. Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua: & iuſtitia tua in terra obliuionis?
13. Et ego ad te Domine clamaui: & mane oratio mea præuenit te.
14. Quare Domine repellis animam meam? abſcondis faciem tuam à me.
15. Miſer *ſum* ego & expirans à pueritia mea; tuli terrores tuos: & continuò tremo.

Psal. 16. Super me tranſierunt iræ tuæ: terrores tui exciderunt me.
88. 17. Circundederunt me ſicut aqua omni die: circundederunt
——. ſuper me ſimul.

18. Elongaſti à me amicum & proximum: & noti mei in tenebris.

COMMENTARIVS.

C*Anticum Pſalmi Filijs Core.* Multoties iam ſcripſimus ſignificatum exordij Pſalmorum nobis hoc tempore eſſe ignotum, quia illud ad rationem muſices pertinet. Et author libri Deras ita de hoc titulo diſſerit, Deus ſanctus & benedictus dixit Dauidi lauda me & quidquid à me petieris te cer-
Pſal. tò accepturum eſſe confidas. לענות *leaannot* ad laudandum vt illud: *Me-*
131. 1. *mento Domine David & omnis laudationis eius.* Porro hic Pſalmus editus eſt de Iſraëlitis exulibus, quem Heman Eſrahites compoſuit, cúmque filijs Core canendum dedit. Ipſe verò Heman, fortaſſis nepos Samuëlis fuit: ignoramus autem cur à Pſalmiſta Eſrahites appelletur: & fortè ille eſt Heman de poſteris Zerahh filij Iudæ, & idcirco vocatur Eſrahites, qui fuit ex ſapientum virorum Iſraëlis numero, ipſéque Pſalmi huius ſit author. Et forte ille
1. Reg. ipſe eſt de quo dicitur: *Et erat* Salomon *ſapientior cunctis hominibus, ſapien-*
4. 31. *tior Ethan, Eſrahitâ & Heman*, &c.

V. 1. *Domine Deus ſalutis meæ clamaui in die, in nocte.* Noctem &
Exod. diem hoc loco, diem appellat, ſic alibi dicitur: *In die quo percuſsi omne*
11. 12. *primogenitum in terra Ægypti*; at illa primogenitorum cædes noctis tempore contigit.

V. 2. *Inclina aurem tuam ad precem meam.* Dictio iſta לרנתי *lerinnati*
1. Reg. ſignificat ad clamorem meum: ita etiam iſto in loco. *Et tranſiuit proclama-*
22. 36. *tio illa per caſtra.*

V. 3. *Quia repleta eſt.* Eâdem loquendi formâ hoc dicitur ac illud aliud:
Thren. *Saturauit amaritudinibus, inebriauit me abſynthio*, nec non illud: *Saturatus*
3. 15. *ignominiâ*, rei enim plenitudo eſt ſatietas. Per mala autem, calamitates exi-
Iob. 10. lij denotat, quibus ita ſe exules confici aſſerunt vt morti ſint proximi; Quod
15. innuitur iſtis verbis: *Et vita mea ad infernum pertigit.*

V. 4. *Æſtimatus ſum.* In hoc exilio poſitus, ſimilis ſum mortuis qui in ſepulchrum demittuntur; nihil etenim habeo roboris quo me poſſim ab iјs liberare qui mihi tot mala inferunt: *Factus ſum ſicut.* Non abſimilis ſum viro, qui cùm priùs eſſet potens, omni fortitudine deſtitutus eſt: Quo ſenſu dicitur,
Iſa. 40. *Et cui non ſunt vires, multiplicat robur.*
29. V. 5. *Inter mortuos liber.* Longè melior eſſet ſors mea ſi cum mortuis eſſem, tum enim eſſem liber; nunc verò ſum ſeruus & poteſtati malorum
Iob. 3. hominum ſubiectus, at ibi libertate fruerer. Quo ſenſu Iob ipſe dixit, *Ibi*
19. *ſeruus liber eſt à domino ſuo. Sicut interfecti.* Nam ecce ego, conſtitutus in exilio ſimilis ſum hominibus interfectis & in ſepulchro iacentibus, quorum non ampliùs recordaris vt illos ex puluere in quem redacti ſunt, exuſcites:

ſic etiam me penitus videtis oblitus quaſi me ex hoc exilio nunquam ſis edu- PSAL.
ćturus. *Et ipſi de manu tua exciſi ſunt.* Ipſi interfecti exciſi ſunt à manu 88.
tua; quia ſcilicet mortem in ipſos decreuiſti; ita contra me exilium decreuiſti ex quo non videor reuocandus. Dictio זכרתם *zecartam* eſt præteriti temporis, ſed futuri ſignificatum habet, quales multæ occurrunt. Quæ autem hîc dicuntur, non arguunt non futuram eſſe aliquando mortuorum reſurrectionem; hæc eſt enim ſupra omnes naturæ vires: nunquam ſiquidem mortuus vllis naturalium cauſarum viribus vitam recuperare poteſt. Sic quæ infra in hoc ipſo Pſalmo dicuntur: ***Nunquid mortuis facies mirabilia***, an ***mortui reſurgent.*** Non ſunt intelligenda niſi de ſola naturæ potentia Ita etiam eſt intelligendum illud quod à Iobo dictum eſt: ***Sic homo obdormit nec reſurget***, Iob.14.
donec non fuerint cœli, non euigilabunt nec expergiſcentur à ſomno ſuo. Qui- 12.
bus verbis non negat reſurrectionem mortuorum, ſed ſolùm de naturalibus hominum viribus loquitur. At verò mortuorum in vitam ſuſcitatio fiet per modum prodigij & miraculi, quod Deus ſanctus & benedictus in eorum gratiam efficiet: non tamen omnibus mortuis illa continget. Et quidem iuxta ſententiam multorum ex Magiſtris F. M. non eſt futura reſurrectio mortuorum, niſi duntaxat iuſtorum, iuxta illud, major eſt potentia pluuiarum, quàm mortuorum viuificatio, hæc enim tantùm erit iuſtorum, non verò improborum, at potentia pluuiarum, communis eſt tam iuſtis quàm improbis. Sapiens autem Abraham filius Eſræ ſcripſit illa verba, Quorum non fuiſti adhuc memor, indicare venturum aliquando tempus quo mortui in memoriam ſunt reuocandi: & vocem עוד *ood* idem ſignificare vult ac vocem עדיים *aadain* hûc vſque adhuc, Et ita ſumitur iſta vox in illis locis: ***Adhuc dies magnus eſt***, Gen.
Et, ***Adhuc hoſtes tui***, &c. 29. 7.

V. 6. ***Poſuiſti me.*** Conjeciſti me in hæc exilij loca, quaſi in profundiſſi- Hoſ.12.
mam foueam: imò ipſo ſepulchro longè grauius eſt hoc exilium, nam ſe- 8.
pulchrum appellatur fouea inferior, at exilium fouea inferorum, ac ſi diceret, quamplurima eſſe in hoc exilio mortis genera, quemadmodum dixerunt Magiſtri noſtri P. M. In captiuitate omnia ſunt malorum genera. ***In tenebroſis, in profundis.*** Exilium comparat cum locis caliginoſis, nec-non cum maris profunditatibus; & dictio bimtſolot habet tſade cum vocali hholem, & tribus in locis ita repetitur ſcripta, iuxta Maſſoram, & horum ſymbolum eſt, Deſcendi per, &c.

V. 7. ***Super me incubuit furor tuus.*** Dictio סמכה *ſameca* aliquid propinquum & circum aliud poſitum ſignificat; ſic à Propheta dictum eſt: Ezech.
Appropinquauit Rex Babylonis contra Ieruſalem. Sæpiſſimè etiam Magiſtri 24. 2.
noſtri ea voce in ipſa ſignificatione vtuntur, cùm dicunt, veſpera ſabbati proxima eſt tenebris: & multis prætereà in locis. ***Et omnibus fluctibus tuis afflixiſti me.*** Hoc eſt, cum omnibus fluctibus tuis. Maris autem fluctus hac voce משברים *miſchbarim* appellantur, eóquòd mari æſtuante, mutuò ſe ſe confringant: eodem ſenſu alibi dicitur: ***Omnes vndæ tuæ & fluctus tui ſuper me*** Pſal.42.
tranſierunt. Quia enim ſe priùs in exilio quaſi in maris voraginibus poſitum 8.
eſſe dixerat idcirco dixit, fluctibus tuis.

V. 8. ***Longè feciſti notos meos.*** Aliqui voces illas notos meos, de mundi

Psal. nationibus interpretantur, quas dicat ſibi notas fuiſſe quando in patria terra
88. erat. At verò nunc cùm verſor in exilio, inquit, etiam animo longè à me receſſerunt, & poſuiſti me illis in abominationes; illæ enim iam me abominantur. In Deras ſic de hoc loco dicitur, poſſe nimirum exponi vt quilibet exulum hæc verba de ſuis ſocijs dicat: nempe quia propter innumeras & grauiſſimas exilij calamitates, nullus proximi ſui miſerijs leuandis prouideat, quia cuilibet ſua ſufficit ferenda anguſtia, adeout vnuſquiſque meritò dicere poſſit fratres ſuos & amicos atque familiares longè à ſe eſſe amotos, ſéque illis quaſi abominationi eſſe. *Concluſus ſum & non egrediar.* Ecce ego ita ſum in exilio cohibitus & concluſus, vt vix vlla inde exeundi ſpes ſuperſit.

V. 9. *Oculus meus languit.* Nimirum propter mœſtitiam animi, ac ſi diceret, deficit oculus meus præ miſeria in qua iaceo, & tam fixo & continuo intuitu ad te fertur oculus meus, vt penitus conſumatur; & omni die clamaui ad te manúſque meas extendi, nec tamen me liberas.

V. 10. *Nunquid mortuis facies miracula?* Si hoc in exilio moriamur, an poſtea erga nos miracula facies? nunquid mortui ex ſuis ſepulchris ſuſcitabuntur, vt tuas laudes celebrent? hoc ſanè non eſt futurum, ſi ergo nobis non exhibes mirabilia dum adhuc in viuis ſumus, vt tibi laudes & gratias referamus ob mira opera quæ propter nos effeceris, quandonam illa præſtabis? nam vbi ſemel mortui erimus, non facies erga nos mirabilia nec tibi confitebimur. Corpus enim mortuum ſenſu & cognitionis omnis eſt expers, nec vllam habet ſpem vitæ per naturæ vires recuperandæ. Hoc eodem ſenſu
Pſal. dicitur alibi, *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt*
114. 17. *in ſilentium.*

V. 11. *Nunquid narrabitur in ſepulchro miſericordia tua?* Idem adhuc ad orationis vim oſtendendam repetit, per perditionem verò deſignat ſepulchrum, in quo perit corpus & conſumitur.

V. 12. *Nunquid cognoſcentur?* Eandem tertiò ſententiam repetit de more conquerentium ac clamitantium, qui ſua eadem verba multoties repetere ſolent. *In terra obliuionis.* Sepulchrum intelligit, eſt enim locus obliuionis, in eo ſiquidem mortui traduntur obliuioni vt in alio Pſalmo dicitur, *Obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde.*

V. 13. *Et ego ad te.* Ego verò quamdiu viuo, ad te indeſinenter clamo, ac ſingulis matutinis, oratio mea te præuenit, ac ſi diceret, Oratio mea præmittitur cuicumque negotio quod ſum aggreſſurus.

V. 14. *Quare Domine repellis animam meam?* Itaut nempe miſerijs eius proſpicere dedigneris. *Abſcondis faciem tuam.* Ne clamori meo & precibus intendas.

V. 15. *Miſer ego & expirans à pueritia.* Iam à primis vitæ meæ annis ego hanc miſeriam ſuſtinere cogor, quare fatiſcens expiro, hoc eſt, animam miſerè agens deficio, inſtar hominis qui varijs confectus miſerijs ſpiritum trahit & efflat, ac ſi diceret, quoniam omnibus vitæ meæ diebus ab infantia ad ipſam vſque ſenectutem in miſerijs iacui, necdum præ multitudine calamitatum mearum, iugum tuum à me excutere valeo; nec me tamen interim liberas, ſed terrores tuos omni tempore ſuſtineo, téque vehementer expaueſco.

ueſco. Dictio hæc אפונה *aphouna* ſuum habet ſignificatum à particula פן Psal.
pen ne forte, Ego ſemper timeo ac hæſitans dico, ne fortè ſic aut ſic mihi 38.
contingat. Eodem modo vox אפונה *aphouna* à פן *pen* deducitur ſicut ver-
bum ותהינו *vatahinou* & parati fuiſtis aſcendere, deducitur à particula הן Deut.
hen ecce. 1. 41.

V. 16. *Super me terrores tui.* Dictio בעותיך *bioutecca* nomen eſt ab illo Eſter. 7.
verbo, *Et Haman* נבעת *niuaat territus eſt à facie Regis. Exciderunt me.* 6.
Aliqui vocem צמתותני *tſimmetoutuni* dicunt eſſe compoſitam ex tertia perſona plurali, & ex ſecunda, ſed nulla eſt ratio compoſitionis eiuſmodi; quare mihi rectius videtur dicendum eſſe tantùm repetitionem tertiæ literæ radicalis cum pronomine plurali rei corroborandæ causâ; ſic enim eſt mos linguæ ſanctæ dictionum literas geminare, ad rem corroborandam; ſic dicitur ירקרק *ieracrac*, quod ſignificat rem omnium rerum viridium maximè viridem; & אדמדם *adamdam* rem omnium rubrarum maximè rubram; ita hoc loco dictio צמתותני *tſimmetoutuni* ſignificabit, quàm multis exciſionibus me exciderunt.

V. 17. *Circumdederunt me ſicut aqua.* Quemadmodum aquæ mundum circumeunt, ita me terrores tui vndique circumcingunt. *Circumdederunt ſuper me.* Eandem ſententiam alijs verbis repetit; quod fit etiam in multis alijs locis.

V. 18. *Elongaſti à me.* Senſus idem eſt ac verſus iſtius, Elongaſti notos meos à me. *Noti mei in tenebris.* Quaſi in loco caliginoſo mei familiares deliteſcere videntur, ne illos videre poſſim.

PSALMVS OCTOGESIMVS NONVS.

Erudiens Ethan Eſrahitæ.

1. Miſericordias Domini in æternum cantabo: in generationem & generationem, notam faciam veritatem tuam in ore meo.

2. Quoniam dixi, in æternum miſericordia ædificabitur *in* cœlis: firmabis veritatem tuam in eis.

3. Percuſſi fœdus cum electo meo: iuraui Dauid ſeruo meo.

4. Vſque in ſeculum firmabo ſemen tuum: & ædificabo in generationem & generationem ſedem tuam.

5. Et confitebuntur cœli mirabilia tua Domine: etiam veritatem tuam in cœtu Sanctorum.

6. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? ſimilis erit Domino in filijs Deorum.

PSAL. 89. 7. Deus formidabilis in cœtu Sanctorum multo: & terribilis ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt.

8. Domine Deus exercituum quis ſimilis tibi? fortis *es* Domine & veritas tua in circuitu tuo.

9. Tu dominaris elationi maris: cùm ſe eleuarint fluctus eius, tu compeſces eos.

10. Tu contriuiſti ſicut vulneratum Ægyptum: in brachio fortitudinis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.

11. Tui *ſunt* cœli, etiam tua eſt terra: orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundaſti.

12. Aquilonem & meridiem tu creaſti: Thabor & Hermon in nomine tuo cantabunt.

13. Tibi brachium cum potentia: firma eſt manus tua; exaltata eſt dextera tua.

14. Iuſtitia & iudicium baſis ſolii tui: miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.

15. Beatus populus qui ſcit clangorem: Domine in lumine vultus tui ambulabunt.

16. In nomine tuo exultabunt omni die: & in iuſtitia tua exaltabuntur.

17. Quoniam gloria fortitudinis eorum tu *es*: & in beneuolentia tua exaltabitur cornu noſtrum.

18. Quia Domini *eſt* clypeus noſter: & Sancti Iſrael Rex noſter.

19. Tunc loquutus es in viſione Sanctis tuis, & dixiſti, poſui adiutorium ſuper potentem: exaltaui electum de populo meo.

20. Inueni Dauid ſeruum meum: oleo ſancto meo vnxi eum.

21. Cum quo manus mea firma erit: & brachium meum roborabit eum.

22. Non exiget inimicus ab eo: & filius iniquitatis non affliget eum.

23. Et contundam à facie eius inimicos ipſius: & odio habentes eum percutiam.

24. Et veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

25. Et ponam in mari manum eius: & in fluminibus dexteram eius.

26. Ipſe inuocabit me Pater meus *es* tu: Deus meus & rupes ſalutis meæ. PSAL. 89.

27. Etiam ego primogenitum ponam illum: excelſum præ Regibus terræ.

28. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam: & pactum meum fidele erit ipſi.

29. Et ponam in perpetuum ſemen eius: & thronum eius ſicut dies cœli.

30. Si autem dereliquerint filij eius legem meam: & in iudicijs meis non ambulauerint.

31. Si ſtatuta mea prophanauerint: & mandata mea non cuſtodierint.

32. Viſitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum.

33. Miſericordiam autem meam non diſſoluam ab eo: neque mentiar in veritatem meam.

34. Non prophanabo pactum meum: & egreſſum ex labijs meis non mutabo.

35. Semel iuraui in ſanctitate mea: ſi Dauid mentiar.

36. Semen eius in æternum erit: & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.

37. Sicut luna ſtabilietur in æternum: & teſtis in cœlo fidelis.

38. Tu verò repuliſti & abominatus es: iratus es contra Chriſtum tuum.

39. Perdidiſti pactum ſerui tui: prophanaſti in terram diadema eius.

40. Deſtruxiſti omnes ſepes eius: poſuiſti munitiones eius: confractionem.

41. Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam: factus eſt opprobrium vicinis ſuis.

42. Exaltaſti dexteram hoſtium eius: lætificaſti omnes inimicos eius.

43. Auertiſti etiam robur gladij eius: & non ſubleuaſti eum in bello.

44. Ceſſare feciſti *eum* à munditia eius: & thronum eius in terram colliſiſti.

45. Abbreuiaſti dies adoleſcentiæ eius: operuiſti eum ignominiâ.

Psal. 89. 46. Vſquequo Domine abſcondes te in æternum? exardeſcet ſicut ignis ira tua?

—— 47. Memorare quanti ego ſim æui: quàm vanè creaueris omnes filios hominum.

48. Quis eſt homo qui viuet & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu ſepulchri?

49. Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine *quas* iuraſti Dauid in veritate tua?

50. Memor eſto Domine opprobrii ſeruorum tuorum: quod portaui in ſinu meo omnium multarum Gentium

51. Quod exprobrauerunt inimici tui Domine: quòd exprobrauerunt veſtigia Chriſti tui.

52. Benedictus Dominus in æternum: amen & amen.

COMMENTARIVS.

ERudiens, *Ethan Eſrahita.* Exiſtimarunt Magiſtri noſtri F. M. nomine Ethanis, hoc loco deſignari Abrahamum Patrem noſtrum; verùm ſimpliciter dicendum videtur ipſum eſſe, cuius ſit mentio in libro Regum vbi di-
1. Reg. 4. 31. citur, & erat ſapientior Salomon, cunctis hominibus, ſapientior Ethan Eſrahitâ. Porro ipſe Ethan erat filius Zaræ filij Iudæ: ſic etiam Targum Ionathanis prædicta illa verba conuertit, præ Ethan filio Zaræ. Ita quoque in libro Chronicorum dicitur: *Et filij Zara, Zamri* & *Ethan* & *Heman.* Erat autem de numero ſapientum Iſraëlitarum; & hunc Pſalmum compoſuit de longiori huius exilij duratione, & in eo potiſſimum agit de regno domus Dauidicæ, quod iam à multis annis extinctum fuit; hoc enim erat decus & robur Iſraëlitarum. Cúmque Rex Meſſias aduenerit, ipſi exules in patriam ſunt reuocandi: ac idcirco tota eius querimonia eſt de Rege ex Dauidis ſtirpe oriundo, qui iam a tot ſeculis nullus extitit; dicitque.

V. 1. *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Miſericordia promiſſionem antecedit, & fides promiſſionem ſequitur, vnde dicit Pſaltes, laudes Domini enarrabo ac ipſius erga electos fidelitatem, vt in perpetuam generationum ſeriem nota ſit mundo.

V. 2. *Quoniam dixi.* Exiſtimaueram fore vt in æternum duraret illa miſericordia quam Deus erga Dauidem exercuit in dando illi regno ac eius nepotibus poſt ipſum; & æquè ſtabilis permaneret ac cœli, in quibus tuam veritatem nunquam deſituram conſeruas, ſic, inquam, dixeram apud me te firmam conſeruaturum veritatem tuam cum Dauide & cum ſemine eius cunctis ſeculi diebus, vt poſt nullam temporum ſeriem finem eſſet habitura, quemadmodum ipſe dixit: *Sicut dies cœli ſuper terram.*

1. Paral. 17. V. 3. *Percuſsi fœdus cum electo meo.* Et tu ſic dixiſti Dauidi per Nathan Prophetam, Et firmabo ſolium eius vſque in æternum, & appellaſti electum

tuum, vt ex iſtis verbis conſtat: *Et elegi Dauid vt conſtituerem eum ſuper popu-lum meum Iſrael. Iuraui.* Verbum enim eius eſt iuramentum ipſius. Psal.
V. 4. *Vſque in æternum, & ædificabo.* Quemadmodum Nathan Prophe- 89.
ta ipſi prædixit: *Et Dominus tibi domum ædificabit.* Cæterùm per domus ———.
ædificationem denotantur filij ac perpetua nepotum ac poſterorum ſucceſſio. 2. Paral. 6.
V. 5. *Et confitebuntur tibi.* Si ego, inquit, miſericordiam tuam & verita- 1. Paral.
tem prædico, ita etiam cœlos video tua mirabilia celebrantes; vt alibi dictum 17.
eſt: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Illud autem admirandum quod cœli declarant, Pſal. 19.
eſt perpetua ipſorum in orbem circumactio, quæ cùm fiat per motum nunquam 1.
deſinentem, palam oſtendit eſſe motorem à quo ipſi orbes cœleſtes mouean-tur, ſicque demonſtrent ſuam omnem potentiam à te emanare. *Etiam ve-ritatem tuam.* Ipſa quoque fidelitas quâ conſtanti ſtabilitate à te conſeruan-tur, nota eſt in cœtu Sanctorum, hoc eſt, Angelorum; ab illorum ſiquidem perpetua ſubſiſtentia pendet cœleſtium orbium ſtabilis duratio. Porro nomi-ne veritatis, ſubſiſtendi firmitas indicatur, ipſi enim Angeli in perpetuum ſunt duraturi, cum ſint incorporei: ac per ipſos cœli, qui ſunt corporei, conſeruantur.

V. 6. *Quoniam quis in æthere.* Ipſi etiam confitentur ac de Domino prædicant nullum ipſi in ætherea regione poſſe ſimilem reperiri, ſicuti vanè exiſtimant qui res illas creatas colunt: imò cœli ipſi, & totus illorum exercitus profitentur nihil omnino eſſe in toto cœlorum exercitu quod aliqua ratione aſſimilari, nedum æquari poſſit cum Deo ſemper exaltando; & per ſe ipſos palam annuntiant ſe à Deo benedicto accipere quidquid habent poten-tiæ, & quod admirandum efficiunt aut exhibent. Cæterùm per filios fortium, cœlorum exercituum ſignificat, & per fortes, ipſos Angelos, quorum veluti filij ſunt cœlorum exercitus, ipſi namque ſunt cauſa motus eorum, & ordi-natiſſimæ illorum circumuolutionis. Dictio autem אלים *elim* potentes hoc loco ſignificat.

V. 7. *Deus formidabilis.* Vox נערוץ *naaroiſ* idem quod vox נורא *nora* deſignat, nempe illum, qui alijs eſt formidini & pauori: ſic etiam terribilis appellatur, eóquòd metum & terrorem incutiat. Eſt verò formidandus ac terribilis in cœtu Angelorum ſanctorum: & vox בסוד *beſod* ſignificat in ſo-cietate vt iſto in loco, *In cœtu iuſtorum & congregatione.* Dictio רבה Pſal.
rabba multam ſignificat formidinem ac timorem quibus eum formidant ac 111. 1.
reuerentur. Et eo modo dicitur alibi: *Non nutabo multùm*, hoc eſt, mul- Pſal. 63.
tà vacillatione. Illis autem verbis, ſuper omnes qui ſunt in circuitu eius, 1.
omnes Angeli deſignantur qui in circuitu Dei ſunt, hoc eſt, ipſi miniſterium exhibent. Porro in hoc verſu eadem ſententia verbis diuerſis exprimitur.

V. 8. *Domine Deus exercituum.* Cœleſtium nempe exercituum quorum ipſe Deus eſt, & in quos dominium exercet. *Fortis es Domine.* Dictio חסין *hhaſin* non eſt formæ conſtructæ ſed abſolutæ, quo modo etiam dicitur, Potens, & Deum robuſtum ac præpotentem denotat: ita vox iſta ſumitur
alio in loco, *Et fortis ipſe quaſi quercus.* Deum verò hoc nomine יה *iah* Amos. 2.
appellat, eóquòd nomen illud ipſam mundi totius exiſtentiam vt à Deo ma- 9.
nantem ac dependentem ſignificet; & nomen aliud חסין *hhaſin* indicat Deum

PSAL. 89. mundi exiſtentis eſſe columen & conſeruatorem, vnde etiam vita mundi appellatur. *Et veritas tua in circuitu tuo.* Horum verborum idem eſt ſenſus, ac illorum, Etiam veritatem tuam in cœtu Sanctorum; nam Sancti Angeli ſunt in circuitu Dei, & eius veritatis teſtes exiſtunt, hoc eſt, immutabilitatis. Illa autem verba, *Quis ſimilis tibi?* hunc habent ſenſum, Quis tibi ſimilis eſt inter illos ſuperiores Spiritus, qui & ſtabili exiſtentiâ ſemper permanent, & alia etiam in exiſtentia conſeruant? Ipſi etenim ex ſeipſis teſtantur, ſuam quam à te habent ſubſiſtentiam, in perpetuum eſſe ſtabilem ac duraturam. Sapiens verò Abraham filius Eſræ, exiſtimat veritatem Dei in circuitu eius eſſe dici, quia eſt inſeparabilis ab ipſo, quippe quæ non ſit accidens.

V. 9. *Tu dominaris.* Dixit ſuperius Deum dominari rebus à ſe creatis ſuperioribus, nunc verò loquitur de inferioribus illis quæ ſe ſe efferre ac fortiores eſſe videntur, nempe de illis rebus creatis quæ ſunt terribiles. Et per maris elationem innuitur aquas altiores eſſe ipſâ terrâ, ſicut iam explicuimus Pſalmo trigeſimo tertio ad illa verba: *Congregans inſtar acerui aquas maris.* Dicit autem, Tu dominaris, ac ſi diceret, aquæ quidem dum elatæ intumeſcunt, ex naturali impetu in terras exundaturæ videntur, at Deus illis dominatur, eáſque coërcet & comprimit, eiſque elationis terminum ipſam arenam præſtituit. Dictio בשוא *beſo* ſignificat dum efferuntur fluctus eius; eſtque pro בנשוא *binſo* deeſt nempe prima radicalis litera. *Tu compeſcis eos*; hoc

Pſal. 65. 7. eſt, comprimis ac ſedas eos; quo ſenſu dicitur: *Qui compeſcis ſonitum marium.* Et hæc fortaſſe dicta ſunt de maris rubri ſciſſione; vel idcirco Deo hæc tribuit quia ſic quolibet tempore præſtare valet, vt de ipſo dicitur alibi:

Pſal. 107. 29. *Statuit procellam in ſilentium, & ſiluerunt fluctus eorum.* Vel idem eſt ſenſus ac in prima parte verſus, ſcilicet, dum ita efferuntur fluctus maris vt iam iam prætergreſſuri arenam, & terram ipſam præ nimia elatione ſua operituri videantur; at cùm oram littoris attigerunt, tu illos ſtatim cohibes ac ſedas.

V. 10. *Tu contriuiſti.* Vox דכאת *dikita* ſcripta eſt cum א *aleph* loco

Ier. 51. 9. י *iod*, vt etiam illa רפאנו *raphanou, curauimus Babylonem.* Hic verſus oſtendit ſermonem eſſe in præcedenti de ſciſſione maris rubri, voce enim illa רהב *rahau* Ægyptus indicatur, vt illo in loco, *Nunquid non tu excidiſti Ægyptum.*

Pſal. 87. 4. Et, *Memor ero Ægypti & Babylonis.* Dicit ergo Pſaltes, tu coram Iſraëlitis mare rubrum ſcidiſti, ac poſtea in eius medio Ægyptios tam facilè contriuiſti, ac ſi iam fuiſſent interfecti, nihil enim in ipſis ſupererat potentiæ quò fugam capere poſſent, aut ex mari, dum adhuc eſſet ſiccum, euadere. *Diſperſiſti inimicos tuos.* Mare ſiquidem ſubmerſorum cadauera ad littus non ejicit nec ea diſpergit niſi poſt dies aliquot, non verò ſtatim poſt ſubmerſionem, tu autem in brachio tuæ fortitudinis, diſperſiſti inimicos tuos & effeciſti vt eos ſtatim ac ſubmerſi fuerunt, mare euomeret, vt illos in maris littore mortuos iacentes Iſraëlitæ conſpicerent.

V. 11. *Tui ſunt cœli, etiam tua eſt terra.* Iam ſummatim ſuperiores & inferiores creaturas commemorat: & horum quidem verborum, tui ſunt, ſenſus eſt, cœlos ipſos id palam profiteri, nempe ſe eſſe tuos, quippe qui intellectu & notitiâ præditi, illud agnoſcant: at verò de terra, hoc eodem

Iob. 12. 8. modo eſt intelligendum, ac in iſtô loco dicitur: *Aut interroga virgultum ter-*

ra & docebit te, & annuntiabunt tibi piſces maris quòd manus Domini hoc Psal.
fecerit, & ſenſus eſt, etiamſi res iſtæ intellectu non ſint præditæ. Ita hoc 89.
loco dicit, ecce etiam tua eſt terra, hoc eſt, Quamuis ipſa non ſit prædita intellectu, homines tamen ſapientes agnoſcunt & ſciunt tum ex terra tum ex eius productionibus, nec-non ex animantibus ac volatilibus ipſis, iſta omnia habere conditorem ac gubernatorem: tu verò es horum creator & moderator. Quod illæ res aliquo modo enarrant & profitentur. *Orbem terræ & plenitudinem eius.* Nomine ארץ *ereſ* appellatur omnis terra, tum ea quæ eſt habitata, cùm ea quæ non eſt habitata: nomine verò תבל *tebel*, ea ſolùm deſignatur quæ eſt habitabilis, ac idcirco dixit hoc loco, & plenitudinem eius, illud ſpatium denotans, quod nec ab hominibus nec iumentis aut auibus incolitur. *Tu fundaſti.* Quemadmodum ædificij ſtabilitas fundamento innititur, ſic Deus omni benedictione celebrandus, res quaſdam in locis terræ habitabilis fecit quibus ſubſiſtunt ac ſuſtentantur incolæ, veluti flumina, arbores, gramina & olera in cibum hominum & alimenta animalium in locis terræ habitabilis exiſtentium. Ita etiam quoſdam maris ſinus in terram habitationi commodam excurrere permiſit propter hominum vtilitatem, vt per eos ex loco in locum transfretare poſſent; ac piſces in eis ad eſcam ſuam caperent: quæ omnia ad terræ incolarum ſubſiſtentiam conducunt; quapropter dixit, tu fundaſti.

V. 12. *Aquilonem & meridiem tu creaſti.* Sapiens Magiſter Abraham filius Eſræ, F. M. ſcribit Pſaltem hoc loco mundi plagas recenſere; & cœli quidem ac terræ meminiſſe antea, quæ ſunt duo mundi extrema, ſupremum ſcilicet & infimum: hîc verò Aquilonem & meridiem commemorare, & montem Thabor qui in Occidente ſitus eſt quaſi poſteriorem mundi plagam, & Hermon qui in Orientali parte ſitus, anteriorem plagam deſignet, ſicque ſex orbis plagas innuere; cenſétque hoc eſſe quod ſcriptum eſt in libro * Ietſira ſeu formationis, Signatum ſex ſigillis. Sed meâ quidem ſententiâ dum dicit, orbem terræ & plenitudinem eius, ſpatium mundi deſignat ab ortu in occaſum ſuper lineam æquinoctialem per mundi longitudinem, quod ſpatium totum eſt habitationi commodum ab ipſo Orientis initio ad vltimam vſque partem Occidentis. Ac idcirco dixit, Et plenitudinem eius, eóquòd ſpatium ſit incolis plenum. Deinde verò dicit, Aquilonem & meridiem tu creaſti, mundi ſpatium per latitudinem denotans, quod non totum incolitur: nam ad plagam Aquilonarem, maxima pars mundi deſerta relinquitur ob maximum frigoris rigorem; ad Meridionalem verò propter nimium calorem, multò maius ſpatium eſt incultum, & raris admodùm incolis frequentatum: & iſtæ omnes plagæ ſe à te fuiſſe conditas profitentur, ſiue deſertæ ſint, ſiue habitatæ. Meminit autem Thabor & Hermon eóquòd ſint excelſi montes; ac inter res creatas, montes in terra præſertim emineant & conſpiciantur: ſic alibi dicit, Formans montes: ipſi ſiquidem maximæ ſunt rerum omnium in terra creatarum; vnde ſcriptum eſt de Thabor; quia ſicut Thabor inter montes, ac ſi diceret ipſum præ alijs latitudine ſua & altitudine eſſe notiſſimum. Ita Ier. 45.
etiam mons Hermon, qui & Sanir, altus eſt admodum adeout ipſo etiam 18.

* Libellus eſt Cabaliſticus, Patriarchæ Abrahamæ falsò attributus.

æſtatis tempore niues in eo reperiantur. Additur, *In nomine tuo cantabunt.*
Psal. 89. Ac ſi ipſimet enarrent & ſuo cantu profiteantur ſe à te fuiſſe conditos, quia
nempe quiſquis eos intuetur, laudes Deo tribuit, gloriam & gratiarum actio-
nem, à quo ſunt conditi.

V. 13. *Tibi brachium cum potentia.* Tuâ enim poteſtate conſtant & ſub-
Deut. ſiſtunt vniuerſa: quo ſenſu dicitur illud: *Et ſubter brachia ſempiterna. Fir-*
33. 27. *ma eſt manus tua.* Nempe ſiniſtra. *Exaltatur dextera tua.* Atque ita æqua-
lis ſunt potentiæ & roboris nec-non exaltationis ambæ manus tuæ; vnde etiam
vtramque appellat Scriptura paulò ante brachia ſeculi.

V. 14. *Iuſtitia & iudicium.* Poſtquam de mundo egit, cúmque Dei po-
tentiâ ſtabilem permanere aſſeruit, nunc dicit illam mundi perpetuam dura-
tionem, quâ vt ipſe Deus, perpetuò eſt conſeruandus nec vnquam deſtruen-
dus, ad ipſius Dei ſpectare iuſtitiam, iudiciúmque eius, miſericordiam ac
veritatem. In hoc autem verſu eadem ſententia diuerſis tantùm verbis repeti-
tur, nam iuſtitia & miſericordia ſunt vnum & idem, ſicut iudicium & veritas
vnum ſunt. Illis etiam verbis baſis ſolij tui, & præcedent faciem tuam, idem
prorſus denotatur. Iuſtitiam enim & miſericordiam erga res creatas exercet
dum ipſum mundum in ſua ſubſiſtentia ſtabiliter conſeruat, quia iudicium &
Gen. veritas hoc ab pſo exigunt vt ſua verba impleat quibus ita promiſit. *Adhuc*
8. & 9. *cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, & æſtas & hyems, nox*
& dies non ceſſabunt. Dixit etiam: *Nequaquam vltra maledicam terræ.* Et,
Non percutiam omnem animam viuentem ſicut feci. Addidit prætereà. *Hoc*
ſignum fœderis quod do inter me & vos, & inter omnem animam viuentem quæ
eſt vobiſcum, in generationes ſempiternas. Senſus horum verborum: *Baſis ſe-*
dis tuæ regia, eſt, tu ô Deus ſimilis es Regi ſedenti in regio throno, & po-
puli ſui neceſſitatibus prouidenti, cúmque iuxta æquitatis regulam gubernanti.
Præcedent faciem tuam. Hoc eſt tibi ſemper adſtant ac te indeſinenter comi-
tantur; tu ſiquidem mundum ſemper iuxta rectiſſimum eius ordinem modera-
ris: quod enim præuenit, veluti paratum occurrit; vnde eſt illud dictum:
Deut. *Quia non præuenerunt filios Iſrael cum pane & aqua.* Et, *quoniam præueniſti*
23. 4. *eum in benedictionibus bonitatis.*
Pſal. 21. V. 15. *Beatus populus qui ſcit clangorem.* Initio quidem Pſalmi enarrare
4. cœpit miſericordiam ac veritatem quibus ergà Dauidem vſus eſt Deus, his
deinde adjunxit ac memorauit benignitatem & conſtantiam, quas in mundi
totius adminiſtratione exhibet, ac ſi hoc vellet innuere, quemadmodum
Deus conſtantiſſimè veritatem in gubernando hoc mundo conſeruat; ita
etiam fidelitatem erga Dauidem & Iſraëlitas exhibere debet; ac dicit, Beatus
populus qui, &c. perinde ac ſi diceret, beati erunt Iſraëlitæ quandiu eos tuo
fauore proſequêris, ac ſuper illos regnabis, tum enim clangorem tuum co-
Num. gnoſcunt ſicut ſcriptum eſt: *Dominus Deus eius cum eo eſt & clangor Regis*
23. 21. *in eo.* Cæterùm clangoris hoc loco hæc eſt ſignificatio, quòd nimirum qui
in prælio fortiores aduerſarijs euadunt, clangere buccinis & vociferari ſo-
leant vt ſuis hoſtibus terrorem incutiant, ſicut factum fuiſſe legimus in illis
bellis quæ in ſacris libris ſunt conſcripta, in quibus ex Dei Excelſi mandato
buccinis clangebant. & magnos clamores edebant Iſraëlitæ; ſic enim ipſe
præce-

præcipit, *Et cùm aduenerit bellum in terram veſtram clangetis buccinis.* Et de ipſiuſmet Dei ſemper exaltandi clangore ſic dicitur. *Vociferabitur inſuper exclamabit, contra inimicos ſuos præualebit?* Et his locis indicatur quid ſignificent illa verba, & clangor Regis in eo; & iſta, Qui ſcit clangorem. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt.* Tum quidem in lumine ſeu fauore tui vultus proſpere omnia cedebant eis, nec tunc impingebant aut cedebant hoſtibus ſicut modò, cùm iam in tenebris ambulant tuo lumine deſtituti. Pſal. 89. Num. 10. 9. Iſa. 42. 13.

V. 16. *In nomine tuo exultabunt.* Túncque in tuo nomine exultabunt ac ſi diceret, in tui nominis recordatione; tuo enim nomine adjuuabantur, & in iuſtitia tua exaltabantur. Num. 10. 9.

V. 17. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Tunc quidem gloria fortitudinis eorum tu eras, nempe quia non aliunde quidquam roboris quàm à te habebant, atque in tua fortitudine ſupra cæteras mundi nationes gloriabantur, & tunc in beneuolentia tua exaltabatur cornu noſtrum, hoc eſt, tuo fauore cornu noſtrum erat exaltatum: quo ſenſu dictum eſt; *Et exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* Et quamuis dictio קרנינו *carnenou* ſcripta ſit cum litera י *iod* notâ plural. num. & dictio תרום *tharom* ſit ſingularis, ſenſus tantùm eſt, cornu quodlibet, hoc eſt, Reges Iſraëlitarum. 1. Sam. 2. 1.

V. 18. *Quia Domini eſt clypeus noſter.* Verſus hic eandem ſententiam verbis diuerſis repetit: clypeus noſter idem eſt ac Rex noſter, nempe Dauid Rex & Salomo & eius poſteri ex ſemine ipſius oriundi. Porro ſenſus eſt, quia Rex noſter eſt Domini, idcirco proſperè aget omnia, & ſuis hoſtibus potentior euadet. Rex autem ille dicitur eſſe Dei qui Deum piè colit: & eo ſenſu dictum eſt illud: *Quiſquis eſt Domini* ad me *veniat.* Iud. 7.

V. 19. *Tunc loquutus es.* Et quandonam hoc fuit? nempe tum quando in viſione dixiſti ſancto tuo, qui eſt Samuël Propheta, *Et dixiſti poſui adiutorium ſuper potentem.* Dixiſti ei, ego conſtitui dare auxilium Iſraëlitis per virum potentem nimirum Dauidem, vt ſcriptum eſt, *Et mittam te ad Iſai Bethleemitem, quia prouidi mihi Regem in filijs eius. Exaltaui electum de populo.* Vt ibidem enarratur, & vnxit eum in medio fratrum ſuorum; dicitúrque Dauid electus eóquòd ad regni moderamen fuiſſet electus. 1. Sam. 16. 1.

V. 20. *Inueni Dauid ſeruum meum.* Certò enim ſcio ipſum fore ſeruum meum, nec me illi ſimilem reperturum. *Oleo ſancto meo.* Illo ſiquidem vnctionis oleo vnctus eſt, quod * oleum ſanctæ vnctionis appellatur.

V. 21. *Cum quo manus mea firma erit.* Semper erit ad opem illi ferendam parata.

V. 22. *Non exiget inimicus ab eo.* Non erit illi hoſtis inſtar exactoris, qui ab ipſo recipiat tributum, nec eius corpus affliget. Inimicus verò & filius iniquitatis ſunt prorſus idem.

V. 23. *Et contundam.* Quia ego conteram eius hoſtes ante ipſum, ne poteſtatem vllam in ipſum habere valeant.

* Erat vnum & idem oleum pro Regibus & Sacerdotibus inungendis, conſtans quatuor aromatibus ſcilicet myrrha, cinnamomo, calamo & caſiâ, Exod. 30. Sacrum hoc vnguentum à Moſe confectum, in vaſe corneo repoſitum erat in tabernaculo teſtimonij, iuxta Arcam fœderis.

PSAL. 89. V. 24. *Et veritas mea & miſericordia mea.* Primum quidem miſericordia Dei erga Dauidem exhibita eſt quando ipſum in Regem elegit; tum deinde veritas, cùm verbum ſuum impleuit, quo ei regnum promiſerat ac poſteris eius vſque in ſeculum. *Et in nomine meo.* Erit enim nomen meum ipſi in auxilium, ac ſi diceret, quoties nominis mei recordabitur. Eſt autem Deus nomen ſuum, & nomen ipſius eſt Deus. *

V. 25. *Et ponam in mari manum eius.* Erit ſiquidem ipſi poteſtas & imperium in eos qui littora maris accolunt, & vrbes fluminibus adjacentes inhabitant; quemadmodum legimus Hiram Tyri Regem miſiſſe Dauidi per

1.Paral. 22. mare munera, nempe ligna cedrina, fabros murarios & lignarios. Narrat etiam Scriptura Sidonios & Tyrios magnam lignorum cedrinorum copiam ad Dauidem adduxiſſe: hæc autem per mare aduehebantur. Ita etiam de fluminibus; Nam Reges Syriæ qui regionibus transflumen Sitis imperitabant, eidem Dauidi dona per flumen mittebant & vaſa argentea, aurea & ærea: quo etiam ſpectat illud quod ipſe abſtulit ex cunctis vrbibus trans Euphratem poſitis, quando contra Reges Syriæ pugnauit.

V. 26. *Ipſe inuocabit me.* Quoniam mihi ſemper adhærebit ſciens & agnoſcens ſibi à me auxilium eſſe affuturum.

V. 27. *Etiam ego.* Litera א *aleph* eſt cum cametſ, licèt non ſit in fine verſus; verùm eſt in ſubſiſtentia & protractione ſenſus, ſiquidem eſt cum accentu tatha, qui eandem habet aliquandò rationem ac pauſa, vt in iſto

Gen. 27.34. loco videre eſt, *Benedic etiam mihi pater:* quod etiam cum accentu reuiaa contingit vt illo in loco, *Si ego non tranſeam ad te.* Dicit igitur, quem-

Gen. 31.52. admodum ipſe vocabit me dicens, Pater meus es, Ego pariter illum appellabo filium; nec hoc tantùm, ſed etiam primogenitum, qui dignitate cæteros liberos antecellit: ipſe enim excelſus erit præ omnibus Regibus terræ, vnde ita

1.Paral. 14.17. ſcriptum eſt, *Et Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes Gentes.*

V. 28. *In æternum.* Miſericordiam quâ erga ipſum vſus ſum vt illum conſtituerem Regem, in perpetuum conſeruabo; ſic etiam fœdus quod cum illo pepigi, erit illi fideliſſimum, nec illud vnquam violabo.

V. 29. *Et ponam.* In æternum eius progeniem in regno ſtabiliam: ſic etiam thronus eius, in quo ad regni moderamen ſedebit, erit ſicut dies cœli, fixus.

V. 30. *Si autem dereliquerint filij eius legem meam.* Meminit legis, iudiciorum, ſtatutorum ac præceptorum, quæ ſi non obſeruauerint vt in lege Moſis præceptum eſt.

2. Sam. 7. V. 31. *Viſitabo.* Et etiam ei per Nathan Prophetam prædixerat, cum prauè egerit corripiam illum in virga hominum, & in plagis filiorum hominum,

Prou. 23.13. non ſecus ac pater filium ſuum virgâ emendat, ſicut ſcriptum eſt: *Si percuſſeris eum virgâ non morietur.* Et additur, Et ad interficiendum eum, ne eleues animam tuam. Ita hoc loco prædicit Deus ſe fore correpturum & caſtigaturum plagis ac doloribus illos ex Dauidis nepotibus, qui peccauerint: quod nimirum continget cum ſinet eos venire in poteſtatem hoſtium ſuorum: at ſe promittit regnum ipſis non ablaturum cùm ſubjungit.

* 1. Deus verè eſt illud quod nomine iſto ſignificatur.

V. 32. *Miſericordiam meam non diſſoluam.* Per miſericordiam regnum intelligit, quod ab ipſo ſe non ablaturum dicit, etiam ſi ipſe pactum meum violet & mandata mea non obſeruet, ego tamen non diſſoluam miſericordiam meam, nec ero mendax in veritate mea, omni ſiquidem tempore aliquis ex eius poſteris regno potietur. PSAL. 89.

V. 34. *Non profanabo pactum meum.* Quamquam ipſe ſtatuta mea prophanabit & mandata mea non cuſtodiet.

V. 35. *Semel iuraui.* Ac ſi diceret, hoc eſt iuramentum quod non poteſt immutari. *In ſanctitate mea.* Per ſanctitatem meam illud iuraui. *Si Dauid mentiar.* Senſus particulæ ſi, Ita enim ſolet exprimi iuramentum, ſi fecero ſic aut ſic, eſt, ita vel ita mihi eueniat. Pari modo iſtis in locis: *Si introibunt in requiem meam.* Si ingrediantur in terram quam iuraui patribus eorum. Pſal. 95. 11.

V. 36. *Semen eius in æternum erit.* Nempe in regni poſſeſſione. *Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.* Quemadmodum ſol qui perpetuò durabit; ita poſteri eius in æternum erunt in regno. Pari formâ loquendi dicitur alibi, *Coram ſole propagabitur nomen eius.* Hoc eſt, omni tempore quo ſol permanebit. Si autem illa verba vt, ſicut, ita exponantur, vt ſit ſenſus, erit reſplendens ac illuminans inſtar ſolis; de ijs tantùm intelligendum erit Dauidis nepotibus, qui boni fuerint. Pſal. 72. 17.

V. 37. *Sicut luna ſtabilietur in æternum.* Sicut luna quæ aliquando caliginoſa eſt, aliquando lucida, ita erunt eius poſteri; cùm erunt boni, lucebunt, quando verò mali tum erunt obſcuri. Nihilominus tamen nunquam omnino regnum eſſe deſinet; ſicut luna nunquam deſinet, ſiue caliginoſa ſit, ſiue lucida, nunquam eſſe ceſſabit, ſed ſtabit perpetuò nec deſinet. *Et teſtis in cœlo fidelis.* Luna fidelis eſt teſtis ſuper ſemine Dauidis, quia ſic illi promiſit Deus futurum ſemen eius in æternum, quemadmodum eſt luna.

V. 38. *Tu verò repuliſti & abominatus es.* Multi admirantur de authore huius Pſalmi, nimirum quomodo audeat verbis eiuſmodi Deum alloqui non ſecus ac ſi homo aliquis ſocio ſuo diceret, hæc te facturum iuraſti nec tamen iuramentum impleſti. Imò ſapiens Magiſter Abraham filius Eſræ ſcripſit fuiſſe magnum quemdam & ſapientem virum in Hiſpania cui hic Pſalmus durior videretur, quem nec legere poſſet nec audire: vnde & ipſemet Rabbi Abraham Eſraites aſſerit in hoc Pſalmo referri verba ipſorum Dei hoſtium, qui verba eius cum probris & blaſphemia irrideant ac falſa dicere audeant, & propterea dici paulò inferius, Memor eſto Domine opprobrij ſeruorum tuorum quod exprobrauerunt inimici: ſed ego admirationem illorum demiror, Pſalmi enim in Spiritu ſancto editi fuerunt, nec eſt æquum aliquid in illis minus rectum ſuſpicari; quid ſi enim Pſaltes huius exilij longitudinem admiretur? nec verò dicit Deum ſuum iuramentum eſſe tranſgreſſum, ecce enim in Babylonica captiuitate Dauidis regnum eſſe deſierat, nec tamen irritum fuit propterea iuſiurandum: quia cùm perdurauerit tunc generatio Dauid, ipſum etiam regnum erat reſtituendum poſt exactos ſeptuaginta annos, vnde ipſius Dei iuramentum ſtabile permanſit. Verùm obſtupeſcens author Pſalmi de huius exilij prolongatione ita loquitur, Nunquid non tu cum iuramento pollici-

tus es ipſi? quomodo igitur fieri poterit vt penitus exciſum eſſe regnum vi-
Psal. 89. deatur? ſiquidem iam à tot annis Iſraëlitæ in exilio verſantur, vt parum abſit quin de redemptione omnino deſperent. Loquitur ergo Pſaltes per modum admirationis, ac dicit, quî fieri poteſt? & in quonam admiſſum fuit graue adeo peccatum iſtud? Et vndenam ira tam magna & longa? Et ſanè Moſes
Exod. 32. 13. Magiſter noſter dixit Deo hoc etiam modo: Recordare Abraham, Iſaac & Iſraël quibus iuraſti ſic, &c. dicit verò, quomodo præſtabis id quod te facturum iuraſti? Ita etiam Iſaias Propheta dixit: *Quare errare nos feciſti Domine*
Iſa. 63. 17. *de vijs tuis?* Elias quoque dixit, *Et tu conuertiſti cor eorum retrorſum.* Et di-
1. Reg. 18. 37. cimus illos hæc omnia dixiſſe quidem iuxta ſolitum loquendi decorem, ſed tamen ſimilitudinis tantùm gratiâ ea ſic eſſe loquutos. Dicit ergo Pſaltes, tu qui iuraueras ei, iam à tot annis ipſum repuliſti, vt illius prorſus immemor factus eſſe videaris. Et vbinam eſt iuramentum tuum cum Chriſto tuo, qui ex tuo iuſſu fuerat vnctus in Regem? Tuum erga illum amorem in iracundiam conuertiſſe videris, cùm per tam multos annos regnum à poſteris eius abſtuleris.

V. 39. *Perdidiſti pactum.* Hoc fœdus quod cum ipſo inieueras, reſcidiſti illud;
Thren. 2. Et idem verbum in ea perdendi ſignificatione reperitur iſto in loco: *Deſtruxit Sanctuarium ſuum. Diadema eius.* Hoc eſt, diadema quod erat capiti eius impoſitum prophanaſti, & detractum in terram proieciſti.

V. 40. *Deſtruxiſti.* Omnes ſepes quibus eum antea cinxeras dum illi eſſes auxilio, dixeras enim, inimicus non exiget ab eo tributum, nec permiſeras hoſtibus quidquam mali inferre ipſi; eas, inquam, ſepes deſtruxiſti ac munitiones, & poſuiſti eos in pauorem, ac irruerunt hoſtes & eum diripuerunt.

V. 41. *Diripuerunt eum.* Hoc eſt; deprædati ſunt: & hoc ſenſu verbum illud reperitur iſto loco: Quis dedit in prædam Iacob? Poſtquam ſepibus ac
Iſa. 42. 24. munimentis non ampliùs fuit à te protectus, diripuerunt eum omnes per viam tranſeuntes. *Factus eſt opprobrium vicinis ſuis.* Contra id quod erat antea, omnes ſiquidem vicini eius ſeruiebant ei, & omnes Reges qui erant in circuitu eius.

V. 42. *Exaltaſti dexteram hoſtium eius.* Contra illud promiſſum; Etiam brachium meum roborabit eum. *Lætificaſti omnes inimicos eius.* Dediſti eis lætitiam, contra id quod erat antea cùm nempe pauor eius ac timor eos affi-
1. Paral. 14. 17. ceret vt ſcriptum eſt, *Et Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes Gentes.*

V. 43. *Auertiſti aciem gladij eius.* Contra illud, Et conteram à facie eius hoſtes ipſius. Et verba iſta, acies gladij eius, ſignificant acutum gladium
Ioſ. 5. 2. eius, quâ ratione dicitur, *Fac tibi gladios acierum*, hoc eſt, acutos: eſtque
Exod. 25. 4. in illis locis tranſpoſitio, vt etiam in iſto, *Et coccum bis tinctum*, pro, *bis tinctum coccum. Et non ſubleuaſti.* Non dediſti ei animum & vires quibus ſuis hoſtibus obſiſtere valeret.

V. 44. *Ceſſare feciſti munditiam eius.* Nitorem eius & regiæ maieſtatis gloriam quâ præfulgebat, abſtuliſti ab ipſo: cæterùm dagues literæ ט *teth* in
Exod. 15. voce מטהרו *mitohoro*, eſt ſicut dagues literæ ק *coph* in voce מקדש *micdaſch*, hoc eſt Sanctuarium Domini, ſcilicet ad lectionis ornatum: & hoc modò litera ט *teth* occurrit affecta vocali cametshhateph ad euphoniam duntaxat.

Eſtque מטהר *mithar* nomen ſignificans nitorem, vt iſtis in locis, *Et ſicut* PSAL.
corpus cœli in nitore: Et ventus tranſit & repurgat illud. In terram detru- 89.
ſiſti. Vox illa מגרה miggarta ſignificat dejeciſti; ſic etiam Chaldæus Para-
phraſtes illâ vtitur in eo ſignificatu, iſto in loco: *Et deÿciet aſcenſorem eius* Exod.
retrorſum. 24.10.

V. 45. *Abbreuiaſti dies adoleſcentiæ eius.* Dies adoleſcentiæ ſunt dies re- Iob. 37.
gni; ſicut in homine dies adoleſcentiæ ſunt dies boni & commodi ad res cor- 21.
poris, dies verò ſenectutis dies mali, quemadmodum ſcriptum eſt: *Donec ve-* Gen.
niant dies mali. Dicit ergo dies regni fuiſſe perbreues, dies verò malos, 49.17.
qui ſunt exilij dies, eſſe longiſſimos. *Operuiſti ſuper eum pudorem.* Nempe Eccl.12.
ſuffunditur pudore ob irritum promiſſum tuum cuius illi effectum promiſeras; 1.
vnde ipſi hoſtes objectant nullam prorſus ſpem ei ſupereſſe, à quibus idcirco
pudore afficitur.

V. 46. *Vſquequò Domine abſcondis te?* Videris ſiquidem tantas exilij noſtri calamitates non videre.

V. 47. *Memorare quanti ego ſim aui.* Loquitur in perſona alicuius ex Dauidis poſteris, qui in exilio poſitus dicat ſe timere ne mortem obeat antequam ſalutem viderit; & ne forte non relinquat poſt ſe filium, ſicque regnum penitus ſit deſiturum. Vel per ſingulas generationes quilibet illum adeſſe deſiderat qui ex Dauidis ſtirpe naſciturus eſt, vt ſuis temporibus contingat redemptio, ſitque ipſe Rex Meſſias ac dicit, recordare quid ego ſim in mundo, quod breuiſſimum ſit humanæ vitæ ſpatium: recordare etiam ad quantam vanitatem creaueris omnes filios hominum; quippe ad mortem illos condidiſti, & ecce vita eorum mendacium eſt & vanitas.

V. 48. *Quis vir?* Nemo eſt enim viuens in mundo qui non ſit aliquando mortem experturus, & qui poſſit ſeipſum ex poteſtate ſepulchri vindicare.

V. 49. *Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ?* Illæ nimirum quas adhibito iuramento Dauidi promiſeras: vbinam illæ ſunt modò cùm nos tandiu in exilio deſeris?

V. 50. *Memor eſto Domine opprobrij ſeruorum tuorum.* Nos enim quotidie hoſtes opprobrio afficiunt, & ſubinde dictitant nos incaſſum ſperare ſalutem. *Portaui in ſinu meo.* Memor ſis quod portem in ſinu meo opprobrium meum; illa nempe opprobria quibus me quotidie afficiunt omnes populi multi; illud porro dicitur ab vnoquoque exulum.

V. 51. *Quod exprobrauerunt.* Quidnam verò opprobrij objiciunt nobis?
nempe veſtigia Chriſti tui, hoc eſt, moram Chriſti tui; quòd adeò eius aduen-
tus differatur, vnde aſſerere audent nunquam illum eſſe venturum. Eodem
ſenſu illud eſt dictum; *Neque remoratur illa, tonitrua, cùm exauditur vox* Iob. 37.
eius; quo in loco יעקבם *ieaaquenem* idem valet ac יאחרם *ieahharem*, dif- 4.
fert illa. Planta enim ſeu calcaneus eſt poſtrema pars & finis corporis.

V. 52. *Benedictus Dominus in æternum.* Verba ſunt authoris Pſalmi, qui Spiritus ſancti lumine illuſtratus, Iſraëlitarum ab exilio reditum in patriam præuidens, gratias agit Deo benedicto: vel qui librum in ordinem digeſſit, in fine libri Deum eſſe celebrandum dicit, vt ſolent qui libros conſcribunt, cùm libris finem imponunt. Iam verò hunc verſum expoſuimus in fine libri primi. Abſolutus eſt Liber tertius.

LIBER QVARTVS.

PSAL. 90.

PSALMVS NONAGESIMVS.

Oratio Moſis viri Dei.

1. DOmine habitaculum fuiſti nobis in generatione & generatione.

2. Priuſquam montes naſcerentur, & formares terram & orbem: ab æterno, & in æternum tu Deus *extas*.

3. Conuertis hominem vſque ad contritionem: & dicis conuertimini filij hominis.

4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quum præterijt, & cuſtodia in nocte.

5. Inundaſti eos *vt* ſomnus erunt: manè ſicut herba tranſit.

6. Manè floret & mutatur: veſpere inciditur, & areſcit.

7. Quia deficimus in ira tua: & in furore tuo turbamur.

8. Ponis iniquitates noſtras in conſpectu tuo: occulta noſtra ad luminare vultus tui.

9. Quoniam omnes dies noſtri tranſeunt in ira tua: conſumimus annos noſtros ſicut loquelam.

10. Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in fortitudinibus *ſint* octoginta anni: & robur eorum labor & dolor: quoniam receditcitò, & auolamus.

11. Quis nouit fortitudinem iræ tuæ: & pro timore tuo, iram tuam?

12. Vt dinumeremus dies noſtros, ſic notum fac: & adducemus cor ſapientiæ.

13. Conuertere Domine vſquequo? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.

14. Reple nos manè miſericordiâ tuâ: & exultemus & delectemur in omnibus diebus noſtris.

15. Lætifica nos pro diebus quibus afflixiſti nos: annis quibus vidimus malum.

16. Appareat apud ſeruos tuos opus tuum: & gloria tua ſuper filios eorum.

17. Et ſit decor Domini noſtri ſuper nos, & opus manuum noſtrarum confirma ſuper nos: & opus manuum noſtrarum confirma. PSAL. 90.

COMMENTARIVS.

ORatio *Moſis.* Domine habitaculum tu fuiſti nobis. Orationem hanc Dauid inuenit deſcriptam, quam Moſis Magiſtri noſtri eſſe traditione accepimus, eámque huic ſuo libro inſeruit. Eximius Rabbi Saadias F. M. exiſtimat vocem Moſis idem eſſe ac filiorum Moſis, qui ſcilicet fuerunt Leuitæ in domo Sanctuarij miniſtrantes; & hoc dici vt illud, filiorum Core Pſalmus. Et ſimilem huic eclipſin iſto in loco eſſe, Ioiada quoque Princeps de Aaron, hoc eſt, de filijs Aaron, ita Moſis idem ac filiorum Moſis. Porro hic Pſalmus de præſenti exilio eſt editus, agitúrque in eo de humana infirmitate & breuitate vitæ hominum, & oratur Deus ne eos pœnis afficiat ſecundùm ipſorum opera, quemadmodum deprecabatur Iob dicens: *Nonne pauci ſunt dies mei? ceſſa ergo à me.* Iob. 10. 20. *Viri Dei.* Erat enim Propheta.

V. 1. *Domine habitaculum fuiſti nobis.* Hoc eſt, locus ac perfugium: quo etiam ſenſu dicitur, habitaculum eſt Deus æternus, quia ipſe eſt locus æternitatis. Deut. 33. 27. Ita verò in perſona Iſraëlitarum loquitur, per ſingulas generationes locus nobis ac refugium fuiſti.

V. 2. *Priuſquam montes naſcerentur.* Terram nominat & cœli non meminit hîc, quoniam intendebat loqui de homine qui non niſi breui tempore in hoc mundo ſubſiſtit; & idcirco verba facit de terra eóquòd indiuidua eius non ſemper exiſtunt, licèt illius ſpecies perpetuò ſubſiſtant: at verò cœlorum indiuidua etiam ſtabilia permanent. Montes autem præcipuè commemorauit, quia cæteris terræ partibus longè ſtabiliùs conſiſtunt, idcirco vſus eſt hoc verbo, naſcerentur quòd elementa Dei ſemper laudandi iuſſu, quaſi nata ſint initio rerum. *Et formares terram.* Hoc eſt, antequam formauiſſes terram & orbem. Dictio quidem ארץ *eretſ* ſeorſim poſita, terram deſignat habitatam & minimè habitatam: quando autem ſimul cum voce תבל *tebel* commemoratur, ipſa terram ſignificat incultam, dictio verò, orbis, terram incolis frequentatam. Per hanc mentionem formationis montium & productionis terræ & orbis videtur illud innuere quod alibi dicitur, *Et vocauit Deus aridam terram.* Gen. 1. 9. *A ſæculo.* Hoc eſt, antequam ſæculum eſſet. Simile eſt illud. *A ſæculo conſtituta ſum.* *Et vſque ad ſæculum.* Hoc eſt, vſque ad finem Prou. 8. 23. ſæculi tui ſimiliter es, Deus, nempe fortis & potens.

V. 3. *Conuertis hominem vſque ad contritionem.* Donec ſit tempore ſuæ ſenectutis omnino contritus & confectus; ac ſi diceret, non ei tum proderit robur quo viguit tempore iuuentutis, tu enim ipſum omnino contritum & viribus exhauſtum reddis. *Et dicis, reuertimini filij hominis.* Nimirum tunc ſtatuis vt reuertantur in puluerem vnde fuerunt effecti. Dominus autem pater meus P. M. ſic hunc locum exponit, tu hominem caſtigas immiſſis plagis, propter eius ſcelera, & dicis, Conuertimini filij hominis, nempe vt per pœ-

PSAL. 90. niteutiam convertatur: illud porro ipſis dicis per caſtigationes, quæ ſunt veluti quidam legati Dei.

V. 4. *Quoniam mille anni.* Dicis etiam hoc modo homini, quid eſt vita tua? Siquidem ſi videatur in oculis tuis, & putas te victurum mille annos, quot tamen annos non vixit primus homo, illi omnes anni inſtar nihili ſunt, quandoquidem tibi aliquando tandem eſt moriendum. Quapropter ne efferaris de vita tua, ſi fortè dies tuos multùm prorogare videaris, quoniam omnes illi perinde habentur atque dies heſterna quæ præterijt, aut ſicut vigilia vna ex vigilijs noctis, omnes quippe illi dies labor & dolor. Magiſtri verò noſtri F. M. verba, *Ante oculos tuos.* Deo benedicto eſſe dicta à Pſalmiſta exiſtimant, dicúntque diem Dei ſancti & benedicti eſſe mille annos; hoc eſt, mille annos apud ipſum non plus haberi quàm diem vnum.

V. 5. *Inundas eos.* Verba ſunt Pſalmographi Deum opt. max. alloquentis ac dicentis, abripis annos hominum inſtar rapidi fluxus maris qui rapidiſſimè influit & velociſſimè terram inundat. Aut inſtar ſomni erunt illi anni, hoc eſt, ſicut ſomnium quod ſomni tempore contingit; cùm enim fuerit expergefactus homo, nihil rerum in ſomnio exhibitarum remanet. *Manè ſicut herba immutatur.* Non aliter ac herba mutationes experitur & repentè tranſit ipſo etiam manè: ac ſi diceret, aliquos eſſe qui ipſo pueritiæ tempore moriuntur, quemadmodum herba quæ ante ſolem exortum & matutino tempore viridis eſt & ſuccoſa; at vbi ſuper eam calor ſolis tranſiuit, repentè exiccata flacceſcit.

V. 6. *Manè floret & mutatur.* Verbum hoc חלף *hhalaph* eſt eiuſdem ſignificati hoc loco ac in iſtis: *Si præciſum fuerit*, lignum, *adhuc immutabit.*
Iob. 14. 7. Et, *Mutabunt fortitudinem.* Quibus locis innouatio deſignatur: dicit igitur
Iſa. 41. 1. ſi manè floreat & innouetur, ac ſi diceret, ſi pueritiæ tempore homo fuerit felix ac tranquillo rerum ſtatu potiatur, veſperè, hoc eſt, ſenectutis tempore exciditur & areſcit, haud ſecus ac herba, in qua ſiquidem horis matutinis fuerit humidus vigor, cùm nempe nondum ſolis calor exæſtuat veſperè tamen excidetur & areſcet, quia nempe ſolis ardor toto die illam affecit vehementiùs. Dictio ימולל *iemolel* eſt conjugationis poel quadratæ, éſtque verbum intranſitiuum ſignificans excidetur.

V. 7. *Quia deficimus.* Iam loquitur in perſona exulantium Iſraëlitarum ac dicit, Omnis quidem homo eſt vanitas, ipſi etiam qui pacatâ felicitate potiuntur: verùm quantomagis nos qui poſt tot annos miſeri in exilio verſamur. Nam in hoc exilio conſumimur propter iram tuam, quâ in nos ob noſtras iniquitates excandeſcis; & eandem ſententiam in hoc verſu repetit alijs verbis.

V. 8. *Ponis iniquitates.* Vera huius vocis שת *ſchatta* forma eſſet שתתה *ſchattah* cum duplici *tau*, ſicut קמת *camta*, ſed litera ת *tau* tertia radicalis abſorpta eſt in ת *tau* quod eſt expreſſum: & ſcribitur quidem ſine ה *he* ſed cum eo legitur, verùm idem eſt ſenſus, quia פעלת *paalta* ſeu ſecunda perſona maſcul. ſingul. præter. aliquando ſcribitur cum ה *he*, nam litera quieſcens poſt cametſ aliquando ſcribitur, aliquando non exprimitur, éſtque dictio breuis præter morem, ſeu accentum habens in vltima, cuius rationem ſcripſimus in libro Miclol, in ea parte vbi agitur de grammaticis. Dicit igitur,

Ponis

Ponis iniquitates noſtras coram te, Nempe vt eas ſemper intuearis nóſque il- PSAL. 90.
larum causà pœnis afficias. *Occulta noſtra ad luminare vultus tui.* In voce עלומנו *aaloumenou* deeſt litera י *iod* nota pluralis num. vel eſt dictio ſingularis, & ſenſus eſt, iniquitas noſtra occulta, eſt lumini vultus tui expoſita; nihil ſiquidem coram te eſt abſconditum, ſed omnia luminis inſtar patent vultui tuo. Sunt qui vocem עלומנו *aaloumenou* interpretentur, peccatum adoleſcentiæ noſtræ: & iuxta illam explicationem dicendum eſt omnimodè in prædicta voce deficere literam י *iod* pluralis num. notam; nec enim reperiuntur in numero ſingulari voces iſtæ עלומים *aaloumin*, נעורים *neourim* & זקונים *zecounim*.

V. 9. *Quoniam omnes dies noſtri.* Quia nulli ex eis fuerunt dies boni, ſed omnes ipſi in tua ira tranſierunt. *Conſumimus dies noſtros ſicut loquelam.* Dixit verbo tranſitiuo, conſumimus, quia, inquit, omnimodam conſumptionem patimur propter noſtras iniquitates. Dictio autem הגה *hegue* ſignificat ſermonem ex ore egredientem qui celerrimè pertranſit ac eſſe deſinit; ita etiam anni noſtri velociſſimè dilabuntur.

V. 10. *Dies annorum noſtrorum.* Sunt qui hoc loco quærant, ſi Moſes Magiſter noſter ſit huius Pſalmi author, quomodo dicat, Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, cùm ipſe centum & viginti annos vixerit: ſed hoc non eſt graue quæſitum, nam loquitur Moſes de eo quod contingit vt plurimùm: maximè verò intendit loqui de breuitate temporis quâ durat generatio quælibet in hoc exilio; ibi enim vitæ noſtræ dies ſunt valde contracti, nec nos ſalutem viſuros ſperamus niſi citò acceſſerit redemptio. *Si autem in fortitudinibus* ſint *octoginta anni*, ſi vigor naturalis in aliquo præ cæteris ſit valentior, viuet octoginta annos; verùm poſt octoginta annos aut ſupra, non reperientur qui viuant niſi pauci admodum. *Et robur eorum, labor & dolor.* Fortitudo eorum, annorum vitæ omnium, dictio רהבם *rohbam* eſt infinitiuus aut nomen; ac ſi diceret etiam anni vitæ illius qui fauſtis vtitur rebus, ſunt labor & dolor, quoniam non diu protrahitur tempus vitæ ipſius. *Quoniam recedit citò, & auolamus.* Citiſſimè enim declinat illud robur ætatis, & ad ſepulchrum euolamus; hoc eſt, illuc velociter ibimus inſtar auis auolantis. Dictio illa גז *gaz* ſignificat ex ſuo loco receſſit: ita dicitur, *Et abripuit coturnices è mari.* Et, *De ventre matris meæ tu es eductor* Num.
meus: Niſi quod in his locis verbum hoc tranſitiuè vſurpatur, at in hoc Pſal- 11. 31.
mo intranſitiuè. Pſal. 71. 6.

V. 11. *Quis nouit fortitudinem iræ tuæ.* Quiſnam valet ſibi ab ira tua ſatis cauere? & quanta eſt grauitas iræ tuæ? nos enim videmus tantum eſſe iræ tuæ æſtum aduersùs hominem aliquem, quantum eſt in eo ſtudium ſui erga te cultus & reuerentiæ. Perinde ac ſi diceret quò magis te quiſque colit & obſeruat, eò grauiùs in illum ira tua deſæuiet, cùm parumper offenderit, quemadmodum de ſeipſo Moſes Magiſter noſter aſſerit: *Et iratus eſt*, Deut.
inquit, *contra me Dominus propter vos.* Et hoc quidem peccatum, non re- 3. 26.
ſeruat Deus in aliquo alio puniendum: vnde ſic dixit de filijs Aaron: *In pro-* Leu. 10.
pinquis meis ſanctificabor. 3.

V. 12. *Vt dinumeremus dies noſtros.* Quoad numerum dierum noſtrorum,

Psal. 90. quot illi ſuperſint, ſicut tibi ſunt noti, fac vt nos etiam eos nouerimus. *Et tunc adducemus animum ſapientiæ.* Ac ſi diceret, ſapientiam in cor noſtrum inducemus & ſtudioſiùs ſapientiæ vacabimus, cum finem noſtrum cognoſcemus. Simile dicit alibi: *Notum fac mihi Domine finem meum, & menſuram dierum meorum quæ ſit.* (Pſal. 39. 5.) Et conueniens eſſe videtur ſi dicatur Pſalmographus loqui de fine præſentis exilij; non enim apertè ſatis reuelatum eſt quandonam ſit futurus; ſiquidem vaticinia Danielis obſcura ſunt & clauſa. Et dixit ei Angelus vt obſignaret ſigillo quod intellexerat de illo fine. Dicit igitur, Notum fac mihi quandonam erit finis, & quis ſit numerus dierum exilij, quot ſuperſint adhuc; & quandonam venturus ſit Propheta ad Iſraëlem, ſicut ſcriptum eſt: *Ecce ego mitto ad vos Eliam Prophetam.* (Malac. 4. 5.) Nam tunc erit nobis cor ſapiens iuxta illud, *Quoniam plena erit terra ſcientia Domini.*

V. 13. *Conuertere Domine, vſquequo?* Dictio שׁוּבָה *ſchouua* accentum habet in vltima, & ſenſus eſt, conuertere ad nos, vſquequo nos deſeres? *Miſerere ſeruorum tuorum.* Illorum miſerijs commouearis, iam enim diu eſt ex quo ſuarum iniquitatum pœnas luunt.

V. 14. *Satia nos manè miſericordiâ tuâ.* Liberationis tempus nominibus matutini & lucis exprimitur. *In omnibus diebus noſtris.* Non enim ampliùs futura eſt vlla calamitas.

V. 15. *Lætifica nos.* Non dicit, pro numero dierum quibus nos afflixiſti ſicut in Deras dicitur, nempe dies ſalutis fore ſecundùm numerum dierum exilij, & poſtea mundum eſſe deſtruendum; ſed ita dicit, quemadmodum afflixiſti nos illis exilij diebus & nobis multa mala oſtendiſti, ſic nos in æternum perfunde lætitiâ.

V. 16. *Appareat opus ſuum.* Nimirum opus noſtræ liberationis. *Super filios eorum.* Vt & parentes & filij videant & experiantur ſalutem à te exhibitam. Illud enim per omnes generationum omnium ſucceſſiones patres precibus exorare nituntur, vt liberatio quæ nepotum ſuorum temporibus eſt futura, ſuis in diebus approximet & eueniat, vt eam patres ſimul cum filijs videant.

V. 17. *Et ſit decor Domini ſuper nos.* Verſus hic de alio non agit quàm de liberationis diebus; illis ſiquidem ſalutis noſtræ temporibus recta erunt ac firma manuum noſtrarum opera, ſicuti ſcriptum eſt: *Non laborabunt fruſtra, nec parient ad conturbationem*: (Iſa. 65. 23.) & verſus bis ad emphaſim repetitur.

PSALMVS NONAGESIMVS PRIMVS.

1. QVi manet in latibulo Excelſi: in vmbra omnipotentis pernoctabit.

2. Dicam *es* de Domino ſpe mea & refugio meo Deo meo: in quo ſpero.

3. Quoniam ipſe liberabit te de laqueo venatoris: à peſte exitiali. PSAL. 91.

4. Alis ſuis obteget te, & ſub pennis eius ſecurus eris: ſcutum & clypeus veritas eius.

5. Non timebis à pauore nocturno: à ſagitta volante per diem.

6. A peſte perambulante in tenebris: à lue vaſtante in meridie.

7. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

8. Verumetiam oculis tuis aſpicies: & retributionem improborum videbis.

9. Quoniam tu Dominum ſpem meam, Excelſum poſuiſti habitaculum tuum.

10. Non accedet ad te malum: & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo.

11. Quoniam Angelis ſuis mandauit de te: vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

12. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

13. Super leonem & aſpidem ambulabis: & conculcabis leunculum & draconem.

14. Quoniam me vehementer amauit & liberabo eum: protegam eum quoniam cognouit nomen meum.

15. Clamabit ad me & exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

16. Longitudine dierum ſatiabo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

COMMENTARIVS.

QVi *ſedet in latibulo Excelſi.* Nulla fit in hoc Pſalmo, authoris ipſius mentio, quapropter in libro Deras exiſtimatur Moſes Magiſter noſter omnes iſtos vndecim Pſalmos compoſuiſſe, in quibus nomen Pſalmographi non exprimitur, nimirum vſque ad illum Pſalmum cuius titulus eſt, Dauidis Pſalmus. Et hi omnes Pſalmi ſunt conjuncti cum illo cui titulus eſt, Oratio Moſis, nimirum pro vndecim tribubus, quibus ipſe bene precatus eſt ita ſcilicet vt oratio Moſis ſit pro Rubenitis conſcripta; in ea ſic ſcriptum legitur, *Conuertis hominem vſque ad contritionem*, illic verò eſt ſcriptum: *Viuat Ruben & non moriatur.* Pſalmus hic, *Qui ſedet in latibulo Excelſi*, pro tri- Deut. 33.6.

bu Leuitica quæ in atrijs Domini reddere ſolebat. Pſalmus cui titulus eſt
Psal. Pſalmus cantici in die Sabbati, *Bonum eſt confiteri Domino*, pro tribu Iuda,
91. ſic enim dicitur, *Modò confitebor Domino.* Pſalmus cuius initium eſt, *Domi-*
nus regnauit decorem indutus eſt, de tribu Benjamin, ipſa enim venit ſub vm-
bram ſummi totius mundi Regis, dictum quippe eſt: *Dilectus Domini Benia-*
Deut. *min, habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo, tota die morabitur.* Pſalmus.
33. 12. *Deus vltionum Dominus*, pro tribu Gad ex qua Elias P. M. ortum duxit, quia
nempe viri ex ea tribu oriundi ſucciſuri erant conuiuia nationum mundi,
& de illis vltionem ſumpturi. Pſalmus, *Venite cantemus*, de tribu Iſſachar,
huius enim tribus homines Diuinæ legis decantationi vacabant. Dixit Rab-
bi Ioſue filius Leui, huc vſque audiui, inde verò & deinceps Pſalmus 91. de
teipſo. Loquitur autem Pſalmographus in perſona pij alicuius hominis cæ-
teros ita alloquentis.

V. 1. *Quiſquis habitat in latibulo Excelſi, in vmbra omnipotentis perno-*
ctabit. Audi verba mea, ego tibi dico de Domino qui eſt ſpes mea & refu-
gium meum, quique eſt Deus meus, in quo omnem fiduciam meam colloca-
V. 2. tam habeo, dico, inquam, tibi ac de ipſo tibi polliceor fore vt te liberet à
V. 3. laqueo venatoris, &c. ſi nimirum in ipſo confidas, ille certò te eripiet,
quemadmodum me eripuit quia in ipſo ſperaui. Litera ל *lamed* præpoſita vo-
ci יהוה *adonai* Domino ſignificat propter, de, ſicut in iſto loco. *Dic de me,*
Gen. 20. 13. *frater meus eſt.* Dictio יקוש *iacouſch* nomen eſt adjectiuum loco participij
& ſenſus, eſt de laqueo capientis. *A peſte prauitatum*, hoc eſt contritionum.

V. 4. *Alis ſuis obteget te.* Nimirum a temporis euentibus malis ne in
te incidant. *Scutum & clypeus*, inſtrumenta hæc ſunt protectionis; & ſcu-
tum quidem ſeu parma eſt formæ rotundæ; & veritas ipſius, quam omni in
ſe confidenti promiſit, erit tibi inſtar clypei & ſcuti, quod te fideliſſimè
proteget.

V. 5. *Non timebis.* Varij temporis caſus & euentus inſtar ſagittarum in-
uolant, ac ſubitò incautum hominem inuadunt: nocturno autem vel diurno
tempore contingunt, idcirco dixit, a pauore noctis, quòd propter ſolitudi-
nem noctis, quiſquis ſolus iter facit, aut ſolus manet nocturno tempore, pa-
uore corripi ſoleat: Cæterùm volatus attribuitur ſagittæ ob celeritatem cur-
ſus eius; vt etiam propter pinnas capiti eius affixas.

V. 6. *A peſte in tenebris perambulante.* Noctu enim propter frigus, &
meridiano tempore, ob nimium æſtum peſtis graſſatur. *Ab exitio*, vox קטב
Oſ. 13. *queteu* idem hic ſignificat ac illo in loco, *Ero excidium tuum, ô inferne.*
14. *Vaſtante*, vox ישוד *iaſchoud* cum ſchourec, idem ſignificat ac ſcripta cum
hholem; cui ſimilis eſt iſta, ירון *iaroun, exclamabit & lætabitur.* Authores
Prou. verò Deras peſtem caliginis & excidium meridiei, interpretantur de Dæmoni-
29. 6. bus mala inferentibus. Verba quoque illa: *Cadent à latere tuo mille & de-*
cem millia, &c. de infeſtatione Dæmonum dicta eſſe volunt. Scientiæ tamen
naturalis periti hoc non concedunt de Dæmonum noxis, idque argumentis de-
monſtrationis confutant.

V. 7. *Cadent à latere tuo mille.* Nempe in bellis, quibus ſe ſe mutuis
certaminibus conficiunt homines, erit tibi via quâ inter vtramque aciem

ſaluus euadas, & videbis à ſiniſtris tuis & à dextris quamplurimos in prælio cadentes, tu verò per illorum medium tranſibis incolumis, nec ad te malum vllum pertinget. Aut loquitur de peſtilentia quâ graſſante multi paſſim homines extinguuntur, Cadent, inquit, tum plurimi à dextris & à ſiniſtris tuis: ad te nihilominus peſtis non perueniet. PSAL. 91.

V. 8. *Verumtamen oculis tuis aſpicies.* Videbis quidem malos è viuis abripi, quia nempe ſicut tu non manent in Dei latibulo, tu verò ſaluus exiſtes.

V. 9. *Quoniam tu Dominum ſpem meam.* Verba ſunt Pſalmographi pium virum alloquentis, hæc, inquit, incolumitas ac tota ſecuritas inde tibi contingit quòd Dominum Excelſum poſueris tibi in habitaculum, qui pariter meum eſt refugium.

V. 10 *Non accidet tibi malum.* Nihil aduerſi continget in tuo tabernaculo, nec tibi, nec vxori aut liberis tuis.

V. 11. *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te.* לך *leca*, hoc eſt, tui gratiâ, ipſe ſuis Angelis de te præcipiet vt cuſtodiant te quocumque te contuleris: quemadmodum ipſemet dixit in Lege. *Ecce ego mitto Angelum ante faciem tuam, vt cuſtodiat te in via.* Exod. 23. 20.

V. 12. *In manibus portabunt te.* Ne offendat pes tuus. Vox תגוף *tiggoph* eſt intranſitiua, perinde ac ſi eſſet תנגוף *tingoph*, aut illud ת *tau* ad ipſum hominem refertur, itaut ſit verbum tranſitiuum: ſenſus igitur eſt, erit tibi quaſi ſi Angeli te geſtarent ne ad lapidem allidas pedem. Simile dicitur alibi: *Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & beſtia terræ pacifica erunt tibi*, ſic dicitur hîc. Iob. 5. 23.

V. 13. *Super leonem & aſpidem ambulabis.* Iſta animalia pedibus calcabis, nec tibi nocebunt.

V. 14. *Quoniam me amauit.* Hæc de te dicit Deus benedictus, quoniam ipſe valde me dilexit, eum etiam eripiam à malis: eſt enim Deus author liberationis, quia magnâ dilectione me amauit, adeout mihi vni adhæreſceret, eripiam eum & protegam ipſum. *Et quòd cognouerit nomen meum*, ero illi liberator ac protector, efficiamque ne ipſi eueniat aut contingat quidquam incommodi. Et notitia diuini nominis * expoſiti, quod quatuor literis conſtat, eſt dilectio Dei benedicti, qui amor, ſummum eſt perfectionis ad quod poſſit attingere homo., quamdiu corpori eſt affixus.

V. 15. *Clamabit ad me.* Quandocumque inuocabit me, ego ipſum exaudiam; ſi verò in aliquem anguſtiæ & periculi locum inciderit, ne expaueſcat, ſiquidem ego adſum ipſi, cúmque eripiam ex illa calamitate ne quid nocumenti contingat ipſi. *Et glorificabo eum.* Dabo illi gratiam & gloriam in conſpectu omnium hominum. In Deras ſic dixit Rabbi Ioſue filius Iair in nomine Rabbi Phinees filij Iair quare multi orant in hoc mundo & non exaudiuntur? Nempe quia non norunt nomen expoſitum; at futuris olim tem-

* Hoc Dei nomen ideo dicitur expoſitum ſeu vulgò ſchem hammephoraſch, quia clarè & citra vllam æquiuocationem de ſubſtantia creatoris doceat ait Ramb. in More, p. 1. c. 61. vbi & de prærogatiuis eius loquitur qui illud intelligit, vt etiam author libri Cabaliſtici, qui dicitur, Porta lucis, initio.

Psal. 91. poribus cognoſcent illud, ſcriptum eſt enim, proptereà ſciet populus meus nomen meum, & tunc quidem orabunt, & exaudientur. *Quoniam me amauit*, &c. Inuocabit me & exaudiam eum. Cum ipſo ſum in tribulatione, &c.
Pſal. 50. 13. Dixit Rabbi Abbahon in nomine Rabbi Leui, dixit Aſaph: *Eripiam te & glorificabis me*, cum enim honore debes afficere qui te ex calamitate aliqua liberauit. At Moſes, Dei nomine dixit, Eripiam eum & glorificabo eum; ipſe ſiquidem ex anguſtia educit hominem, & dat ipſi inſuper gloriam, & dat ipſi exitum: & educet te ſuâ potentiâ vt te poſſeſſorem conſtituat magnarum Gentium. Educit illum ex anguſtia, eique neceſſaria ad libertatem ſuppeditans, hinc etiam dicit, Eripiam eum & glorificabo eum.

V. 16. *Longitudine dierum.* In hocce mundo longitudine dierum ſatiabo illum, & in altera vita oſtendam ei ſalutem meam, anima enim illius coram me ſaluata exiſtet. Vel totus verſus de altero ſeculo eſt explicandus: aut per illa verba ſalutare meum, indicantur dies ſalutis, qui ſunt futuri quando Rex Meſſias aduenerit, ac ſi diceret ſi vir pius in hoc exilio moriatur, oſtendam illi ſalutem meam, quando Iſraëlitas ab exilio liberauero: ipſum enim vitæ reſtituam in viuificatione mortuorum, quæ temporibus ſalutis eſt futura. Vide ergo & intellige totum hunc Pſalmum, qui eſt de pij viri fiducia in Deum, nihil aliud continere quàm promiſſa Dei, de liberatione à noxijs incommodis; vnde Magiſtri noſtri F. M. appellant eum, *Canticum caſuum*, & hoc eſt magnum arcanum intelligentibus.

PSALMVS NONAGESIMVS SECVNDVS.

Pſalmus cantici, in die Sabbati.

1. BOnum eſt confiteri Domino: & pſallere nomini tuo Altiſſime.

2. Ad annuntiandum manè miſericordiam tuam: & veritatem tuam in noctibus.

3. Super decachordo & ſuper nablo: ſuper cantico in cithara.

4. Quia lætificaſti me Domine in opere tuo: in operibus manuum tuarum exultabo.

5. Quàm magna ſunt opera tua Domine! valde profundæ ſunt cogitationes tuæ.

6. Vir inſipiens non cognoſcit: & ſtultus non intelligit hæc.

7. Cùm germinauerint peccatores ſicut herba *&* cùm flores emiſerint omnes qui operantur iniquitatem, vt mox deſtruantur in æternum.

8. Tu autem excelſus in æternum Domine.

9. Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: diſſipabuntur omnes qui operantur iniquitatem. PSAL. 91.

10. Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum: conſperſi oleo viridi caput meum.

11. Et reſpexit oculus meus in inimicis meis: de inſurgentibus in me malignantibus audierunt aures meæ.

12. Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur.

13. Plantati *ſunt* in domo Domini: in atrijs Dei noſtri florebunt.

14. Adhuc fructificabunt in ſenecta: pingues & virides erunt:

15. Ad annuntiandum quòd rectus Dominus petra mea: & non *eſt* iniquitas in eo.

COMMENTARIVS.

P*Salmus cantici in die Sabbati.* Hic Pſalmus Sabbati diebus in domo Sanctuarij decantari ſolebat, & ipſe Pſalmus aliquid ad hoc argumentum ſpectans continet vt explicabimus. Magiſtri verò noſtri F. M. opinati ſunt eum pertinere ad futurum tempus, ad illud nempe ſeculum in quo perpetuum erit Sabbatum & quies, & hæc ſunt Meſſiæ tempora. Dicunt prætereà in Deras primum hominem hunc Pſalmum edidiſſe poſtquam fuit creatus circa veſperam Sabbati, & peccauit ac vilis effectus eſt: horâ autem duodecimâ diei ſextæ poſtea ex horto Eden fuit ejectus. Venit Deus Sanctus & benedictus vt ferret ſententiam, hoc eſt, decretum iudicij quo morti addicebatur, & Sabbatum aduenit, quod auertit Deum à propoſito; venit ergo Adamus vt diceret hymnum de Sabbato, hoc eſt, laudem in honorem Sabbati cuius causâ exemptus fuerat à ſententia iudicij, & Pſalmum edidit in gratiam eius, & cecinit Pſalmum cantici de die Sabbati, alloquutum eſt Sabbatum Adamum, hoc modo, tu mihi dicis hymnum, imò ego & tu pariter concinamus hymnum Deo benedicto, bonum eſt enim laudare Dominum.

V. 1. ***Bonum eſt confiteri Domino.*** Dies Sabbati Domino melior eſt cæteris hebdomadæ diebus, in eo enim homo liber eſt à ſeculi negotijs, & animus eius purus eſt à ſolicitudine corporis, & occupatur in ſapientiæ ſtudio & diuino cultu. Et bonum etiam eſt pſallere nomini tuo Altiſſime, anima enim ſuperior tunc inuenit locum aptum ad laudes tibi decantandas, tibi, inquam, qui es Altiſſimus.

V. 2. ***Ad annuntiandum manè miſericordiam tuam.*** Die ac nocte prædicare tenemur miſericordiam qua vſus es erga nos cùm nobis diem Sabbati ad quietem dediſti. ***Et veritatem tuam.*** Quoniam promiſſam nobis tuam miſericordiam omni tempore fideliter exhibes: & vnum ex tuis erga nos bene-

Psal. 92. ficijs eſt dies Sabbati; cùm ergo ad enarrandas miſericordias tuas conueniemus, illud pariter beneficium commemorabimus. Ratio autem cur dixerit, manè, eſt quia cæteris omnibus hebdomadæ diebus cùm horis matutinis ſurgit homo, ſtatim ad opus ſuum peragendum accingi debet; at verò die iſto Sabbati manè ſurgit ad requiem, & ad oblectandum corpus ac animam, tumque Dei miſericordiam celebrat. Sed iuxta ſententiam Magiſtrorum noſtrorum F. M. qui Pſalmum interpretantur de illo ſeculo quo erit perpetuum Sabbatum & requies, dictio illa, manè, liberationem ſignificabit, noctes verò, exiliorum miſerias: ac ſi diceret, cùm manè illud aduenerit, annuntiabimus miſericordiam tuam quam nobis exhibiturus es dum nos ab iſto exilio educes., in quo tamen præ multitudine ſcelerum noſtrorum meritò eramus omnino perituri. Et in exilio, per noctem deſignato, annuntiabimus fidem tuam quâ promiſiſti te nos è captiuitate liberaturum, & certò confidimus tua erga nos promiſſa impleturum. Aut ſenſus eſt, mane pariter enarrabimus fidem tuam quam erga nos in exilio impleuiſti; nempe quia in ipſo non penitus abſumpti ſumus. Secundùm expoſitionem verò noſtram, illud, In noctibus, ſignificationem pluralis numeri habet, Omnes quippe noctes, etiam aliorum hebdomadæ dierum, magis aptæ ſunt quàm dies ipſi ad celebranda beneficia Dei & veritatem illius. Vel denique dixit, In noctibus & propter ipſius Sabbati noctem & ſequentem aliam quâ egrediuntur à Sabbato: illa ſiquidem etiam nocte quies obſeruatur; non enim ad opus ſuum inchoandum quiſquam vt plurimùm egreditur, niſi tempore matutino.

V. 3. *Super decachordo.* Ore ſimul & muſicis inſtrumentis decantabimus. Eſt verò decachordum, muſicum inſtrumentum conſtans decem chordis. Dictio הגיון *biggaion* ſignificat canticum quod citharâ canitur.

V. 4. *Quia lætificaſti me.* Sabbati diebus me lætitiâ afficis dum tua opera conſidero & contemplor opus manuum tuarum, mundum ſcilicet ipſum & quæ in eo continentur: diebus autem Sabbati, quando ijs rebus contemplandis vacare mihi liberè conceditur, gaudio afficior. Et hæc eſt rerum naturalium cognitio, cuius comparationi cum animum intendo, & tantum illius conſequor, quantum conſequi valeo, tunc lætor, & in corde meo exulto. Hæc autem ſunt verba cuiuſlibet ſapientis viri diuinorum operum conſiderationi dediti, ac idcirco dixit lætificaſti me, & exultabo, in numero ſingulari.

V. 5. *Quam magna ſunt opera tua.* Cùm illis conſiderandis animum intendo, ego agnoſco ea eſſe majora & altiora quam vt perfectè intelligi & comprehendi poſſint. Et ſic etiam illud eſt intelligendum, *Valde profunda ſunt cogitationes tuæ.* Non enim manifeſte patent etiam ſapientibus rationes eorum quæ in mundo fiunt, in difficillimis quæſtionibus quæ agitantur de rebus huiuſce mundi, cur ſic factum fuerit, quare verò non ita? Et vna illarum quæſtionum eſt, quare Deus hunc mundum condiderit certo die, tali hora, & cur illum longe antea non creauerit. Et huic quæſtioni, & ſimilibus alijs ſic debet reſponderi, Diuinam ſapientiam ita decreuiſſe, nóſque non cognoſcere ſenſum eius, & cogitationes illius cur ita ſtatuerit, nam quoad inferiora, profundæ ſunt, & magnæ quoad ſuperiora.

V. 6. *Vir inſipiens non cognoſcit.* Hic verſus cenſetur iunctus vel an- Psal.
tecedenti verſui aut ſubſequenti ; ſi antecedenti hunc habet ſenſum , nempe 92.
ſubiungit Pſalmographus rationem cur dixerit , Profundæ ſunt cogitationes
eius , nimirum dicit eum omnem hominem ſtultum eſſe & inſipientem , qui
non nouit ac non intelligit ea quæ dixit de cognitione operis tui , Dei. Si
verò ad ſequentem referatur , ſic exponendus eſt ; vir inſipiens non cognoſcit
improbos inſtar herbæ tantùm germinare , hoc eſt , in hac vita proſpere agere.
At norunt ſapientes ipſos in perpetuum eſſe perdendos ; ac ſi diceret , nullam
eſſe habituros partem in futuro ſeculo , quòd iſtis verbis עלי עד *aale aad* de-
ſignatur. Iſta verò proſperitas quâ hic vtuntur , eſt merces bonorum aliquot
operum quæ in hac vita egerunt : nam Deus mercedem ipſorum eis in hoc ſe-
culo retribuit , vt in futuro pereant , in punitionem prauorum operum quæ
ſunt quamplurima. Et in hunc ſenſum cadunt ea quæ dixit Moſes Magiſter
noſter , qui ſit in pace : *Qui reddit odio habentibus ſe ſtatim itaut diſperdat* Deut.
eos. Poteſt etiam idem verſus ad ſubſequentem relatus , ſic eodem pene ſenſu 7. 10.
explicari ac ante , Omnis homo ſtultus & inſipiens non intendit animum vt
agnoſcat felicitatem improborum , & calamitates iuſtorum in hoc ſeculo.
Nam etſi hîc dictum ſit , Ad perdendum eos in perpetuum , Moſes tamen Ma-
giſter noſter dixit , Qui retribuit eis ſtatim vt diſperdat eos. Graues adhuc ea
de re quæſtiones ſuperſunt , quas etiam Moſem non intellexiſſe aſſerunt Ma-
giſtri noſtri F. M. dicunt enim ipſum tres quæſtiones Deo ſancto & benedi-
cto propoſuiſſe , & duarum ſolutionem ei dediſſe Deum , vnius verò minimè :
hæc verò eſt de qua reſponſum ei non dedit , cur iuſtus ſit cui bene eſt , & iuſtus
cui malè : cur ſit malus , cui ſit bene , & malus cui male : ac ipſi dixiſſe Deum , *Et* Exod.
miſerebor cuius miſerebor , & clemens ero in quem clemens ero , licèt ipſe non 33. 13.
ſit dignus. Et ea ſunt Dei opera de quibus hic Pſalmographus dixit , *Quàm*
magna ſunt opera tua Domine , quàm profunda !

V. 7. *Cùm germinauerint.* Seutus est , cùm videris ſubitam ipſis proſpe-
ritatem euenire : vnde comparat eos teneræ herbæ quæ ſubitò etiam exareſcere
ſolet : at verò de iuſtis dixit eos eſſe ſimiles palmæ & cedro.

V. 8. *Tu autem excelſus.* Etiamſi aliquandiu improbi ſint in ſtatu pro-
ſpero , nemo tamen hinc dicere audeat , non eſſe Deum qui omnia modere-
tur & videat , vt iactitant illi qui fide & religione ſunt deſtituti , nempe
Deum res & actus humanos non curare : vt etiam non pauci ex populo noſtro
dicere non verentur , Deum nos minime inſpicere : non enim ita ſe res habet
vt ipſi dicunt , quippe Deus omnia moderatur , & perſpectiſſima habet ,
ſicut ſcriptum eſt , *Num occultabitur vir in abſconditis , & ego non videbo* Ier. 23.
eum , dicit Dominus ? hoc tamen q amplurimi in mundo admirantur , ac id- 24.
circo di: 't , *Tu autem altiſſimus in æternum Domine* , ac ſi diceret & tu cer-
tiſſime omnia contemplaris. Et ita eâ de re loquitur Salomon in libro Ec-
cleſiaſtæ : *Si calumnioſam oppreſſionem pauperis & extorſionem iudicij & iu-* Eccl. 5.
ſtitia videris in prouincia , ne mireris ſuper hoc negotio , quia Excelſus qui 7.
eſt ſuper excelſum , quemlibet , *obſeruat , & excelſi ſunt ſuper eos : ecce enim*
adueniet tempus quo reddetur vnicuique ſecundùm opera eius. In quem ſen-
ſum ita etiam dixit Malachias Propheta , cùm dicerent homines generationis

PSAL. illius vanum eſt colere Deum, & quid emolumenti ſi cuſtodierimus cuſtodiam
92. eius, &c. Et addunt, nunc ergo beatos dicimus ſuperbos, ſiquidem ædifi-
cantur facientes impietatem, &c. Et ſubjungit propheta, Tunc locuti ſunt
Mal. 3. timentes Dominum, vnuſquiſque cum proximo ſuo, & attendit Deus & audiuit
14. &c. illa, &c. tandémque ſubdit, Et conuertemini, & videbitis quid interſit inter
iuſtum & impium, & inter ſeruientem Deo & non ſeruientem ei. Hæc autem
euenient Meſſiæ temporibus quando ſuperbi & impij ſunt perdendi, quod in
hoc Pſalmo prædicitur his verbis.

V. 9. *Quoniam ecce inimici tui.* Ecce adueniet tempus quo peribunt ini-
mici tui Domine: & idipſum ad auxeſim repetit. Iuſti verò lætabuntur, flore-
bunt & exultabunt in gloria; & hoc eſt quod verbis ſequentibus indicat.

V. 10. *Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum.* Loquitur Pſalmogra-
phus in perſona cuiuſlibet iuſti dicentis ſe viſurum impios Dei inimicos pe-
reuntes ac diſſipatos. Ipſe verò gratias agit Deo ob beneficia ſibi ab illo
collata & dicit, *Et exaltatum eſt ſicut vnicornis cornu meum.* Hoc eſt, exal-
Deut. taſti cornu meum, vt cornua vnicornis, vt alibi dicitur: *Cornua rhinoceretis*
33. 17. *cornua illius, in ipſis ventilabit Gentes ſimul. Conſperſi oleo viridi.* Dictio
Leuit. 7. בלתי *ballon* ſimile habet ſignificatum ac iſta, בלולה *beloula* perfuſa in oleo,
10. éſtque verbum intranſitiuum, ac ſi diceret perfuſus ſum: vel eſt verbum
tranſitiuum, ac ſignificat perfudi caput meum, & vox רענן *raanan* recens &
pingue oleum denotat, éſtque locutio metaphorica quâ bonorum & deliciarum
copia deſignatur.

V. 11. *Et reſpexit oculus meus in inimicis meis.* Dictio שורי *ſchourai*
idem valet ac שוררי *ſchoreras* & ſignificat inimicos meos, nempe quòd ob-
Num. ſeruent ad inferendum malum: ex quo themate eſt illud: *Contemplabor il-*
24. 17. *lum, ſed non propinquum.* Et vox שורי *ſchourai* eſt nomen adjectiuum quod
Num. ſcriptum eſt cum ſchourec, quale eſt illud: *Et nos accingemur* חושים *bou-*
32. 17. *ſchim feſtinantes ante filios Iſrael.* Senſus porro illorum verborum, & vidit
oculus meus, audierunt aures meæ, idem eſt ac ſi diceret, vidit in illis inimi-
cis oculus meus & de illis audierunt aures meæ id quod exoptabam; ſimile di-
Pſal. 54. citur alio in Pſalmo, *Et in inimicis meis vidit oculus meus.*

9. V. 12. *Iuſtus vt palma florebit.* Comparat iuſtos palmæ & cedro, quia
illæ arborum ſunt omnium altiſſimæ. In Deras ita diſquiritur, quid hæc
palma deſignat? ſicut vmbra eius longè ab ea diffunditur, ita iuſtorum donum
& præmium ab eis longè extenditur, nempe vſque ad ſeculum alterum. Quid
eſt palma hæc? non conſtruuntur ex iſtis omnibus menſæ aut candelabra. Ita
fortaſſis ſe res habet de Iſraëlitis: ſed notanter dicitur, Sicut cedrus Libani
multiplicabitur. Quid eſt hæc cedrus non faciens fructus? fortaſſe illi ſunt
ſimiles Iſraëlitæ: notanter dicitur ſicut palma: Si quippe cedrus & palma ſe-
mel radicitus euellantur, nullas radices denuo emittunt, ita fortaſſe con-
tinget Iſraëlitis. Notanter dicitur, plantaſti in domo Domini. Additur vox
Libani, & eſt nomen ſiluæ terræ Iſraël & de eadem hîc eſt ſermo. *Multipli-*
cabitur. Hoc eſt, creſcet ac fructum proferet: & propter magnum incremen-
tum dicitur ישגה *iſghe*, quo verbo ſignificatur multiplicatio. Et iuxta illud
Iob. 37. ſignificatum dicitur, *Amplus eſt fortitudine* Deus, hoc eſt, magnus ſeu mul-
23.

tus ; vnde Chaldæus Paraphraſtes vocem רב *rau* multum intetpretatur Psal.
סגיא *ſaghi*. 92.

V. 13. *Plantati* ſunt *in domo Domini*. Quia iuſtos arboribus antea com-
parauit, dicit iam eos eſſe plantatos in loco ſiccoſo & optimo, nempe in
domo Domini. *In atrijs Dei noſtri*. Ac ſi diceret, ibi erit habitatio eorum
ac ſemper ibi verſabuntur, illic enim erunt ſapientes & doctores : & tunc
Meſſiæ temporibus excidendi ſunt impij ac ſoli iuſti remanſuri vt ſcriptum
eſt ; *Popoulus autem tuus, omnes iuſti* : omnes etiam ſtudio ſapientiæ vaca- Iſa. 6.
bunt ad Deum cognoſcendum vt ſcriptum eſt ; *Quia plena erit terra ſcien-* 21.
tiâ Domini Et ibi in domo Domini erit conſeſſus plurimorum ſapientum, &
illic florebunt, hoc eſt ibi proficient & ſapientiâ in dies augebuntur. Porro di-
xit, in domo Domini & in atrijs ; quippe Sacerdotes & Leuitæ in domo Dei,
Iſraëlitæ verò in atrijs verſabantur.

V. 14. *Adhuc germinabunt*. Meſſiæ temporibus futurum eſt, vt ſpa-
tium vitæ Iſraëlitarum valde prorogetur, ſicut ſcriptum eſt, *Secundùm enim* Iſa. 65.
dies ligni erunt dies populi mei : & illo in ſeculo dies illi qui ſolent ſenectu- 22.
tis dies eſſe in hoc ſeculo, erunt ſimiles diebus iuuentutis ; & ipſi homines
erunt inſtar adoleſcentum qui creſcunt ac viribus augentur. Erúntque ſuccu-
lenti ac viridi ea ætate quâ iam ſenio debilitantur, ſicut ſcriptum eſt · *Quo-* Ibid.
niam puer centum annorum filius ſeu centenarius morietur. Hoc eſt, cùm quis 20.
morietur centum annos natus, de illo tum dicent, iſte in ſua pueritia mo-
ritur.

V. 15. *Ad annuntiandum*. Tunc annuntiabunt & dicent omnes Deum
eſſe rectiſſimum : hoc ſiquidem tempore hominum corda vacillant in Dei
operibus conſiderandis, dum ſcilicet pacatam improborum felicitatem vi-
dent & caſtigationes iuſtorum Vnde Magiſtri noſtri F. M. ſic dicere ſo-
lent, de improborum tranquillitate, & iuſtorum afflictionibus quidquam
decernere non valemus ; at futuris olim temporibus cùm Meſſias aduenerit,
tum expurgabuntur & dealbeſcent, ac remanebunt illi qui argento defœca-
tiſſimo ſimiles fuerint, nec ampliùs tranquillâ proſperitate fruentur impro-
bi, nec anguſtijs iuſti opprimentur, ſicut in multis libri Malachiæ verbibus
teſtatum habetur. Et tunc mundus totus Deum eſſe æquiſſimum palam pro-
fitebitur. *Et petra mea*. Deus in quo ego confido. Aſſerit hoc loco Pſalmo-
graphus omnes homines dicturos tum temporis nullam in Deo eſſe iniqui-
tatem, ſed omnia eius opera eſſe in veritate : & tunc quando hominum ſcien-
tia fuerit adaucta, arcanum illud ipſis eſt reuelandum, cur nempe ita factum
ſit in hoc ſeculo, vt continuò improbi tranquillâ proſperitate ſint vſi ; iuſti
è contra calamitatibus preſſi. Cæterùm dictio עלתה *aalata* ſcripta eſt ſine
ו *vau*, ſed legitur עולתה *aaualta*, éſtque idem ſignificatum, niſi quod in
ſcriptura imitatur formam dictionum habentium ſecundam radicalem quieſ-
centem, & abſconditam. Et aliæ etiam dictiones ab eadem radice occurrunt
in quibus litera ו *vau* eſt occultata, vt : *Et omnis iniquitas occludet os ſuum*. Pſal.
Et, *Etiam iniquitates in corde operamini*. Leguntur tamen pleræque voces hu- 105. 42.
ius radicis perinde ac ſi *vau* haberent expreſſum. Pſal. 58.
5.

PSALMVS NONAGESIMVS TERTIVS.

Psal. 93. 1. DOminus regnauit, maieſtatem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem præcinxit ſe : etiam firmabitur orbis terræ, ne commoueatur.

2. Paratum ſolium tuum ex tunc: à ſeculo tu *es*.

3. Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem ſuam : eleuauerunt flumina fluctus ſuos.

4. Præ vocibus aquarum multarum: validis elationibus maris, validus in excelſo Dominus.

5. Teſtimonia tua fidelia ſunt valde : domum tuam decet ſanctitas Domine in longitudinem dierum.

COMMENTARIVS.

V. 1. D*Ominus regnauit.* Iſti omnes Pſalmi vſque ad illum cuius is titulus eſt, Dauidis Pſalmus, de ijs agunt quæ Meſſiæ temporibus ſunt futura. Et ſicut ſuperiorem Pſalmum finiuit Pſalmographus dicens tunc omnes eſſe agnituros & profeſſuros nihil eſſe iniquitatis in Deo, ita hinc Pſalmum incipit dicens : *Dominus regnauit, magnificentiam indutus eſt*, quia tunc temporis planum fiet ac manifeſtum orbi vniuerſo Deum eſſe rectum, & ipſum ſuper omnes exercere regnum, nec auſuros vllos homines vanâ ſe efferre ſuperbiâ coram ipſo, ſicut priùs fecerunt nationum exterarum Principes,
Iſa. 14. veluti ſuperbè dixit Nabuchodonozor : *Aſcendam ſuper altitudines nubium*
14. *ſimilis ero altiſsimo.* Sic etiam vanè iactabat Pharao : *Meus eſt fluuius & ego*
Ezech. *feci eum.* Rex etiam Aſſur, *In fortitudine*, inquit, *manus mea feci & in ſa-*
29. 3. *pientia mea intellexi.* Deníque Rex Tyri ſic dixit: *Ego ſum Deus & in thro-*
Iſai. 10 13. *no Dei ſedeo :* Tunc verò temporis omnes ſunt agnituri neminem præter ſo-
Ezech. lum Deum regiæ majeſtatis verè circunfulgentem apparere, & ad ipſum ſo-
28. 2. lum regnum pertinere, vt alibi ſcriptum eſt : *Et regnum erit Domini.* Et alio
Pſal. 22. 28. in loco dicitur : *Et erit Dominus Rex ſuper omnem terram.* Et tunc accin-
Zach. getur fortitudine & firmabitur orbis terræ ne commoueatur : etenim deinceps
14. 9. non erunt in mundo tantæ commotiones terræ ; quia nullum ampliùs bellum
eſt futurum. Cùm alioquin è contra de his temporibus dictum ſit propter
bella grauiſſima & frequentiſſima, *Confractione confringetur terra.* Et, *Agita-*
tione agitabitur terra ſicut ebrius & auferetur quaſi tabernaculum vnius no-
Iſa. 24. 20. *ctis.* Verùm temporibus Meſſiæ terra firmabitur nec ampliùs nutabit.

V. 2. *Paratum ſolium tuum ex tunc.* Tunc omnes clarè agnoſcent ſtabilitum eſſe ſolium regni tui ex tunc, téque eſſe ab æterno, hoc eſt, ante mundum

ipſum, tu enim mundum creaſti. PSAL. 93.

V. 3. *Eleuauerunt flumina Domine.* Per flumina metaphoricè deſignat Gog & Magog alióſque Reges qui cum ipſis ſunt conuenturi ad oppugnanda Ieroſolyma, quos comparat fortibus ac rapidis fluminibus, quæ multùm ſuo curſu ſtrepitum edunt, ſic Reges illi magnum ſunt excitaturi ſonitum ac tumultum. Alibi quoque ita ſtrepitus caſtrorum ſono aquarum exundantium aſſimilatur, ſic enim dicitur, *Et audiebam ſonum alarum quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum Dei omnipotentis cùm ambularent quaſi ſonus erat multitudinis vt ſonus caſtrorum.* Ezech. 1. 24. Ita pariter Rex Aſſur ab alio Propheta fluuio comparatus fuit, *Ecce ego*, inquit, *adducam ſuper eos aquas fluminis fortes & multas, Regem Aſſyriorum & omnem gloriam eius.* Dicit verò iſta regna ſonum ſuum & contritionem ſuam eleuauiſſe contra Iſraëlitas. Vox דכי dochi contritionem ſignificat vt iſto in loco, *Exultabunt oſſa quæ contriuiſti.* Et, Pſal. 51. *Quia contriuiſti nos in loco draconum.* 10.

V. 4. *Præ fragoribus aquarum multarum.* Aſſerit illos Reges ſuum tumultum extuliſſe longè ſuprà fragores aquarum multarum. *Validæ ſunt elationes ſeu fluctus maris.* Pſal. 44. 20. Ipſi validiores ſunt fluctibus maris. *Validus in excelſo Dominus.* Etſi illi ſint validi; at longè præ illis validus eſt in excelſo Dominus, qui & illos comprimet.

V. 5. *Teſtimonia tua fidelia ſunt valde.* Hoc eſt, verba tua ſcriptis conſignata per tuos Prophetas, quæ de regno tuo teſtimonium continent, ipſa tunc certiſſima fuiſſe demonſtrabuntur: & dicit valde, ac ſi diceret, nullam tum fore nationem hominum quæ ea de re in animo ſuo dubitet. *Domum tuam decet ſanctitas.* In voce נאוה *naaua* litera א *aleph* mouetur per vocalem hhatephpatach; in alijs verò dictionibus quieſcit א *aleph* vt נאוה *naue* & נאוו *nauou.* Dicit ergo, Pulchra eſt & decens ſanctitas domui tuæ, quæ non vaſtabitur ampliùs. Vox autem יהוה *adonai* Domine, eſt vocatiui caſus. Poteſt etiam dictio נאוה *naaua* habere ſignificationem deſiderij & amoris, ac ſi diceret, Omnes homines tuam domum deſiderabunt & amabunt quia ſancta eſt in longitudinem dierum, vt ſcriptum eſt, *Et erit in nouiſſimis diebus ſtabilitus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & confluent ad eum omnes Gentes.* Iſa. 2. 2. Et alio item in loco dicitur, *Et veniet omnis caro vt adoret coram Domino.*

PSALMVS NONAGESIMVS QVARTVS.

1. Deus vltionum Domine: Deus vltionum ſplendidè appare.

2. Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem ſuperbis.

3. Vſquequo improbi Domine: vſquequo improbi exultabunt.

PSAL. 94. 4. Effutient & loquentur durum: iactabunt ſe omnes qui operantur iniquitatem?

5. Populum tuum Domine conterunt: & hereditatem tuam affligunt.

6. Viduam & aduenam interficiunt: & pupillos occidunt.

7. Et dicunt, non videbit Dominus nec intelliget Deus Iacob.

8. Intelligite inſipientes in populo: & ſtulti quando intelligetis?

9. An qui plantat aurem non audiet? an qui finxit oculum non videbit?

10. An qui corripit Gentes non arguet? an qui docet hominem ſcientiam?

11. Dominus ſcit cogitationes hominum: quòd vanæ ſunt.

12. Beatus homo quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum.

13. Vt tranquillum reddas illum à diebus malis: donec fodiatur peccatori fouea

14. Quia non deſeret Dominus populum ſuum: & hereditatem ſuam non derelinquet.

15. Quoniam ad iuſtitiam reuertetur iudicium: & poſt ipſum omnes qui recto ſunt corde.

16. Quis conſurget mihi aduersùs malignantes? quis ſtabit mihi aduersùs operantes iniquitatem?

17. Niſi quia Dominus auxilio fuit mihi: paulominùs habitaſſet in exciſione anima mea.

18. Si dicebam motus eſt pes meus: miſericordia tua Domine ſuſtentabat me.

19. In multitudine ſolicitudinum mearum in intimo meo: conſolationes tuæ delectabant animam meam.

20. Nunquid adhæret tibi thronus ſceleratorum hominum qui format laborioſa in ſtatuto.

21. Congregant ſe aduersùs animam iuſti: & ſanguinem innocentem condemnant.

22. At factus eſt mihi Dominus in refugium: & Deus meus in petram fiduciæ meæ.

23. Et reddidit illis iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum ſuccidet eos: ſuccidet eos Dominus Deus noſter.

COMMENTARIVS.

Psal. 94.

V. 1. D*Eus vltionum Dominus.* Deum orat Pſalmographus vt liberatio-
nem citò immittat, & vltionem ſumat de ſceleratis eóquòd ita ſe
factụrum promiſerit per vaticinia Prophetarum, ſicut in iſto dicitur, *Et erunt*
omnes ſuperbi & facientes impietatem ſtipula : & inſlammabit eos dies veniens Mala. 4.
dicit Dominus. Dixit porro אל *el* Deus fortis, ac ſi diceret, tu quí potens es 1.
ad vltiones faciendas affulge, & te conſpicuum erga nos exhibe, & de illis
vltionem noſtri causâ, ſumas.

V. 2. *Exaltare?* Quemadmodum per tuum Prophetam prædixiſti, *Nunc* Iſa. 33.
exaltabor, nunc eleuabor, vt intelligant ſuperbi & ſentiant te altum eſſe & 10.
ſupra ipſos eleuatum, & redde illis retributionem operibus eorum debitam.

V. 3. *Vſquequo?* Quia tamdiu noſtrum hoc prorogatur exilium, & im-
pij exultant & dura verba iactitant ac ſuperbè contra nos efferuntur, vſque-
quo id ita erit?

V. 4. *Effutient.* Verbum יבעו *iabioou* loquutionem hoc loco denotat
ſicut & in illo : *Eructabunt labia mea hymnum.* Ac iterum idem reperit ad- Pſal.
dens, *Et loquentur*, ad emphaſim, ac ſi diceret, continuò ſuperbè contra nos 119. 17.
iſti loquuntur. *Durum*, verba dura & vehementia. *Iactabunt ſe.* Hoc eſt,
exaltabunt ſe ac ſupra nos magnificabunt : ſic verbum hoc exponitur illo in
loco, *Dominum exaltaſti hodie*, hoc eſt magnificaſti. Deut.

V. 5. *Populum tuum.* Iſraëlitæ populus Domini & hereditas Domini ap- 26. 17.
pellantur vt ſcriptum eſt, Et ipſi populus tuus & hereditas tua : exteri iſti
populi eos qui ex Iſraëlitis ſunt robuſtiores, Principum ſuorum ope & regijs
præſidijs nixi atterunt, & eos quantum poſſunt diuexant; tenuiores verò ac
miſeros, vt viduas, pupillos & aduenas interficiunt, quia nemo eſt qui de il-
lis vindictam repetat. Aduenæ porro nomine Iſraëlitæ deſignantur, qui in V. 6.
illis ciuitatibus diuerſari volunt quas non incoluerunt patres ipſorum : & illi
quidem inopes ſunt, quoniam ibi nullos habent notos aut propinquos; qua-
propter eos non rarò interimunt locorum illorum incolæ, eóquòd nec ſibi à
regia poteſtate metuant, nec Deum ipſum reuereantur; ſibi enim perſuadent
Deum laudandum, hominum opera minimè intueri: Verbum ירצחו *ieratſehhou*
eſt conjugationis affectæ puncto dagues; ſic etiam in iſtis locis, *In via in-* Oſe. 6.
terficientium pergentes de Sichem. Et nunc homicidæ. Et filius homicidæ: 10.
fortè etiam hoc verbum actiuæ eſt ſignificationis per tertiam perſonam, hoc Iſa. 1. 21.
eſt, indicat illos præcipere alijs vt interficiant Iſraëlitas. 2. Reg.

V. 7. *Et dicunt non videt.* Idcirco dixit Pſalmographus Deus Iacob, 6.
quoniam in nulla Gente verus agnoſcebatur aut inuocabatur Deus, præter-
quàm Deus Iſraëlis; & iſti qui multis malis afficiebant Iſraëlitas Deum ip-
ſorum non videre, nec conſiderare ea quæ geruntur ab hominibus, vnde
etiam non ipſum timent, quaſi aliquando in illorum opera animaduer-
ſurum.

V. 8. *Intelligite inſipientes in populo.* Hoc eſt, qui in hoc & illo popu-
lo eſtis, ſeu in quouis populo. Intelligite hoc, id eſt, reſponſum illud quod

Psal. 94. contra vos datur, *Quando ſapietis?* Vſquequo in veſtra ſtultitia perſtabitis, & non intelligetis Deum noſſe ac perſpicere omnia?

V. 9. *An qui plantat aurem non audiet?* Nempe verba dura quæ ſuperbè contra Dominum & contra populum eius effutire ſoletis: ſenſus eſt, quomodo audetis dicere ipſum non audire verba veſtra nec opera veſtra cernere? nonne ipſe eſt qui auditus ac viſus organa coaptauit? Et qui fieri poteſt vt qui facultates iſtas aptauit, eas non cognoſcat? Magnus ille & ſapiens doctor Rabbi Moſes filius Maimon F. M. rem hanc iſtâ comparatione explanat & dicit, niſi faber aut ſutor artem ſutoriam calleret, eámque planè intelligeret ac priùs inſtrumenta eius in animo ſuo effingeret, non poſſet ita aptè acum efformare eâ figurâ, ſine qua non perfectè exerceretur ars ipſa ſutoria: ſic etiam ſi videndi & audiendi vis & facultates Deo eſſent ignotæ, & eas non perfectè calleret, quomodo potuiſſet efformare illud organum ita ad viſionis actus accommodè compoſitum, & illud organum tam aptè ad auditum aptatum? Scripſit verò ſapiens Rabbi Abraham F. M. plantationem cum auribus nominatam, quòd ipſæ ſint plantatæ quaſi duo puncta polaria in orbe Aquilonari, ſcilicet & meridionali: verbum autem fingendi vſurpatum de oculis, quòd ſemper in oculis figuræ efformentur.

V. 10. *An qui corripit Gentes non arguet?* An exiſtimatis ipſum vos minimè puniturum ob mala veſtra opera? nonne verbum eſt per omnes generationes traditum & receptum, eum pœnis afficere Gentes propter earum malitiam: ſiquidem aquas diluuij ſuper improbos induxit & omnes homines deleuit propter nequitiam operum ipſorum. Ita etiam ignem cum ſulphure demiſit in Sodomæ incolas, & illorum regionem ſubuertit propter ipſorum prauitatem. Vidit igitur & cognouit mala illorum opera dignisque nequitia illorum pœnis eos affecit. Quomodò ergo dicere audetis ipſum non cernere nec audire humanos actus? ſic etiam ille eſt qui docet hominem ſcientiam; qui ergo fieri poteſt vt ſenſus eorum & cogitationes non cognoſcat? nonne ipſe eſt qui docet illos ſcientiam?

V. 11. *Dominus ſcit.* Verè ipſe nouit omnes illorum contra ſe cogitationes. *Quod vana ſunt.* Nempe de ipſo cogitant quòd eorum cogitationes minime noſcat nec etiam opera. Vel horum verborum, *quòd vana ſunt*, is eſt ſenſus, quòd ipſi res aliquas exequi meditantur, Deus verò conſilia eorum facit irrita: nec ſatis habent virium vt cogitatus ſuos efficiant, niſi Deus ſemper extollendos nouerit.

V. 12. *Beatus vir quem.* Ita nobis iſti improbi objectant, ſi vos nobis eſſetis iuſtiores, & viæ bonæ inſiſteretis ac bona eſſet veſtra religio, quì fieri poſſet vt per tot annos remaneretis in exilio tot probris & miſerijs afflicti? Quibus quidem reſpondemus te hoc ad bonum noſtrum ita diſponere, beatus quippe eſt homo ille quem tu caſtigaueris: nam præ tuo ergà illum amore, corripis eum. *Et ex lege tua doces illum.* Nempe te illum caſtigare propter ipſius bonum; hoc eſt, illud ex lege diſcimus, Deum corripere hominem propter eiuſdem vtilitatem; ſic quippe in lege ſcriptum eſt, quod ſicut homo corripit filium ſuum, ſic Dominus Deus tuus te corripit. Ita etiam paulò ante dicitur, *Vt affligeret te atque tentaret vt bene tibi faceret in nouiſſimo tuo.* Deut. 8. 2.

Pati

Pati ſenſu hoc loco dicitur, Deum corripere hominem vt bene ſit illi in no-
uiſſimo ipſius, atque vt præſtetur ei quies à diebus malis. Dominus verò Pa- Psal.
ter meus P. M. verba iſta: *Et de lege tua doces eum*, ſic interpretatur quòd per 94.
afflictiones hominem edoceat ſcientiam & legem, vt nempe ad cultum ſibi ex-
hibendum perfecto corde reuertatur.

V. 13. *Vt tranquillum reddas illum.* Eum ſiquidem proteget ab improbis
vſque ad tempus mortis ipſorum, quo fouea eis fodietur. *Vt tranquillum red-
das eum.* Cùm dies mali & calamitatis experietur improbus, tum Deus iu-
ſtis quietem præſtabit: interim dum paratur impijs exitium, tranquillus erit
iuſtus, nec quidquam ei obueniet mali: vox עד *aad* idem hîc ſignificat ac בעוד
beood vt illo in loco, Adhuc dum, interim cùm loqueretur ille. Iob. 1.

V. 14. *Quia non deſeret Dominus populum ſuum.* Ita eſt de Iſraëlitis, etſi 16.
enim Deus ſanctus & benedictus affligat illos in hoc exilio, ne tamen credi-
deritis eum prorſus ipſos abjeciſſe; eos quippe non in perpetuum in exilio de-
ſeret. *Et hereditatem ſuam non derelinquet.* Veniet enim tandem aliquando
tempus quo ipſam eſt viſitaturus.

V. 15. *Quoniam ad iuſtitiam.* Adhuc tempus eſt futurum quo ad iuſtitiam reuertatur iudicium. Idcirco autem dixit reuertatur, quòd iudicium olim fuerit cum iuſtitia conjunctum, at improbi duo hæc disjunxerunt; tunc verò in locum ſuum reuertetur iudicium, ac rurſus cum iuſtitia conjungetur. *Et poſt ipſam*, current, *omnes recti corde*, hoc eſt, poſt iuſtitiam. Sic hunc verſum exponit Dominus pater meus P. M. Rabbi verò Abraham F. E. ita interpretatur, Ad iuſtitiam reuertuntur iudicia Dei, in vniuerſalibus quidem, at verò circa particularia, contingat aliquando non eſſe iuſtitiam in aliquibus, quod hâc ſimilitudine demonſtratur. Nempe ſicut cùm pluuia ſuper terram deſcendit, iuſtitia ſeu eleemoſyna & benignitas effunditur in mundum vniuerſum quoad illa quibus aquæ ſunt neceſſariæ: verùm aliquibus mundi rebus quæ ſunt particularia, hoc iuſti muneris loco non eſt, quibus, quoad multa, pluuia eſt incommoda & noxia. *Et poſt eam omnes recti corde.* Poſt iuſtitiam, & eſt ſenſus, ſi improbi populum tuum affligant, ipſi tamen non declinant à iuſtitia, ſed eam perſequuntur omnes qui recto ſunt corde, hoc eſt, poſt iuſtitiam, nempe quia Deo verè adhæreſcunt. In Deras, verba illa, *Iudicium ad iuſtitiam conuertetur*, ad Iſaac referri dicuntur; ad ipſum etiam iuſtum conuerſum eſt iudicium vt dicitur, Senuit autem Iſaac & caligauerunt oculi eius,
& videre non poterat. Circa verba etiam, *Et poſt eam omnes qui recto ſunt* Gen.
corde, ſic ibidem dicitur, præmium mercedis iuſtorum retribuitur poſt ipſos, 27. 1.
at merces impijs redditur coram ipſis adhuc ſuperſtitibus, ſuis enim inimicis retribuit Deus bona in præſenti vita, vt illos perdat in altera.

V. 16. *Quis conſurget mihi cum malignis.* Et hoc eſt euidens ſignum & teſtimonium quòd Deus ſemper laudandus, res noſtras cernat & curet, nam alioquin ſi ſecus ſe res haberet, pridem omnes prorſus abſumpti fuiſſemus; ſiquidem omnes exteræ nationes infeſto in nos ſunt animo, & noſtram continuò perniciem machinantur, niſi quòd non ſinit eas Deus illud exequi, quemadmodum ipſe nobis olim promiſit operâ Moſis Magiſtri noſtri. *Et tamen* Leuit.
etiam cùm eſſent in terra hoſtili non penitus abieci eos, neque, *Sic deſpexi vt* 26. 34.

Psal. 94. *conſumerentur*, &c. Et ita loquitur hîc Pſalmographus in perſona exulum, quis oro conſurget pro me aduersùs malignè agentes? & quis ſtabit à meis partibus contra operantes iniquitatem.

V. 17. *Niſi quia Dominus mihi auxilio fuit.* Ipſe enim illis hoſtibus obſtitit, effecítque ne vires eis ſuppeterent ad me omnino perdendum, licèt id omni ſtudio efficere molirentur. Vox autem illa עם *iim* hoc loco ſignificat contra, ſicut & in illo: *Angelus autem Domini cum eo*, hoc eſt, contra eum, ac ſi diceret, pugnauit contra eum; ita hic, *Cum malignantibus*, hoc eſt, contra malignantes, ac ſi diceret, ipſe quaſi contra illos pugnauit vt irrita eorum conſilia redderet. *Paulominus habitaſſet in exciſione anima mea.* Dictio hæc דומה *douma* idem ſignificat quod כרותה *cherouta* exciſam, vt illo in loco, *Quæ fuit ſicut Tyrus ſucciſa in medio maris*, aut eſt nomen, ac ſi diceret habitaſſet in loco exciſionis, hoc eſt in ſepulchro anima mea, viuens ſcilicet, non intelligens, hæc enim non habitat in ſepulchro. Ezech. 27. 32.

V. 18. *Si dixi.* Si quando apud me recogitabam ſic, iam in exilio nutat pes meus, miſericordia quâ erga maiores noſtros vſus es, & quam nobis quotidie exhibes, me ſuſtentat, hoc eſt, animum meum confirmat, nec emouetur pes meus quia me ex iſto etiam exilio aliquando educturus es.

V. 19. *In multitudine ſolicitudinum mearum.* Inter varias & multiplices cogitationes meas, quibus anxiè agitatur cor meum propter longiſſimi huius exilij tædium. *Conſolationes tuæ delectabant me.* Illæ ſcilicet conſolationes quæ in vaticinijs Prophetarum ſunt deſcriptæ, oblectabant & lætitiâ meam animam afficiebant; certò ſiquidem noui illos non eſſe mentituros. In dictione ישעשעו *ieſchaaſcheou* primum ש *ſchin* & primum ע *aain* affecta ſunt vocali patahh, cum litera ע *aain* deberet affici ſcheua, ſicut ידברו *iedabberou* ישברו *ieſchabberou*, ſed ita factum eſt ad dilatandum ſonum propter literam ע *aain*.

V. 20. *Nunquid conſociatur tibi ſolium ſceleratorum?* Senſus eſt, an conjungitur tecum? Quia dixerat antea, tuæ conſolationes delectant animam meam, iam dicit, certò cognoui illud quod mihi per tuos Prophetas promiſiſti verè aliquando futurum; tu ſiquidem es iudex æquiſſimus, & ſolium tuum, thronus eſt veritatis: nec ſimile eſt ſolio Regum terrenorum, quod eſt ſolium contritionum & moleſtiarum. Vocem הוות *hauuot* iam diximus ſignificare contritionem ſeu vexationem opere aut conſilio alicui paratam. At ſolium eiuſmodi minimè tibi conjungitur. Pari modo loquendi illud eſt dictum, *Non habitabit tecum malus.* Illud enim ſolium moleſtiam & iniquitatem fingit ſuper ſtatuto, ac ſi diceret, operatur & facit moleſtiam & injuſtitiam ſuper ſtatuto, hoc eſt, iuxta ſtatutum ſuum, quod facit moleſtiam & iniquitatem. Non verò ita eſt de ſtatuto tuo, ſed illud æquiſſima iudicia pronuntiat; quod cùm ita ſit non tibi adhæret illud ſolium, ſed ea quæ nobis promiſiſti, certiſſimè præſtabis. Pſal. 5. 6.

V. 21. *Congregant ſe.* Ipſi enim Reges terræ turmatim ſolent conuenire aduersùs animam iuſti vt illum morti tradant. Poſſet etiam vox יגודו *iagoddou* exponi in illo ſignificato, quod habet iſto in loco: *Succidite arborem*, vt ſit ſenſus, decernit ſolium illud iudicium aduersùs iuſtum vt vitam ei adimat, Dan. 1. 11.

cùm tamen cauſa eius ſit iuſtiſſima: ſic etiam e m in iudicio ſuo reum decernunt vt ſanguinem innocentem effundant; erítque ſententiæ eiuſdem per verba diuerſa repetitio. PSAL. 94.

V. 22. *At factus eſt Dominus.* Me enim ex eorum manibus eripuit, & eius beneficio ſum conſeruatus, nec mihi facere potuerunt quæ contra me erant machinati.

V. 23. *Et reddidit illis iniquitatem ipſorum.* Reddidit eſt præteritum loco futuri, & multa occurrunt ſimilia in vaticinijs. Dicit igitur, me ex illorum poteſtate liberauit Deus, ac in eos refudit iniquitatem ac moleſtiam quam ſunt operati, & propter eorum malitiam ſuccidet eos. Dictio אונם *onam* eadem eſt hoc loco ac in iſto: *Sub lingua eius labor & iniquitas*, licèt litera Pſal. 10,
ו *van* ſit quieſcens. Ita etiam in dictione עולתה *oolata* ו *vau* aliquando quieſ- 7.
cit & aliquando mouetur: & idem repetit iterum ad emphaſim ac dicit, Diſperdet eos Dominus Deus noſter.

PSALMVS NONAGESIMVS QVINTVS.

1. Venite cantemus Domino: clangamus rupi ſalutis noſtræ.
2. Præueniamus faciem eius in confeſſione: in pſalmis iubilemus ei.

3. Quoniam Deus magnus Dominus; & Rex magnus ſuper omnes Deos.

4. In cuius manu *ſunt* interiora terræ: & celſitudines montium ipſius *ſunt*.

5. Cuius eſt mare & ipſe fecit illud: & aridam manus eius formauerunt.

6. Venite adoremus & incuruemur: genua flectamus ante Dominum qui fecit nos.

7. Quia ipſe *eſt* Deus noſter, & nos populus paſcuæ eius: & oues manus eius, hodie ſi vocem eius audieritis.

8. Nolite obdurare corda veſtra, ſicut *in* Meriba, *ſicut* in die Maſſa in deſerto.

9. Vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerunt me, etiam viderant opera mea.

10. Quadraginta annis tædio affectus ſum à generatione *illâ* & dixi, populus errans corde hi: & iſti non cognouerunt vias meas.

11. Quibus iuraui in ira mea: ſi introirent in requiem meam.

Psal. 95.

COMMENTARIVS.

V. 1. **V**Enite exultemus Domino. Ita ſunt loquuturi Meſſiæ temporibus
Iſraëlitæ, vnuſquiſque proximum ſuum excitabit ad laudes ſimul
concinendas Deo qui eos libertate donarit. Et iam diximus voces illas, venite
& veni, aliquibus in locis exhortationem ad operandum ſignificare, non verò
Eccl. 2. motum propriè dictum; ſic: *Veni probabo te in lætitia. Veni & inebriemus*
1. Gen. *patrem noſtrum.* Et, *Venite, cogitemus aduerſus Ieremiam cogitationes.* Et
19. 32. his ſimilia. Ita hoc loco, venite concinamus Domino.
Ier. 18. V. 2. *Preueniamus.* Inuitationem hoc etiam verbum deſignat, feſtine-
18. mus adire conſpectum Dei cum confeſſione, hoc eſt, cum laude ore decan-
tandâ, quâ gratias ei agamus pro nobis collato beneficio.

V. 3. *Quoniam Deus magnus.* Illud tunc palam prædicabitur, eo ſiqui-
dem tempore nulli erunt apoſtatæ, cuiuſmodi iam exiſtunt quamplurimi, qui
omnipotentiam Dei & eius prouidentiam negant. At Meſſiæ temporibus no-
tum omnibus ac manifeſtum erit ipſum eſſe maximum & potentiſſimum Re-
gem ſupra Deos omnes, hoc eſt ſuper cœleſtes exercitus, qui Dij quidam &
iudices ſunt in terra; verùm ipſi etiam tunc agnoſcent eum ſupra ſe eſſe Regem,
nec ſe quidquam facere niſi nutu & imperio ipſius.

V. 4. *In cuius manu ſunt intima terræ.* Quemadmodum habet in pote-
ſtate altiſſima quæque cœli ac terræ ac ſuper ea regnum exercet, ſic in eius
manu ſunt ima terræ penetralia. Ea autem deſignat vocabulo inueſtigationis;
Ier. 31. quâ etiam ratione dicitur: *Et inueſtigabuntur fundamenta terræ deorſum. Et*
37. *celſitudines montium ipſius ſunt.* Partes infimas terræ nominauit & altiſſi-
mas eiuſdem, nimirum celſiſſimos montes quos his verbis denotat, Et alti-
Num. tudines montium illius ſunt: ſimile eſt illud, *Et celſitudines rhinocerotis*
23. 22. *ſunt illi.*

V. 5. *Cuius eſt mare.* Summatim priùs terræ meminerat, iam verò ſpe-
ciatim maris & terræ mentionem facit, quia omnia ſunt Dei, ac ſi diceret,
in eius manu & poteſtate ſunt poſita. Porro horum verborum, *Et ipſe fecit
illud*, ſenſus eſt, ita illud diſpoſuit vt in locum vnum congregarentur & con-
ſiſterent aquæ eius, aridam verò ab ipſis ſejunctam diſcreuit vt eſſet locus om-
nibus animantium & ſtirpium generibus. Quandoquidem igitur omnia in eius
poteſtate ſunt poſita, ſuperiora ſimul & inferiora; in eius poteſtate ſitum eſt
extollere aut deprimere quemcumque voluerit: & nos quidem abjectiſſimos
in exilio multo tempore eſſe permiſit, nunc verò nôs ſupra omnes populos
exaltauit.

V. 6. *Venite adoremus.* Vnuſquiſque dicet ad proximum ſuum, venite, &
adoremus: ipſi enim gratias referre debemus, & omni proſtrationis genere
coram eo incuruari. *Adoremus*, indicatur totius corporis in terram proſtra-
tio manibus & pedibus extenſis. *Et incuruemur.* Eſt capitis cum aliqua parte
corporis inclinatio, ſicut incuruamur dum in genua procumbimus. *Genufleta-*
2. Reg. 1. 13. *mus*, eſt genuum incuruatio in terram ſicut dicitur iſtis in locis: *Et incurua-*
Iud 7. 5. *uit ſe ſuper genua ſua. Incuruauerunt ſe in genua ſua coram Domino. Qui ſe-*

cit nos. Hoc eſt, qui nos educauit & exaltauit: quo ſenſu dicitur : *Dominus* PSAL.
qui fecit Moyſen & Aaron. 95.

V. 7. *Quia ipſe* eſt *Deus noſter.* Iudicans nos & vlciſcens de Gentibus.
Et nos populus paſcuæ eius. Qui nos inſtar paſtoris hactenus paſcit. *Et oues* 1. Sam.
manus eius. Nos quippe virgâ veritatis ſuæ deducit. *Hodie.* Nos hodie ſi- 12. 6.
bi ex ſeruitutis ergaſtulo acquiſiuit, vt eſſemus oues manus eius, & ipſe eſſet
Deus noſter. *Si ergo vocem eius audieritis.* Ne ſitis ſicuti Patres veſtri,
eius ſcilicet generationis quæ per deſerta vagata eſt; ſtatim enim atque re-
demit illos ex ſtatu ſeruorum ipſum in Raphidim tentauerunt: ſic itaque vobis
dicit Deus vóſque adhortatur, ne ſitis adhuc duro corde & durâ ceruice; vobiſ-
que ita dicit.

V. 8. *Nolite obdurare corda veſtra ſicut in Meriba?* Sicut fecerunt Patres
veſtri, ſicut in Meriba & ſicut in die Maſſa. Sunt locorum nomina quæ di-
cuntur Maſſa & Meriba propter contentionem Iſraëlitarum, & propter ten-
tationem quâ Deum tentauerunt dicendo, *Eſt ne Deus in nobis an non?* Exod.

V. 9. *Vbi tentauerunt me.* Multis vicibus me tentarunt etiam viderant 17. 7.
quòd mare in gratiam illorum diſſecuiſſem, quod manna è cœlo deduxiſ-
ſem ipſis; quòd rupem etiam dirupiſſem, & tamen ipſi me poſt hæc omnia
tentare non erubuerunt. Iſte eſt ſenſus vocis illius, *Etiam*, nam etiam poſt-
quam viderant opera mea, quòd nempe illos eduxiſſem ex loco ſeruitutis,
magnis probationibus & fortibus prodigijs editis, & quòd ipſis mare diſſe-
cuiſſem, licèt ita eſſet, non tamen crediderunt mihi, ſed me tentauerunt;
mea ſiquidem opera in ipſorum gratiam edita & ante & poſt tentationem
viderunt.

V. 10. *Quadraginta annis.* Me etenim irritauerunt in negotio explora-
torum, adeout ſtatuerim illos per deſerta annis quadraginta remanſuros eſſe.
Significatio vocis אקוט *aquout* eadem eſt ac in iſto loco : *Vidi præuaricantes* Pſal.
& contendi : pari nempe ſenſu cum voce קטטה *quetata* contentione, in ſcri- 119. 158.
ptis Magiſtrorum noſtrorum F. M. Per generationem verò, deſerti genera-
tionem intelligit; & ſe dicit per totos quadraginta annos cum hominibus
illius generationis fuiſſe in rixa & contentione: & addit, *Populus errans cor-
de hi ſunt.* Dixi ſæpenumero ipſis quod errarent animo, & cor ipſorum
ferretur ad malum, ſed mihi non crediderunt. *Ipſi vero non cognouerunt
vias meas.* Non agnouerunt omnia ſigna quæ pro ipſis patraui, & præ vano
pauore non auſi ſunt in terram promiſſam intrare, nec in me ſunt confiſi; pro-
pterea iuraui quòd non ingrederentur illuc, ſed in deſerto morerentur à puero
viginti annorum & ſupra.

V. 11. *Quibus iuraui in ira.* Quoniam propter hoc aduersùs eos iratus
ſum & iuraui quòd non introirent ad requiem meam, hoc eſt, ad terram
Iſraël, de illa enim ſic dictum eſt: *Ad requiem & ad hæreditatem*, ibi quip- Deut.
pe requiem habuerunt Iſraëlitæ. Quòd verò dicat, *Requiem meam*, ſenſus 12. 9.
eſt, Requiem quam daturus ſum illis : quo etiam loquendi modo dicitur, *Et* Eſa. 56.
lætitiâ afficiam eos in domo orationis meæ, hoc eſt, orationis quâ ipſi coram 7.
me deprecantur. Dictio illa, ſi, ſignificationem habet ex formâ in iura-
mentis adhiberi ſolitâ, ſicuti cùm dicit quiſpiam, ſic *vel* ita contingat, ſi

fiat illud: ſic etiam in ipſa lege dicitur, *Si videbunt terram pro qua iurani*
Num. 14. 16. *Patribus eorum*, ſuperiùs etiam ita dixit Pſalmographus, *Si Dauidi mentiar*,
vt ibidem expoſuimus.

Psal. 96.

PSALMVS NONAGESIMVS SEXTVS.

1. CAntate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.
2. Cantate Domino, benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem ſalutem eius.
3. Narrate inter Gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.
4. Quoniam magnus Dominus & laudabilis valde: terribilis eſt ſupra omnes Deos.
5. Quoniam omnes Dij Gentium idola: Dominus autem cœlos fecit.
6. Gloria & pulchritudo in conſpectu eius: fortitudo & magnificentia in ſanctuario eius.
7. Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam & fortitudinem.
8. Afferte Domino gloriam nominis eius: tollite munera & introite in atria eius.
9. Adorate Dominum in decore ſancto: contremiſcite à facie eius vniuerſa terra.
10. Dicite in Gentibus Dominus regnat, etiam firmabitur orbis terræ, non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.
11. Lætentur cœli & exultet terra: tonet mare & plenitudo eius.
12. Gaudeant campi, & omnia quæ in eis ſunt: tunc exultent omnes arbores ſyluarum.
13. Coram Domino quia venit, quoniam venit iudicare terram: iudicabit orbem terræ in iuſtitia, & populos in veritate ſua.

COMMENTARIVS.

V. 1. *CAntate Domino canticum nouum.* Quemadmodum Pſalmo præcedenti inducitur quilibet Iſraëlita dicens proximo ſuo, Venite cantemus Domino, &c. ſic in hoc Pſalmo inducitur dicens, Cantate Domino

canticum nouum quia vos collegit ex Gentibus & ab exilio. Dicit verò nouum, ac ſi diceret vt nouum ei canticum concinatis præter illos Pſalmos & cantica quæ deſcripta habentur, ac idem iterum ad emphaſim repetit, Cantate Domino canticum nouum. Et hunc Pſalmum edidit Dauid poſtquam eduxiſſet arcam ex domo Obededom, vnâ cum Pſalmo cuius initium eſt: *Confitemini Domino, inuocate nomen eius*, niſi quod parum eſt inter vtrumque differentiæ: & in hoc cantico de nouo addidit, nouum, vt oſtenderet illud in hoc libro eſſe editum de collectione & liberatione exulum Iſraëlitarum; & tunc cantaturi ſunt Domino canticum nouum. In Deras ita ea de re diſſeritur. Omnia alia cantica nomine fœminini generis שירה *ſchira* ſunt expreſſa, at verò illa quæ de rebus futuri ſæculi agunt, nomine maſculino שיר *ſchir* vt hoc loco, Cantate Domino שיר *ſchir* canticum nouum. Nempe vult indicare bona & proſperitates, quibus ſunt potiti Iſraëlitæ, non fuiſſe ſtabilia ac permanentia bona; quapropter cantica quæ pro illis acceptis ediderunt, illa, voce fœminini generis שירה *ſchira* appellarunt: fœmina enim debilior eſt. At bona quæ futuris temporibus ſunt euentura Iſraëlitis, ſolida erunt & in æternum permanſura idcirco illud canticum quod pro liberatione ab exilio ſunt decantaturi, exprimit voce maſculinâ שיר *ſchir*, quia maſculus longè eſt robuſtior fœminâ. *Omnis terra.* Hoc eſt, omnes incolæ terræ, quo ſenſu dicitur: *Omniſque terra veniebant in Ægyptum.*

PSAL. 96. — Pſal. 105. 1. — Gen. 41. 57.

V. 2. *Annuntiate de die in diem.* Hoc eſt, continuò omnibus diebus, ſenſus porro eſt, annuntiate inter vos inuicem, etiamſi omnes prorſus norint ſalutis beneficium, eius tamen repetita quotidie narratio æquè grata illis futura eſt ac ſi tunc ipſa ſalus contingeret. Nempe quia mutua hæc narratio eſt quaſi primæ annuntiationis innouatio, & homini grata eſt admodum omni die quo refertur, & paulatim deinde ceſſat & imminuitur illa ſuauitas. Dicitque diebus ſingulis æque gratam fore iſtam collatæ ſalutis nouam enarrationem, ac ſi quolibet die primum eſſet relata.

V. 3. *Narrate gloriam eius.* Vos quippe in conſpectu aliorum populorum gloriâ affecit, poſtquam inter ipſos deſpecti & abjecti diu fuiſtis.

V. 4. *Quoniam magnus Dominus.* Nam Dij ipſi, hoc eſt Angeli, ipſum prædicant magnum, cum extollunt, laudant & reuerentur: & ratio huiuſce narrationis eſt quia tunc omnes populi ipſum Deum confitebuntur & prædicabunt: Iſraëlitæ verò illi erunt qui notum facient populis eum eſſe maximum ac omni laude digniſſimum.

V. 5. *Quoniam omnes Dij Gentium.* Quæ nempe cultum & ſeruitutem exhibent ſoli, lunæ ac cæteris aſtris, quæ ſunt idola, ac ſi diceret, quaſi res* nihili coram Deo, quia ipſe condidit ea; & hoc eſt quod ſubjungit. *Dominus autem cœlos fecit.*

* Vox Hebræa אלילים *elilim* idola deduci poteſt ab אל *al* non, nihil, quaſi res non exiſtens, nihilum, quæ non, vel nihil ſunt. Sic 1. Cor. 8. 4. ſcimus quod nihil ſit idolum in mundo, &c. 1. Dij iſti res ſunt imaginariæ, ideo vocantur etiam alibi הבלים *haualim*, vanitates, & שקרים *ſchecarim* mendacia. Vel dictio אלילים *elilim* eſt diminutiuum ab אל *el* Deus, quaſi dicerentur ironicè deiculi.

Psal. 96. V. 6. *Gloria & pulchritudo in conſpectu eius.* Et in ipſis aſtris magnitudinem eius agnoſcunt, & gloriam ac honorem ei palam attribuunt. *Fortitudo & magnificentia.* Ab illis Deo acclamatur in Sanctuario eius, hoc eſt in cœ-
2.Paral. 30.27. lis qui ſunt habitaculum ſanctitatis eius, vt ſcriptum eſt, *Peruenitque oratio eorum ad habitaculum ſanctitatis eius in cœlum.* Et ipſi enarrant fortitudinem & gloriam eius, illúmque ſupra omnia Dominum eſſe prædicant iuxta
Pſal. 19. 1. illud, *Cœli enarrant gloriam Dei.*

V. 7. *Date Domino.* Gloriam & fortitudinem ore veſtro illi attribuite.

V. 8. *Afferte Domino gloriam.* Date etiam ipſi gloriam operibus, hoc eſt, illi afferte munera ad atria eius nimirum ad atria domus Sanctuarij, idque ad gloriam nominis ipſius.

V. 9. *Adorate Dominum in decore ſancto.* In domo Sanctuarij qui locus eſt omnium magnificentiſſimus & ſanctiſſimus. *Contremiſcite à facie eius.* Vos qui hactenus Dominum non timuiſtis videntes nunc admiranda eius facta, pauete ab illo.

V. 10. *Dicite in Gentibus.* Palam annuntiate familijs iſtis populorum qui ad Sanctuarij ædem ſunt aſcenſuri, cùm in veſtram terram reuerſi fueritis, dicite, inquam omnibus Gentibus, Dominus regnauit, & terram omnem tranquillam effecit; hoc eſt quod iſtis verbis indicatur, *Etiam firmabitur orbis terræ, non commouebitur.* Agnoſcetis enim magnificum eius regnum, ſuum quippe populum educet ex exilio cum magna gloria: nam & ij qui priùs eis dominabantur, in terram ipſorum venient vt eos deducant illuc; & tunc conſtabit ipſum dominari ſupra omnes, & maximè hoc agnoſcetis ex iudicio quod exercebit in illas Gentes, quæ aduersùs Ieroſolyma conuenerant. Nempe quia ipſe dominatur omnibus & eius eſt regnum: quod eius regnum etiam tum maximè agnoſcetis, illo ſiquidem regnante orbis terræ confirmabitur, nec bellorum motibus vt antea ſemper agitabitur, ſed
Iſa.2.4. omnes populi pacem habebunt. *Non leuabit Gens contra Gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Iudicabit populos in æquitate.* Æquum ſiquidem in populis iudicium faciet, & quotquot inter illos reperientur improbi, illos diſperdet.

V. 11. *Lætentur cœli.* Lætitia cœlorum, terræ exultatio, fremitus maris, gaudium agrorum, & arborum læta cantatio iſta omnia per modum proſopopœiæ ſunt dicta, ad exprimendum ingens gaudium quod tunc eſt futurum ob profundiſſimam pacem quâ potietur mundus, & propter innumera bona quæ indè ſunt conſecutura. Sicut è contra, propter oppoſi-
Ioel. 2. 10. tum pacis, figurâ eadem eſt dictum, *Sol & luna ſunt obtenebrata.* Et, *Lu-
Iſa. 24. 4. xit & defluxit terra.* Et, *Operui eum abyſſo. Atratum reddidi ſuper eo Libanum, & omnia regionis ligna ſunt dolore concuſſa.* Et omnes alij verſus
Ezech. 31. 15. ſequentes eâdem figurâ ſunt exponendi. *Mare & plenitudo eius.* Hoc eſt, piſces maris. *Gaudeant campi.* Vox שדי *ſadai* idem eſt ac שדה *ſade* & ſenſus eſt, regiones cultæ, & deſerta & omnia quæ ſunt in eis, feræ ſcilicet & beſtiæ deſerti. *Coram Domino quia venit.* Quod ſubſequitur explicat antecedens, & adhibetur repetitio ad emphaſim.

PSALMVS NONAGESIMVS SEPTIMVS. Psal. 97.

1. DOminus regnauit exultet terra: lætentur inſulæ multæ.
2. Nubes & caligo in circuitu eius: iuſtitia & iudicium baſis ſolij eius.

3. Ignis ante ipſum præcedit, & exurit in circuitu inimicos eius.

4. Allucent fulgura eius orbi terræ: videt & contremiſcit terra.

5. Montes ſicut cera diſſoluuntur à facie Domini: à facie Domini omnis terræ.

6 Annuntiauerunt cœli iuſtitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius.

7. Pudore afficiantur omnes qui adorant ſculptilia, qui gloriantur in idolis ſuis: adorate eum omnes Dij.

8. Audiuit & lætata eſt Sion: & exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.

9. Quoniam tu Dominus Altiſſimus ſuper omnem terram: valde exaltatus es ſuper omnes Deos.

10. Qui diligitis Dominum odio habete malum, cuſtodit animas ſanctorum ſuorum: de manu improborum liberat eos.

11. Lux ſata eſt iuſto: & rectis corde lætitia.

12. Lætamini iuſti in Domino, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.

COMMENTARIVS.

V. 1. D*ominus regnauit exultet terra.* Hoc idem argumentum in his Pſalmis multoties repetit & inculcat Pſalmiſta ad confirmandos hominum animos, qui propter exilij longitudinem, omnem fere ſpem futuræ liberationis abiecerunt. Per inſulas populorum aliorum terminos intelligit.

V. 2. *Nubes & caligo.* Ad caliginem & tenebras inducendas ſuper improbos, qui tum demum agnoſcent iuſtitiam & iudicium baſim eſſe diuini throni. Modò enim dicunt non eſſe iudicium propter bona ac felices ſucceſſus improbis obuenientes.

V. 3. *Ignis ante ipſum.* Senſus vocis huius, In circuitu, eſt, nullum eis ſupereſſe locum quò ab igne poſſint effugere.

Psal. 96. V. 4. *Allucent fulgura eius.* Hoc eſt, iudicia eius tunc omnibus manifeſta fient; quo etiam ſenſu alibi dicitur: *Ignem & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum eius*; & propterea videt & contremiſcit terra. Aut illa verba, Allucent fulgura eius, ſunt intelligenda ſimpliciter de ignibus quos immittit ſuper improbos, tantáque & tam continua ſint illa ignita Dei fulgura, vt omnes populi magno pauore contremiſcant; per terram enim deſignantur eius incolæ.

Ezech 38.22.

V. 5. *Montes ſicut cera diſſoluuntur.* Per montes hoc loco figuratè Reges externarum nationum indicantur.

V. 6. *Annuntiauerunt cæli.* Dum ſcilicet grandinis lapides ignémque cum ſulphure ejaculantur in ſceleratos, tum iuſtitiam Dei ſemper laudandi annuntiant: in hoc enim iuſtitia eius & gloria declaratur cùm iudicium in improbos ita exercet vt eos penitus abſumat.

V. 7. *Pudore afficiantur.* Et tunc erubeſcent omnes qui cultum ſculptilibus exhibent, qui hactenus gloriati ſunt & ſeſe laudandos exiſtimarunt ob idola quibus ſeruiebant; & dixerunt ſuam felicitatem ſibi contigiſſe per vana illa idola quæ ipſi colunt: nunc verè cùm à Deo iudicabuntur, videbunt & cognoſcent nihil ſolidi & vtilitatis eſſe in illis, & nullam eſſe potentiam niſi à ſolo Domino. Porro ſculptilia & idola ſunt ſimulachra quæ ad ſimilitudinem cœleſtis exercitûs effingunt, eíſque cultum exibent. *Et adorent eum omnes Dy.* Et ipſi cœleſtes exercitus quibus ab illis ſeruitur, ipſum Dominum confiteantur & adorent, eóquòd iudicauerit ac puniuerit eos qui cultum ſibi indebitum exhibebant. Et dictio השתחוו *hiſchabhauou* non eſt imperatiuus, ſed præteritum loco futuri. Senſus horum verborum, omnes Dij, eſt, omnes qui Deos alienos colitis: & verbum illud qui colunt ſeu adorant, initio verſus ſemel expreſſum, eſt pro duobus.

V. 8. *Audiuit &c.* Sonitum nempe coruſcationum & fulgurum ac vocem ſceleratorum, & lætata eſt: Cæteri verò populi auditâ voce illorum contremuerunt, Iſraëlitæ autem audierunt & lætati ſunt, nouerant enim grandinis lapides ignémque è cœlis ruere in iudicium & pœnam improborum, nimirum Gentium quæ ad oppugnanda Hieroſolyma ſimul confluxerant; Sion verò nominat quia caput erat regni Iſraëlitici. Præterea quoniam iuxta illum locum futura eſt aliquando ſceleratorum clades in valle Ioſaphat, idcirco memorat etiam filias Iudæ, hoc eſt, ciuitates illius.

V. 9. *Quoniam tu Dominus Altiſsimus.* Tunc agnoſcent te eſſe Excelſum, ac infinitis modis ſupra Deos omnes eſſe eleuatum: per illos verò Deos, cœlorum exercitus intelligit qui hactenus pro Dijs habiti & culti fuerant.

V. 10. *Qui diligitis Dominum.* Quicumque Deum diligit, omnem deinceps malum hominem auerſetur, nec vllo pacto apud ſe in dubium reuocet quin Domino ſint perſpecta omnia improborum opera, cùm videat ſolum Deum exaltandum, cuſtodire animas Sanctorum ſuorum; quòd nimirum illos ex improborum poteſtate liberauerit, & ab exilio, in quo miſerè iacebant, tandem eduxerit.

V. 11. *Lux ſata eſt iuſto.* Lux & lætitia, iuſtis & rectis corde in hoc mundo ſeminantur, quæ in altero ſæculo, Meſſiæ temporibus ſunt meſſuri.

V. 11. *Lætamini.* Tunc verè lætabuntur, rectiſſima enim eſſe iudicia eius agnoſcent. *Memoriæ ſanctitatis eius.* Hoc eſt, nomini eius.

PSALMVS NONAGESIMVS OCTAVVS. Psal. 98.

1. CAntate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit: ſalutem parauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius.

2 Notam fecit Dominus ſalutem ſuam: in oculis Gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.

3. Recordatus miſericordiæ ſuæ & veritatis ſuæ domui domui Iſrael: viderunt omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri.

4. Iubilate Deo omnis terra: reſonare & exultate & pſallite.

5. Pſallite Domino in cithara & voce Pſalmi.

6. In tubis ductilibus & voce tubæ corneæ, iubilate in conſpectu Regis Domini.

7. Tonet mare & plenitudo eius: orbis terræ & qui habitant in eo.

8. Flumina plaudent manu, ſimul montes exultent.

9. In conſpectu Domini, quoniam venit iudicare terram: iudicabit orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate.

COMMENTARIVS.

V. 1. C*Antate Domino*, &c. Hæc omnia iam ſupra expoſuimus. *Salutem parauit ſibi.* Similia ſunt hæc alijs illis verbis, *Et vidit quod non* Iſa. 59.
eſſet vir & obſtupuit quòd non eſſet qui occurreret, & ſalutem illi brachium 16.
ipſius attulit.

V. 2. *Notam fecit.* Poſterior verſiculi pars eſt prioris explicatio.

V. 3. *Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ.* Eius nimirum miſericordiæ ac fidei quam olim Iſraëlitis icto fœdere promiſerat ad illos ab exilio reuocandos, iam ſe earum memorem eſſe exhibuit, illóſque in conſpectu omnium liberauit: quod his verbis indicat, *Viderunt omnes fines terræ.*

V. 4. *Iubilate Deo omnis terra.* Aliæ pariter nationes debent iubilationem ac lætitiam palam teſtari pro ſalute allata Iſraëlitis, nam per illorum ſalutem, vniuerſo orbi ſalus eſt afferenda; ſiquidem deinceps non eſt futurum in mundo bellum Gentis vnius aduersùs aliam. *Reſonate.* Promite canticum ſonorâ voce. *Pſallite*, ſolam pulſantes citharam. Sic etiam in cithara cum voce Pſalmi, quo cantus ore editus exprimitur.

V. 6. *In tubis ductilibus.* Coram Rege Domino venient in domum Sanctuarij ad ſonum tubis edendum, ad Pſalmos & laudes concinendas coram ipſo.

Psal. V. 7. *Tonet mare.* Metaphorica locutio vt iam ſupra eſt explicatum.

92. V. 8. *Flumina plaudent manu.* Ita etiam metaphoricus eſt hic verſus, plaudant manu, manum manu percutiant; is enim eſt eorum geſtus qui ſal-
2. Reg. tant & laudes decantant ſicut ſcriptum eſt, *Et comploſerunt manibus atque di-*
11. 12. *xerunt, viuat Rex.*

V. 9. *In iuſtitia & æquitate.* Nimirum erit eius iudicium, nam & bona iuſtis, & mala improbis retribuet.

PSALMVS NONAGESIMVS NONVS.

1. DOminus regnauit contremiſcant populi: qui ſedet inter Cherubim commoueatur terra.

2. Dominus in Sion magnus: & excelſus ſuper omnes populos.

3. Confiteantur nomini tuo magno & terribili: quoniam ſanctum eſt.

4. Et fortitudo Regis iudicium diligit: tu ſtabiliuiſti rectitudines, iudicium & iuſtitiam in Iacob tu feciſti.

5. Exaltate Dominum Deum noſtrum: & procidite ad ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.

6. Moſes & Aaron in Sacerdotibus eius: & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius: inuocabant Dominum & ipſe exaudiebat eos.

7. In columna nubis loquebatur ad eos: cuſtodiebant teſtimonia eius, & ſtatutum quod dedit eis.

8. Domine Deus noſter, tu exaudiebas eos: Deus condonans eras eis, & vlciſcens ſuper opera eorum.

9. Exaltate Dominum Deum noſtrum: & procidite ad montem ſanctum eius: quoniam ſanctus Dominus Deus noſter.

COMMENTARIVS.

V. 1. *DOminus regnauit contremiſcant.* Dixit Pſalmographus in Pſalmis præcedentibus, Dominus regnauit exultet terra: dixit item Dominus regnauit, etiam firmabitur orbis terræ ne commoueatur: & ecce dicit hoc loco, Dominus regnauit contremiſcant populi, & moueatur terra. Sed hæc omnia ſunt vera, futurum enim eſt vt populi contremiſcant & terra commoueatur propter cladem & ruinam Gog & Magog; verùm poſtea exultabit terra & orbis terrarum conſtabilietur, ne commoueatur, nec enim

vlteriùs bellorum motibus agitabitur mundus. Addit, *Qui ſedet inter Cherubim.* Nam ſedebit tunc inter Cherubim, eius quippe diuina gloria ad Sionem & in locum Sanctuarij eſt reuerſura. PSAL. 99.

V. 2. *Dominus in Sion magnus.* Erit verè tunc magnus in Sion, ibi enim ſupra omnes populos magnus prædicabitur & agnoſcetur, cùm iuſta aduersùs improbos iudicia exercebit. In Deras ita dicitur, Dominus in Sion magnus quando eius majeſtas reuertetur in Sionem, eo tempore magnus apparebit.

V. 3. *Confiteantur nomini tuo.* Tunc omnes populi celebrabunt tuum nomen, quoniam magnum eſt ac terribile.

V. 4. *Et fortitudo Regis.* Tunc robur eius, Dei, agnoſcetur, & fiet manifeſtum ipſum eſſe ſupra omnes Reges; & tum perſpicient eum eſſe iudicij amantiſſimum, & te omnia rectitudine ſummâ conſtituiſſe: te, inquam, illum eſſe qui in poſteris Iacob iudicium feciſti, dum illos inter Gentes captiuos abduci permiſiſti: téque eumdem eſſe qui erga ipſos Iacobi nepotes iuſtitiam feciſti, cum illos ab exilio reuocaſti. Sunt etiam qui totum hunc verſum interpretentur de iudicijs legis quæ Deus poſteris Iacob præſcripſit, hæc enim omnia ſunt rectiſſima. Et hoc ipſum tunc omnes populi ſunt prædicaturi.

V. 5. *Exaltate Dominum Deum noſtrum.* Omnes tam Iſraëlitas quàm alios populos alloquitur, ore veſtro Dominum Deum noſtrum extollite laudibus. *Et procidite ad ſcabellum pedum eius*, ſcilicet domum ſanctuarij. Quoniam Sanctus eſt ipſe & nomen eius ſanctum. Videtis ſiquidem Prophetas, qui fuerunt viri ſanctiſſimi, ab eo fuiſſe exauditos & poſtulata conſecutos, cùm ante ipſum ſe ſe proſternerent & coram eo funderent preces, & hoc eſt quod ſubjicit.

V. 6. *Moſes & Aaron in Sacerdotibus eius.* Hoc eſt, Moſes & Aaron qui omnium eius Sacerdotum fuerunt maximi. Ita etiam Samuël qui ſui temporis Prophetarum fuit præſtantiſſimus: nam per eos qui dicuntur inuocare Dei nomen, indicantur Prophetæ, quos omni tempore quo ad eum clamauerunt ipſe exaudiuit. Samuëlem porro nominat, quia ex Moſis & Aaronis familia ducebat originem, & prophetiæ dono ſicuti & ipſi erat inſignis: fortè etiam quia vaticinij munere omnes alios poſt Moſem Prophetas longè antecelſſerit; vnde illud, *Si ſteterit Moſes & Samuel coram me.* Hinc etiam in Deras inuenire eſt idem de Samuële quod de Moſe ipſo ſcriptum. Moſes ex tribu Leuitica ortus eſt, ſic pariter Samuël. Ille canticum edidit, hic etiam canticum ſcripſit. Ille regnauit ſuper totum Iſraëlem & Iudam, ſic pariter Samuël. Moſes per annos quadraginta regnum adminiſtrauit, Samuël quoque per totidem annos regni gubernaculum tenuit. Ille bella multa geſſit, hic etiam prælia commiſit. Ille Reges occidit, hic pariter Reges interfecit. Ille altaria ædificauit, hic etiam aras exſtruxit. Ille obtulit ſacrificia, hic etiam obtulit. Denique legitur in Scriptura de Moſe, *Et clamauit Dominus ad Moſen*, hoc idem de Samuële refertur, *Et appellauit Dominus Samuelem*, Samuël, &c. Quod verò dicit, inter Sacerdotes, innuit Moſem fuiſſe Sacerdotem æquè ac eius fratrem; nam Sacerdotis munere functus eſt in ipſo eius inſtitutionis & functionis initio, nempe ſeptem illis conſecrationis diebus. Ierem. 15. 1. Exod. 3. 4. 1. Sam. 3. 10.

Imo in Deras Rabbi Ionathan in nomine Rabbi Ioſe filij Rabbi Barachiæ,
Psal. in nomine Rabbi Ioſue filij Care dicit, per totos quadraginta annos, quibus
99. per deſerta vagati ſunt Iſraëlitæ, non fuiſſe cohibitum ab aliquo Moſem à
ſummi Sacerdotij miniſterio, cóquòd ſcriptum ſit, hoc loco, Moſes & Aaron
in Sacerdotibus eius. Dixit Rabbi Barachias in nomine Rabbi Ioſue, verſus
hic exuberat, nam ſcriptum eſt alio in loco, Filij Amram ſunt Aaron & Moſes; ſeparatúſque eſt Aaron vt miniſtraret in Sancto Sanctorum, &c. Moſiſque hominis Dei filij annumerati ſunt in tribu Leui; ſimplex eſt ſenſus, Moſem inter Sacerdotes, & filios eius inter Leuitas fuiſſe annumeratos. Litera
א *aleph* in voce קראים *quorim* inuocabant Dominum, eſt quieſcens.

V. 7. *In columna nubis loquebatur.* Nimirum ad Moſen & Aaronem. Rabbi Saadias exiſtimat hoc ſpectare ad res quæ erant ſignum Prophetæ, nam quæ videt ipſe aut audit à Domino, hæc aliquando ſunt ſigno iſto indicata, nempe columnâ nubis quæ ſtat coram Propheta, & ante ipſum ſolum collecta eſt, cùm interim nulla ſit alia nubes in aëre; ſicut de Moſe, Aarone & Samuële dictum eſt, In columna nubis loquebatur ad eos: vnde ita in Midras Tanhhouma dicitur, In columna nubis loquebatur ad eos, etiam cum Sa-
1. Sam. muële loquebatur per interpoſitam nubem: & hoc innuitur illis verbis: *Num*
9. 11. *hic eſt videns?* Quæ reſpondentes dixerunt eis, eſt: videbis autem nubem alta-
Num. re quam alligatam ſupra oſtium eius, iuxta id quod ſcriptum eſt, *Et erat cùm*
9. 20. *eſſet nubes. Cuſtodiebant teſtimonia eius & ſtatutum quod dedit eis.* Moſes &
Aaron obſeruarunt teſtimonia Dei & eius ſtatuta quæ ipſis dederat, quia nimirum Iſraëlitis illa declarauerunt, eiſque dixerunt, ea fideliter obſeruate abſque vlla additione aut detractione. Non enim eſt dicendum ea præcepta iſtis ſolis Deum præſcripſiſſe de quibus hìc loquitur, ſicuti cùm Moſi præcepit ſcorum de ſeptem diebus conſecrationum, aut quòd Aaroni mandauit de
Num. obſeruationibus ad Sacerdotium ſpectantibus, vt ſcriptum eſt, *Tu & filij*
18. 7. *tui tecum, obſeruate Sacerdotium veſtrum.* Sic pariter Samuël cuſtodiuit teſtimonia eius, & ea Iſraëlitas edocuit, & ipſos in viam bonam & rectam conuertit iuxta illud, *Et coluerunt Dominum ſolum.*

V. 8. *Domine Deus noſter tu exaudiebas eos.* Cùm ſcilicet pro Iſraëlitis
Leu. 9. ad te orarent vt ſcriptum eſt, *Et ceciderunt in facies ſuas*: & condonaſti Iſraë-
24. litis propter eos. Dictio להם *lahem* eis eſt pro בעבורם *baanouram* propter eos. *Et vlciſcens ſuper opera eorum.* Propter ea quæ in eos ſunt moliti Core & ſocij eius

V. 9. *Exaltate Dominum.* Cùm videatis quæ ipſe præſtat ijs qui diligunt eum. *Et adorate montem ſanctum eius.* Nempe montem Moriam in quo domus Sanctuarij. *Quoniam ſanctus eſt ipſe*, & ſanctus locus eius: ſic di-
Leu. 19. citur, *Et Sanctuarium meum metuite ego Dominus.* Et cùm Dei domum me-
30. tuunt, non metuunt ſeu colunt niſi eum qui de domo ſeu templo mandauit, & ipſum ſibi delegit; cúmque * parietem domus adorant nonniſi illum adorant qui domum ſanctificauit; eóque tantùm ſuam intentionem applicant vt Dei ſint memores, ſuúmque animum ad eum excitent.

* Notent ex iſtis Iudæi verbis, qui Sacrarum Chriſti & Sanctorum eius imaginum venerationem improbant, quid in ipſis imaginibus venerentur & adorent Catholici.

PSALMVS CENTESIMVS. Al. 92.

Pſalmus ad confeſſionem.

1. IVbilate Domino omnis terra.
2. Seruite Domino in lætitia : introite in conſpectu eius in
exultatione.
3. Scitote quòd Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non
ipſi nos, populus eius & oues paſcuæ eius.
4. Introite portas eius in confeſſione; atria eius in laude: confitemini illi, benedicite nomini eius.
5. Quoniam bonus *eſt* Dominus, in æternum miſericordia
eius : & vſque in generationem & generationem veritas eius.

COMMENTARIVS.

V. 1. PSalmus ad confeſſionem. *Iubilate Domino omnis terra.* Eſt ſenſus, Agite illi gratias pro beneficio quo vos affecit, & vos ipſi dicite, Iubilate Domino omnis terra, vniuerſa enim terra de veſtro gaudio collætabitur.

V. 2. *Seruite Domino in lætitia.* Vt nempe cultus ipſi exhibeatur à vobis non grauatè & cum mœrore, ſed cum lætitia & cordis alacritate. In Deras ita ſcriptum eſt de hoc verſu, Seruite Domino in timore, alibi ſcriptum eſt, ſeruite Domino in lætitia, ſi in timore quomodo in lætitia? & ſi in lætitia quomodo in timore? Dixit Rabbi Ibbo, eo tempore quo Deum ſanctum & benedictum deprecaris, ſit lætum cor tuum, quia tu oras Deum ſanctum & benedictum, nullus quippe inter Deos ſimilis eſt cum ipſo potentiæ, vt non in timore diſcas dicere, ſeruite Domino in timore. Dixit Rabbi Ahha, Seruite Domino in timore, nimirum in hoc ſeculo, at in futuro tremorem hypocritarum videbo, & vos exultabitis in tremore quem ſuper mundi nationes ſum inducturus, Eheu ſeruite Domino in lætitia.

V. 3. *Scitote quòd Dominus ipſe* eſt *Deus.* Nunc vos ſcire debetis Dominum eſſe verè Deum & ſummam ſuper mundum vniuerſum habere potentiam, quippe qui vos ab exilio cum gloria reuocauerit. *Ipſe fecit nos & ipſius nos* ſumus. Magnificauit nos & exaltauit; quo ſenſu illud dicitur, *Dominus qui fecit Moſen & Aaron.* (1. Sam. 12. 6.) *Et nos ipſius.* Nempe quia de eius vocamur nomine & dicimur populus eius & oues paſcuæ eius, & illa vox לא *lo* ſcripta eſt cum א *aleph*, & ſignificat nos non poſſe dicere, potentia noſtra & robur manuum noſtrarum fecit nobis virtutem iſtam. Rabbi verò Saadias

interpretatur, Et ipſius nos ſumus, legit quippe לו *lo* cum ו *vau*, & vult eſſe oppoſitum ſuperbo iſti dicto, *Ego feci meipſum*.

PSAL. 100.

V. 4. *Introite portas eius in confeſsione.* Hoc eſt, cum gratiarum actione quâ illius erga vos beneficam miſericordiam celebretis. In Deras Rabbi Iohannes in nomine Rabbi Menahhem aſſerit manifeſtum eſſe omnes orationes eſſe ceſſaturas in futuro ſeculo, & confeſſionem ſeu gratiarum actionem non deſituram: Omnes, inquit, oblationes in futuro ſeculo ceſſabunt, verùm ſacrificium laudis aut gratiarum actionis non deſinet: vult dicere tum ceſſaturas preces, quia non erit neceſſarium vt pro huius mundi neceſſitatibus orent, ſummi enim boni poſſeſſione fruentur diebus omnibus: nihilque illis faciendum ſupererit quàm vt Deum laudent eique gratias referant. Ita etiam non peccabunt, vt eis ſit neceſſaria oblatio, propter peccata & delicta.

Ezech. 29. 3.

V. 5. *Confitemini illi, quoniam in æternum miſericordia eius.* Cunctis diebus ſeculi, eius miſericordia erit nobiſcum: ſic & veritas eius nempe promiſſio quâ nobis futura bona promiſit, permanebit vſque ad generationem & generationem in perpetuum.

PSALMVS CENTESIMVS PRIMVS.

Dauid Pſalmus.

1. Miſericordiam & iudicium cantabo: tibi Domine pſallam.
2. Intelligam in via immaculata; quando venies ad me perambulabo in innocentia cordis mei in medio domus meæ.

3. Non ponam ante oculos meos rem injuſtam; opus declinantium odi: non adhærebit mihi.

4. Cor prauum recedat à me: malum non cognoſcam.

5. Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc ſuccidam: elatum oculis & latum corde, hunc non potero.

6. Oculi mei ad fideles terræ vt ſedeant mecum: qui ambulat in via immaculata, hic mihi miniſtrabit.

7. Non habitabit in medio domus meæ qui facit dolum: qui loquitur mendacia non firmabitur in conſpectu oculorum meorum.

8. In matutinis ſuccidam omnes peccatores terræ, vt exſcindam de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

COM-

DAuidis Pſalmus. Enarrat in hoc Pſalmo Dauid regni ſui iudicia, & quali gubernationis modo ipſe populum Iſraëliticum regeret. Recenſet etiam quid ſibi agendum aſſumeret ſi quando à curis & negotijs liber eſſet, & cum nulli ad eum litigantes conuenirent ſed ſolus ab hominum commercio ſemotus ageret. Illis, inquam, horis quibus erat liber animum ſuum ſtudio ſapientiæ adjungebat, mentémque à mundi ſolicitudinibus expediebat, ſuúmque animum ſancto Spiritui recipiendo diſponebat. Dicit igitur:

V. 1. *Miſericordiam & iudicium cantabo*, De miſericordia & iudicio quæ ego erga Iſraëlitas facio, cantabo & pſallam tibi, & nomen tuum gratus celebrabo eóquòd me ſuper eos Regem conſtitueris, & mihi bonum indideris animum quò illos in iudicio & iuſtitia regere poſſem, vt ſcriptum eſt, Et Dauid faciebat iudicium & iuſtitiam omni populo. In Deras circa eadem verba, Miſericordiam & iudicium cantabo, ita diſſeritur, Quoniam apud te eſt miſericordia & iudicium, ſi cum iudicio mecum egeris dicam, pro iudicio exaltetur Dominus exercituum: ſi cum iuſtitia, Deus ſanctus pro iuſtitia prædicetur ſanctus. Dixit Rabbi Hona in nomine Rabbi Ahha, ſi iudicium feceris mecum cantabo, ſi miſericordiam cantabo & pſallam tibi Domine. Dominus dedit Dominus abſtulit, ſiue dederit ſiue abſtulerit, ſit nomen Domini benedictum. Ita etiam hoc loco, ſiue miſericordiam ſiue iudicium feceris erga me, tibi Domine Pſalmum decantabo. 2. Sam. 8. 15.

V. 2. *Intelligam in via immaculata.* Apponam animum meum ad intelligendam viam illam quæ ſit via immaculata, & expectabo quando ad me venias, hoc eſt, quando venias ad me in Spiritu ſancto. *Perambulabo in innocentia in medio domus mea.* Inſtar hominis qui totam mentis ſuæ cogitationem rei alicui apponit, & per domum ſuam modò huc modò illuc deambulat, ſicuti de Eliſæo dictum eſt, *Ambulauit in domo ſemel huc & ſemel illuc.* 2. Reg. 4.

V. 3. *Non ponam ante oculos meos.* Ac ſi diceret, nequidem meis cogitationibus agitaui, nempe quia eius cogitationes puræ erant ſapientiæ & Spiritus ſancti beneficio. Dicit verò, Ante oculos meos, eóquòd imaginandi & cogitandi facultas ſedem habeat in duabus anterioribus cerebri cauitatibus è regione oculorum. *Opus declinantium odi.* Peruerſorum hominum facta execror, quapropter non adhærebit mihi, nequidem in cogitatione res injuſta & opus hominum declinantium à recto, quia enim peruerſos homines & improbos odio habeo, illorum ſimiliter opera auerſor. Dictio illa סטים *ſetim* deriuatur à voce quæ occurrit in iſto loco: *Vir cuius declinauerit vxor eius* ; & dictio עשה *aasho*, eſt infinitiuus loco nominis ac opus ſignificat.

V. 4. *Cor prauum.* Is cuius cor eſt prauum recedat à me, nam mecum non habebit vnquam commercium & ſocietatem. *Malum non cognoſcam.* Virum malum non cognoſcam, ac ſi diceret, non admittetur inter amicos & familiares meos.

Psal. 101. V. 5. *Detrahentem ſecretò.* Litera י *iod* in voce מלושני *meloſcheni* eſt paragogica, vt etiam in illa alia voce המגביהי *hammagbihi* qui ſe exaltat habitando; éſtque hæc dictio conjugationis poël quadratæ, & dicitur מלושן *meloſchen* inſtar משופט *meſchophet*, & ſenſus eſt, eum qui ſecretò apud me de

Pſal. 113. 5. ſuo ſocio detrahebat, de illo dicens ſic aut ſic egit vt illum criminis alicuius in regnum reum faceret, ſtatim ſuccidebam, ac ſi diceret, virum huiuſmodi increpabam grauiter, & à meo conſpectu & domo amouebam, ne rurſus in aula mea coram me appareret. Alij Reges è contra eiuſmodi homines detractores ſibi adjungere ſolent, vt eos quos apud ſe illi detulerint, proprijs facultatibus priuent: ego verò non ita faciebam ſed ſuſurrones odio proſequebar, nec vllum hominem vllà pœnà afficiebam niſi cum teſtibus: & eum qui ſuum apud me proximum clam deferebat, à conſpectu meo exterminabam; eiuſmodi enim detractorem, quaſi mendacem comprehendi curabam. Nam etſi fortè vera referret, peccabat tamen eóquòd ſolus aduersùs alium teſtimonium ferret. Ita etiam Magiſtri noſtri F. M. eiuſmodi hominem annumerant cum tribus illis rebus quas Deus ſanctus & benedictus odio habet. Eum ſcilicet qui aliquod proximi ſui peccatum cognoſcens, in illum ſolus teſtimonium ferre audet. *Elatum oculis & latum corde.* Sic etiam

Prou. 21. 4. loquitur Salomon, *Exaltatio oculorum & latitudo cordis.* Et illud hominum genus deſignatur quorum ſuperbi & elati ſunt oculi vt rebus iſtius mundi appetendis & conquirendis intendant, & quorum cor ad illas dilatatur: ac ſi diceret, latum in corde ſuo faciunt locum illis rebus, ac de illis ſemper cogitant. Cúmque eorum oculi & corda in iſtis rebus ſint defixa, ipſi ad illas comparandas ruunt. Quod tamen his verbis Scriptura prohibet, *Et non explo-*

Num. 15. 39. *rabitis poſt cor veſtrum & poſt oculos veſtros*: vnde ſic dictum eſt à Magiſtris noſtris F. M. * Oculi & cor ſunt duo proxenetæ peccatorum. Addit verò, *Hunc non potero*, vult dicere, illum videre, illum ferre non potero.

V. 6. *Oculi mei ad fideles terræ.* Dixit ſuperiùs ſe homines malos longè à domo ſua remouiſſe, Verùm oculi mei, inquit, ad fideles terræ ſunt vt illos in locum meum inducam & mihi aſſideant, ex quocumque tandem loco vbi ipſi degant. Idcirco dixit, Ad fideles terræ; & eiuſmodi viros meis conſilijs adhibeo. Ita etiam nonniſi probos homines ad mihi cultum & famulatum exhibendum aſſumo.

V. 7. *Non habitabit.* Nulli officio aut præfecturæ exercendæ præponetur homo fraudibus parandis addictus: Sic pariter, *Qui loquitur mendacia non firmabitur in conſpectu oculorum meorum.* Ac ſi diceret, non poteram illum intueri, quantòminus patiar vt inter domeſticos meos accenſeatur?

V. 8. *In matutinis ſuccidam.* Hoc eſt, diebus ſingulis, ſemper. Simile eſt illud, nouæ ſunt quolibet mane, miſericordiæ. *Succidebam omnes improbos terræ.* Quocumque in loco eſſent, multo magis exterminabo eos ex ciuitate Domini, nimirum Ieruſalem.

* Monet hoc adagium ex oculorum aſpectu, & animi cupiditate ſæpius enaſci opera praua.

PSALMVS CENTESIMVS SECVNDVS. Psal. 102.

Oratio aff'cti cùm anxius fuerit & coram Deo effundet precem ſuam.

1. DOmine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.

2. Ne abſcondas faciem tuam à me ; in die quâ tribulor , inclina ad me aurem tuam : in qua die inuoco feſtina exaudi me.

3. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei : & oſſa mea ſicut focus aruerunt.

4. Percuſſum eſt vt herba & aruit cor meum : quia oblitus ſum comedere panem meum.

5. A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.

6. Similis factus ſum pelicano deſerti : factus ſum ſicut nycticorax vaſtitatum.

7. Vigilaui , & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius ſuper tectum.

8. Totâ die exprobrauerunt mihi inimici mei : inſanientes in me , per me iurabant.

9. Quoniam cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcui.

10. A facie iræ & indignationis tuæ : quia eleuaſti me & abjeciſti me.

11. Dies mei ſicut vmbra inclinata : & ego ſicut herba areſco.

12. Tu autem Domine in æternum permanebis : & memoria tua in generationem & generationem.

13. Tu exurgens miſereberis Sion : quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.

14. Quoniam diligunt multùm ſerui tui lapides eius : & pulueris eius miſerentur.

15. Et timebunt Gentes nomen tuum Domine : & omnes Reges terræ gloriam tuam.

16. Quia ædificauerit Dominus Sion : & viſus fuerit in gloria ſua.

17. Reſpexerit ad orationem myricæ : & non ſpreuerit precem eorum.

Psal. 102. 18. Scribetur hoc generationi poſteræ: & populus creatus laudabit Dominum.

19. Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cœlo ad terram aſpexit.

20. Vt audiret gemitum vinctorum: vt ſolueret filios interemptionis.

21. Vt narretur in Sion nomen Domini: & laudatio eius in Ieruſalem.

22. Cùm congregabuntur populi ſimul: & regna vt ſeruiant Domino.

23. Afflixit in via virtutem meam: abbreuiauit dies meos.

24. Dico Deus mi ne rapias me in dimidio dierum meorum: in generatione generationum anni tui.

25. A principio terram fundaſti: & opus manuum tuarum ſunt cœli.

26. Ipſa peribunt, tu autem perſtabis: & hæc omnia ſicut veſtimentum veteraſcent: ſicut indumentum mutabis ea & mutabuntur.

27. Tu autem idem ipſe: & anni tui non deficient.

28. Filij ſeruorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſeculum dirigetur in conſpectu tuo.

COMMENTARIVS.

ORatio *afflicti*, &c. Editus fuit hic Pſalmus de Iſraëlitis in exilio verſantibus, ac ſi eorum quilibet eandem orationem effunderet quæ in Pſalmo eſt expreſſa. Et dicit, Quum anguſtijs obruitur & obuoluitur, qui enim propter magnam aliquam anguſtiam orat, ſeipſum incuruare ſolet, ac ſi iuncta extremitate ad extremitatem, conduplicato corpore ſeipſo contegeretur.

V. 1. *Domine exaudi orationem meam.* Circa hæc verba ſic dicitur in Deras, ne reponas meam propoſitionem in arcam, ſed eam proferas & fructus ſeu effectum producat. Dictio אכסומיא *acſomia* ſignificat litem, ac ſi diceret, cauſa mea ſit in conſpectu tuo, eamque audi & litiga litem meam.

Deut. 31. 17. V. 2. *Ne abſcondas faciem tuam à me.* Pridem tu dixeras; *Et abſcondam faciem meam ab eis & erit in deuorationem.* Quæ tua maledictio iam in nobis impleta eſt: ne quæſo diutius abſcondas faciem tuam à me: & illud idem verbis iſtis expetitur. *Velociter exaudi me.*

V. 3. *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei.* Hoc eſt, ſicut ea quæ comburuntur & paulatim conſumuntur inſtar fumi, & tandem abeunt in conſumptionem omnimodam & in nihilum; ita dies mei euaneſcunt in tot miſe-

rijs, & quaſi fumus ſenſim deficiunt. Sic pariter alio in loco dicitur, *Inimici Domini deficient in fumum deficient.* *Sicut focus.* Locus eſt in quo ignis perpetuò accenditur, & vocatur מוקד *moqued*, qui ſemper ardet & exuritur, ſic oſſa mea aruerunt & exuſta ſunt. Psal. 102. Pſal. 37. 20.

V. 4. *Percuſſum eſt vt herba.* Verbum הוכה *houcca* ſcriptum eſt cum ו *vau* licèt habeat dagues, & ſimilia huic notauimus in libro Miclol. Et poſtea percuſſum eſt vt herba cor meum, ac ſi diceret, quemadmodum ſol ardore ſuo herbam viridem percutit donec exareſcat, ita cor meum exaruit. Quare verò? Nimirum quia oblitus ſum comedere panem meum, hoc eſt, præ calamitatum dolore, non recordor vt cibo me reficiam. Notiſſimum eſt autem ex ſcientia qualitatum naturalium vitam corporis potiſſimùm à corde pendere; in corde enim eſt calor natiuus & radicalis, & ab eo per totum corpus diffunditur. Cerebrum autem frigidum & humidum eſt, & per eius frigus & humiditatem, aptâ æqualitate temperara, fouetur & confirmatur calor cordis & ſiccitas quæ in ipſo reperitur: vnde niſi cibus ſumeretur, calor qui ineſt corpori, cum aëre ipſum circumſtante extrinſecus paulatim exſiccaret humorem qui eſt in ipſo corpore; eſca verò & potus reparant in corpore humiditatem quæ ab ipſo per innatum calorem, & per circumſtantem aërem deperijt. Si ergo quis à cibo porſus abſtineret, eius cor deſiccaretur ac emoreretur: hoc etiam ſenſu dixit alibi, *Aruit tanquam teſta virtus mea:* Pſal. & mox ſubditur, *Et in puluerem mortis deduces me.* Patet igitur nimiam 22. 16. corporis exſiccationem eſſe cauſam mortis.

V. 5. *A voce gemitus mei.* Certum eſt præ frequentiori gemitu & cordis anxietate corpus labefactari: quibus ſi adfuerit clamor multò magis attenuatur caro, adeout ipsâ prorſus confectâ, oſſa cuti adhæreſcant: vnde ita ſcriptum eſt: *Adhæſit cutis eorum oſsibus ipſorum, aruit & facta eſt quaſi lignum.* Thren. 4. 8. Hic porro carnem appellat cutem, cutis enim hominis eſt caro, quia non poteſt detrahi à carne, ſicut pellis iumentorum, quapropter carnem pro cute hoc loco vſurpauit: ſic etiam alibi cutis pro carne ſumitur vt; Deuoret membra cutis eius. Iob. 18. 13.

V. 6. *Similis factus ſum pelicano.* Dictio קאת *queat* idem ſignificat ac dictio קיק *quiq* quæ occurrit in Miſchna ſeu textu Talmudico cum dicitur, Et non cum oleo κικινο; éſtque auis ſolitaria cuius vox lamento eſt ſimilis; quapropter dixit, me ſimilem effeciſti pelicano deſerti, hoc eſt, quoad vocem: & in eundem ſenſum ſubjungit, *Sicut nicticorax vaſtitatum*, ſicut auis loca deſolata incolens; cuius etiam vox lamento non eſt abſimilis. Aut ſenſus eſt, quandiu miſer in exilio verſor, mihi videor cum auibus ſolitarijs deſerta incolere, quæ hominum cultu & habitatione ſunt deſtituta.

V. 7. *Vigilaui.* Vigilia ſolicitam & continuam in re aliqua occupationem deſignat vt, *Fruſtra vigilat qui cuſtodit*, Et, *Pardus vigilat ſuper vrbes eorum.* Pſal. 127. 2. Ier. 5. 6. Senſus ergo verſiculi huius hic eſt, continuò in exilio conſtitutus ad te vigilo, ac in omni loco me deprehendo ſolitarium eſſe inter populum extraneum & ignotum, non ſecus ac paſſer à ſuis comparibus diſtractus, & ſolus tecto alicuius domus inſidens, nec domum ipſam ingreditur, alioquin mox caperetur. Ita ego poſitus in exilio, quaſi ſuper domus alicujus tecto hæreo.

Psal. etiamſi in domibus habitem, quandoquidem procul à terra patria exulare cogor.

102. V. 8. *Tota die exprobrauerunt mihi.* Propter longiſſimi huius exilij miſerias. *Inſanientes in me.* Qui res inſanas & ſubſannationes in me iactabant,
Iſa. 65. adeout inſani & mente turbati in me perſequendo videantur effecti. *Per me*
15. *iurabant.* Hæc verba eundem habent ſenſum ac illa, *Et dimittetis nomen ve-*
Num. *ſtrum in iuramentum electis meis.* Et, *Det te Dominus in maledictionem &*
5. 21. *iuramentum in medio populi tui.* Dicunt etenim, ſim ſicut Iudæus ſi hoc aut illud fecerim.

V. 9. *Tanquam panem manducabam.* Per modum figuræ hoc eſt dictum, & ſenſus eſt, panis quem in ore habebat, ei æquè inſipidus ac cinis videbatur
Tren. 3. iuxta illud, *Comminuit ſilice dentes meos, polluit me cinere. Et potus meos.*
16. In voce שקוי *ſchiccuuai* litera ו *vau* mobilis eſt, ſeu legitur, éſtque loco tertiæ radicalis. Porro illa vox omnes potûs ſpecies complectitur puta vinum, lac & aquam; & ſenſus eſt, quidquid ego in potum aſſumo, aquis meæ afflictionis ſeu lacrymis immiſcetur, ſicut vinum aquâ dilui ſolet: verbum מסכתי
Prou. 9. *maſacti* idem valet quod מזגתי *mazagti*; & ſic iſto loco vſurpatur, *Miſcuit*
2. *vinum ſuum.*

V. 10. *A facie iræ tuæ.* Niſi enim ira tua & indignatio contra me efferbuiſſet, non iam toties & tamdiu in poteſtatem hoſtium traditus fuiſſem. *Quia eleuaſti me & proieciſti.* Qui enim rem aliquam magno impetu in terram vult demittere, eam priùs in altum eleuat & majore vi eam deinde pro-
Thren. jicit: eo ſenſu dictum eſt illud, *Proiecit de cælo in terram decorem Iſrael*;
1. 2. quò etenim altiùs quid eleuatum eſt, eò grauior eſt eius ruina & caſus.

V. 11. *Dies mei ſicut vmbra.* Dixit נטוי *natoui* inclinata, quæ vox eſt participium paſſiuum quaſi ſol recedens à terra inclinet vmbras: dum enim ſol abit, vmbra apparet. Et in eadem loquendi ratione fit etiam paſſiua vox
Ier. 6. 4. ab iſta radice vt: *Inclinatæ ſunt vmbræ veſpertinæ*: & ſenſus eſt, Dies mei velociter tranſeunt in tantis hujus exilij miſerijs, non ſecus ac vmbra quæ citiſſimè abit, & redemptionem expecto quam non ſum viſurus. *Et ego ſicut herba areſco.* Ac ſi diceret, dies mei velociſſimè elabuntur, & tantiſper dum in viuis ago, inſtar herbæ exareſco cuius ſuccus citò calore deſiccatur.

V. 12. *Tu autem Domine.* Sic quilibet exulum cujus dies multùm contrahuntur, ingemiſcens propter vitæ ſuæ breuitatem dicit, forſitan ſi vitæ meæ dies protraherentur aliquantulum, videre poſſem liberationem Iſraëlitarum. Et ita per omnes ætates ſunt dicturi, quapropter ſic loquitur. *Tu autem Domine æternum futurus es.* Etiamſi ego quotidie ad interitum propero, tu permanebis in æternum, & ſalutem oſtendes illis qui ea in ætate ſunt futuri, & temporibus eorum tu miſereberis Sion. *Et memoria tui, in generationem & generationem.* Per omnes ætatum ſeries nomen tuum agnoſcent, téque orabunt vt redemptionem Iſraëli pſis oſtendas. In Deras, ad hæc verba ſic dicitur, Et memoria tua in generationem & generationem, hoc eſt ſicut nomen, quia nempe nomen tuum permanet in æternum; ita etiam iuramentum tuum
Iſa. 54. firmum & ratum eſt futurum, tu verò dixiſti, *Sic iuraui vt non iraſcar*
9. *contra te & ne increpem te*: ſi ita eſt, tu aliquando exurges & miſereberis.

Sion. In hoc verſu multis in libris eſt error, ſcribitur enim כסאך *chiſacha* Psal.
ſolium tuum, pro זכרך *zicreca* memotia tua. Et ſic circa hanc vocem erra- 102.
uit ſapiens Rabbi Abr. F. E. qui illam interpretatur ſolium tuum. Error autem ille ortus eſt ex diſcrimine iſtius verſus, & alterius illi ſimilis; qui verſus lamentationum habet, *Tu autem ſedes tua*; indicium ſit איכה *echa* : verſus autem Pſalmorum, Tu & memoria tua; & ſignum *vau*, *zain*.

V. 13. *Tu exurgens.* Inſtar hominis alicujus qui è loco ſuo ſurgit, & ad
opus peragendum excitatur: ſic alio in loco dicitur, *Nunc exurgam dicit* Pſal. 12.
Dominus. *Miſereberis Sion.* Quæ iam à tot annis deuaſtata eſt: ſcimus 6.
autem te illius miſerturum, & aliquando illam reſtauraturum eſſe, & eam tibi iterum fore pergratam. *Quia tempus miſerendi eius.* Veniet enim tandem aliquando tempus quo illius miſerturus es, licèt iam à tot annis contra eam ſis iratus. *Quia venit tempus.* Liberationis enim Iſraëlitarum tempus definitum eſt & præſtitutum, cúmque illud tempus euenerit quo erga Sionem tuam miſericordiam exhibebis, tunc dicent, venit tandem determinatum noſtræ redemptionis tempus, quod hactenus nobis ignotum fuerat. Dictio autem לחננה *lehhennah* eſt infinitiuus conjugationis dagueſſatæ, & ſic erat ſcribenda לחננה *lehhannah*, ſed ſcribitur iam cum patahh paruo loco ma-
gni patahh: quod etiam fit in voce iſta, *Ne forte* אכלך *achelca conſumam* Exod.
te in via, quod legi deberet אכלך *acalleca*, ſed alleuiantur iſtæ dictiones vt 33.
multæ aliæ afficiendæ puncto dagues.

V. 14. *Quoniam diligunt ſerui tui.* In hoc exilio poſiti oſculari exoptant lapides eius. *Et pulueris eius miſerentur.* Hoc figuratè eſt dictum, ſolet enim homo eius rei miſereri quæ ſibi eſt chara. Sunt qui ita exponant, amant plurimùm & diligunt lapides & puluerem eius, vt eius inſtaurationem procurent ac promoueant. Sapiens verò Cozri ſic exponit. Tu exurges, quandonam? Quia diligit multùm: ac ſi diceret tunc Ieruſalem eſſe ædificandam, quando illam Iſraël ardenter deſiderabit toto animi deſiderio; adeout lapidum eius diſperſorum & pulueris eius miſereatur.

V. 15. *Et timebunt Gentes.* Et tunc demum timebunt Gentes nomen Domini. *Et omnes Reges terræ gloriam tuam.* Quæ ſcilicet in Sione reſidebit.

V. 16. *Quòd ædificauerit.* Tunc poſtquam inſtaurauerit Sionem & gloria eius conſpicua ibi apparuerit, tunc, inquam, timebunt Gentes nomen Domini, ac dicent quòd.

V. 17. *Reſpexerit ad orationem myricæ.* Hoc eſt, Iſraëlitarum qui dum ſunt in exilio, ſimiles ſunt iunipero vel myricæ in ſolitudine: & vox ערער *aaraar* ſignificat arborem grandem in deſerto. *Et non ſpreuit precem eorum*, vt ſibi futurum eſſe perſuadebant nationes externæ.

V. 18. *Scribatur hoc.* Et tunc temporis dicent, ſcribatur hæc ſalus propter eam generationem, quæ hanc ætatem conſecutura eſt: nempe quia ipſorum temporibus futura eſt redemptio, & homines in generatione conſecutura deinceps futuri, & qui non viderunt ipſi mirabilia quæ in ea ſalute paranda, facta ſunt; poſtquam illam liberationem literis conſignatam viderint, & quâ ratione contigerit, & quot admiranda in ea ſint facta, tunc laudabunt Deum ob prodigia quæ in gratiam patrum ſuorum operatus eſt: illud eſt quod

hæc verba ſignificant, *Et populus creandus laudabit Dominum.*

Psal. 102. V. 19. *Quia proſpexit de alto.* E cœlis proſpexit ad terram & populi ſui afflictionem inſpexit, iuxta illud: *Quoniam excelſus Dominus & humilem* Pſal. 138.6. *reſpicit.*

V. 20. *Vt audiret gemitus.* Scilicet Iſraëlitarum qui in exilio vincti ſunt & neci deſtinati, hoc eſt, morti vicini præ magnitudine calamitatum quibus affliguntur, Deus autem benedicendus eorum gemitus audiuit, illóſque à vinculis abſoluit.

V. 21. *Vt narrent in Sion.* Idcirco eos ab exilio eduxit vt annuntient nomen eius & laudem eius in Sion. Eadem porro ſententia in hoc verſu repetitur.

Zach. 2. 11. V. 22. *Cùm congregabuntur populi.* Vt ſcriptum eſt, *Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum.* Et alio in loco ſic dicitur, *Vt inuocent omnes nomen Domini, vt ſeruiant ei humero vno.* Soph. 3. 9.

V. 23. *Afflixit in via virtutem meam.* Iam redit ad verba exulum quos ſuperiùs retulerat conquerentes dies ſuos eſſe vmbræ inclinatæ ſimiles. Nempe quia ſummo deſiderio quilibet exulum videre liberationem exoptat, timétque ne ob vitæ ſuæ breuitatem moriatur & ſalutem videre non poſſit, ac dicit, Afflixit in via robur meum hoſtis, vires meas in itineribus conficit, ſiquidem propter graues exilij anguſtias & crudeles dominos, homo in exilij regionibus cogitur è loco vno in alium demigrare, ſi fortè commodiorem ſibi in alio loco manſionem inueniat, ſéque ipſum locorum mutatione & itinerum laboribus atterit: & iſte labor itineris eſt virium acciſio, & vitæ abbreuiatio; quorum malorum cauſa mihi eſt hoſtis in exilio: ego autem valde timeo ne redemptionem non videam, quare Deum enixè deprecor ac ipſi dico, ne me tradat morti in dimidio dierum meorum; ille quippe ſenſus eſt verborum illorum.

V. 24. *Dico, Deus mi.* Quapropter ego tibi dico & exclamo ac te deprecor, Deus mi, ne tollas me in dimidio dierum meorum, ſi fortè videre merear liberationem noſtram. Vox iſta תעלני *taaleni*, hunc habet ſignificatum, ne ſuccidas me, ſicut & in iſtis locis: *Sicut aſcendit aceruus tritici*, ſuo tempore. *Et aſcendit ſeu exciſa eſt cubatio roris.* Sapiens autem Rabbi Abraham F. E. vocem iſtam in eius ſimplici ſignificatione ſumendam putat & ita loqui Pſalmographum de aſcenſu animæ in cœlum poſtquam ſeparata eſt à corpore, quemadmodum alibi dicitur, *Et ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum*, ita etiam anima dicatur hîc ſurſum aſcendens. *In generationem & generationem anni tui.* Sicut antea dixerat, Tu autem Domine in æternum permanebis, cuius ſenſus eſt vt illic tradidimus.

Iob. 5. 26. Exod. 16. 13.

V. 25. *A principio terram fundaſti.* Quia modò dixerat in generationem generationum anni tui, dicit iam quemadmodum tu in æternum duraturus es abſque vllo fine, ſic tu etiam primus es abſque principio, túque es qui cœlos & terram feciſti: non iuxta ſententiam illorum qui mundum eſſe æternum aſſerunt, cùm tamen verè creatus ſit manibus tuis; tu enim illum creaſti: & quemadmodum tu illa condidiſti ex nihilo, ſic eadem prorſus abſumere poſſes, ſi ita tibi liberet, omnia enim poteſtati tuæ ſunt ſubjecta, quare ſubjungit.

V. 26.

V. 26. *Ipſa peribunt.* Sunt quidam Phyſicæ ſcientiæ periti qui aſſerant præſtitutum eſſe mundi finem ac tempus,poſteàque eſſe ipſum reuerſurum in primum chaos & in ipſum nihilum, vt priùs erat: ſed inter ipſos diuerſæ ſunt etiam opiniones de ipſo ſpatio quo mundus eſt duraturus, nam illorum aliqui exiſtimant ipſum finem aut interitum non habiturum licèt initium habuerit, & iuxta illorum ſententiam, ſenſus horum verborum, *Ipſa peribunt*, erit, ſicut iam dedimus, ſi volueris, ipſa peribunt, tu verò in æternum permanebis. *Et hæc omnia ſicut veſtimentum veteraſcent.* Sicut veſtis quam exuit aliquis & pro ea aſſumit aliam; ita etiam ſi volueris, aut illa omnia in alia permutabis, ſi tibi libuerit, nec vllum ex eis tuæ poteſt voluntati reſiſtere. Quidam arbitrantur hæc omnia peritura eſſe quoad indiuidua, at illorum genera non interitura ſed in omnem æternitatem duratura.

Psal. 103.

V. 27. *Tu autem idem ipſe es.* Siue tua opera omnino pereant, ſiue non pereant, tu tamen ſolus permanes; nec vllus eſt præter te Dominus. Et anni tui non deficient.

V. 28. *Filij ſeruorum tuorum habitabunt.* Illi terram ſuam æternùm incolent, vbi in eam redemptionis tempore fuerint reuerſi: nec vnquam deinceps ipſi aut filij eorum ex illa demigrabunt, quod iſtis verbis innuitur, *Et ſemen eorum in conſpectu tuo ſtabilietur.* Illud verò, in conſpectu tuo, hunc habet ſenſum, futurum eſt vt cunctis diebus cultum Domino & ſeruitutem exhibeant.

PSALMVS CENTESIMVS TERTIVS.

Dauidis.

1. BEnedic anima mea Domino: & omnia interiora mea nomini ſancto eius.

2. Benedic anima mea Domino: & ne obliuiſcaris omnia beneficia eius.

3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas.

4. Qui redimit de fouea vitam tuam: qui coronat te miſericordiâ & miſerationibus.

5. Qui ſatiat bono os tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

6. Faciens iuſtitias Dominus: & iudicia omnibus calumniam patientibus.

7. Notas fecit vias ſuas Moyſi: filijs Iſraël opera ſua.

Psal. 103. 8. Miſerator & clemens Dominus: longaminis & multùm miſericors.

9. Non in perpetuum rixabitur: neque in æternum ſeruabit.

10. Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis.

11. Quoniam ſecundùm altitudinem cœli ſuper terram: corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.

12. Quantùm diſtat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates noſtras.

13. Quomodo miſeretur pater filiorum: miſertus eſt Dominus timentibus ſe.

14. Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum: recordatus eſt quoniam puluis ſumus.

15. Homo ſicut herba dies eius: tanquam flos agri ſic efflorebit.

16. Quoniam ventus pertranſit in illum: & non ſubſiſtit & non cognoſcet eum ampliùs locus eius.

17. Miſericordia autem Domini ab æterno & vſque in æternum ſuper timentes eum: & iuſtitia illius filijs filiorum.

18. Eis qui ſeruant pactum eius: & memores ſunt mandatorum eius ad faciendum ea.

19. Dominus in cœlo ſtabiliuit thronum ſuum: & regnum eius omnibus dominatur.

20. Benedicite Domino Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius: ad audiendam vocem ſermonum eius.

21. Benedicite Domino omnes exercitus eius: miniſtri eius qui facitis voluntatem eius.

22. Benedicite Domino omnia opera eius, in omnibus locis dominationis eius: benedic anima mea Domino.

COMMENTARIVS.

V. 1. B*Enedic anima mea Domino.* Editus eſt quoque hic Pſalmus de Iſraëlitis exulibus. Et quiſquis ex illis ſapiens eſt & pius exprimitur laude & gratiarum actione proſequens Deum benedicendum pro bonis ſibi ab ipſo, in exilio exhibitis, & adhuc futuram liberationem expectans ac dicens animæ rationali, Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini ſancto eius, ſcilicet benedicite. Porro nomine interiorum cor & renes, quæ ſunt in hominis intimo, deſignantur; aut dicit interiora mea de ipſo corpore, idque per modum loquendi figuratum, quemadmodum alio in loco dixit: *Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi?* Notat verò ſa-

Pſal. 35. 10.

piens Rabbi Abraham F. E. Pſalmographum nomen proprium Gloriæ diui- PSAL. 103.
næ cum anima ſimul nominaſſe, nimirum quia ipſa etiam eſt gloria corpo-
ris, quod ipſa deſtitutum nihili reputatus ; ac idcirco nomen Dei proprium
cum anima expreſſit, & nomen ſanctum eius, cum corpore : ſic enim ſcri-
ptum eſt, Et omnia interiora mea nomini ſancto eius. Nec apertè nomen
Dei proprium cum interioribus, ſed tantùm occultè exprimit. Verùm iux-
ta ſententiam meam non eſt neceſſe hæc omnia dicere, ſic enim mos eſt
ſcripturæ eandem ſententiam verbis diuerſis repetere ; & ita hoc loco dici-
tur, Dominus, & mox, Et nomen ſanctum eius. Quia verò ſapiens ille vir
dicet de citato illo verſu, Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis
tibi ? Cæterùm in Deras ſic de hoc verſiculo diſſeritur, Decem res in ipſo
homine ſunt, aſpera arteria ad formandam vocem ; gula ad cibum, iecur
ad iraſcendum ; pulmo ad bibendum, ipſe eſt enim qui varias potus ſpecies
haurit : fel ad zelum incendendum : veſica ad vrinam : ſtomachus ad cibos
comminuendos : ſplen ad ridendum : renes ad conſultandum, & cor ad per-
ficiendum : quapropter Deum laudat Dauid & dicit, Confitebor tibi cō-
quòd tot admirandis rebus me inſignem feciſti. Idcirco etiam hoc loco di-
citur, Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini ſancto
eius. Verbum aliud circa eadem verba, Benedic anima mea Domino, Qua-
re Deum laudat in anima ? Magiſtri noſtri reſpondent, quia ſicut anima to-
tum corpus replet, ita Deus ſanctus & benedictus mundum vniuerſum adim-
plet : veniat coram te anima quæ replet corpus, & laudet Deum ſanctum
& benedictum, quia ipſe totum mundum adimplet : & quemadmodum ani-
ma totum corpus ſuſtentat, ſic Deus ſanctus & benedictus totum hunc
mundum portat : veniat anima, &c. Et ſicut anima vnica eſt in corpore vno, ita
Deus ſanctus & benedictus vnus eſt in mundo : veniat anima, &c. Vt ani-
ma perficit corpus, ita Deus ſanctus & benedictus mundum totum perficit :
veniat anima, &c. Et ſicut anima neque comedit, neque bibit, ſic Deus
ſanctus & benedictus nec edit nec bibit : veniat anima, &c. Sicut anima
eſt munda, quia eſt ex ſupernis, pari modo Deus eſt puriſſimus & ſupra om-
nia : veniat anima, &c. Et quemadmodum anima videt, ipſa verò non cer-
nitur ; ita Deus videt omnia & minimè videtur : veniat anima, &c. Quem-
admodum etiam nemo nouit locum animæ, nemo quoque Dei locum no-
ſcit. Ipſa etiam ſancta animalia quæ thronum gloriæ portant ipſius locum
non cognoſcunt : ſed hoc ſolùm ipſa dicunt, benedicta gloria Domini de lo-
co ſuo. Rabbi Ioſuæ filius Leui ſic dicit, quinque vicibus in lege ſcriptum
eſt, Benedic anima mea Domino ; nempe in hoc & in ſequenti Pſalmo : &
illud pro quinque libris legis. Rabbi autem Iuchannan dicit, quinquies hìc
ſcriptum eſt, Benedic anima mea Domino tum in hoc cum in ſequenti Pſal-
mo, nimirum propter quinque tempora ; quorum primum eſt illud quo Da-
uid fuit in ventre matris ſuæ : ſecundùm quo in lucem fuit editus ; tertium
quo huc & illuc ad diuerſa negotia peragenda eſt profectus : quartum quo ex
hoc mundo fuit aſſumptus : quintum denique futurum aliquando cùm ani-
ma in corpus reuertetur. Et hoc iſtis verbis deſignatur, Deficiant peccatores
de terra & improbi vltra non ſint ; benedic anima mea Domino. Alio adhuc

modo hoc expoſuimus, vt ſcriptum eſt in tractatu benedictionum.

Psal. 103. V. 2. *Benedic anima mea Domino.* Animam ſuam primùm adhortatur vt Deo benedicat ob eius magnitudinem & ſanctitatem. Prætereà, inquit, ipſum celebra & ei gratias age de bonis quibus te affecit. *Et ne obliuiſcaris omnia beneficia eius.* Nem[illegible] tot bona quæ tibi tribuit. In Deras, circa hæc verba, ne obliuiſcaris, &c. [illegible] dicitur, Rabbi Abba filius Cahana dixit, ſi quis acciperet crumenam os eius deorſum conuertat, pecuniæ ex ea decidunt; [illegible] autem illa inferius eſt aperta, & duobus pedibus graditur, eius tamen [illegible] conſeruatur.

V. 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.* Litera י *iod* in voce עונכי *aauonecchi* abundat, eſt enim pro עונך *aauonec*; & ſic etiam in alijs dictionibus huius Pſalmi contingit, vt etiam in iſto loco: *In medio tui Ieruſalem.* Porro iſtæ literæ י *iod* additiones fiunt ad elegantiam dictionis. Illud autem vnum eſt ex magnis quibus te cumulat bonis quod tuas tibi iniquitates condonet. Et idem in hoc verſu verbis diuerſis repetitur; nam per infirmitates, morbos animæ intelligit qui aliud non ſunt quam peccata; & hoc eodem ſenſu dictum eſt ac illud, *Sana animam meam quia peccaui tibi.* Non deſunt tamen qui hæc verba de ægritudinibus corporis interpretentur, nempe quia ipſa etiam anima propter corporis morbos malè afficitur, quamquam infirmitate corporeâ non attingatur. Cùm verò dicit, omnibus vult innuere illas eſſe multas, ſic dicitur, *Et omne bonum domini ſui erat in manu eius.* Et, *Et omnis terra veniebant in Ægyptum:* & his ſimilia. Deus enim ſanctus & benedictus non mediocrem erga illum miſericordiam exhibet, quem non pœnis afficit propter omnia eius peccata, ſed tantùm propter pauca ex illis vt ſcriptum eſt: *Qui aufers iniquitatem, & tranſis peccatum.*

[Pſal. 116. 19. — Pſal. 6. 2. — Gen. 24. 10. — Mich. 7 18.]

V. 4. *Qui redimit de interitu.* Non rarò peccatum admittit homo propter quod reus afficitur mortis, aut ipſius animæ in altero ſæculo, perditionis æternæ, Deus verò opt. max. illum ab ipſis liberat ob pœnitentiam quam agit, & quia conuertitur coram Deo benedicendo, aut aliquando immiſſis morbis illum affligit, & ad animæ ipſius liberationem corripit: quod ipſum inſignis eſt benignitatis ac miſericordiæ teſtimonium quibus eum afficit & coronat.

V. 5. *Qui ſatiat bono os tuum.* Dictio עדיך *ediec* idem ſignificat quod פיך *pica* os tuum, vt iſto in loco, *In camo & freno os illorum conſtringendum.* Hæc porro ad ægrotantem ſunt directa, is enim ſolet omnem cibum faſtidire vt ſcriptum eſt, *Et abominabilis fit ei in vita ſua panis, & animæ illius cibus ante deſiderabilis.* Magnâ verò miſericordiâ Deus vtitur erga hominem in quem morbos immittit in illius peccatorum expiationem, & ipſum deinde ab infirmitate ſanat; quod iſtis verbis indicatur, *Qui ſatiat bono os tuum.* Os quod priùs cibos omnes auerſabatur, Deus bonis ſatiat vna cum integra valetudine. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus.* Præter ſanitatem recuperatam, veluti innouatur & in alium hominem immutatur, iuxta illud: *Tenerior fiet caro eius, carne pueritiæ, & reuertetur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.* Dicit porro ſicut aquilæ, nimirum de aquila referunt quod decimo quoque anno renouetur; ſic enim de illa ſcribit Rabbi Saadias quod altiùs volet

[Pſal. 32. 9. — Iob. 33. 20. — Iob. 33. 25.]

quàm omnes aliæ aues, & volatu multùm verſùs cœlum aſcendat, adeout Psal.
ad ignem elementarem accedat, & præ calore æſtuans, in mare ſe dejiciat, 103.
indéque poſtea innouatis viribus ac plumis ad priorem iuuentam redeat. Aſſeritque eam ita facere decimo quoque anno ad centeſimum vſque, quem vbi attigit, volatu ſe iterum in aërem attollere de more, ſed inde in mare decidere, ibíque tandem extingui. Quod autem dictum ſit genere fœminino renouabitur, id refertur ad proprias iuuentutis qualitates humiditatem ſcilicet & teneritudinem: ſic antea illud, Tenerior erit caro eius quàm in pueritia, ſignificat mollem & ſuccreſcentem carnem.

V. 6. *Faciens iuſtitias.* Quoniam ſupra retulit Deum ſanare hominis ægroti morbos, & ſuam in hoc erga illum iuſtitiam exhibere, iam aſſerit ipſum eodem modo ſolere ſe gerere cum ſuis creaturis, erga quas etiam ſuas exercet iuſtitias; indéque quo ad res hominum inter ſe diuerſas, eruit oppreſſum ex poteſtate eius à quo vim patitur, illúmque malo afficit propter iniuriam quam ſuo ſocio intulit, & hoc iſtis verbis innuitur, *Et iudicia omnibus iniuriam patientibus.* Iudicia exercet aduerſùs oppreſſores propter eos qui calumniâ afficiuntur: & litera ל *lamed* quæ voci לכל *lecol* præpoſita eſt, eſt loco dictionis בעבור *baanour* propter, vt in iſto loco, dic quæſo לי *li* propter me, frater
meus eſt: dicit porro omnibus, hoc eſt, cuiuſcunque Gentis aut populi Gen.
fuerint. 20. 14.

V. 7. *Notas fecit.* Hoc loco futurum loco præteriti vſurpatum eſt ſicut
& in illis: *Facient vitulum in Horeb. Tunc canet Moyſes. Tunc ædificabit* Psal.
Ioſue, & cætera ſimilia. Cæterùm per vias Dei, eius proprietates deſignan- 106. 19.
tur, ſeu rationes eius agendi cum ſuis creaturis; quas ſibi manifeſtari ab ipſo Exod.
popoſcit Moyſes his verbis: *Notas fac* * *mihi quæſo vias tuas.* Quas ei de- 15.
monſtrauit poſtea, vt ibidem ſcriptum eſt, *Et tranſiuit Dominus coram illo* Ioſ. 8. 30.
& clamauit, &c. *Filijs Iſrael opera ſua.* Ea ſcilicet quæ erga Iſraëlitas ſole- Exod. 33. 13.
bat exhibere in deſerto, ſecundùm quæ etiamnum ſe gerit nobiſcum in exilio: Cap. 34.
ſubjungit mox quaſdam ex ijs proprietatibus diuinis. 6.

V. 8. *Miſerator & clemens Dominus.* Nec illas omnes recenſet ſed illa tantùm attributa quæ ad eius miſericordiam ſpectant quibus erga nos in hoc exilio vtitur. *Miſerator.* Nobis enim in exilio miſeratur, & nos commiſeratione dignos efficit coram illis quorum poteſtati ſumus ſubjecti; ac idcirco nos penitus non exterminant. *Miſericors.* Quia ex ſua miſericordia nobis quæ ad victum ſunt neceſſaria ſuppeditat. *Longanimis.* Suam etenim iram diu protrahit, nec ſtatim ac peccauimus debitis nos pœnis afficit, ſed ſuam contra nos iram differt ſi fortè conuertamur per pœnitentiam. *Et multùm miſericors.* Maiora ſiquidem benignitatis ſuæ teſtimonia in dies erga nos exhibet.

V. 9. *Non in perpetuum iurgabit.* Si enim modò rixatur contra nos, & ſcelerum noſtrorum memor nos in exilium abire permiſit; at rixa illa & peccato-

* Has Dei vias Cabbalici vocant ספירות *ſephiroth* numerationes vel ſplendores. Súntque decem politiones primæ & myſticæ de proprietatibus & notionibus ſeu attributis diuinis, generalia ſcilicet fundamenta, quibus tota Cabbaliſtica Theologia innititur: de his videſis Reuchlinum libr. tert. Cabbal. 1 Et Authorem libri Portæ lucis, ſtatim ab initio.

PSAL. 103. rum memoria non erit perpetua & in æternum, ſed noſtri aliquando miſertus, nos ab exilio reuocabit.

V. 10. *Non ſecundùm peccata noſtra.* Non egit nobiſcum iuxta peccata noſtra; ſiquidem ex illorum merito digni eramus qui vniuerſali excidio periemus, non autem ſolo exilio plecteremur. Imò etiam diebus ſingulis non agit nobiſcum ſecundùm peccata noſtra; & res eadem in hoc verſu diuerſis verbis repetitur.

V. 11. *Quoniam ſecundùm altitudinem cœli.* Hoc eodem ſenſu dicitur ac illud: *Quoniam magna eſt vſque ad cœlos miſericordia tua.* Non potuit Dei miſericordiam ampliorem aut altiorem hominum oculis & animis demonſtrare: Quod verò dicit, *Super timentes eum*, deſignat Iſraëlitas, omnes ſiquidem illi colunt ipſum licèt aliquando peccent; nihilominus tamen Dei cultum non deſerunt; & ipſum reuerentur & à peccatis ad eum conuertuntur, non ſicut nationes externæ quæ Dijs alienis exhibent cultum.

V. 12. *Quantùm diſtat ortus.* Verba hæc ſunt repetitio illorum, ſecundùm altitudinem cœli ſuper terram. *Longè fecit à nobis iniquitates noſtras.* Et hæc eſt maxima illius miſericordiæ potentia & magnitudo, quâ tam longè à nobis iniquitates noſtræ remouentur: & quamquam illæ ſint multæ & graues, eas tamen à nobis amouet ea diſtantiâ quâ major eſſe non poteſt, cùm ad illum per pœnitentiam conuertimur. Porro dixit, Quantùm diſtat ortus ab Occidente, non autem Septentrio à Meridie, eóquòd totum ſpatium ab ortu in occaſum ſit habitabile, & poſſit quis illud emetiri: nullus verò hominum emetiri valet illud ſpatium quod Septemtrionem inter & meridiem interjectum eſt propter nimium frigus aut calorem. In Deras dixit Rabbi Ieremias, Non eſt vllus homo qui dicat, longè me faciat à peccato, ſed longè faciat peccatum à me, & verè longè fecit à nobis, Deus, iniquitates noſtras.

V. 13. *Quomodo miſeretur pater.* Non enim ſunt miſerationes æquè magnæ ac ſunt patrum erga filios miſerationes.

V. 14. *Quoniam ipſe cognouit.* Hæc eſt ratio cur antea dixerit, Longè fecit à nobis iniquitates noſtras, nempe quia nouit ipſe figmentum noſtrum
Gen. 8. 21. ſicut ſcriptum eſt: *Quia figmentum humani cordis malum eſt à pueritia ſua.* Nam in naturali hominis procliuitate ſitum eſt vt peccet; animalis ſiquidem concupiſcentia ipſi eſt innata, & niſi viriliter ac potenter enitatur vt ſuam concupiſcentiam domet & rationi ſubjiciat; à peccato non poterit liberari. Attamen nullus eſt homo qui ita poſſit vitare peccatum quin in illud ſemel
1. Reg. 8. 46. aut ſæpius cadat: hinc ita ſcriptum eſt: *Non eſt enim homo iuſtus in terra qui faciat bonum & non peccet. Recordatus eſt quoniam puluis ſumus.* Eandem in hac parte verſiculi ſententiam repetit alijs verbis, nam illud verbum, recordatus eſt, idem eſt ac nouit, ac ſi diceret, eius memoriæ ſemper inhæret, & illud, puluis ſumus, non aliud ſignificat quàm figmentum noſtrum: illud enim eſt concupiſcentia animalis & corporea; quandoquidem in iſtis cupiditatibus homo ſimilis eſt bruto animanti, quod omnino eſt terreum. Verùm brutis homo longè quidem excellentior eſt propter animam eius ſuperiorem, quæ eiuſdem eſt originis cum Angelis. Et quandiu homo per viam animæ ſuperioris ambulat, veram hominis ſpeciem & perſonam gerit: at quoties per viam concupiſcentiæ animalis abjectam graditur, leonis aut bo-

uis aut aquilæ ſpeciem præ ſe fert: ſed de iſtis pauca hæc dixiſſe ſatis eſt intelligenti. Cæterùm terrenum hominis principium præ alijs nominat, licèt mentionem fecerit quatuor elementorum, quibus humanum corpus eſt compactum, quia nempe oſſa ſunt veluti eius fundamenta; ipſa verò ex elemento terræ conſtant maximè, ſiquidem frigida ſunt & ſicca: vnde etiam dictum eſt illud, *Puluis es & in puluerem reuerteris.* PSAL. 103. Gen. 3. 19.

V. 15. *Homo ſicut herba dies eius.* Præterea dies vitæ hominis breues ſunt & pauci, & ſubitò abit ex hac vita, non aliter quàm herba tenella quæ facilè deſiccata marceſcit; nam ſi vitæ illius ſpatium eſſet protractius, vias ſuas poſſet tandem emendare, ſiquidem in pueritia ſua peccarit. Iam verò etſi ſenuerit, iuxta naturæ ſuæ temperiem, & tantiſper incipiat ſuos actus corrigere, verùm ad illud rectè perficiendum non ſufficit illi breuius vitæ ſpatium, nam citò moritur, éſtque ſimilis flori agreſti qui ſtatim ac effloruit, mox immutatur & excidit.

V. 16. *Quoniam ventus pertranſit in illum.* Ventus immitior perflat illum florem, eúmque deſiccat: ita eſt de homine, modò quidem vident illum in viuis agentem: & modò de ipſo dicunt, mortuus eſt ille talis, nec ampliùs exſtat, hoc eſt, deſijt eſſe inter viuos. In Deras circa illud, *Et non ipſe*, ſic dicitur, Illud eſt figmentum quod abit cum illo, ſed non venit cum illo. *Et non cognoſcet amplius eum locus eius.* Hoc eſt, locus eius in quo ipſe verſabatur cùm adhuc viueret, eum non agnoſcet ampliùs.

V. 17. *Miſericordia autem Domini,* Dicere intendit, etiamſi humanum corpus morte conſumatur, at Dei miſericordia non deficit, imo à ſæculo vſque in ſæculum permanet erga eos qui piè ipſum colunt. Si verſiculum exponamus de mercede futuri ſæculi, ſic eius ſenſum aſſignabimus, nimirum etſi homo, quoad corpus eſſe in viuis deſinat, ſi ex pijs Dei cultoribus fuerit, diuina miſericordia erga ipſum non deſinet exerceri, ſcilicet aduersùs animam eius. *Ab æterno & vſque in æternum.* Ac ſi diceret, vſque ad ſecula æternitatis abſque vllo prorſus fine. Porro dixit miſericordia, quia mox ſubjungit, timentes eum; nam iſti ſunt inferiores eis qui diligunt ipſum: vnde & beneficia quæ illis in æternum conferet, ex eius miſericordia emanabunt: ſiquidem miſericordia in his beneficijs eſt præcipuum. Et ipſe bonis eos afficit longè majoribus quàm ſint eorum merita: & ſicut bona eis reſeruat pro ſæculo venturo; ita etiam reſeruat eis in hoc ſæculo iuſtitiam ſuam poſt mortem ipſorum, nimirum erga nepotes illorum poſt ipſos exhibendam. Et hoc eſt ſecundùm æquitatem quòd præ ipſorum dilectione, poſteris eorum iuxta illorum opera retribuat; hæc enim eſt vna ex tredecim eius proprietatibus. Cùm autem dicit, *Filijs filiorum*, non ſolùm de tertia illorum generatione loquitur, ſed hoc ad milleſimam vſque eſt extendendum: Et hoc magis erga diligentes eum quàm erga illos qui ſolùm timent eum; vnde etiam ſic loquutus eſt Moyſes: *Iis qui diligunt eum & mandata eius obſeruant in mille generationes.* Si verò exponatur verſiculus de vita præſenti, erit in eo ſententiæ eiuſdem repetitio, & hic eius ſenſus, nempe poſt mortem hominis pij, Deum fore beneficum in ſæculum erga eius filios, in præmium bonorum eius operum: & eodem modo explicanda ſunt hæc verba, *Et iuſtitia illius fi-* Deut. 7. 9.

Psal. 103. *lijs filiorum.* In Deras ita dicitur, Miſericordia à ſeculo vſque in ſeculum, verùm iuſtitia vſque ad tres generationes filijs filiorum, ſenſus eſt, homini pio & illi qui plus operatur quàm ſibi ſit præceptum, Deum ſanctum & benedictum ſeruare illi iuſtitiam eius pro filijs eius poſt ipſum à ſeculo & vſque in ſeculum. Si verò ſit ſolummodo iuſtus, & ea præſtans quæ ſibi ſunt imperata, Deum ſeruare ipſi iuſtitiam eius vſque ad tertiam generationem.

V. 18. *Eis qui ſeruant.* Si nempe filij obſeruent pactum eius, & memores ſint mandatorum eius ad faciendum ea, ac ſi diceret, ſi ea ore ſuo commemorent & ſtudioſè ediſcant vt illa deinde impleant: nam doctrina ſine opere non eſt recta: dicit igitur Deum eſſe memorem pietatis parentum erga filios eorum, qui & paternæ mercedis ſunt participes & propriam quoque mercedem recipiunt, ſi modò filij etiam ſint boni; vnde ſic in lege dicitur. *Et* Exod. 20.6. *faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me & cuſtodiunt precepta mea.* Imò etiamſi minùs probi ſint liberi, ipſis tamen benefacere ſolet ob parentum ipſorum merita vt ſcriptum eſt: *Et recordabor erga eos fœderis an-* Leu. 26. 42. *tiquorum.* Sentit autem Rabbi Abraham Eſræ per eos qui obſeruant pactum eius, eos deſignari qui Deum timent; per illos autem qui memores ſunt mandatorum eius ad faciendum ea, illos qui ipſum diligunt quorum ob oculos perpetuò verſantur eius mandata, & eorum ne per vnum quidem momentum in ſuo corde obliuiſcuntur. In Deras autem circa iſta verba, *Eis qui ſeruant pactum eius*, dicit Rabbi Tanhhouma, quænam eſt rei huius ſimilitudo? Vidua cui eſt filius, & quandiu matrimonium non contrahit ille filius adhæret ſuæ matri: vbi autem contraxit matrimoninm, mater eius ipſi dicit, ſcio quidem te debere mihi adhærere, iam verò eſſe non potes ſicut antea fuiſti; hoc vnum à te peto vt mei ſaltem non ſis immemor. Ita etiam quandiu verſati ſunt Iſraëlitæ in deſerto, & manna illis deſcendit, eóſque puteus eſt ſequutus eorum gratiâ qui Deo adhærebant, tum potuerunt obſeruare legem abſque vllo labore: nunc autem cùm vnuſquiſque ſuo victui comparando inuigilare debet, & memores ſint tantùm mandatorum eius.

V. 19. *Dominus in cœlo.* Inſtar Regis qui in throno ſedet ſupra omnes eleuatus: ſi ergo cœlum ſit Dei ſolium, omnia ſanè & cœlum & terra ſub ipſo ſunt & in eius poteſtate: & hoc iſtis verbis innuitur, *Et regnum eius omnibus dominatur.* Cúmque omnia ſint eius opera & eius imperio ſubjecta, cùm ſuperiora tum inferiora, benedicant igitur illi omnia iſta: quare ſubdit, *Benedicite Domino.* Et primùm quidem ſuperiores alloquitur creaturas, & deinde inferiores. In Deras dixit Rabbi Barachias quatuor ſunt in mundo elata præ cæteris, leo nempe, bos, aquila & homo. Nullum eſt animal magis ſuperbum leone, qui ſupra omnia animalia ferociter extollitur. Inter iumenta nullum eſt elatius boue. Auium omnium maximè excelſa eſt aquila. Sed quis omnibus illis excelſior eſt? homo ſanè qui his omnibus illis imperare valet, dictum eſt enim, *Et dominamini piſcibus maris & volucribus cœli.* Gen. 1. 28. Quidnam fecit Deus ſanctus & benedictus? quatuor hæc in throno gloriæ ſuæ appoſuit, vt nimirum verè diceretur ipſum longè ſupra iſta eſſe excelſum, Exod. 15. 1. dictum quippe eſt: *Eminendo eminuit*, quod Chaldaica Paraphraſis exponit quia exaltabor ſuper excelſa omnia: ſic igitur regnum eius omnibus dominatur.

V. 20.

V. 20. *Benedicite Domino Angeli eius.* Illos primùm inuitat quod ſunt gradus ſuperioris ſupra creata cætera, & ex eorum virtute emanet potentia & motus orbium cœleſtium & ſtellarum, quapropter ſubjungit, *Potentes virtute facientes verbum illius.* Siquidem omnia ex eius imperio & nutu operantur. Addit verò, *Ad audiendum*, quia illi ſemper ea exequuntur quæ ſibi ab ipſo ſunt imperata, & continuò præſto adſunt audituri quid ipſis mandare velit. Sapiens verò Abraham F. E. indicari his verbis exiſtimat Deum miniſterio illorum vti ad ſua decreta exequenda vt cladem Sennacherib; vnde & Moſes dixit, *Et miſit ad eum Angelum ſuum.* Et, *Angelus faciei eius ſaluauit eos. Potentes virtute.* Nulla etenim in vllis creaturis eſt poteſtas quæ illorum viribus obſiſtere valeat, & Angelus qui venit contra Iacob, ad hoc mandatum acceperat. Idcirco autem dixit, *Ad audiendam vocem verbi eius*, quòd non ſint Angeli hac in re ſimiles hominibus, qui mercedem à Deo expectant dum eius præcepta exequuntur: verùm omne illorum præmium, oblectatio & gloria eſt, vt voci mandatorum eius obtemperent. In Deras circa illa verba, Benedicite Domino Angeli eius, ita dicitur, Si de ſuperioribus hîc loquatur, ecce enim iam fuit dictum, Benedicite Domino omnes exercitus eius. Non etiam loquitur de inferioribus creatis: imò res quædam inferiores ob authoritatem & gradum quaſi inferiores Angeli appellantur: ita dictum eſt: *Miſitque Angelum qui eduxit nos de Ægypto.* An verò erat ille Angelus? nunquid non ipſe fuit Moſes? Hinc diſcendum eſt Prophetas appellari Angelos: vnde ſic ipſe loquitur: *Et reſpondit Aggæus Angelus Domini.* Et Rabbi Iuda, filius Rabbi Simon ad illa verba, *Et aſcendit Angelus Domini de Galgalis*, iſte, inquit, eſt Phinees. Sic & Magiſtri noſtri circa hæc verba, *Et aſpectus eius ſicut Angeli Dei terribilis valde*; hinc vel inuitus, inquiunt, diſcas Prophetas appellari Angelos. Potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendum vocem, Priùs vt videtur erat dicendum, audientes verbum eius, & poſtea facientes: verum quibuſnam hæc dicit, nimirum Iſraëlitis, qui ſteterunt in Sinai, & ante fecerunt verbum Domini quàm audijſſent. Psal. 103. — Num. 20. 22. Agg. 1. 13.

V. 23. *Benedicite Domino omnia opera eius.* Res inferiores intelligit, has enim omnes effecit, & ſuper omnes illas eius dominatio exercetur. Sunt verò quatuor elementa & omnia ex illis compoſita, quæ ſunt entia viuentia, vegetabilia & ſilentia ſeu inanimata, lapides ſcilicet & metalla, &c. Quod verò dixit, *In omnibus locis dominationis eius*, ratio eſt, quia in hac inferiori parte mundi varia in diuerſis elementis producuntur, nempe quædam in terra, quædam in aquis, & alia in aëre: ac poſtea ſubjicit, *Benedic anima mea Domino.* Nimirum quia ipſa eſt ſuperior omnibus inferioribus, & quia homo vi intellectûs ſui, illis omnibus dominatur; vnde ſic dicitur: *Conſtituis eum dominatorem ſuper opera manuum tuarum.* Inferiora etiam iſta, ſcientiâ non ſunt prædita, vt Deo poſſint benedicere eúmque laudare: verùm hominis eſt Deo gratias agere pro illis, propter creationem eorum & propter operationes eorum; quod perinde eſt ac ſi ipſa Deo benedicerent: quo ſenſu dictum eſt illud, *Aut loquere terræ, & docebit te, & narrabunt tibi piſces maris.* Et ea de cauſa his verbis Pſalmum inchoauit, Benedic anima mea Domino, & iiſdem illum concluſit: quia ſcilicet homo propter ſuam animam Psal. 8. 7.

ſuperiorem omnia, ſuâ ſapientiâ complectitur, ac ſuperiora & inferiora intelligere poteſt, & propterea debet pro omnibus, & de omnibus Deum benedicendum celebrare laudibus & gratiarum actione.

Psal. 104.

PSALMVS CENTESIMVS QVARTVS.

1. BEnedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer, gloriam & decorem induiſti.

2. Qui amictus es lumine ſicut veſtimento: qui extendit cœlum ſicut cortinam.

3. Qui contignat aquis cænacula ſua, qui ponit nubes currum ſuum: qui ambulat ſuper pennas ventorum.

4. Qui facit nuntios ſuos ſpiritus: miniſtros ſuos, ignem ardentem.

5. Qui fundauit terram ſuper baſes ſuas: ne moueatur in ſeculum & in æternum.

6. Abyſſo ſicut veſtimento operuiſti eam: ſuper montes ſtabant aquæ.

7. Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui feſtinanter current.

8. Aſcendunt montes, deſcenderunt valles ad locum quem fundaſti eis.

9. Terminum poſuiſti *quem* non tranſgredientur: non reuertentur operire terram.

10. Qui emittis fontes in conualles: inter montes pertranſeunt.

11. Adaquant omnes beſtias agri: frangunt onagri ſitim ſuam.

12. Iuxta eos volucres cœli habitant: de medio frondium dant vocem.

13. Qui rigat montes de cœnaculis ſuis: de fructu operum tuorum ſatiatur terra.

14. Qui producit fœnum iumentis: & herbam ſeruituti hominis, vt educat panem de terra.

15. Et vinum *quod* lætificat cor hominis, vt nitere faciat faciem præ oleo: & panem, qui cor hominis confirmat.

16. Saturantur arbores Domini: cedri Libani quas plantauit.

17. Illic aues nidificant: ciconiæ abietes ſunt domus.

18. Montes excelſi ibicibus: petræ refugium cuniculis. Psal. 104.
19. Fecit lunam in tempora: ſol cognoſcit occaſum ſuum.
20. Ponis tenebras, & fit nox: in ipſa pertranſeunt omnes beſtiæ ſyluæ.
21. Leunculi rugiunt ad prædam: & ad quærendum à Deo eſcam ſuam.
22. Oritur ſol, congregantur: & in cubilibus ſuis accubant.
23. Exit homo ad opus ſuum: & ad culturam ſuam vſque ad veſperum.
24. Quàm magna ſunt opera tua Domine! omnia ipſa in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſionibus tuis.
25. Hoc mare magnum & latum manibus: illic reptilia quorum non *eſt* numerus, animalia puſilla cum magnis.
26. Illic naues pertranſeunt: draco iſte, quem formaſti ad ludendum in eo.
27. Omnia ad te expectant: vt des eſcam ipſorum in tempore ſuo.
28. Dante te illis colligent: aperiente manum tuam, ſaturantur bono.
29. Abſcondente faciem turbabuntur, auffers ſpiritum eorum & expirant, & in puluerem ſuum reuertuntur.
30. Mittis ſpiritum tuum creantur: & renouas faciem terræ.
31. Erit gloria Domini in ſeculum: lætabitur Dominus in operibus ſuis.
32. Qui reſpicit terram & tremit: tangit montes & fumant.
33. Cantabo Domino in vita mea: pſallam Deo meo quandiu ero.
34. Iucundum erit ſuper eum eloquium meum: ego delectabor in Domino.
35. Deficiant peccatores de terra, & improbi vltra non ſint: benedic anima mea Domino, laudate Deum.

COMMENTARIVS.

V. 1. B*Enedic anima mea Domino.* In hoc Pſalmo creationis opus enarratur, & Deum benedicendum omnia feciſſe ſapientiſſimè in ordinatiſſima creaturarum diſpoſitione, declarat Pſalmographus; vnde ait, Benedic anima mea Domino. Nempe quia nulla eſt ex rebus creatis inferioribus quæ ſciat illi gratias agere præter animam hominis rationalem. Additur, *Magnificatus es vehementer.* Ex tuis operibus nos intelligimus & agnoſcimus te

PSAL. 104. maximum eſſe. *Gloriam & decorem induiſti.* Nimirum cùm à principio cœleſtes orbes condidiſti, qui fuerunt tibi quaſi glorioſum & ſplendidum indumentum: & ex illorum decoro ſplendore, homo naturali ſuo lumine agnoſcit ipſam majeſtatis & gloriæ tuæ magnitudinem eſſe immenſam: ſicut qui veſtes regias induit vt ab alijs dignoſcatur, à quibus communi veſtimento opertus, Rex non agnoſceretur. Scribit verò ſapiens Rabbi Ab. hoc modo in hæc verba, magnitudo decoris & majeſtatis tuæ ita perſtringit oculos animæ meæ intelligentis, vt videre non poſſit gloriam tuam; quemadmodum veſtis impedit quominus cernatur ſubſtantia illius qui eâ eſt indutus. In Deras autem dixit Rabbi Elieſer quid ſibi vult illud, *Vehementer?* Nimirum antequam mundum tuum condidiſſes, eras quidem magnus; at vbi condidiſti illum, magnificatus es vehementer. *Gloriam & decorem induiſti.* Homo carne & ſanguine compoſitus ſi potens ſit viribus, non ſolet eſſe decorus; ſi verò ſpecioſus ſit, robuſtus non erit, vix enim illæ duæ res in vno homine ſimul exiſtunt. Verùm in Deo Opt. Max. duæ res ſimul exiſtunt gloria & decor: quibus

Pſal. 21. 6. etiam Regem Meſſiam exornaturus eſt, ſcriptum quippe eſt, *Gloriam & decorem impones ſuper eum.*

V. 2. *Amictus es lumine.* Incipit à lumine, illud enim primùm, poſt cœlum eſt conditum; vnde ſic dicitur in ipſo legis principio, *Fiat lux.* Illa porro vox עוטה *oote* iſtum habet ſenſum vt iam explicuimus, gloriam & decorem induiſti: vel erit actiuæ ſignificationis & tranſeuntis hoc ſenſu, amiciens, quaſi diceret qui mundum totum lumine operit, veluti cum quis alium veſtimento induit. *Qui extendit cœlum ſicut cortinam.* Hæc de firmamento ſeu expanſo aquas ab aquis diuidente ſunt intelligenda,

Gen. 1. 6. nam & cœlum eſt appellatum, iuxta illud, *Et vocauit Deus firmamentum cœlum*, & ſecundo die fuit creatum. Nec hoc de cœlis ſuperioribus, qui ſunt nouem orbes cœleſtes, dictum eſſe poſſumus aſſerere; ipſi ſiquidem primo die, ante ipſam lucem ſunt conditi: nam primùm omnium creauit Deus benedicendus, illos cœlos & quatuor elementa. Et ipſi quidem orbes cœleſtes per horas duodecim circumuoluti fuerunt, quia cum motu circuitionis cœleſtium orbium, tempus eſt creatum. Et poſt duodecim horas, dixit Deus benedicendus, fiat lux, & facta eſt lux duodecim horarum, & ecce veſpere & mane dies primus.

V. 3. *Qui contignat aquis cœnacula ſua.* Quidam exiſtimant hæc dici de aquis quæ ſunt ſupra expanſo; ſed Phyſici nolunt concedere vllas eſſe aquas ſupra firmamentum; & de re alia, iſtas aquas interpretantur: & poteſt exponi de nubibus ſuperioribus quæ ſunt veluti contignatio ſuper terram. Additur, *Qui ponit nubes currum ſuum.* Eandem ſententiam alijs verbis repetit, dicitque currum ſuum, quia ſcilicet nubes ex eius imperio & voluntate huc & illuc currunt & reuertuntur, non ſecus ac iumenta quæ ad inſidentis nutum gradiuntur. Sic & illud, *Qui ambulat ſuper pennas ventorum*, de celerrima agitatione venti qui nubes impellit in eam mundi plagam, in quam ipſe fertur eſt intelligendum. Dei autem nutu in quamlibet mundi partem ventus impellitur, ac ſi ipſe Deus, pennis eius inſidens ambularet.

V. 4. *Qui facit nuntios ſuos ſpiritus.* Venti flantes eius ſunt nuntij, & ab PSAL.
illo miſſi; nulla enim res caſu euenit, ſed omnia ex intentione intendentis Dei, 104.
fiunt. Quod & de igne flammante eſt intelligendum, quo ignita fulmina &
fulgura denotantur: quæ omnia ex verbo eius & mandato contingunt, & il-
lis ceu miniſtris vtitur. Ecce autem ea hoc loco recenſet quæ fiunt in aëre,
poſteà de terra & aquis eſt loquuturus. Et illa quidem commemorat quæ die
tertio facta ſunt poſtquam terra cœpit apparere: & primò de ipſius terræ fun-
datione agit; quomodo nempe in orbis meditullio conſtabilita eſt, ac dicit;
V. 5. *Qui fundauit terram ſuper baſes ſuas.* Hoc eſt naturam terræ ita
inſtituit, vt ſemper ad centrum deſcendat: locus verò omnium infimus, ad
quem ipſa vergit, eſt ipſius orbis medium. Et ecce ipſa ſuis innixa baſibus con-
ſiſtit, ne poſſit vnquam dimoueri: ſi enim dimoueretur, in vnum è ſex lateri-
bus aſcenderet: at Deus grauem illi naturam indidit, vt ſemper ad ima vergat,
& nunquam aſcendat. Ita etiam ex eius figura, eam enim rotundam inſtar
globi efformauit, eò quod ſit in medio rotundi; nec vlla figura poteſt eſſe in
medio figuræ, quæ in vnum laterum non inclinet, præter figuram circularem.
V. 6. *Abyſſo.* Iam enarrat quomodo terra in ipſo creationis initio aquis
fuerit aliquandiu operta: ea eſt enim aquarum natura, vt extare ſuper terram,
eamque omni ex parte circuntegere debeant, quia tum etiam vndequaque
ſuper illam extabant; verùm Deus benedicendus illas ſuâ potentiâ & ſapientiâ
in latus vnum, à terræ ſuperficie congregauit, vt iam explicuimus ad illum
verſum, Congregans ſicut aceruum aquas maris. Ac terræ ſuperficiem, ad vſum
hominum, germinum, & animantium detexit. Et inde patet ſenſus verborum
iſtorum: *Abyſſo, ſicut veſtimento operuiſti eam.* Nimirùm aquæ priuſquam in
locum vnum confluxiſſent, inſtar veſtimenti obtegebant terram: & prono-
men in voce illa כסיתו *chiſito* operuiſti eam, refertur ad terram, quæ dictio
hebraicè in maſculino genere occurrit, vt iſtis in locis. *Et non ferebat eos ter-*
ra ſimul. Obſcurata eſt terra. Edidit terra eorum ranas. Ita etiam illa dictio Gen.
תהום *thehom* abyſſus generis eſt maſculini & fæminini, vt: *Aquas abyſſi ve-* 13. 6.
hementis. Et *Abyſſus exaltauit illum.* In genere maſculino: *Abyſſus ad abyſ-* Iſa. 9.
ſum clamat. Et: *Abyſſus dicit non eſt in me.* Ecce igitur mox allata expoſitio 19.
vocis כסיתו *chiſito* oſtendit pronomen illud affixum referri ad vocem terræ, & Pſal.
ſenſum eſſe, Abyſſum fuiſſe terræ operimentum, ſicut hominem veſtis inuol- 105. 30.
uit; ita, inquit, abyſſo terram operuiſti vniuerſam: valles etiam & montes, Iſai. 51.
quod iſtis verbis indicatur, *Super montes ſtabant aquæ*; verè enim tunc aquæ 10.
montes ipſos ſuperabant, etiam quoslibet altiſſimos. Et multa occurrunt Ezech.
exempla defectus literæ ב *beth* ante vocem תהום *thehom*: ſic, in, *viſione &* 31. 4.
non in ænigmatibus, vt fornicaretur in *domo patris ſui.* Et multa his ſimilia. Pſal.
Si verò pronomen illud affixum vocis כסיתו *chiſito* ad vocem abyſſum refera- 42. 8.
tur, ſenſus erit, feciſti ipſam abyſſum operientem, aut operimentum ipſi ter- Iob. 28
ræ. Poteſt etiam hic verſus intelligi de eo quod factum eſt poſt aquarum in 14.
locum vnum collectionem, & ſenſus erit poſtquam aquæ in locum vnum Num.
fuerunt compulſæ, effeciſti vt abyſſus eſſet operimentum ſuper terram, ſi- 12. 8.
cut veſtimentum eſt tegmen hominis, illumque totum contegit præter- Deut.
quam eius vultum; ſic etiam aquæ vbi in locum vnum fuerunt congregatæ, 22. 27.

Psal. terram omni ex parte operuerunt præter eius ſuperficiem quæ in ipſa apparuit
104. arida, quæ pars terræ ſiccæ manſit retecta, ſicut humana facies eſt ſemper aperta. Illorum autem verborum, *ſuper montes ſtabant aquæ*, ſenſus erit, etiam collectis in vnum locum aquis, fuerunt montes, in ipſo aquarum loco, aquis operti.

V. 7. *Ab increpatione tuâ fugient.* Iſta duo verba, fugient, & current, futura ſunt pro præteritis, & multa ſunt illis ſimilia: ſenſuſque eſt, ſtatim atque dixiſti, Congregentur aquæ in locum vnum, fugerunt aquæ à facie tua, vt ſolet fugere ſeruus præ increpatione domini ſui; aut veluti aliquis alius fugam arripit à fortiore ſe increpitus. Quo etiam ſenſu dicitur: *A facie increpationis*
Iſa. 30. 17. *quinque fugietis. A voce tonitrui tui.* Sicut cùm aliquis ſuâ voce intonans, alium quempiam territat, qui ſtatim pauidus & præceps ab eo fugit: ſic fugerunt aquæ; tua enim voluntas illis fuit inſtar ſonitûs tonitrui, quo veluti exterritæ fugerunt trepidè & feſtinanter cum in locum in quem erant coërcendæ.

V. 8. *Aſcendent montes.* Dum aquæ ſeſe reciperent, montes aſcenderunt, & valles deſcenderunt, donec ipſæ peruenirent ad locum quem eis præſtitueras: Sunt etiam iſta verba, aſcendent, & deſcendent, futuri temporis, loco præteriti, qualia occurrunt plurima. Porrò coniungit vocem illam, locum, cum pronomine זה *ze* iſtum quem, quo locus collectionis aquarum denotatur.

V. 9. *Terminum poſuiſti*: Poſtquam in locum vnum aquas coërcuiſti, arenam illis in limitem præſtituiſti quem non tranſgrederentur, nec res alias in arida terra poſitas, perderent. *Non reuertentur operire terram.* Sicut in ipſo rerum initio illam vndique operiebant, quod iſtà voce, reuertentur, indicatur. Hoc autem ita factum fuit per conditoris ſapientiam & potentiam, ac præ illius erga ſuas creaturas miſeratione; nam vbi aquæ in locum vnum congregatæ fuerunt, tum verò ſupra terram multùm eleuatæ ſunt, cùm anteà ſuper omnem eius ſuperficiem eſſent expanſæ: in vnum verò locum ſunt coactæ, &
Pſal. 33 6. quaſi in aceruo poſitæ conſtiterunt, iuxta illud, *Congregans ſicut aceruum aquas maris.* Et aquæ quidem ex innata grauitate, ex locis altis in inferiores defluunt: at verò Deus laudandus iſto ſuo verbo, naturalem earum impetum adeò cohibuit, vt fluctus maris ad eius vſque littora deuoluantur, non tamen præſtitutum ſibi terminum transgrediantur, ipſam ſcilicet arenam in maris
Pſal. 107. 23. littore poſitam. Quod verò in alio loco dicitur: *Qui deſcendunt in mare*, hoc de littoribus maris eſt intelligendum, vbi terra eminet ſupra mare.

V. 10. *Qui emittis fontes.* Illud etiam pertinet ad aptam aquarum diſpoſitionem quam ita Deus inſtituit in rerum creatarum commodum: Cùm enim aquas ſimul coërceret, illarum partem in terra reliquit, effecitque vt quæ in loco vno erant congregatæ, eſſent ſalitæ. Nam alioqui cùm non fluant, facilè computreſcerent & inficerent aërem, quapropter eas veluti ſale conditas eſſe voluit, ad conſeruandam aëris temperiem, & impediendum ne putredine inficeretur: illas verò quas in terra reliquit, dulces eſſe fecit dum per eam defluerent; quas etiam in eius medio recondi voluit, quarum aliquam partem in loca quædam emiſit, vt ex ipſis aquæ ſcaturirent ad vſum creaturarum, vt il-

lis ad potum vtantur, & ad irrigationem plantarum, nec non ad refrigeran- PSAL. 104.
dum aërem, & humorem immittendum in corpora rerum viuentium, atque
ad humectandam aëris ſiccitatem, quæ in ipſo ex aquarum maris ſalſedine ef-
ficitur, ac vt ſuis decurſibus irrigent terram, arbores, & ad molas commouen-
das; propterea aquæ dulces fluunt & huc atque illuc diſcurrunt. Atque ob re-
rum à ſe conditarum commodum non emiſit Deus fontes quorum aquæ ſuper
terram diſperſæ exundarent, ne vegetabilibus aut terræ incolis eſſent noxiæ:
ſed illas diffluere voluit per valles quæ inter montes iacent, & ipſæ per ea lo-
ca fluentes, appellantur flumina. Et hoc iſtis verbis ſequentibus innuitur. *In-
ter montes ibunt aquæ*: flumina enim inter montes diffunduntur & per illa de-
fluunt aquæ. Et illarum quidem aquarum quæ per loca incolis frequentata de-
currunt, notiſſima eſt vtilitas pro hominibus: quæ verò per loca deſerta
fluunt, vſui ſunt eis qui per ſolitudines iter faciunt, nec non cæteris animan-
tibus quæ ibi aquas opportunè ad bibendum inueniunt, quod ſubdit dicens.
Potabunt omnes beſtiæ agri. Aquas bibent feræ agreſtes, & onagri frangent ſi-
tim ſuam: meminit verò ſpecialiter onagrorum, quia ipſi locis deſertis aſſue-
ti, loca incolis frequentata non adeunt, iuxta illud. *Onager aſſuetus deſerto*. Ierem. 2. 24.
V. 12. *Iuxta eas volucres cæli*. Prætereà aquæ ſunt commodæ auibus; illa-
rum enim multæ loca illa incolunt in quibus ſunt aquæ. Et dictio על *aal* hoc
loco ſignificat propê, vt etiam in illo: *Et iuxta illum Tribus Manaſſe*. Quæ- Num. 20. 2.
dam etiam ſunt aues quæ ſuper aquas creſcunt; nam & aues aqueæ ſunt natu-
ræ, vt ſcriptum eſt. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile quod* Gen. 1.
volet ſuper terram: Ac ſi diceret, producant duas ſpecies, vnam quæ viuat in 25.
aquis, alteram quæ volitet in aëre, atque etiam commoretur in terra. *De me-
dio ramorum*. Littera א *aleph* quieſcit in voce עפאים *aaphaim*, & vocalis
hhiric eſt loco litteræ י *iod*, ſignificat verò dictio hæc frondes arborum, vt
etiam in lingua Syrochaldaica, hinc illud: *excute ramos eius*. Et *ramus eius* Dan 4.
pulcher. Dixit verò de medio frondium, licet priùs non fecerit mentionem ar- 11. 18.
borum, quia vt plurimùm iuxta ripas fluminum multæ creſcunt arbores. *Dant
vocem*, hoc eſt garriunt & cantirant.
V. 13. *Qui rigat montes de cœnaculis ſuis*. Poſtquam memorauit aquarum
collectionem quæ tertio die facta fuit, & ſimul quoque recenſuit commoda
aquarum quæ ſunt in terra, commemorat etiam plantas quæ eodem tertio die
pariter fuerunt conditæ, iuxta illud, *Producat terra herbam virentem*. Antequam Gen. 11.
autem terra produceret herbam, fons ſeu vapor aſcendit ex ipſa, & omnem 11.
terræ ſuperficiem irrigauit: & poſteà dicitur, *Produxitque Dominus Deus de
terra*, &c. Et hoc eſt, quod Pſalmographus enarrat iſtis verbis, qui rigat mon-
tes de cœnaculis ſuis; nubes enim deſignantur. Montes verò nominauit, quia
ipſi longè magis indigent pluuiâ quàm valles aut planities; in quibus plus hu-
miditatis reperiri ſolet quàm in montibus. Prætereà etiam facilè poteſt homo
valles & planitiem aquis fluminum irrigare, non verò montes. Et poſteà vniuer-
ſaliter ſubdit, ſatiabitur terra. *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra*. Idem
diuerſis verbis repetit, quia fructus nubium eſt pluuia: ac dicit, operum tuo-
rum, quia pluuia eſt opus diuinæ ſapientiæ, & grande miraculum. Sic enim
memorat Eliu dum mira Dei opera recenſet: *Et quando*, inquit, *ponebat plu-*

PSAL. *uia legem*. Et ipſe Deus ſic ad Iob loquitur, *Numquid eſt pluuiæ pater praeter me? vel quis genuit ſtillas roris?* Ecce igitur opus Dei, pater eſt, pluuiâ verò
104. fructus.

— V. 14. *Qui producit fœnum iumentis.* Nam cùm pluuia efficit Deus vt terra producat herbam in vſum pabuli iumentorum & pecudum: Ipſius etiam pluuiæ irrigatione ligna producit, vt infra dicitur, *Saturantur arbores Domini*: ſed prius agit de vtilitate quam ex herbis & graminibus homines & iumenta percipiunt, & inter hæc etiam complectitur productionem arborum quæ fructus humano eſui aptos edunt, & eas poſteà ſpeciatim recenſet quibus maximè homo ad victum vtitur, frumentum, ſcilicet, vinum & oleum. Per illa autem verba: *Et herbam ad culturam hominis*, ſignificatur herba illa quæ eſt ad vſum & alimentum hominum: eam etenim producit cum cultura humana, ſicut adverſus primum hominem decretum eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane.* At verò abſque humano labore terra producit pabulum iumentorum. Dicit autem, *vt educat panem de terra*, quia ideò terram homo ſuis laboribus excolit, vt ex ea educat quæ ſibi ſunt ad victum neceſſaria, & iumentis quibus ad colendam terram vtitur, vt bobus & aſinis. Ex iis verò quæ terra producit quædam ſibi ſeligit, vt triticum & hordeum, ac paleas iumentis. Panis autem nomine omne ciborum genus indicatur, quod ſæpius eo panis nomine appellatur, quia panis in cibum hominis quotidianum ſemper aſſumitur, & de illo mox dicitur, *Et panis, qui cor hominis confirmat.*

Iob.38. 28.

Gen.3. 19.

V. 15 *Et vinum quod lætificat cor hominis*: Vinum etiam ex terra educit Deus, illud enim ad hominum commoda confert, eo ſiquidem cor hominis exhilaratur: ſi enim mœrore affectus illud bibat, animus eius exhilarabitur: non verò tantùm lætitiâ cor demulcet, ſed etiam mentis vigorem reparat: & eius rei fidem faciunt Prophetæ. Oleum ſimiliter producit Deus, quo in cibis vtens homo faciem ſuam nitidiorem & magis lucidam efficit: eius etiam vſus eſt ad lucem accendendam, tempore noctis; ſed hoc loco præcipuum eius commodum recenſuit, nempe quod humanum exhilaret & illuſtret vultum. Iſta autem verba, *Præ oleo*, hunc habent ſenſum, quaſi diceret, ad faciem hominis illuſtrandam magis quàm ab oleo nitida efficiatur: vel forte dum dicit, ab oleo innuit vſum eius eſſe ad lucernas noctu accendendas, ac ſi diceret quandam eſſe eius vtilitatem quod homo eo vtatur ad vultum ſuum nitidum efficiendum; quippe cuius alia adhuc ſint commoda in vſum hominum, nempe ad ardendum & lucendum, nec non ad vnctionem. Quia verò vini & olei vtilitates enarrauit, panis etiam commoda, licet ſatis manifeſta, recenſet, ac illum dicit humanum cor ſuſtentare; nullo enim cibo æquè hominis vigor re-

Gen.18. 5. ficitur ac panis eſu; vnde ſic dicitur, Accipiamque buccellam panis, & fulcite cor veſtrum. Et alio in loco, *Fulci cor tuum buccellâ panis.*

Iud. 19. 5. V. 16. *Saturantur arbores Dei.* Pluuiâ ſcilicet de qua ſuperiùs fecit mentionem dicens, rigans montes de cœnaculis ſuis, &c. Loquitur autem hoc loco de arboribus quæ in ſyluis creſcunt, cum quibus nomen Dei coniungit, quia de altis & omnium excelliſſimis arboribus ſermonem facit. Eſt enim mos ſacræ ſcripturæ, magnas res cum Deo appoſitas exprimere: Et eodem ſenſu

Psal.80. dicuntur arbores Dei, quo montes Dei: & eo loquendi modo illa ſunt dicta,

Cedri

Cedri Dei, Flamma Dei, Caligo Dei, &c. Aut fortè illas arbores Dei appel- Psal.
lit, quod citra humanam induſtriam & culturam enaſcantur & creſcant Et 104.
quia ſuperiùs egerat de herbis & arboribus quæ per hominum laborem creſ-
cunt, eas hoc loco commemorat, quæ nullâ hominis culturâ adhibitâ enaſ- Can 8.
cuntur, ſed ſola Dei ſemper exaltandi voluntate, qui eam terræ vim indidit, Ier. 2.
vt eas ſua ſponte produceret, ac idcircò illas Dei arbores vocat: Quo etiam modo dicit, Cedri Libani quas plantauit. Ideò autem Cedros ſpeciatim nominauit, quod Cedrus omnium ſylueſtrium arborum ſit altiſſima. Quod verò dicit, *Quas plantauit*, indicat illas arbores humana cura non eſſe plantatas, vt illæ quas homines plantant propter fructus ſuo vſui neceſſarios: idcircò ait, quas plantauit Deus, quia illam terræ virtutem indidit quâ eas ad vſum creaturarum ſola ederet: ipſeque illas è cœnaculis ſuis irrigat & ſaturantur, nec opus habent vt ab hominibus irrigentur. Imò etiam in quibuſdam ſyluarum locis quædam inter eas naſcuntur arbores ſine hominum cultura, quæ fructus edant humano vſui aptos, vt pomi, &c.

V. 17. *Ibi aues nidificant.* Nunc earumdem arborum vtilitates, dum adhuc viuunt, enumerat: nam exciſæ multa hominibus afferunt commoda; illis nempe vtuntur ad domos ædificandas, & alia ædificia conſtruenda, & ad naues extruendas. Imò etiam illud lignum quod nulli fabricando operi aptum & commodum eſt, cuiuſmodi ſunt rami & alia quæ inter ſyluatica ligna reperiuntur, vtile tamen eſt igni fouendo: illa enim minuta ligna combuſtioni ſunt aptiſſima: vnde dicit Scriptura ſacra: *Lignum vitis inter ligna ſyluæ* Ezech.
dedi ut ſit alimentum ignis: vbi dicit, Dedi illud, eodem ſenſu quo ſuperiùs di- 15.5.
xit, quas plantauit, vt ibi expoſuimus. Dum verò adhuc in terra vigentes conſiſtunt, etiam ſi nullos edant fructus, ſunt tamen commodæ auibus, quibus domicilium præbent, & aptum nidis extruendis locum: Deus enim laudandus res viliores condidit in vſum earum quæ illis nobiliores ſunt; ſiquidem inter inferiora creata homo præcellit, & ſub eo ſunt omnes aliæ ſpecies viuentium, & ſub ipſis vegetabilia, quibus tandem ignobiliora ſunt lapides, & metalla, vtpote omnis prorſus animæ & motus expertia. Ecce autem Cedros aliaſque proceras arbores condidit Deus, in quibus aues nidificare poſſent: nam ideò aues à Deo exaltando ſunt creatæ, vt per aërem volitarent; vnde quò altiores inueniunt arbores, eò commodiùs in illis requieſcunt ac nidos conconſtruunt. Et iſtâ voce צפורים tſipporim omnes auium ſpecies complexus eſt: Nominatim autem ciconiam memorauit, quippe quæ ſit auis magna, & quæ ſoleat in proceris arboribus reſidere, ac in cedris aut abietibus nidificare: voce, domus, nidus denotatur.

V. 18. *Montes excelſi ibicibus.* Poſtquam expoſuit quodnam ſit domicilium auium, nempe arbores altiores, iam dicit pariter altiſſimos quoslibet montes eſſe ferarum habitaculum. Et ibicum quidem meminit ſpeciatim, quia montes præcelſos maximè perſequuntur, quò ſe ſe recipiant; vnde etiam
Ibices petræ appellantur. *Petra, refugium cuniculis*: Ipſæ etiam petræ beſtiis Iob. 39.
agreſtibus commodæ ſunt & vtiles, nam in ipſis multæ ſunt cauitates & effoſ- 4.
ſa foramina in quibus cuniculi verſari & deliteſcere gaudent: ſic etiam ſub petrarum ſcopulis ſibi latibula quærere ſolent. Vnde fit manifeſtum omnia quæ

Psal. 104. 1. à Deo ſunt condita, propria habere commoda & vſus, & nihil omnino eſſe inutile & omnis expers commodi: & quod minùs eſt dignitate, in præſtantioris ſe, commodum & vſum faiſſe effictum, vt iam expoſuimus. Omnia verò ad hominis vtilitatem & vſum ſunt condita, ipſe ſiquidem cætera omnia dignitate ſuperat. Porrò hoc loco ea eſt proſequutus Pſaltes quæ die tertio fuerunt condita, nec non vtilitates earum, etſi cum ipſis montes ſimul & petras commemorauerit, quæ referri debent ad terram quæ primo die fuit creata; verùm in hoc loco mentionem illorum fecit, ob relationem commemoratæ vtilitatis arborum pro auibus; ſicut & montes ac petræ ſunt perſtrictæ, eò quod feris ſint vſui & commodo.

V. 19. *Fecit Lunam in tempora.* Nunc de illis agit quæ die quarto fuere creata, nempe de magnis luminaribus: & à Luna incipit, etiam ſi tantùm ſit luminare minus, quia ſcilicet nox præceſſit diem, & quartâ nocte luna & ſtellæ miniſtrauerunt lucem; mane autem eiuſdem quartæ diei Sol eſt exortus.
Gen. 1. 14. Dicit verò, fecit Lunam in tempora, vt ſcriptum eſt, *Et ſint in ſigna & tempora.* Porrò hoc loco refert diſtingui tempora per Lunam, non verò per Solem, quia quod de Luna recenſet, illud etiam de Sole accipiendum, ſicuti ſcriptum eſt in lege: ita etiam quod de Luna refert, de ſtellis pariter eſt intelligendum, ipſæ ſiquidem ſimul cum Luna præſunt noctibus. Aut ſenſus eſt horum verborum, ac ſi dicat, fecit Lunam eo modo vt eſſet aliquando deficiens & aliquando plena, vt per eam ſic tempora diſtinguerentur; ac ſi diceret, per eam anni tempora, nempe duodecim menſes, diſtincta notantur: q.apr illam ita diſpoſuit, vt modò plena, modò eſſet deficiens. Singulis q.ippe ſibus innouationem in ſuo lumine patitur, ac per eam varia anni tempora dignoſcimus. Et ita ea in re magno eſt nobis vſui, præter alias vtilitates quas ab eius lumine & aliis virtutibus eius percipimus. *Sol cognouit occaſum ſuum.* Hic omnes Sapientes vnanimi conſenſu ſtatuunt Lunæ corpus eſſe obſcurum, & nihil habere luminis præter illud quod habet à Sole, pro vario ipſius ab eo receſſu aut acceſſu. Sic itaque Luna eſt ac ſi lumen non agnoſceret: lux enim quâ refulget aliquando, non ab ipſa, ſed ab alio emanat, & iſte eſt ingreſſus eius in certa tempora. At verò non ita eſt de Sole, nam eius lumen ab ipſomet effunditur; nouit ergo ſuum lumen. Porrò hæc dictio מבאו *meuoo* ortum ſimul & occaſum Solis deſignat; quando enim Sol oritur, ecce quaſi ſuper terram ingreditur, quando autem occidit, quaſi terram ſubire videtur: verùm quia vnum habet nomen quando primùm apparet, quod Solis ortus appellatur, ideò voce introitus ſimpliciter eius occaſus denotatur. Poſſet etiam exponi dictio iſta, Introitum ipſius, de Luna, vt dicat Solem nouiſſe occaſum Lunæ in ſuo ortu die quarto manè: Et ortus eius tempore, contigerit Lunæ occaſus & introitus ſub terram, quaſi ipſe Sol Lunæ occaſum agnouerit. Vnde & Magiſtri noſtri F. M. dicunt, Sol cognoſcit ſuum occaſum, Luna verò non cognoſcit occaſum ſuum. Nempe quia in eius via ſunt obliqui tramites, quaſi ipſa non nouerit ingreſſum ſuum. Et addunt iidem aliquando quidem longiori circuitu ſpatium ſui curſus peragit, aliquando verò breuiori.

V. 20. *Ponis tenebras & fit nox.* Iam commoda noctis enarrare incipit, & caliginis quidem inductio fit luminis abſceſſu & occaſu: Dicit igitur, quando

tenebras mundo inducis & fit nox, non parum vtilitatis ex illa capiunt multæ Psal.
ſylueſtres feræ, vt leones aliæque beſtiæ ſyluas incolentes, & carniuoræ, qui- 104.
bus aliæ debiliores feræ ſunt prædæ. Interdiu verò non voluiſti illas exire extra
luſtra ipſis à te deſignata, ne aliquid damni ab illis patiantur homines; imò ef-
feciſti vt ipſos homines timerent, iuxta illud: *Et timor veſter ac tremor ſit ſu-* Gen. 9.
per cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli. Et quoniam metu ho- 2.
minum feræ iſtæ prodire cohibentur de die, noctu exeunt ſibique prædam ex-
quirunt, quod his verbis deſignat. *In ipſa pertranſeunt omnes beſtiæ ſyluæ.* Et
dictio תרמש *tirmos* reptant hic ſignificat incedunt, ſicut in iſto loco: *Omnis*
beſtia quæ reptat, & mouetur ſuper terram. Cæterùm littera ו *vau* in voce Gen. 9. 2.
היתו *hhaiato*, eſt paragogica, ſicut & in iſto loco ובנו *ouuno*: *Et filius Beor.* Num.
Et alibi pariter. Porrò ex iſta generali enarratione vtilitatis quam feræ carni- 24.
uoræ ex noctis tempore percipiunt, notum etiam eſt commodum hominibus
allatum ex eodem tempore; ſuis enim à laboribus quieſcunt & vires ſomno re-
ficiunt, ac ſimul cum ipſis iumenta & maiora animalia. Alia eſt præterea tene-
brarum noctis vtilitas, vt cenſent Magiſtri noſtri F. M. aſſerunt enim caligi-
nem & lucem eſſe cauſas generationis & corruptionis.

V. 21. *Leunculi rugiunt.* Dictio כפירים *chephirim* ſignificat leonum
aliarumque ferarum carniuorarum catulos iam adultos & ad prædam excur-
rentes, & maiores quàm, qui voce גור *gour* denotantur. *Ad quærendam à Deo*
eſcam ſuam. Ipſe etenim per variarum cauſarum ſeriem & concatenationem
omni animalium generi eſcam ſuppeditat: dumque ipſæ feræ proprias ſibi eſ-
cas quæritant, eas quaſi à Deo petere videntur.

V. 22. *Oritur Sol congregantur.* Nempe propter homines qui tum ad co-
lendos agros è domibus egrediuntur. *Et in cubiculibus ſuis*: vox iſta אל *el* hoc Exod.
loco, idem ſignificat quod ב *be*, in: ita etiam in illo loco ואל *veel* &, in Ar- 25.
ca repones teſtimonium.

V. 23. *Exit homo ad opus ſuum & ad culturam ſuam.* In agris ſcilicet per-
agendam. *Vſque ad veſperam.* Eo enim tempore in vrbem ſe ſe recipiunt, ac
tum feræ prædam ſibi quærentes obambulant: Vnde patet omnia prorſus ex
intentione Dei intendentis eſſe condita, & ſecundùm Diuinam eius ſapien-
tiam diſpoſita.

V. 24. *Quàm magna ſunt opera tua Domine!* Dictio רבו *rabbou* hoc lo-
co, magna ſunt, ſignificat, vt in illo alio: *Et ſuper omnem magnum domus* Eſter. 1.
ſuæ. Aut numericam quantitatem deſignat; quo ſenſu mox ſubditur. *Impleta* 3.
eſt terra poſſeſſionibus tuis, poſtquam ſcilicet abſoluit enumerationem rerum
creatarum in terra, quarum mentio refertur ad mentionem plantarum & lu-
minarium: nam in illis euidentiùs Diuina ſapientia hominibus apparet, quam
in creatis aliis quæ in mari exiſtunt quapropter hunc verſum enarratione illa-
rum concluſit, & dixit nos ex eis agnoſcere ac perſpicere magna eſſe Dei ope-
ra, & ſummâ ſapientiâ omnia eſſe perfecta. *Impleta eſt terra poſſeſſionibus tuis.*
Omnis terra plena eſt omnibus tuis poſſeſſionibus ac operibus tuis, nullaque
res in ea eſt quæ caſu contigerit: idcircò autem dixit, impleta eſt, quia nullus
eſt in tota terra locus inanis & vacuus in quo non Diuina conſpiciantur opera. Gen. 14.
Porrò ſenſus huius vocis, poſſeſſionibus tuis, idem eſt ac in iſto loco, *Deo ex-* 19.
celſo poſſeſſori cæli & terræ.

Psal. 104. V. 25. *Hoc mare magnum.* Iam ſermonem facit de rebus quinto die conditis, nimirùm de piſcibus & proprio illorum loco, ſcilicet mari quod magnum eſt & latum manibus: magnum longitudine, & latum locis ſeu ſpatiis. Dicit autem, hoc, quoniam omnibus eſt notum & conſpicuum, De auibus, quæ etiam die quinto creatæ fuerunt, iam quoque mentionem fecit per occaſionem. Dicit verò de piſcibus, *quorum non eſt numerus*; longè enim copioſius ſoboleſcunt & multiplicantur quàm agreſtes beſtiæ. Prætereà etiam quia ſingulis anni temporibus progignuntur, quapropter terræ animantia numero longè ſuperant, ac idcircò dixit, quorum non eſt numerus.

V. 26. *Illic naues pertranſeunt.* Senſus eſt, etiam ſi terreſtres creaturæ in mari non habeant habitationem, nihilominùs eà homines ſapientià inſtruxiſti, quâ poſſent illud nauibus permeare, & è loco in locum per illud transfretare ac piſces in eſcam ſuam in ipſo venari: ſicuti ſuâ benedictione conceſſit illis, Gen.1. 28. cùm dixit: *Et dominamini piſcibus maris.* Nauium autem vi homines dominantur piſcibus, ſicut dicitur in Pſalmo cuius initium eſt, *Quam admirabi-* Pſal.8.1. *le eſt nomen tuum, volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Draco iſte quem formaſti ad ludendum in eo.* Maximus ſcilicet ille piſcis de quo agit Scriptura in libro Iob, & eius fortitudinem & robur enarrat. Cæterùm de eo dicit Pſalmographus, Draco iſte, licet homines minimè illum videant, ſed quia ſatis eſt notus ex illis quæ de illo Scriptura enarrat. Addit verò, Ad ludendum in eo, hoc eſt, in mari; ac ſi diceret, omnibus creaturis in mari verſantibus ipſe illudit, nam illæ omnes quaſi nihilum coram eo reputantur, ac omnes eius poteſtati ſubduntur, & quaſcumque ex illis voluerit, pro libitu deuorat. Et hic locus eumdem habet ſenſum ac iſte, *Et ipſe*, Nabucho-Habac. 1. 10. donoſor, *Reges ſubſannat & principes luſus ſunt ei, ipſe omni munitioni illudit.* Omnem enim rem quam aliquis habet contemptui, dicitur ridere & ſubſannare: ſic, *Dominus irridebit eum*, Et, *Deridebis omnes gentes*, &c. *Qui habitat in cælis irridebit.* Ecce igitur hîc expoſitæ ſunt res omnes quæ ſexto die extiterunt conditæ, beſtiæ ſcilicet & iumenta; nam hominis, iam ſuperiùs ex occaſione eorum de quibus ibi agebatur, facta eſt mentio.

V. 27. *Omnia ad te expectant.* Hoc de omnibus creatis inferioribus vitâ præditis aſſerit, omnia, inquit, iſta creaſti, & propriam illis eſcam pariter condidiſti: & eapropter ſingulis diebus ea ad te expectant, vt des ſibi eſcam ſuam opportuno tempore, ſicut infrà ſcriptum eſt, *Qui dat eſcam omni carni.* Porrò fit illud per mutuas cauſarum connexiones: atque in tua ſitum eſt poteſtate, vt neceſſarius illis cibus aut tribuatur aut denegetur. Dixit verò, *In tempore ſuo*, in numero ſingulari. Cuilibet etenim ſpeciei animantium propria eſt eſca præſtituta: vel illud, In tempore ſuo, ad animal eſcam ſuam edens, eſt referendum. Cæterùm dixit, Ad te expectant, etiam ſi bruta animantia ſint deſtituta cognitione quâ ſciant à quonam ſibi paretur & detur eſca propria, nihilominus ipſa, ex innato ſibi naturæ impulſu, expectant & inhiant ad ſtatutum ſibi cibum atque ad alimentum ſibi dari ſolitum. Et licet ipſa non agnoſcant à quonam illa ſibi danda expectent, nos verè agnoſcimus illa à te neceſſaria ſibi expectare, tu enim es qui illa concedis, & de illis proſpicis.

V. 28. *Dante te illis colligent.* Eandem ſententiam aliis verbis in hoc

verſu repetit. Dominus autem Pater meus piæ M. in illud verbum, colligent, de Psal.
ſterilitatis tempore interpretatur, cùm ſcilicet hinc inde minutatim colligunt 104.
homines : at fertilitatis tempore, aperis, inquit, manum tuam & bonis ad
ſatietatem fruuntur.

V. 29. *Abſcondente* autem *te faciem tuam turbantur.* Cùm ſemel faciem
tuam abſcondis, hoc eſt, cùm neceſſariam eis eſcam ſubtrahis, ſtatim contur-
bantur; nulla enim ipſis poteſtas ineſt quà ſine te, ſibi ad victum neceſſaria pa-
rare valeant. *Auffers ſpiritum eorum & exſpirant.* Dictio תוסף *toſeph* idem ſignifi-
cat quod תאסף *teeſoph* aufferes; quâ loquendi formâ dictum eſt illud, *Spiritum
eius & animam eius colligeret : Et in pulucrem ſuum reuertentur.* Ablato enim Iob 34.
ſpiritu ab animali, corpus in puluerem reſoluitur. 14.

V. 30. *Mittis ſpiritum tuum & creantur.* Aſſerunt plerique naturalis
ſcientiæ periti, omne animal poſt mortem ſuam ad vitam iterum fore exci-
tandum; quia nempe animæ perpetuâ * reuolutione in corpora ſunt reuerſuræ :
verùm non redeunt in corpus ſeu materiam primam, ſicut ipſa eſt in ſeipſa :
hoc autem ſemper fiet per aliquot annorum millia vt quidem ipſi cenſent.
Sed præſtantiſſimi Philoſophorum aſſerunt animam in corpus non reuerſu-
ram in æternum quemadmodum Iob ipſe dixit, *Donec non erit cœlum non* Iob. 14.
expergiſcentur. At ſecundùm religionem noſtram nos ſumus ſemen Iſraëlis, 12.
ac fidei noſtræ firmiter adhæremus docenti fore vt animæ reuertantur in ma-
teriam primam ex qua ſunt egreſſæ, tempore viuificationis mortuorum de
qua Deus ſemper exaltandus multa nobis teſtimonia dedit. Porrò illud con-
tinget per modum miraculi & prodigij, non autem ſolis naturæ viribus;
Qua de re; dicit hoc loco, *Mittis ſpiritum tuum & creantur, & renouas
faciem terræ.* Nam etſi verſus præcedens iſtum de cunctis animantibus, &
non de ſolo homine loquatur; hæc tamen verba ſunt intelligenda de homi-
ne, qui eſt omnium viuentium inferiorum præſtantiſſimum. An verò ſit futu-
ra mortuorum reſurrectio quoad omnes homines, diſſentiunt inter ſe noſtri
ſapientes, ac vt plurimùm docere ſolent ſolos iuſtos mortuos, non verò im-
probos in vitam eſſe reuocandos. Et rectum eſſe videtur hunc verſum inter-
pretari de cunctis animantibus & non de ſolis hominibus, vt ſit ſenſus,
Mittis ſpiritum tuum, & mox alia creantur. Cùm moriuntur aliqua noua
ſubinde naſcuntur in eorum locum. Et ſic ea de re ſcriptum eſt : *Generatio* Eccl.
præterit & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat. Nam manent 1. 4.
vniuerſalia, pereunt verò particularia: dicitque, *Et renouas faciem terræ.* Ni-
mirum per ea quæ naſcuntur; ſemper enim alia de nouo exoriuntur.

V. 31. *Erit gloria Domini in ſæculum.* Poſtquam de omnibus Dei operi-
bus egit, de quibus initio libri Geneſeos, hoc addit, ſicuti dicitur in lege, vi-
dit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Dicit ergo, omnia eius
opera ſunt ipſius gloria, & ipſe lætabitur in illis : quæ ſi voluerit perdet om-
nia, ac in priſtinum nihilum reuertentur. Et hoc iſtis verbis innuit, *Qui re-*

* Per hanc volutationem fingunt quamque animam per quandam metempſychoſin ex [illegible] homine in alium, ex homine in beſtiam, etiam autem tranſmigrare. Abarbinel tamen [illegible] lippus Aquinus hæc eſſe allegorica volunt ad terrendos peccatores, &c. vide etiam Thi[illegible] ſuæ in voce גלגול *gilgoul*.

PSAL. 104. ſpicit terram & contremiſcit. Aut illa verba, Erit gloria Domini, ſunt intelligenda de tempore liberationis vt dicat, ecce omnia eius ſunt opera, & lætatur in illis quando homo diuinæ voluntati eius obtemperat, omnia enim propter eum ſunt condita, tunc Deus lætatur. Et in præſenti ſeculo aliquando mœrore, interdum verò lætitia afficitur vt diluuij tempore contigit, dictum

Gen. 6. 6. quippe eſt, *Et doluit in corde ſuo, & pœnituit Dominum.* Sic etiam ſe res habet de hominibus qui vixerunt tempore diuiſionis Gentium, & de incolis Sodomæ & Gomorrhæ, ac de alijs generationibus quarum praua fuerunt opera, & tum Deus non eſt lætatus in operibus ſuis. At verò Meſſiæ temporibus

Soph. 3. 9. de quibus ſcriptum eſt, *Quia tunc conuertam ad populum labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini, & ſeruiant ei humero vno.* Illud porro continget cùm improbi ex mundo defecerint vt ſcriptum eſt, Et erunt omnes ſuperbi & omnes facientes iniquitatem, vt ſtipula, & inflammabit eos dies

Mal. 4. 1. Domini venturus. Tum verò eluceſcet gloria Domini in æternum & lætabitur Dominus in operibus ſuis; & hoc erit cùm abſumpti fuerint impij. Et hoc eſt quod dicit, *Qui reſpicit terram & tremit.* Cæterùm dolor & lætitia figuratè ſolùm Deo exaltando attribuuntur; nullo ſiquidem doloris aut lætitiæ ſenſu afficitur, nec ab vno affectu in alium vnquam immutatur. Sed ſicut homo lætitiæ ſenſu demulcetur cùm res illius proſperè ſuccedunt, & propter contrarium, mœrore afficitur; pari modo res iſta de Deo benedicendo per metaphoram dicitur, vt quæ de ipſo dicuntur poſſint ab auditoribus intelligi.

V. 32. *Qui reſpicit terram & tremit.* Hoc figuratè etiam de peccatorum perditione dicitur, quaſi terra concuteretur & quaſi montes arderent igne, propter iræ diuinæ magnitudinem: ac ſi diceret ipſum eſſe contriturum cor-

Deut. 32. 22. nu impiorum vt vt robuſtiſſimum. Sic etiam in lege dicitur figuratè, *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, &c. Et inflammabit fundamenta montium.* Dicit verò, Qui reſpicit & mox, tangit montes & fumant, vt oſtendat eius tactum, eſſe ipſius promiſſionem ac prouidentiam.

V. 33. *Cantabo Domino.* Hoc dicit in perſona Iſraëlitarum & eorum qui ex Gentibus diuino cultui ſunt addicti, ac ſi diceret, impij quidem omnes peribunt, ego verò per totam vitam meam cantabo Domino.

V. 34. *Suaue erit ſuper eum eloquium meum.* Et gratum erit Deo eloquium meum, hoc eſt, canticum meum, gratiarum actio & laus. *Et lætabor in Domino.* Pro eo quod ſuperiùs dixerat, *Lætabitur Dominus in operibus ſuis.* Ac ſi diceret ipſe in nobis lætabitur, & nos in ipſo pariter delectabimur; & ſenſus eſt, Erimus nos ipſi in populum & ipſe erit nobis in Deum.

V. 35. *Deficient peccatores à terra.* Et tunc omnes peccatores abſumentur vt ſupra iam expoſuimus, & nulli deinceps in eorum locum ſuccedent, & ita ſcriptum eſt, *Et de terra alia germinabunt.* Nam in præſenti ſeculo ſiquidem peccatores deficiant, alij ſtatim exoriuntur; at verò Meſſiæ temporibus vbi ſemel impij exterminati fuerint, nulli ampliùs in hoc mundo futuri ſunt improbi, & hoc eſt quod illis verbis innuit, *Et improbi vltra non erunt;* Quare ſuam animam alloquitur dicens, *Benedic anima mea Domino.* Sic pariter ad idem populos omnes adhortatur dicens, Laudate Deum. Sapiens autem Rabbi Abraham F. E. verba iſta, Sit gloria Domini, de rebus

creatis interpretatur, quia Dei verbo factæ fuerunt: illúdque verbum, lætabitur, de perpetua duratione vniuerſalium. Illa porro verba, Qui reſpicit Psal. 104.
terram, hunc habere ſenſum exiſtimat, nempe Deum terram nulli innixam fulcimini ſuſpenſam continere, eámque ſuâ potentia ſuſtinere ne in æternum vacillet. Quæ, ſi vellet, motibus continuis agitaretur & ipſi montes igne conſumerentur. Illud etiam, Cantabo, verba eſſe Pſalmographi exiſtimat, hoc quaſi dicentis, Quamdiu ego in vi[illegible]s ago, gratiarum actiones Deo ſemper extollendo rependere debeo qui tanta ſuæ potentiæ monimenta producit. Illorum verborum, Ego delectabor in Domino, [illegible] hunc eſſe ſenſum vt illis innuat animam ſuam permanſuram ſemper ac fore inſtar vniuerſalium. Iſta verò, Deficiant peccatores, eſſe dicta per modum orationis à Propheta; nempe quia glorioſo ac tremendo nomini Dei grates non referunt, nec mira eius opera conſiderant. Benedic anima mea. Sclilicet propter interitum improborum. At intelligentibus dicit, Deum laudate. Et dixit Rabbi F. M. centum & tres ſectiones ſeu Pſalmos edidit Dauid & non dixit canticum, illud nimirum hallelouia donec viderit impiorum interitum, & tunc illud vſurpauit * Etiam in ipſo libri initio ſcripſimus Hallelouia omnium maximum, continere ſimul canticum & laudem: & dictio יה *iah* eſt pars media nominis Dei, quæ compendij causâ cum verbo הללו *hallelou* conjuncta eſt ad vnam vocem componendam Hallelouiah.

* Halleluia magnum appellant Hebræi hymnum compoſitum ex ſex Pſalmis, nempe Pſalmo 113. & quinque ſequentibus, quem hymnum maiori ſolemnitate in Neomenia, Encænijs, & tribus præcipuis feſtis ſtantes decantant quàm alios omnes Pſalmos. Atque etiam in nocte Paſchatis poſt agnum comeſtum, ad menſam iſtum hymnum ſolemniter dicebant eíque ſubjungebant acclamationem Halleluia: vnde illi nomen. Et fortè Chriſtus cum Apoſtolis Iudæorum ritum in comedendo Paſchate obſeruans eundem hymnum recitauit, vt Math. 26. 30. his verbis innui videtur, *Et hymno dicto exierunt in montem oliuarum.* Vide Paulum Burgenſ. Epiſcop. Scindler. & Buxtorf. in rad. הלל *halal.*

PSALMVS CENTESIMVS QVINTVS.

1. CONfitemini Domino, inuocate nomen eius: nota facite inter populos, opera eius.

2. Cantate ei, pſallite illi: narrate omnia mirabilia eius.

3. Laudamini in nomine ſancto eius: lætetur cor quærentium Dominum.

4. Quærite Dominum & fortitudinem eius: quærite faciem eius ſemper.

5. Mementote mirabilium eius quæ fecit: prodigiorum eius & iudiciorum oris eius.

6. Semen Abraham ſerui eius, filij Iacob electi eius.

PSAL. 105.

7. Ipſe Dominus Deus noſter : in vniuerſa terra iudicia eius.

8. Memor fuit in ſeculum pacti ſui : verbi quod mandauit in mille generationes.

9. Quod pepigit cum Abraham : & iuramenti ſui ad Iſaac.

10. Et ſtatuit illud Iacob in ſtatutum, Iſraël in fœdus æternum.

11. Dicens tibi dabo terram Chanaan : funiculum hæreditatis veſtræ.

12. Quum eſſent numero modico : pauciſſimi & peregrini in ea.

13. Et pertrexerunt de Gente ad Gentem : & de regno ad populum alterum.

14. Non permiſit hominem injuriâ illos afficere : & corripuit propter eos Reges.

15. Nolite *inquiens* tangere Chriſtos meos : & Prophetis meis nolite malefacere.

16. Et vocauit famem ſuper terram, omne baculum panis contriuit.

17. Miſit ante eos virum, in ſeruum venundatus eſt Ioſeph.

18. Afflixerunt in compedibus pedes eius : *in* ferrum venit anima eius.

19. Donec veniſſet verbum eius : eloquium Domini examinauit eum.

20. Miſit Rex & ſoluit eum : dominator populorum, & dimiſit eum.

21. Conſtituit eum dominum domus ſuæ : & dominatorem in omni poſſeſſione ſua.

22. Vt vinciret Principes eius, ſecundùm voluntatem ſuam : & ſenes eius ſapientiam doceret.

23. Et intrauit Iſrael in Ægyptum, & Iacob peregrinatus eſt in terra Cham.

24. Et auxit admodùm populum ſuum, & roborauit eum præ inimicis eius.

25. Conuertit cor eorum vt odio haberent populum ſuum : vt dolum facerent in ſeruos ſuos.

26. Miſit Moyſen ſeruum ſuum, Aaron quem elegit ipſum.

27. Poſuerunt in eis verba ſignorum eius, & prodigia in terra Cham.

28.

28. Miſit tenebras & obſcurauit: & non repugnarunt verbo eius. PSAL. 105.

29. Conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum.

30. Edidit terra eorum ranas, in cubilibus Regum eorum.

31. Dixit & venit omnimoda muſca; cyniphes in omnibus terminis eorum.

32. Poſuit pluuias eorum grandinem, ignem flammantem in terra eorum.

33. Et percuſſit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contriuit arbores finium eorum.

34. Dixit & venit locuſta, & bruchus *quorum* non erat numerus.

35. Et comedit omnem herbam in terra eorum, & comedit fructum terræ eorum.

36. Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis roboris eorum.

37. Et eduxit eos cum argento & auro: & non erat in Tribubus eius infirmus.

38. Lætata eſt Ægyptus in egreſſione eorum; quia incubuerat timor eorum ſuper ipſos.

39. Expandit nubem in tegumentum: & ignem vt illuſtraret noctem.

40. Petierunt & venire fecit coturnices: & pane cœli ſaturauit eos.

41. Aperuit petram & fluxerunt aquæ: decurrerunt in locis aridis flumina.

42. Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui cum Abraham ſeruo ſuo.

43. Et eduxit populum ſuum in exultatione: electos ſuos in lætitia.

44. Et dedit illis terras Gentium: & laborem populorum poſſederunt.

45. Vt cuſtodirent ſtatuta eius, & leges eius obſeruarent halleluia.

Psal. 105.

COMMENTARIVS.

POſtquam Dauid Arcam è domo Obed Gethæi in vrbem Dauidis tranſtuliſſet, hunc Pſalmum edidit, cúmque tradidit Aſapho & eius fratribus decantandum coram Arca, ſicut ſcriptum eſt in libris Parallip. vbi etiam hic Pſalmus repetitur deſcriptus vſque ad illa verba, & Prophetis meis nolite mala facere. Eſt quidem aliqua diuerſitas inter vtrumque, ſed idem eſt ſenſus. Cúmque Dauid hunc hymnorum librum colligeret, hunc etiam Pſalmum ei inſeruit, quem & prolixiorem fecit additâ narratione poſterorum Abrahami vſque ad eorum in terram Iſraëliticam ingreſſum: Scripſit tunc Pſalmos duos, hunc ſcilicet & alium cuius initium eſt, Cantate Domino omnis terra. Aſſerúntque Magiſtri noſtri F. M. hunc Pſalmum, Confitemini Domino, &c. Dauidem manè, illum verò, nempe, Cantate Domino, &c. inter duas veſperas decantaſſe. Dicunt præterea hos duos Pſalmos quotidie ante Arcam fuiſſe decantatos, donec Salomon illam in domum * ſeculorum, ſeu templum intulit. Item illa verba.

1. Paral. 16.

V. 1. *Confitemini Domino.* Eſſe Dauidis cantores & cœtum populi adhortantis. *Inuocate nomen eius.* Nempe vt ipſum oretis quomodo dicitur, *Et ego nomen Domini inuocabo.* Vel ſenſus eſt, Ad docendum viam Domini, quemadmodum dicitur, *Et inuocauit ibi Abraham nomen Domini.* Et hoc eſt quod ſubjungitur, *Nota facite inter populos opera eius.* Illa nimirum opera quæ fecit in Philiſtæis propter Arcam.

Pſal. 116. 31. Gen. 13. 3.

V. 2. *Cantate ei, pſallite illi.* Ore ſimul & inſtrumentis. *Enarrate omnia mirabilia eius.* Simul etiam colloquamini de omnibus eius mirabilibus ab eo propter Arcam patratis, tum etiam de alijs quæ apud vos eſt operatus.

V. 3. *Laudamini in nomine ſancto eius.* Vos meritò ſuper alios omnes populos gloriari poteſtis de nomine ſancto eius quod propter vos ſanctificatum fuit, vt contigit in mirabilibus propter Arcam editis. *Lætetur cor quærentium Dominum.* Propterea lætetur cor veſtrum, vos enim Dominum exquiritis, aut cor cuiuſlibet Dominum exquirentis: illorum etiam qui ſunt ex Gentibus cor lætetur in nomine Domini dum ipſum exquirunt.

V. 4. *Quærite Dominum & fortitudinem eius.* Arca nominatur fortitudo iuxta illud, *Et tradidit in captiuitatem fortitudinem ſuam*, ac ſi diceret, quærite tabernaculum Arcæ ibique coram illa orate, ſicque, Quærite faciem eius, Orate ſemper coram ipsâ. In Midras, dixit Rabbi Iſmaël filius Rabbi Halpheta Rabbi Iſmaëli filio Rabbi Ioſe, tu exoptas videre in ſeculo iſto Diuinam gloriam? ſtudium ac operam tuam impende circa terram Iſraël: perinde ac ſi diceret in terra Iſraëlitica faciem diuinitatis allucere, ibique preces effuſas citò exaudiri.

Pſal. 78. 61.

V. 5. *Mementote mirabilium eius.* In animo ſitis memores eorum mirabilium quæ edidit in gratiam Iſaëlitarum in Ægypto, in deſerto & poſtquam etiam ingreſſi ſunt in terram: tum illorum quoque quæ ob Arcam in terra

* Vocant Salomonis templum iſto nomine, quia ex eo Arca non fuit tranſlata vt ex Gilgal, Silo, Nob. &c.

Philiſtæorum ſunt facta. Nam propter ſignum aliquod recens editum, & propter vnum aliquod miraculum homo tenetur præcedentium omnium prodigiorum recordari, quod illis verbis innuitur: *Memoriam fecit mirabilibus ſuis. Et iudiciorum oris eius.* Qualia fuerunt plagæ quibus ab initio Moſis Prophetæ ſui operâ Ægyptum affecit: & ſic fuere iudicia in Ægyptios, vt loquitur, ore ſeu iuſſu eius inducta. Psal. 105. — Pſal. 110. 4.

V. 6. *Semen Abraham ſerui eius.* In libro Paralip. habetur ſemen Iſraël ſerui eius; ſed porſus eſt idem: nam quod hîc dicitur, ſemen Abraham, de ſolis Iſraëlitis, non verò de reliquis Abrahæ poſteris eſt intelligendum: & ita ipſi Abrahamo dixit Deus, *Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Ipſe pariter Iſaac Iacobo dixit, *Et det tibi benedictionem Abraham, tibi & ſemini tuo tecum.* Ex quibus omnibus patet ſemen peculiare & Abrahamo proprium eſſe ipſum ſemen Iſraëlis. Ita etiam mox ipſemet exponit cùm dicit, *Filij Iacob electi eius*, ac ſi diceret, quodnam verò eſt illud ſemen Abrahæ? nimirum filij Iacob quos ipſe Deus ex cæteris eiuſdem poſteris ſelegit. Gen. 21. 12. Gen. 2?. 4.

V. 7. *Ipſe Dominus Deus noſter.* Etiamſi in vniuerſa terra iudicia eius, & totum mundum ipſe adminiſtret, eſt tamen Deus noſter & nos populus eius. In Deras verò ſic quæritur, quidnam indicant iſta verba, Ipſe Deus noſter? Pronomen illud הוא *hou* ipſe, quinquies reperire eſt in ſcriptura in malum ſumi, & quinquies in bonum. In malum quidem, Ipſe fuit potens venator. Ipſe Eſau pater Edom. Ipſe Dathan & Abiron. Ipſe Rex Achas. Ipſe Aſſuerus. Et quinque in bonum. Ipſe Abraham. Ipſe Moſes & Aaron. Ipſe Eſra aſcendit ex Babilonia. Ipſe Ezechias obturauit aquas Gihhon. Dixit Rabbi Barachias, Et ipſe Deus cum iuſtis eſt annumerandus, nam ipſe eſt Deus noſter.

V. 8. *Memor fuit in ſeculum pacti ſui.* Eius nempe quod pepigit cum Abrahamo, quemadmodum in verſu ſequenti refertur: illius, inquam, pacti perpetuò fuit memor erga poſteros eius; nam poſt quartam generationem illis promiſſam terram donauit. Et illud eſt, *Verbum quod ipſe mandauit*, ac ſi diceret, quòd certò futurum eſſe decreuit ſicut Abrahamo promiſerat, ita promiſſa ſua erga ſemen eius impleuit. Quod verò dicat, *In æternum & in mille generationes*, ratio eſt, quia terra illa in perpetuum ad Iſraëlitas pertinebit, etſi iam diu ex ipſa ejecti verſentur in exilio. Rurſus enim in illam ſunt reuerſuri, & nunquam inde aliò ſunt demigraturi, & hoc iſtis verbis indicatur, In æternum, &, In mille generationes. In Midras ſic diſquiritur, quid indicant illa verba, In mille generationes? nimirum totius generationis principem, Quo etiam ſenſu dicitur, hic conſtitutus eſt princeps eorum nomine. Princeps autem ille generationis, eſt Abraham pater noſter.

V. 9. *Quod pepigit cum Abraham.* Vt ſcriptum eſt, *In die illa pepigit Dominus fœdus cum Abrahamo dicens, ſemini tuo dabo terram hanc*, &c. Gen. 15. 18.
Porro illud fœdus de Iſaac fuit, hoc eſt, propter Iſaac vt ipſemet Deus promiſit, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Iuramentum autem Abrahamo fuit præſtitum, cùm ſe ſe ad ligatum Iſaac immolandum accinxiſſet, vt ſcriptum eſt, *Per me metipſum iuraui*, &c. Ipſi quoque Iſaac promiſit dicens, *Et complebo iuramentum quod iuraui Abrahamo patri ſuo.* Gen. 21. 12. Gen. 22. 16 Ibid. c. 26.

PSAL. 105. V. 10. *Et ſtatuit illud Iacob.* Hocce fœdus & hoc iuramentum conſtituit Iacob in ſtatutum & Iſraëli in pactum æternum, nam de ſpeciali & determinato ſemine, ſancitum fuit illud fœdus, & præſtitum iuramentum, non verò

Gen. 28. 4. de poſteris Eſaui; & hinc Iſaac ſic alloquitur Iacob: *Et det tibi benedictionem Abrahæ, tibi & ſemini tuo tecum vt hereditate accipias terram peregrinationum tuarum quam dedit Deus Abraham.*

V. 11. *Dicens tibi dabo.* Vnicuique horum patrum ita fuit dictum. *Funiculum*

Gen 34. 30. *lum hereditatis veſtræ.* Ad Iſraëlitas hoc refertur.

V. 12. *Cùm eſſent numero.* Patriarchas eorùmque familias ait modico fuiſſe numero, vnde ipſe Iacob dicebat ad filios; *Nos pauci ſumus, pauxilli & peregrinantes in ea.* Breuiſſimo tempore in ea terra Chanaam ſunt peregrinati, ex illa enim coacti ſunt egredi: hinc Abrahamus propter famem in Ægyptum & in terram Philiſtæorum eſt profectus. Iſaac pariter in eandem conceſſit, & Iacob in Ægyptum & hoc ſequentibus innuit.

V. 13. *Et pertranſierunt de Gente ad Gentem.* Interea tamen diuinam promiſſionem firmam ac certam in corde ſuo conſeruatunt, nec curioſiùs Dei conſilia & opera ſunt perſcrutati. *Perrexerunt*, è terra Chanaan in terram Ægypti & Philiſtæorum. *Et ex regno ad populum alium.* Idem alijs verbis repetit.

V. 14. *Corripuit propter eos Reges.* Pharaonem nempe & Abimelechum.

V. 15. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Illos porro ab hoc dehortabatur vel in ſomnis, vt Abimelechum & Labanum; vel plagis immiſſis, vt Pharaonem, Abimelechum & quoſuis alios qui malis eos afficere voluerunt. *Chriſtos meos.* Principes & viri magni fuere, & inſignes à Regibus ſunt habiti perinde ac ſi fuiſſent Reges vncti. Vnde ſic Abrahamo dixerunt filij Heth:

Gen. 23. 6. *Princeps Dei es in medio noſtri.* Ita etiam Abimelech Iſaacum proſequutus eſt vt pacem cum illo iniret. *Et Prophetis meis.* Primi enim Patres dono prophetiæ fuerunt inſigniti, & Deus eos in viſione prophetica, aut in ſomnis alloquebatur: hinc de Abrahamo ita ipſe Deus loquitur Abimelecho, *Nunc*

Gen. 20. 17. *ergo redde vxorem viro quia Propheta eſt.*

V. 16. *Et vocauit famem.* Cauſam hîc enarrat propter quam Iacob migrauerit in Ægyptum; ſenſus dictionis, vocauit, eſt, fames terram Chanaan inuaſit quaſi à Deo euocata, mala enim inflicta hominibus, ab ipſo decreta

1. Reg. 8. 1. ſunt & immiſſa: Quo etiam modo loquitur Eliſæus Propheta, *Vocauit enim Dominus famem, & etiam venit ſuper terram ſeptem annis. Omne baculum panis contriuit.* Hoc eſt panem, ac ſi dicat, effecit ne terra proferret vllum cibum quo homines ſe ſuamque vitam tueri ac ſuſtentare ſolent.

V. 17. *Miſit ante eos.* Nimirum ante Iacobum & filios eius; iam enim ſuperiùs patrum ſimul & filiorum meminit, Miſit, ratio eſt, quia Deus benedicendus effecit per ſomnia quæ ſibi immiſſa declarauit Ioſephus, vt in ſummam apud fratres ſuos inuidiam veniret: & hoc ipſum dicit ipſe Ioſeph: *Pro ſalu-*

Gen 45. 5. *te*, inquit, *veſtra miſit me Deus ante vos. In ſeruum venundatus eſt Ioſeph.* Hoc eſt propter ſeruum: ac ſi diceret, vt eſſet ſeruus fuit venditus: & eum ha-

Eſter. 7. 4. bet ſenſum litera ל *lamed* in iſto loco, *Atque vtinam in ſeruos & ancillas venderemur.*

V. 18. *Afflixerunt in compedibus.* Cùm ſcilicet à Domino ſuo in carcerem
conjectus fuiſſet. *Pedes eius.* Scriptum eſt quidem רגליו *raglau* pedes eius, Psal.
vtrumque enim pedem vinculis conſtrinxerunt, ſed legitur רגלו *raglo*, pes 105.
eius generaliter. *Ferrum venit anima eius.* Hoc eſt, in ferrum, ac ſi dice-
ret, in catenas ferreas. Porro dixit anima eius ſiquidem anima præ dolore cor-
poris affligitur; quo etiam modo illud dicitur, *Proiecta es ſuper faciem agri* Ezech.
in die quâ nata es propter abominationem animæ tuæ, hoc eſt, corporis tui. 16.

V. 19. *Donec veniſſet verbum eius.* Vſque dum verbum illius peruenit ad
Pharaonem; nam pincernarum Princeps de ipſo apud Pharaonem verba fecit
& tunc, *Eloquium Domini probauit illum.* Hoc ſiquidem effecit Deus illo
ſomnio quod oſtendit Pharaoni, cuius interpretationem ſolus Ioſeph dare po-
tuit, & tunc egreſſus è carcere quaſi argentum igne purgatum coram Pha-
raone apparuit. In Midras verò Rabbi Haiia, filius Aba & alij Magiſtri variè
hunc locum ſic exponunt vt vnus dicat, vſque ad tempus quo venit verbum
eius, nempe Ioſephi, alter verò dicat, vſque ad tempus quo venit verbum
eius ſcilicet Dei ſancti & benedicti. Cùm enim Ioſeph Principi pincernarum
dixiſſet, *Sed memento mei tecum quando bene tibi fuerit*, &c. Dixit illi Gen.
ſanctus & benedictus per vitam tuam in doloribus & in vinculis permane- 40. 14.
bis adhuc duos annos; vnde ſcriptum eſt, *Poſt duos annos*: * quapropter il-
lud, Donec veniret verbum eius de Dei ſancti decreto eſt intelligendum.

V. 20. *Miſit Rex.* Sicut ſcriptum eſt, *Tunc miſit Rex Pharao & vocauit* Gen.
Ioſeph & feſtinanter eduxerunt eum de carcere. 41. 14.

V. 21. *Conſtituit eum Dominum.* Iuxta illud, *Tu eris ſuper domum* Ibid.
meam, &c.

V. 22. *Vt vinciret Principes eius.* Vt poteſtatem haberet, ſiquidem ne-
ceſſe eſſet, vinciendi eius Principes & magnates non ſecus atque ipſemet
Pharao. Ita enim ei dixit, *Et ad tui oris imperium cunctus populus armabi-* Gen.
tur, vno tantùm regni ſolio te precedam. Ex quibus conſtat Pharaonem con- 41. 40.
ceſſiſſe Ioſepho omnem authoritatem, præterquam regiæ dignitatis honorem.
In anima ſua. Hoc eſt, in voluntate ſua iuxta illud, *Ne tradideris me in* Pſal. 27.
animam tribulantium me. In Midras circa hæc verba ſic dicitur, vt vinci- 12.
ret Principes eius in anima ſua, de Puthiphare loquitur cuius iuſſu Ioſephus
in carcerem fuit conjectus. *Et ſenes eius ſapientiam doceret.* Sapientes qui-
libet appellantur ſenes, etiamſi alioquin ſint iuuenes; nimirum quia in ſe-
nibus vtplurimùm reperitur ſapientia, vt ſcriptum eſt, *In antiquis eſt ſapien-* Iob. 12.
tia, &c. Porrò ſenſus eſt Ioſephum fuiſſe ſapientem & docuiſſe ſapientes 12.
Pharaonis, quod illis eſſet ſapientior comprobatus; vnde ſic dixit illi Pharao:
Non eſt intelligens & ſapiens ſicut tu. Gen.

V. 23. *Et intrauit Iſrael in Ægyptum.* Vrgente videlicet fame grauiſſi- 41. 39.
mâ, vt impleretur decretum quod inter diuiſas ſacrificij partes ſancitum &
reuelatum fuerat Abrahamo, nempe, *Quòd peregrinum futurum ſit ſemen* Gen. 15.
tuum in terra non ſua. In terra Cham. Miſraim quippe, à quo ſic Hebraicè 13.
denominata eſt Ægyptus, filius fuit Chami.

* Innuere videtur Deum permiſiſſe vt Ioſeph in carcere per duos annos detineretur, licet innocens, eoquòd humanam opem poſtulaſſet.

Psal. 105. V. 24. *Et auxit populum ſuum.* Nimirùm Deus ſuprà nominatus iſtis in
verbis, *Eloquium Domini excoxit eum.* Dicit autem Deum benedicendum
multiplicaſſe admodum populum ſuum in terra Ægypti, ſicut ſcriptum eſt:
Exod. 1. 7. *Porrò filij Iſrael creuerunt & quaſi germinantes multiplicati ſunt. Et roborauit
eum præ hoſtibus eius.* Iſraëlitas fecit robuſtiores Ægyptiis, qui poſteà tandem
hoſtiliter & inhumanè Dei populum tractarunt, vt ſcriptum eſt, Ac roborati
ſunt vehementiſſimè: quapropter eos timuerunt Ægyptij. Et quò magis eos
numero & viribus augeri in dies cernebant, eò magis formidabant ipſos, iux-
Ibid. ta illud, *Et anguſtiabantur propter filios Iſrael.*

V. 25. *Conuertit cor eorum.* Verbum illud, conuertit, eſt tranſitiuum &
ſenſus eſt, Deus benedicendus conuertit cor illorum, ipſe enim hoc ita futu-
Gen. 15. 15. rum decreuit & prædixit iſtis verbis, *Et ad ſeruiendum cogent illos, & eos affli-
gent.* Aut fortè hoc verbum, Conuertit, eſt intranſitiuum, ac ſi dicat, Con-
uerſum eſt cor eorum. *Vt dolum facerent.* Hoc eſt, vt mala contra eos conſi-
lia machinarentur, quomodo tandem illos omnino perdere poſſent, vt di-
Exod. 1. 10. ctum eſt, *Venite, ſapienter opprimamus eos.*

V. 26. *Miſit Moyſen ſeruum ſuum.* Sic etenim appellabatur Moyſes, vt
Ioſ. 1. 2. *Moyſes ſeruus Dei*, &c. *Moyſes ſeruus Dei mortuus eſt. Aaron quem elegit.*
Exod. 7. 1. Ad illam videlicet legationem, ſicut ipſe dicit, *Et Aaron frater tuus erit Pro-
pheta tuus.*

Exod. 11. 10. V. 27. *Poſuerunt in eis.* Quemadmodum ſcriptum eſt: *Moyſes autem &
Aaron fecerunt omnia prodigia iſta coram*, &c.

V. 28. *Miſit tenebras.* Plagas Ægyptiis inflictas ordine non hic recenſet,
nec illas etiam omnes commemorat, quoniam in lege habentur deſcriptæ,
ſed aliquas tantùm illarum refert, vt ſigna iſta in memoriam reuocet: Sic pari-
ter fecit in eo Pſalmo cuius initium eſt, *Attende popule mi legem meam. Et
obſcurauit.* Illam videlicet terram Ægypti. *Et non repugnarunt verbo eius.* Ita
quidem ſcriptum eſt, legitur tamen, verbis eius, ſed idem vbique ſignificatur,
niſi quod hoc eſt generale, & illud particulare. Porrò hoc verbum, non repu-
gnarunt verbo eius, refertur ad ſigna quæ ante nominauit; non repugnarunt
diuino imperio, ſed venerunt ſuper Ægyptios iuxta verbum illius: vel ſenſus
eſt, non rebellarunt Moyſes & Aaron verbo Dei, ſed ad quæcumque ab illo
miſſi fuerunt, licet eos increparet ac dura minitaretur Pharao, obtemperan-
tes iuerunt. In Midras circa eadem verba, Et non rebellarunt verbo eius, Rab-
bi Eleazar ita dicit, Et non rebellarunt plagæ verbo eius: Rabbi verò Iuda fi-
lius Rabbi Simon ſic dicit, Et non rebellarunt domus iudicij * ſuperioris,
verbo eius.

V. 29. *Conuertit aquas.* Et occidit piſces eorum nimirum ſanguis, intere-
mit piſces qui nonniſi in aqua viui conſeruantur.

V. 30. *Edidit copioſe terra eorum.* Vocem, ארץ *eretſ* terram hoc loco in
genere maſculino vſurpat, quod etiam fit in illo, *Et non capiebat eos terra*,
Gen. 13. 6. &c. Dicit verò terram abunde produxiſſe ranas, cùm ipſa terra non illas edi-
derit, ſed fluuius, nam ita ſcriptum eſt, *Et ebullies fluuius ranas*: ſed idcircò

* Talmudici vocant Curiam ſeu Conſilium maximum 72. ſenioribus conſtans, Domum ſu-
periorem.

dicit terram eorum edidiſſe ranas: quòd in quocumque loco terræ ipſorum, aquæ ranas copioſe produxerint, ſicut eſt ſcriptum de omnibus fluuiis, riuis & paludibus regionis illius. *In penetralibus regum illorum.* Et ingreſſæ ſunt ranæ ipſa etiam Regum ipſorum ſecretiora cubicula. PSAL. 103. Ibid.

V. 31. *Dixit & venit Cœnomya.* Voluit ita & multa mala animalia excitauit vt Ægyptum inuaderent, *ſcyniphes in omnibus terminis eorum*, vt ſcriptum eſt, *Omnis puluis terræ, verſus eſt in ſcyniphes.* Exod. 8. 17.

V. 32. *Poſuit pluuias ignem flammantem in terra eorum.* Sicut ſcriptum eſt, & diſcurrebat ignis ſuper terram. Et hoc loco, dictio אש *eſch* ignis coniungitur cum voce להבות *lahauot* flammarum, cùm è contra dicatur aliquando, flammæ ignis: ita dicitur coccineum dibaphum, & dibaphum coccineum.

V. 33. *Et percuſſit vineas eorum & ficulneas eorum.* Nempe grando iſtas arbores verberauit. Porrò vineam & ficum ſpeciatim nominauit, ſicut etiam in Pſalmo, *Attende popule mi legem meam*, quia harum præcipuè arborum magna erat copia in Ægypto. Pſ. 78.1.

V. 34. *Dixit & venit locuſta.* Eodem modo hoc exponendum eſt, quo illud ſuperius, Dixit & venit Cœnomya. *Et bruchus.* Eam locuſtarum ſpeciem præ aliis nominat.

V. 35. *Et comedit fructum terræ eorum,* Nempe fructus arborum quas grando intactas reliquerat.

V. 36. *Et percuſſit.* In hoc verſu rem eandem verbis diuerſis repetit.

V. 37. *Et eduxit eos.* Nempe Iſraëlitas, paulò ſuperiùs nominatos. *Et non erat in Tribubus eius debilis.* In duodecim Tribubus quæ numeroſiſſimo populo conſtabant, ne vnus quidem fuit homo qui eſſet infirmus aut pauper, ſed omnes multo argento & auro onuſti exierunt.

V. 38. *Lætata eſt Ægyptus in egreſſione eorum* Nempe quia irruerat timor Iſraëlitarum ſuper eos, iuxta illud, *Et dixerunt Ægyptij nos omnes moriemur.* Exod. 12 32.

V. 39. *Expandit nubem in tegumentum.* Poſtquam ſcilicet egreſſi fuiſſent ex Aegypto, Dominus autem præcedebat eos ad viam oſtendendam per diem, in columna nubis, &c. Dictio autem מסך *maſach* non ſignificat hîc tegumentum ſupernum, ſed eiuſmodi tegument in quod eſſet inſtar cortinæ ante illos; quo etiam modo vox eadem accipi debet iſto in loco, *Et aulæum oſtio appenſum.* Nubes etenim illa præibat illis iter facientibus; at dum quieſcentes ſederent, ipſis incumbebat vſque dum proficiſci inciperent. Ac fortè illa dictio eadem vtrumque tegumentum ſignificat, nimirum & quod iter facientibus præibat, & quod quietis incumbebat. Exod. 13. Num. 3. 29.

V. 40. *Petierunt & venire fecit.* Iſraëlitæ in deſerto panem & carnes petiuere, & Deus venire eis fecit coturnices veſperi, vt veſcerentur carnibus, & manè panem, quo illi ſatiarentur. *Et pane cæli.* Manna videlicet eos ſaturauit, eò quòd ipſi cum murmure petiiſſent panem dicentes, vtinam mortui eſſemus in terra Aegypti quando comedebamus panem in ſaturitate. Exod. 16 3.

V. 41. *Aperuit petram & fluxerunt aquæ.* Nempe in Raphidim. *Decurrerunt in locis aridis flumina.* Per loca ſiticuloſa & arida, aquæ decurrerunt inſtar fluminis. Porrò in Detas vox iſta ציות *tſiot* explicatur ex iſto loco. *Et*

Psal. 105. *nauis magnifica non tranſeat per eum*, quaſi diceret, tam altæ & copioſæ fuerunt aquæ, vt in nauicula per illas irent.

V. 42. *Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui.* Nam hæc omnia erga illos præſtitit ob merita Abrahami; ipſi ſiquidem tot & tantis beneficiis erant indigni; quippe qui cum Deo ſemper contenderent ac illum tentarent. Nec etiam digni erant quos educeret ex Ægypto, niſi ob pactum cum patribus illorum
Exod. 2. 24. initum, vt ſcriptum eſt: *Et recordatus eſt fœderis quod pepigit cum Abrahamo*, &c. vnde ſubiungit.

V. 43. *Et eduxit populum ſuum in exultatione.* Cùm populum ſuum ex Ægypto eduxit, voluit vt cum gaudio & ouatione egrederentur: Et ipſi quidem læti erant, Ægyptij verò mœrore affecti lachrymabantur, vt ſcriptum
Num. 33. 3. eſt, *Videntibus cunctis Ægyptiis & ſepelientibus primogenitos quos percuſſerat Dominus. Electos ſuos.* Sic eos propter eorum patres appellat.

V. 44. *Et dedit eis.* Quando illos eduxit, non illud in ipſos beneficium contulit, eo tantum conſilio vt ex ſeruitute in libertatem illos aſſereret, ſed prætereà Gentium terras illis dedit poſſidendas, eâ conditione vt ſtatuta
Deut. 11. 7. eius & leges obſeruarent, ſicut in ipſa lege ſcriptum eſt. *Introducam enim eum in terram pro qua iuraui patribus*, &c. *Quòd ſi ſtatuta mea non cuſtodierint*, erunt *in deuorationem*, *& ex ipſa terra migrare cogentur. Laudate Deum.* Hâc voce hortatur author Pſalmi ſuæ ætatis Iſraëlitas & eorum nepotes qui ipſis ſucceſſuri erant, vt Deum perpetuò celebrent propter bona quæ in patres illorum contulit, Laudate Deum, inquit.

PSALMVS CENTESIMVS SEXTVS.

Halleloüia.

1. CONfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

2. Quis loquetur potentias Domini, audire faciet omnem laudem eius.

3. Beati qui cuſtodiunt iudicium; qui faciunt iuſtitiam in omni tempore.

4. Memento noſtri Domine, in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo.

5. Ad videndum in bono electorum; ad lætandum in lætitia gentis tuæ. ad gloriandum cum hereditate tua.

6. Peccauimus cum patribus noſtris: peruersè egimus, iniquitatem fecimus.

7.

7. Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua; Psal. non fuerunt memores multitudinis miſericordiarum: ſed rebel- 106. lauerunt iuxta mare, in mari rubro.

8. Et ſaluauit eos propter nomen ſuum: vt notam faceret potentiam ſuam.

9 Et increpuit mare rubrum & exſiccatum eſt: & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto.

10. Et ſaluauit eos de manu odientis, & redemit eos de manu inimici.

11. Et operuerunt aquæ hoſtes eorum: vnus ex eis non remanſit.

12. Et crediderunt verbis eius: cantauerunt laudem eius.

13. Accelerauerunt, obliti ſunt operum eius: non expectarunt conſilium eius.

14. Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto; & tentauerunt Deum in ſolitudine.

15. Et dedis eis petitionem ipſorum, & miſit maciem in animam eorum.

16. Et inuiderunt Moyſi in caſtris, Aaroni ſancto Domini.

17. Aperuit ſe terra & deglutiuit Dathan: & operuit ſuper congregationem Abirom.

18. Et exarſit ignis in congregatione eorum: flamma combuſſit peccatores.

19. Et fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt fuſile.

20. Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem bouis comedentis herbam.

21. Obliti ſunt Deum ſaluantem eos, facientem magna in Ægypto.

22. Mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

23. Et dixit vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in ruptura in conſpectu eius: vt auerteret iram eius ne diſperderet.

24. Et deſpexerunt terram deſiderabilem: non crediderunt verbo eius.

25. Et murmurauerunt in tabernaculis ſuis; non exaudierunt vocem Domini.

26. Et eleuauit manum ſuam aduerſus eos vt proſterneret eos in deſerto.

PSAL. 106. 27. Et vt deiiceret ſemen eorum in nationibus, & diſperge-
ret eos in terras.

28. Et adiuncti ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum.

29. Et irritauerunt Deum in operibus ſuis, increuit in eis ruina.

30. Et ſtetit Phinees & exorauit; & ceſſauit plaga.

31. Et reputatum eſt ei in iuſtitiam, in generationem & generationem vſque in ſempiternum.

32. Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & malè fuit Moyſi propter eos.

33. Quia exacerbauerunt ſpiritum eius, & protulit labiis ſuis.

34. Non deleuerunt populos quos Dominus dixerat illis.

35. Et commixti ſunt inter Gentes; & didicerunt opera eorum.

36. Et ſeruierunt ſculptilibus eorum: & fuerunt illis in ſcandalum.

37. Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis.

38. Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum quos ſacrificauerunt ſculptibilibus Chanaan: & polluta eſt terra in ſanguinibus.

39. Et coinquinati ſunt in operibus eorum, & fornicati ſunt in ſtudiis eorum.

40. Et iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam.

41. Et tradidit eos in manum Gentium: & dominati ſunt eorum qui oderant eos.

42. Et afflixerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manu eorum.

43. Sæpenumero liberauit; ipſi autem prouocabant eum in conſilio ſuo, & humiliati ſunt propter iniquitatem ſuam.

44. Et vidit cum tribularentur, audiendo clamorem eorum.

45. Et memor fuit illis pacti ſui: & pœnituit eum ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum.

46. Et dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui captiuos ceperant eos.

47. Saluos nos fac Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus: vt confiteamur nomini ſancto tuo, vt gloriemur in laude tua.

48. Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſeculo & vſque in ſeculum :& dicat omnis populus, Amen Halleloüia. PSAL. 106.

COMMENTARIVS.

V. 2. *QVis loquetur potentias Domini, audire faciet?* Senſus eſt, & quis auditas faciet. Et pronomen quis, ſemel expreſſum eſt loco duorum. In Pſalmo quidem precedenti illa recenſentur quæ ad primos Patriarchas ſpectant, cum iis quæ Deus erga Iſraëlitas in Ægypto geſſit: in hoc verò Pſalmo ea etiam referuntur quæ illorum gratiâ præſtitit, poſtquam egreſſi fuerunt ex Ægypto, toto illo tempore quo per deſerta ſunt vagati; imò & poſtquam in terram fuerunt introducti: Porrò ſic loquitur author Pſalmi, ſi potentiarum Domini enarrationem & omnium eius laudum celebrationem aggrediamur, ac ſi diceret, ſi velimus recenſere & prædicare omnia prodigia quæ patrum noſtrorum, & etiam noſtri causâ edidit (ob illa ſiquidem ipſum laudare tenemur) Quis verò poterit auditas facere omnes eius laudes? Cæterùm per potentias Domini, illa ſunt intelligenda quæ cum admiranda fortitudine in Ægypto ac in mari patrauit, vt dicitur, *Dominus vir belli*, hoc eſt potentiſſimus victor. Et quemadmodum tot ac tanta ſunt facta hæc eius ſtupenda vt inenarrabilia videantur, quiſnam ea valebit eloqui? Quòd autem hoc loco dicat nullum eſſe hominem qui omnes Dei laudes enarrare poſſit: & Pſalmo nono Deum ſic alloquatur, *Narrabo omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*; reſpondendum eſt Dauidem promittere ſe omnes Dei laudes enarraturum propter omnes anguſtias quas ab hoſtibus ſuis erat perpeſſus; dicit inquam, ſe laudem & gratiarum actionem redditurum eſſe Deo cuius beneficio fuit liberatus. At verò cùm aggreditur narrationem omnium ſignorum ac mirabilium quæ Deus eſt operatus in gratiam Iſraëlitarum cùm in Ægypto tum in deſerto ac per ſingulas ætates, tum dicit, Quis auditam faciet omnem laudem eius? Imò etiam nemo eſt qui recenſere poſſit quot beneficia & miſericordiæ ſigna exhibeat Deus ſanctus & benedictus, vel vni alicui per dies ſingulos: vnde alio in Pſalmo ſic dixit, *Annuntiabo & loquar? plura ſunt quàm vt enarrem:* Nam ſæpenumero Deus benedicendus mira beneficentiæ ſigna exercet erga aliquem, quæ ipſe tum non cognoſcit nec aduertit, donec poſt interiectum aliquod tempus de illis attentiori animo cogitet: hinc Magiſtri noſtri F. M. dixerunt, is qui inſigne aliquod à Deo beneficium accipit, illud non agnoſcit. Cùm ergo dicit Dauid (omnes laudationes tuas,) loquitur de manifeſtis & omnibus notis miraculis quæ causâ illius ediderat Deus in bellis quæ cum hoſtibus geſſit: ſic etiam dicitur in Midras, Ecquis eſt qui ſcire poſſit quot prodigia quotidie faciat Deus ſanctus & benedictus cum homine? Nempe continget aliquando vt aliquis in lecto dormiat, & eodem in loco ſit poſitus ſerpens, & ſtatim ac ſurgit homo ille & ſtare incipit, ſentit ipſum ſerpens, quem cùm ille iamiam pedibus eſt preſſurus, mox ab eo ſerpens aufugit; Et ipſe quidem homo ignorat quantum erga ſe Dei optimi max. ſit expertus miraculum, & ita in ſimilibus. Antequàm verò ſuam narrationem incipiat autor Pſalmi, hæc præmittit.

Exod. 15. 3.

Pſal. 9. 15.

Pſal. 40. 6.

Psal. 106. V. 3. *Beati qui cuſtodiunt iudicium.* Ac ſi diceret, Beati eſſent Iſraëlitæ ſi præſcripta ſibi à Deo iudicia obſeruarent; eo ſiquidem omni tempore quo diuinæ obtemperant voluntati, innumeris à Deo bonis cumulantur. Imò etiam quando ab ipſo per rebellionem deficiunt, multo illos tempore tolerat, ſi fortè ad meliorem frugem conuertantur. Si autem iudicia eius obſeruent ac iuſtitias in omni tempore, hoc eſt, ſemper, faciant, quantò magis tunc multa in eis conferet beneficia, & è ſua terra nunquam exportabuntur. Nam Spiritûs ſancti lumine illuſtratus author Pſalmi, eos ex propria terra propter iniquitates demigraturos præuidebat; quapropter ſequentem verſum ſubiunxit. *Memento mei Domine in beneplacito populi tui.* Dixit porrò (qui faciunt iuſtitiam in omni tempore.) Nam Iſraëlitæ quidem aliquando bonum faciebant, ſed longè ſæpiùs praua erant illorum opera: quare dixit, in omni tempore, feliciſſimi eſſent ſi continuò bonum agerent.

Gen. 1. 14. V. 4. *Memento mei*. Si de ſeipſo hunc verſum dicat Pſaltes, à Deo petit vt ſe è ſepulchro excitet cum mortuis qui redemptionis tempore ſunt futuri: & ita etiam de ſequenti verſu eſt ſentiendum: vel hunc verſum dicit in perſona exulum Iſraëlitarum: eorum enim quilibet Deum rogat vt dignus ſit qui redemptionis beneficium experiatur, ac dicit, Memento mei Domine eo tempore quo tuam erga populum tuum beneuolentiam exhibebis, cúmque ab exilio reuocabis, memento mei, & tuâ me gratiâ proſequaris, vt vſque ad redemptionis tempus viuam.

V. 5. *Ad videndum in bono electorum tuorum* Vt particeps effici merear boni quo fruetur populus tuus electus, nempe libertate quâ illos es donaturus. *Ad lætandum in lætitia gentis tuæ.* Eandem ſententiam ter verbis diuerſis repetit de more ad grauiorem emphaſim. *Vt lauderis cum hereditate tua.* Hoc eſt, cum Iſraëlitis, ſicut de illis dicitur. Ipſi ſunt populus tuus & hereditas tua. Porrò ſunt qui vocem להתהלל *lihithallel* exponant pro lætari, ſicut & illam,

Leuit 19. 24. *Sanctitas* הלולים *hilloulim, gaudiorum*: Quo etiam modo locum illum interpretantur, *Et virgines eorum non fuerunt lætitiâ affectæ.* Vnde & in ſcriptis Ma-

Pſal. 78. 63. giſtrorum noſtrorum F. M. locus lætitiæ appellatur domus הלולא *hilloula*, gaudij. Verùm neceſſe non eſt hæc omnia ex propria ſignificatione laudis dimouere, nam & in lætitia nuptiarum ſolebat aliquis laudare ſponſum & ſponſam, quâ de causâ thalamus nuptialis appellatur domus laudis, vnde verba iſta, *Et virgines eius non fuerunt laudatæ*, hunc habent ſenſum, non ſunt aſſequutæ illa præconia quibus nouæ ſponſæ ſolent in ſuis thalamis celebrari. Senſus ergo horum verborum, *Ad gloriandum cum hereditate tua*, eſt, fore vt in lætitia quâ afficientur ob egreſſum ſuum ab exilio, glorientur præ aliis omnibus populis, eò quòd ipſos ſibi in peculium elegerit Dominus.

V. 6. *Peccauimus.* Iam in perſona exulum loquitur. *Cum patribus noſtris.* Quemadmodum peccauerunt patres noſtri, ſic etiam nos peccauimus.

V. 7. *Patres noſtri in Ægypto.* Cùm eſſent egreſſi ex Ægypto non attentè perpenderunt miracula quæ illorum gratiâ ibidem edideras. *Non fuerunt memores multitudinis miſerationum tuarum.* Maxima ſiquidem miſericordiæ ſigna erga illos exhibuiſti, & ingentia edidiſti miracula, dum in manu forti & plagis in Ægyptios immiſſis, è domo ſeruitutis eos eduxiſti: inter eos etiam &

Ægyptios feciſti diſcrimen; Cùm enim plaga à te immiſſa in omnem regionem deſæuiret, ipſi ab ea fuerunt exempti. Ecce enim cùm grando in omem reliquam Ægypti regionem effunderetur, tum in terram Goſen, in qua Iſraëlitæ reſidebant, nihil decidebat grandinis. Ita de peſte quæ in Ægyptiorum pecora immiſſa eſt, dicitur, *De animalibus verò filiorum Iſrael nihil omninò periit.* Exod. 9. 6.
Eo etiam tempore quo per totam terram denſiſſimâ caligine aër obſcuratus fuit, lux ſolita omnibus Iſraëlitis alluxit. Et de promiſcua muſcarum copia dicitur, *Poſui redemptionem inter populum meum & populum tuum.* Et ita de Exod.
cæteris plagis eſt ſentiendum, quamuis non ſit ſcripto mandatum. Et tamen 14.
vbi eſſent egreſſi & ipſos inſequerentur Ægyptij, cum murmure dixerunt, *An quia non erant ſepulchra in Ægypto, ideò tuliſti nos vt moremur in ſolitudine?* Non attenderunt animum nec in memoriam reuocarunt fore vt ab eo qui in Ægypto tot mirabilia in ipſorum gratiam patrarat, etiam ab inſequentibus Ægyptiis liberarentur, ſed contra Deum benedicendum auſi ſunt loqui, & ſibi in animum induxerunt eum minimè ipſos poſſe liberare. Et hoc iſtis verbis innuitur, *At rebellauerunt iuxta mare, in mari rubro.* Siquidem Ægyptij eos ſunt aſſecuti cùm caſtra poſuiſſent iuxta mare; & quodnam illud mare, rubrum ſcilicet. Quidam illa verba, Sed rebellarunt iuxta mare, ſic exponunt, nempe quod diuiſum mare præ nimio pauore non auſi ſint intrare. In Midras autem ſic circa eadem dicitur, quid eſt hoc, *At rebellarunt iuxta mare?* Nimirùm poſtquam Moyſes coram eis mare diuiſiſſet, ipſis cœnoſum apparuit, iuxta illud, *Direxiſti per mare equos tuos, in luto aquarum multarum.* Et de ipſis Ægyptiis ita Abac. 3. 15.
ſcriptum eſt, Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus luti Exod. 1. 15.
& lateris, omnique famulatu quo in terræ operibus premebantur. Poſtquam igitur ad mare deſcenderunt, ſic alter ad alterum dicebant; Conculca calcationem tuam, tere trituram tuam, ex luto & lateribus egreſſi ſumus, in lutum & in lateres iterùm ſumus ingreſſuri. Ego vero expoſitionem iſtam magnoperè demiror, cùm ita de mari ſit ſcriptum, *Et vertit Dominus mare in ſiccum:* Et Exod. 14. 27.
in hoc ipſo Pſalmo ſic dicitur, Et deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto: vnde diſcere eſt nihil in mari fuiſſe cœnoſum, ſed omnia ſicca inſtar aridæ ſolitudinis.

V. 8. *Et ſaluauit eos propter nomen ſuum.* Nempe ab inſequentibus Ægyptiis: Propter nomen ſuum, ac ſi diceret, quamuis in ipſum rebellaſſent, ſuamque in illo fiduciam minuiſſent, hoc tamen effecit propter nomen ſuum, vt nempe in Gentibus innoteſceret, & vt illius potentia nota fieret, vt ipſe dixit, *Et glorificabor in Pharaone & in curribus & in equitibus eius.* Exod. 14. 4.

V. 9. *Et increpuit mare rubrum & exſiccatum eſt.* Hæc autem increpatio nihil aliud fuit quàm ventus quem immiſit in mare donec illud penitùs exſiccaret. Et hoc ipſo loquendi modo vtitur alius Propheta dicens, *Qui increpat mare & illud exſiccat.* *Et deduxit eos per abyſſos ſicut per deſertum.* Per medias Nah. 1. 4.
abyſſos maris Iſraelitas deduxit in tanta ſoli ſiccitate, ac ſi per deſertum iter feciſſent.

V. 10. *Et ſaluauit eos de manu odientis.* Iuxta illud. *Et ſaluauit Dominus in die illa Iſrael de manu Ægyptiorum.* Exod.

V. 11. *Et operuerunt aqua hoſtes eorum.* Non ſatis viſum eſt Deo Iſraëlitas 14. 27.

Psal. ex hoſtium poteſtate liberaſſe, ipſos præterea in maris medium excuſſit, &
106. aquæ illos omnes operuerunt itaut ne vnuſquidem illorum remanſerit.
——. V. 12. *Et credidernnt verbis eius.* Quemadmodum ſcriptum eſt, Et cre-
Exod. diderunt in Dominum. *Cantauerunt laudem eius*, iuxta illud, *Tunc cecinit*
15. 1. *Moyſes & filij Iſrael*, &c.

V. 13. *Accelerauerunt, obliti ſunt.* Siquidem vix tribus elapſis diebus poſtquam à mari rubro profecti erant, & in Mara venerant ſtatim populus murmurauit, & omnia illa prodigia ſunt obliti quæ paulò ante Deus eorum causâ patrarat; cuius operum ſi fuiſſent memores, animo ſuo vtique perpendiſſent eum tot miracula ipſorum gratiâ non edidiſſe, nec ipſos per mare traduxiſſe vt poſtea ſibi perire ſineret. Sed tantillùm adhuc expectare debebant quidnam ſibi facturus eſſet Deus benedicendus, ſicut ad illum vſque diem ſe ſe erga ipſos gerere ſolebat. Sed non expectarunt conſilium eius, imò aduerſùs eum murmurarunt: optima enim erga illos præſtare conſtituerat; vnde & magnum illis miraculum exhibuit dum aquas antea amariſſimas effecit dulces.

V. 14. *Et concupierunt concupiſcentiam.* Et hæc fuit illa tentatio quâ probari ſibi voluerunt num etiam Deus poſſet ipſis dare carnes in deſerto & ſoli-
Pſal. 78. tudine, vt ſcriptum eſt in Pſalmo cuius initium eſt, *Attende popule mi legem*
2. *meam. Nunquid etiam panem poterit dare?* Dictio enim לחם *lehhem* eo in
loco ſignificat carnem vt ibidem expoſuimus.

V. 15. *Et dedit eis petitionem ipſorum, & miſit maciem.* Hoc eſt, mortem illorum qui concupierant: vſus eſt autem dictione illâ maciem ſignificante, nempe idcirco quòd ipſi animam ſuam concupiſcentià carnium ardentem ſe expleturos & ſaginaturos eſſe exiſtimauerint, cùm tamen contrarium euenerit illis.

V. 16. *Et inuiderunt Moyſi.* Litera ל *lamed* hoc loco ponitur pro ב *beth*,
Gen. 4. ſic etiam in iſtis: *Occidi virum in vulnere meo*, &c Verbum illud קנא
23. *quinne* æmulatus eſt, zelo motus fuit, conſtructum cum litera ל *lamed*, in
bonam partem accipitur vt, *Quia zelatus eſt pro Deo ſuo. Et zelo zelatus*
Num. *ſum pro Domino Deo.* Sed conjunctum cum litera ב *beth* in malum ſumitur
25. vt, *Inuidebant igitur ei fratres ſui.* Et, *Quia zelaui in inſanos.* Litera
1. Reg etiam ל *lamed* præpoſita voci Aaron eſt loco literæ ב *beth.* Porro illa inui-
19. 10. dia fuit Chore ſeditio: & illam toti populo Iſraëli attribuit, eóquòd eius au-
Gen. 37. thores non ſtatim compreſſerint. Imò ipſis adhæſerunt non pauci ex filijs
11. Ruben; & præterea ducenti & quinquaginta viri totius cœtus Principes ex
Pſal. alijs Iſraëlitis. Appellat verò Aaronem Sanctum Domini, nam & ipſi ita ſunt
73. 3. loquuti. Quia omnis multitudo Sanctorum eſt: & Moyſes dixit, Is quem elegit Dominus, Sanct s eſt, ſic ergo Aaron eſt ſanctus Domini.

V. 17. *Aperuit ſe terra.* Eſt futurum hoc loco pro præterito: ita & in illis locis, *Tunc canet Moyſes.* Et, *Facient vitulum in Horeb.* Et multa ſimilia. Nullam verò Coræ mentionem facit, nempe quia manifeſtum erat omnibus illum fuiſſe caput ſeditionis: vel eius tantùm adjutores nominauit, quia ſceleris adjutores pejores ſunt ipſo authore ſceleris; ſi enim nullos ſibi ſocios inueniret, prauum conſilium ſuum non poſſet vnquam perficere. Dicunt

etiam Coram fuiſſe cum alijs igne correptum & terrâ abſorptum: nam in lege Psal.
cum illis recenſetur; quapropter hîc ipſum omiſit. Commemorauit autem 106.
combuſtionis & exitij pœnam cœtui Abirom inflictam, at ille ipſis adhære- ——.
bat. Hon quidem filius Phelech nominatur in principio ſeditionis; at nulla Num.
eius fit poſtea mentio; nempe quia pœnitentiâ ductus à ſeditione ceſſauit. Aſ- 16. 1.
ſerúntque Magiſtri noſtri F. M. eum audito vxoris conſilio, ab exitio fuiſſe
liberatum.

V. 18. *Et exarſit ignis.* Nempe in ducentos illos & quinquaginta viros
Iſraëlitas; ſicut ſcriptum eſt, *Et conſumpſit ignis ducentos & quinquaginta* Num.
viros qui offerebant incenſum. Flamma combuſſit peccatores. Idem in eodem 16. 35.
verſu diuerſis verbis repetit.

V. 19. *Et fecerunt vitulum.* Hoc loco eſt futurum pro præterito, vt in
alijs multis. Ecce ipſi fecerunt vitulum in Horeb in eodem ſcilicet loco in
quo antea legem à Deo acceperant. Suis enim auribus Decalogum audierant,
in quo ſic præceptum eſt, *Non erit tibi ſculptile nec omnis ſimilitudo.*

V. 20. *Et mutauerunt gloriam ſuam.* Deum nempe exaltandum, cuius
gloriam inter ſe in monte Sinai conſpexerant. *Comedentis herbam.* De ipſo
boue hoc dicit non de illius imagine. In Deras ita dicitur, nihil tibi magis
fœdum & abominandum eſt habendum quàm bos quando herbâ veſcitur.

V. 21. *Obliti ſunt Deum.* Et dixerunt de vitulo, *Hi ſunt Dij tui Iſrael qui* Exod.
te eduxerunt de terra Ægypti. 32. 4.

V. 22. *Mirabilia in terra Cham.* Iſte fuit pater Mitſraim, & eum per
contemptum nominat; & idem diuerſis vocibus repetit. Præterea fecit Deus
terribilia iuxta mare rubrum. Dei verò opera mirabilia, & quæ ſunt contra
naturæ vires & ordinem, terribilia vocat; nam ob illa Deus laudandus ter-
rori eſt apud homines, qui illum propter ipſa reuereantur & eum eſſe rerum
omnium Dominum confiteantur, quippe qui earum naturas pro ſuo arbitratu
valeat immutare.

V. 23. *Et dixit vt diſperderet. Si non Moyſes, ſtetiſſet in ruptura* In illa
nempe ruptura quam ipſimet ſibi ad exitium parauerant, ſtetit Moyſes & for-
titer Deo benedicendo reſtitit, ipsámque ruinam clauſit.

V. 24. *Et deſpexerunt.* Hoc verſu hiſtoriam exploratorum refert.

V. 25. *Et murmurauerunt.* Sicut ipſis objicit Moyſes his verbis, *Et mur-* Deut.
muraſtis in tabernaculis veſtris dicentes, &c. 1. 27.

V. 26. *Et eleuauit manum ſuam eis.* Hoc eſt, iurauit de illis, vt in iſto
loco, *Nam leuabo ad cœlum manum meam*; vnde & in ipſa hiſtoria ſcriptum Deut.
eſt, viuo ego, dicit Dominus, ſi non ſicut loquuti eſtis, &c. Illa verò dictio 32. 14.
להם *lahem* ſignificat, Propter eos. *Vt proſterneret eos in deſerto.* Omnes ſci-
licet illos qui murmurauerant, qui numerati fuerant à viginti annis & ſupra,
vt ſcriptum eſt, *In ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra*, &c. Num.

V. 27. *Et vt deijceret ſemen eorum in Gentibus.* Illud in lege ſcriptum per- 14. 20.
ſpicuè non legimus, Deum nempe eſſe minatum ſe proſtraturum ſemen eo-
rum in Gentibus, & diſperſurum eos in terras: ſed ita apud Ezechielem ipſe
dixit, *Etiam ego leuaui manum meam de eis in deſerto, vt diſpergerem eos in* Ezech.
nationes & ventilarem in terras. Et mihi quidem illud eſſe videtur quod di- 20. 23.

Psal. citur, Deſcenditque Amalecites & Chananæus qui habitabat in monte: &
106. percutiens eos atque concidens perſequutus eſt eos vſque Horma. Huc etiam
—— referendum illud quod alibi dicitur, Quod cùm audijſſet Chananæus Rex
Num. Arad, qui habitabat ad meridiem, &c. pugnauit contra illum, & victor exi-
14. ſtens duxit ex eo captiuitatem. Quæ verba declarant illud, vt diſpergeret
Ibid. eos in terras. In Deras verò ſic declaratur, hoc quod dixit, Et vt dejiceret ſemen
cap. 21. eorum in Gentibus, ad futurum tempus refertur quo Deus ſemen eorum è
terra propria depottandum, & in externas regiones diſpergendum decreuit.
Deut. Quod verbis iſtis indicatur, *Cùm genueris filios ac nepotes*, &c. *Atque diſ-*
4 27. *perget vos Dominus in populos.* Addunt præterea ibidem in Deras circa illa
Num. verba, *Et fleuit populus nocte illâ.* Ipſam noctem fuiſſe nonam menſis Iulij:
14. 1. ac Deum ſanctum & benedictum ita decreuiſſe eodem tempore; Iſti quidem
vanè & ſine vlla cauſa fleuerunt, ego autem certo tempore adferam illis fle-
tum in generationes; nono etenim menſis Iulij deſolatum fuit templum pri-
mum & ſecundum.

V. 28. *Et adhæſerunt Beelphegor.* Sicut ſcriptum eſt, & copulatus Iſraël
Beelphegor. *Et comederunt ſacrificia mortuorum*, vt ibidem deſcriptum ha-
Num. betur, *Et vocauerunt populum ad ſacrificia Deorum ſuorum.* Iſti verò Dij illo-
25. 3. rum ſunt mortui.

V. 29. *Et irritauerunt.* Nimirum prauis ſuis operibus Deum ad iram con-
citarunt, nam & adhæſerunt idolo Beelphegor, & cum extraneis mulieribus
ſcortati ſunt, & idolis cultum exhibuerunt, & propterea ſubjungitur, *Et per-
rupit in eis plaga.* Ac ſi diceret, clades maxima in eis facta eſt.

V. 30. *Et ſtetit Phinees.* Sicut dicitur, *Et ſurrexit Phinees de medio*
Num. *congregationis. Et dijudicauit.* Iudicium exercuit in adulteris. Significatio
25. 7. vocis יפלל *iephallel* deſumi poteſt ex iſto loco, Et dabit vt ſtatuerint iudices.
Exod. V. 31. *Et reputatum eſt in iuſtitiam.* Vt ipſemet Deus illis verbis teſtatus eſt,
21. *Ecce do ei pactum meum pacem.* Et addit innuens quodnam ſit illud pactum,
Num. nempe, *Sacerdotij perpetui.*
25. 13. V. 32. *Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis.* Ita Deum ad iram
prouocarunt vt propter illos malè fuerit Moyſi, etenim in terram promiſſam
non eſt ingreſſus.

V. 33. *Quia exacerbauerunt ſpiritum eius.* Sic hunc verſum exponit pater
meus P. M. vt dicat illos Moſis ſpiritum exacerbaſſe. *Et protulit labijs ſuis.*
Et hoc eſt peccatum quod ipſe & Aaron commiſerunt, nempe quia dixit Mo-
ſes, Num de petra hac aquam vobis poterimus elicere vt ita nos vrgeatis? Et
quaſi dubij miraculum fieri poſſe tunc negârunt, ac dixerunt, non eſt hoc in
noſtra poteſtate donec venerit ille qui aquas educere valet. Siquidem
Deum benedicendum ſupra ipſam petram primùm eſſe venturum ſunt arbitra-
ti; quemadmodum antea dixerat in Raphidim, En ego ſtabo ibi coram te,
ſupra petram Horeb, percutieſque petram, & exibunt ex ea aquæ. Quod au-
tem dicit בחורב *behoreb*, cùm tunc eſſent in Raphidim, non loquitur de
monte Horeb, ſed de illa petra quæ ſicca admodum & arida erat. Illa quo-
que verba, En ego ſtabo ſupra petram, indicant Dei gloriam in igne ſupra
petram apparuiſſe: ille porro ignis rupem diſſoluit ac in aquas conuertit. Sic
etiam

etiam modò Deum eſſe factorum exiſtimarunt vt priùs fecerat in Raphidim
& idcirco dixère, num ex iſta petra vobis aquam educere valebimus? & ea PSAL.
in re oſtenderunt, nam multò magis Dei præpotentis ſanctitas emicabat ſi 106.
rupes aquas effunderet ſine deſcenſu ignis ſupra illam. Nec etiam ipſe Deus illis ——.
dixerat ſe ſupra petram deſcenſurum, ſicuti antea in Raphidim. Verùm illud ver-
bum המרו *himron* ſignificat, quia rebellarunt contra ſpiritum Moſis dum illum
inſtantiis vrgentes arctarunt, & adegerunt vt diceret, num ex illa petra pote-
rimus educere? Eſtque dictio המרו *himron* à themate מרה *mara* quod eiuſ-
dem eſt ſignificationis cum מרד *marad* rebellauit: quo in ſignificatu reperi-
tur in iſto loco, *Et ambæ offenderant animum Iſaac & Rebeccæ.* Poteſt etiam Gen. 26.
verbum illud המרו *himron* ſic ſumi vt ſignificet mutauerunt præceptum & 35.
prætererunt verbum vt ſit ſenſus, prætererunt Moyſes & Aaron ſpiritum
Dei & verbum eius: nempe quia dixerat illis, Et loquimini ad petram coram eis,
&c. ipſi autem percuſſerunt illam. *Et protulit labijs ſuis.* Deus ſcilicet bene-
dicendus edixit neutrum amborum, propter illud peccatum in terram pro-
miſſam ingreſſurum.

V. 34. *Non deleuerunt populos quos Dominus dixerat eis.* Sicut in lege
ſcriptum eſt, *Expellite omnes habitatores terræ à facie veſtra & perdite*, &c. Num.
Etſi non expuleritis habitatores terræ à facie veſtra, & erunt ij quos dimiſeritis 33. 52.
ex eis in cultros in oculis veſtris.

V. 35. *Et miſcuerunt ſe.* Nam inter iſtos populos familiariter habitarunt
quos perdere debuerant; quapropter abominanda illorum opera didicerunt.

V. 36. *Et ſeruierunt.* Illud non minimum fuit malum quod ab idolatris
hauſerunt, nempe ſeruierunt ſculptilibus eorum.

V. 37. *Et immolauerunt.* Et hoc quoque nefandum ſcelus inter idololatricos
cultus fuit.

V. 38. *Et effuderunt.* Præter illum falſi numinis cultum iniquiſſimum,
aliud commiſere grauiſſimum ſcelus, nimirum quia effuderunt ſanguinem in-
nocentem; nempe ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum. *In ſangui-*
nibus. Dictio בדמים *baddamim*, ſignum habet ה *he* notificatiui, ac ſi di-
ceret, iſtis ſanguinibus memoratis innocentum ſuorum liberorum terram
polluerunt.

V. 39. *Et coinquinati ſunt, & fornicati ſunt.* Turpium & illicitarum libi-
dinum [illegible]rimina denotantur.

V. 40. *Et iratus eſt, & abominatus eſt.* Cùm priùs eos tam charos haberet,
& in ſuam hæreditatem elegiſſet.

V. 41. *Et tradidit eos.* In hoc verſu eadem ſententia verbis immutatis
repetitur.

V. 42. *Et afflixerunt eos,* In terra ſua anguſtiauerunt illos populi extranei,
& ſub ipſorum manibus traditi & humiliati ſunt.

V. 43. *Et ſæpenumero quidem Deus liberabat eos.* Ipſi verò prauis conſilijs
& operibus ſuis ſubinde Deum exaltandum exaſperabant. *Et attenuati ſunt.*
Donec in ſummam miſeriam redacti, varijs ſunt calamitatibus propter ſuas
iniquitates attriti & confecti, & illud tum demum contigit quando è terra ſua
demigrare ſunt coacti.

PSAL. 106.

V. 44. *Et vidit cùm tribularentur.* Dum in exilio poſiti gemerent, audiuit orationes & clamores eorum.

V. 45. *Et memor fuit illis fœderis ſui.* Quod nempe cum patribus eorum pepigerat. *Et pœnituit eum*, ſcilicet malorum quibus illos affecerat.

V. 46. *Et dedit eos in miſericordias.* Effecit vt miſeratione erga illos vterentur ij à quibus in exilium abducti fuerant.

V. 47. *Saluos nos fac.* Pſalmographus omnium exulantium nomine ſic orat Deum, Saluos nos fac & congrega nos de Gentibus vt ſanctum nomen tuum celebremus: cùm enim nos ex cunctis nationibus collegeris, tunc confitebimur tibi & ſanctum nomen tuum extollemus. *Et gloriemur in laude tua.* Vt tunc præ cæteris omnibus populis gloriemur in laude tua. Porro Dei laudes ſunt beneficia illa innumera, quibus nos affecit, & propter quæ nos eum laudibus celebramus.

V. 48. *Benedictus Dominus Deus Iſrael.* Et tunc ſumus ita dicturi, Benedictus Dominus: & ij quidem qui pollebunt intellectus notitiâ, Deum pro ſuæ ſcientiæ modulo celebrabunt; reliquus verò populus dicet amen & amen: & omnes ſe ſe mutuò cohortantes dicent, laudate Deum. *A ſæculo & vſque in ſæculum.* Hoc eſt, à primo tempore ad vltimum vſque, ac ſi diceret, omni tempore. Abſolutus eſt liber quartus.

LIBER QVINTVS.

PSALMVS CENTESIMVS SEPTIMVS. Psal. 107.

1. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

2. Dicant redempti à Domino: quos redemit de manu tribulatoris.

3. Et de regionibus congregauit eos, à ſolis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari.

4. Errauerunt in deſerto, in ſolitudine à via: ciuitatem habitationis non inuenerunt.

5. Eſurientes etiam ſitientes: anima eorum in ipſis deficiebat.

6. Et clamauerunt ad Dominum in anguſtia ſua: & de preſſuris eorum eripuit eos.

7. Et deduxit eos in viam rectam, vt irent ad ciuitatem habitationis.

8. Confiteantur Domino miſericordiam eius: & mirabilia eius filijs hominum.

9. Quòd ſatiauit animam inanem: & animam eſurientem impleuit bono.

10. Habitantes in tenebris & vmbra mortis: vincti afflictione & ferro.

11. Quia rebellauerunt eloquijs Dei, & conſilium Altiſſimi deſpexerunt.

12. Et humiliauit in laboribus cor eorum: infirmati ſunt nec fuit qui adjuuaret.

13. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de preſſuris eorum ſaluauit eos.

14. Eduxit eos de tenebris & vmbra mortis; & vincula eorum diſrupit.

15. Confiteantur Domino miſericordiam eius: & mirabilia eius filijs hominum.

Psal. 107. 16. Quod contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit.
17. Stulti propter viam iniquitatis ſuæ: & propter injuſtitias ſuas affiicti ſunt.
18. Omnem eſcam abominabatur anima eorum: & appropinquauerunt vſque ad portas mortis.
19. Et clamauerunt ad Dominum in anguſtia ſua: & de preſſuris eorum ſeruauit eos.
20. Miſit verbum ſuum & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.
21. Confiteantur Domino miſericordiam eius: & mirabilia eius filijs hominum.
22. Et ſacrificent ſacrificia laudis: & enarrent opera eius in exultatione.
23. Qui deſcendunt in mare nauibus, facientes opera in aquis multis.
24. Ipſi viderunt opera Domini: & mirabilia eius in profundo.
25. Dixit & excitatus eſt ſpiritus procellæ: & exaltauit fluctus eius.
26. Aſcendunt vſque ad cœlos, deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorum in malis colliqueſcebat.
27. Titubant & nutant ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuoratur.
28. Et clamauerunt ad Dominum in anguſtia ſua: & de preſſuris eorum eduxit eos.
29. Statuit procellam in ſilentium: & ſiluerunt fluctus eorum.
30. Et lætati ſunt quia ſiluerunt: & deduxit eos ad terminum voluntatis eorum.
31. Confiteantur Domino miſericordiam eius: & mirabilia eius filijs hominum.
32. Et exaltent eum in cœtu populi: & in conſeſſu ſeniorum laudent eum.
33. Poſuit flumina in deſertum: & exitus aquarum in ſitim.
34. Terram fructiferam in ſalſuginem ob malitiam inhabitantium in ea.
35. Poſuit deſertum in ſtagnum aquarum: & terram ſiccam in exitus aquarum.
36. Et collocauit illic eſurientes: & conſtituerunt ciuitatem habitationis.

37. Et ſeminauerunt agros & plantauerunt vineas : & fecerunt Psal.
fructum prouentûs. 107.

38. Et benedixit & multiplicati ſunt valde : & iumenta eorum non minuit.

39. Et pauci facti ſunt & humiliati ſunt à tribulatione, malo & dolore.

40. Effundit contemptum ſuper Principes, & errare facit eos in vaſtitate *vbi* non eſt via.

41. Et erigit pauperem de inopia : & ponit ſicut oues familias.

42. Videant recti & lætentur : & omnis iniquitas oppilet os ſuum.

43. Quis ſapiens & obſeruabit hæc : & intelliget miſericordias Domini.

COMMENTARIVS.

V. 1. C*Onfitemini Domino.* Pſalmus hic editus eſt de quatuor generibus hominum qui ex anguſtia liberati fuerunt aliquando, & propterea Deo grates & laudes rependere tenentur, quia ipſe eſt cuius beneficio è calamitate in meliorem ſtatum ſunt educti : non enim hoc ipſis fortuito caſu euenit, vt falsò exiſtimant errantes; ſed Deo gratias agere debent, & profiteri ſe in ſcelerum ſuorum punitionem ærumnis affectos fuiſſe, & Dei beneficio ex illis eſſe liberatos dum illius opem inuocarent. Et ita docent Magiſtri noſtri F. M. ex hoc Pſalmo, aſſerúntque quatuor potiſſimùm genera hominum debere Deo Opt. Max. multas laudes & gratiarum actiones retribuere. Illi nimirum qui in hoc Pſalmo recenſentur, vt qui per deſerta iter faciunt : qui diu in carcere detenti, inde tandem euaſerunt : qui ex graui morbo conualuerunt : ij denique qui maria nauigant. In hoc quoque Pſalmo fit mentio eorum qui cùm antea in ſuo ſtatu multis fruerentur bonis, ad ſummam bonorum inopiam & multam miſeriam Deus benedicendus illos redegit : & eorum qui multis priùs afflicti malis ab illo ex miſerijs erepti, & multis bonis fuerunt cumulati. Et hi omnes palam confiteri debent omnia hæc tum mala cùm bona Dei manu infligi & dari.

V. 2. *Dicant redempti à Domino.* Senſus eſt, laudes & grates Deo benedicendo decantent à quo ex anguſtijs fuerunt redempti; & eum ſolum redemptorem eſſe agnoſcant; & idcirco appellat illos, redemptos Domini. Dictio צר *tſar* eſt nomen idem quod צרה *tſara* ſignificans.

V. 3. *Et de regionibus congregauit eos.* Ab illis orditur qui per loca deſerta iter aggrediuntur, quòd iſti frequentiùs quàm cæteri occurrunt : ſolent quippe homines ab vna regione in aliam, negotiationis & mercaturæ gratiâ proficiſci, & per loca auia iter facere. Ipſe verò ſuâ miſericordi beneficentiâ ex varijs regionibus, ad quas hac & illac ſe contulerant, eos congregat & in proprias ſedes reducit incolumes. Cæterùm ex plagis mundi Orientalem tantùm Oc-

PSAL. cidentalem & Aquilonarem nominat non verò Meridionalem ; hæc enim
107. mundi plaga longè minùs cæteris incolitur propter nimium ſolis æſtum : nec niſi pauci admodum illam regionem causâ mercaturæ adeunt. Illud verò, *Et à mari*, hunc habet ſenſum, eos etiam qui per maria in diuerſas regiones tendunt, Deus exaltandus in patriam ſoſpites reſtituit. Præterea inferiùs mentio fit de ijs qui in mare deſcendunt propter ingentes moleſtias quas ibi experiuntur, à quibus Dei ope liberantur : hîc autem illos idcirco nominauit, quia dixerat, *Et ex regionibus congregauit eos.* Ita quoque illos qui mare trajiciunt Deus congregat & proprio loco reſtituit.

V. 4. *Errauerunt in deſerto.* Grauia recenſet incommoda quæ per loca deſerta iter facientibus ſolent accidere, quorum illud non eſt poſtremum quòd non rarò à recta via in ſolitudine aberrent. Magna ſiquidem arenarum copia quæ iſtis in locis eſſe ſolet ventis agitata, vias occultat ; ſicque deprehendere non valent rectum iter per quod perueniant in ciuitatem habitationis ad quam contendunt.

V. 5. *Eſurientes etiam ſitientes.* Ipſi quidem tantùm viatici ſecum deferunt quantùm videtur neceſſarium pro diſtantiæ loci vnius ab alio: nam in ſolitudine nullas aquas aut eſcas inueniunt ; cúmque à recto tramite errauerint, nec illum deprehendere poſſunt, pluribus in deſertis locis diebus vagari ſæpe coguntur, vnde contingit illos fame & ſiti grauiter laborare. *Anima ipſorum in ipſis deficit.* Nempe præ nimia fame & ſiti ; nec vllo alio modo ſe ſe ab illa calamitate poſſunt eximere niſi clamando ad Deum.

V. 6. *Et clamauerunt ad Dominum in anguſtia ſua.* Dictio hæc בצר *betſar* eſt nomen ſicut בצרה *betſara.*

V. 7. *Et deduxit eos in viam rectam.* Tramitem illum ipſis aperuit à quo aberrauerant.

V. 8. *Confiteantur Domino miſericordiam eius.* Cùm tandem in ciuitatem aliquam habitationi commodam peruenerint, tum agant Deo gratias, à quo in locum opportunum directi ſunt, & coram hominibus palam ea enarrent mirabilia quæ Deus benedicendus in ipſorum gratiam edidit.

V. 9. *Quòd ſatiauit animam appetentem.* Dictio שוקקה *ſcl·oqueca* eſt nomen adjectiuum ex ordine quieſcentium in ſecunda radicali ו *vau*, & ex eo-
Gen. 3. dem themate ac illud, *Et ad virum tuum erit affectus tuus*, eiuſdem eſt formæ
17. cum iſta voce, *Protraxit manum ſuam cum* לצצים *lotſetſim illuſoribus*, quæ
Hoſ. 7. eſt etiam ordinis quieſcentium in ſecunda radicali : loquitur ergo de illa anima
5. quæ in ſolitudine aquas appetebat, quam Deus tum ſatiauit, cùm illam in commodam ciuitatem deduxit : ſic etiam animam quæ graui deſiderio cibi premebatur, bonis ſatiauit.

V. 10. *Habitantes in tenebris.* Nunc de illis agit qui carceri & vinculis fuerunt addicti, & illos notat ob maleficia eſſe captiuos effectos, qui cum ad Deum Opt. Max. ſe ſe conuertunt, eius beneficio ex vinculis & carcere liberantur. Et dum agit de ijs qui carceribus concluſi, aut morbis afflicti fuerunt, de illorum ſimul criminibus mentionem facit : hi enim vt plurimùm ob peccata ſua aut in carceres conjiciuntur, aut in ægritudines incidunt. At de ijs loquens qui per deſerta loca iter faciunt, aut per maria nauigant, nullam ini-

quitatis eorum mentionem facit; illi quippe ſuum iter aggreſſi ſunt non vllius PSAL.
mali aut injuriæ cuiquam inferendæ causâ: nec per deſerta peragrant, nec ſe 107.
mari committunt proprer aliquod crimen à ſe commiſſum. Sed non rarò in calamitates aut vitæ diſcrimen incidunt vt eâ ratione conuertantur ad Deum, & à ſuis iniquitatibus auerſi, ab illo ſeruentur. Dicit verò, Sedentes in tenebris, carcer enim obſcurus eſt locus vt plurimùm. *Vincti afflictione & ferro.* Per eam afflictionem funes & vincula, quibus captiui ſunt deuincti denotantur; per ferrum autem compedes ferreæ quibus illorum pedes conſtricti tenentur.

V. 11. *Quia rebellauerunt eloquijs Dei.* His verbis indicat eos ob ſua crimina captiuos fuiſſe factos; nempe quia rebelles fuere Dei verbis, hoc eſt, illis mandatis quæ ab eo toti hominum generi ſunt impoſita. Non enim ſolis Iſraëlitis data fuere præcepta, ſed omnibus etiam alijs Gentibus. Verum quidem eſt Deum Iſraëlitas ab alijs populis per majora & excellentiora præcepta illis impoſita diſcreuiſſe, eóſque carnis munditie, & ciborum puritate ſanctificaſſe. At verò præcepta Decalogi primo homini & eius ſemini poſt ipſum fuerunt præſcripta: & hæc ſunt Dei verba & conſilium altiſſimi, quæ omnibus omnino hominibus propoſuit, vt illa obſeruarent ac in illis viuerent. Qui verò illa tranſgrediuntur, aut morbis immiſſis diuino nutu caſtigantur, aut captiuitati addicuntur, *Deſpexerunt*, vox נאצו *naatſou* eſt conjugationis cal, inſtar שמרו *ſchamarou*, propter accentum diſtinguentem.

V. 12. *Et humiliauit in labore cor eorum.* Nimirum carceris ærumnis depreſſit Deus illorum animum; elati quippe fuerant & verbum diuinum contempſerant. *Infirmati ſunt.* Scilicet in vinculis. *Nec fuit qui adiuuaret* Ipſos niſi Deus benedicendus, cuius opem ſuis clamoribus implorauerunt.

V. 13. *Et clamauerunt ad Dominum.* Dictio Hebræa clamorem ſignificans, ſcribitur initio cum צ *tſade* & cum ז *zain* ſignificati eiuſdem, quod idcirco ſcribitur aliquando cum צ *tſade*, & aliquando cum ז *zain*. Et in hoc quidem Pſalmo de ijs qui per loca auia iter faciunt, & de ijs qui deſcendunt in mare dicitur, Et clamarunt cum צ *tſade.* De illis autem qui in carceribus concluſi tenentur, cum ז *zain.* Et liberatio illorum à preſſuris, exprimitur primò per illud verbum, & eripuit eos: ſecundò & tertiò per iſtud, Et ſaluauit eos: quartò denique per hoc, Et eduxit eos.

V. 14. *Vincula eorum diſrupit.* Hoc eſt, funes & compedes quibus erant conſtricti, diſſoluit, ac ſi diceret, commodas eis præbuit occaſiones & opportunas diſpoſuit eis rationes quibus ex vinculis & carcere poſſent effugere. Vel in animam eorum à quibus captiui detinebantur, voluntatem donandi ipſos libertate immiſit, aut alias cauſas diſpoſuit quibus eripi poſſent; ab eo enim ſolo ſingulæ diriguntur, & ad certos effectus ordinantur.

V. 15. *Confiteantur Domino miſericordiam eius.* Cùm ex vinculis carcerum abſoluti fuerint, Deo benedicendo gratias referant, & palam hominibus prædicent mira benignitatis ſigna quæ erga ipſos oſtendit; quænam verò ſunt illa? Nempe,

V. 16. *Quòd contriuit portas æreas.* Solent homines includere captiuos in vrbe aliqua in qua ſit arx firmiſſimis portis ac vectibus præmunita. Cæterùm

Psal. 107. dum æreas portas & vectes ferreos dicit, hyperbolice loquitur, pro fortibus admodùm; quomodo alibi arcum appellat æreum. Qui ergo in eiuſmodi arce conſtricti & concluſi aſſeruantur, nullâ arte aut conſilio ex tam firma cuſto-
Pſal. 18. dia effugere & liberari poſſunt: at Deus laudandus quaſdam cauſas ita oppor-
35. tunè nouit aptare, vt inde exeant, nec vllæ portæ vt vt obfirmatæ eos cohibere poſſint.

V. 17. *Stulti propter viam.* Iam de ijs loquitur qui in morbos incidunt, dicitque illos ob ſuam peccandi & praue agendi conſuetudinem ægritudinibus & ærumnis affici: & eos appellat ſtultos, quod de vinctis in carcere non dixit. Idcirco nempe quòd captiuitas vice vna contingat; at morbus non ita. Primùm enim initio leuis eſt, ac deinde paulatim in dies ingraueſcit: Qui ergo ſic morbo corripiuntur ſtulti ſunt, quia minimè perpendunt & agnoſcunt illum eſſe veluti nuntium ſibi à Deo miſſum, quo admonentur vt per pœnitentiam ſeſe ad ipſum conuertant. Illi interim rem iſtam non animaduertunt, non ſecus ac amens qui malum ſibi euenturum non proſpicit ob aliquod ſuæ ſtultitiæ opus, & ita ad Deum reuerti non ſatagunt: Qui alioquin ſi ſaperent, ſic apud ſeipſos reputantes dicerent, quid iſte eſt morbus nobis à Deo immiſſus? & propter quam iniquitatem? ſuaque opera diligenter expenderent, ſuamque viuendi rationem emendare curarent, antequam ipſos grauiùs ægritudo premeret. Et ſiquidem primo die non animaduertant, at ſaltem ſecundo aut tertio cognoſcerent periculum: verùm quaſi omni ſenſu deſtituti, rem non attendunt, nec ad Deum redire per pœnitentiam cogitant, donec adeo grauis effectus eſt morbus, vt & multo iam tempore illos diſcru-
Iob. 33. ciet maxime, & omnes cibos eis abominandos efficiat, ſicut dicit Eliu, *Et ca-*
19. *ſtigatur in dolore ſuper lectum ſuum*, & abominata eſt vita eius panem.

V. 18. *Omnem eſcam abominatur.* Omnem cibum illum etiam qui ſolet auidiùs appeti, abominatur anima eorum.

V. 19. *Et clamauerunt.* Vbi grauitate morbi vſque ad portas mortis ſunt adducti, tunc clamant ad Dominum, nempe quod nihil amplius opis expectandum videant à medicis aut quibuſlibet pharmacis.

V. 20. *Miſit verbum ſuum.* Quoniam medici non aliter ſanitatem reſtituere valent niſi multâ operâ & labore adhibitis, dixit Deum exaltandum, non ita ſanare ægrotos, ſed ſolo verbo ſuo illos incolumes efficere. Porro per verbum eius, voluntatem ipſius intelligit. *Et eripuit ab interitionibus eorum.* Et eripit illorum animam ab interitu cui iam erat proxima, vt ſupra dixit, *Et appropinquarunt vſque ad portas mortis.* Sicut etiam loquitur Eliu ſuperiùs,
Iob. 33. *Et appropinquauit anima eius ad foueam.* Et hæc vna eſt ex perditionibus, qui-
22. bus ſunt obnoxij, & illi affigitur pronomen relatiuum, Eorum, quia ipſimet ſuis delictis interitum illum ſibi accerſierant.

V. 21. *Confiteantur.* Hæc iam ſunt expoſita.

V. 22. *Et ſacrificent.* Laudis & gratitudinis ſacrificia Deo offerant qui eos ſaluos effecit. Et de ægrotis hoc dicit, Et ſacrificent, quod tamen de alijs non dixit, nimirum quia ægroti non niſi poſt multos infirmitatis dies ſanitatem recuperant, atque interim dum paulatim magis conualeſcunt, vota nuncupant quæ ſtatim oblatis ſacrificijs perſoluunt vbi perfectam valetudinem

r ecu-

recuperarunt. Et fortè idem etiam præſtant qui in mare deſcendunt, & qui PSAL.
per deſerta loca iter faciunt, & qui ex vinculis liberati fuerunt; ſed de ægro- 107.
tis potiſſimùm hoc aſſeruit quòd ab ipſis vt plurimùm omitti non ſoleat.
Et annuntient opera eius in exultatione. Diuinæ erga ſe beneficentiæ opus
cæteris hominibus enarrent, & palam in cœtibus illud cum gaudio & altâ
voce prædicent.

V. 23. *Qui deſcendunt in mare nauibus.* Etſi mare ſit altius terrâ, is ta-
men qui ſe mari committit deſcendere in illud dicitur, eòquòd terra ſupra
littus maris emineat & reſpectu littoris deſcendens appellatur, quemadmo-
dum ad illa verba, *Congregans ſicut aceruum aquas*, expoſuimus. Dominus Pſal.
autem Pater meus P. M. exiſtimat illum dici deſcendere ratione nauis quæ 33. 7.
eſt profunda, & in quam deſcendit ſicut ſcriptum eſt, *Et inuenit*, Ionas, Ion. 1.
nauem, &c. *Et deſcendit in eam.* Hoc igitur ſenſu dicuntur hîc deſcendentes 3.
in mare nauibus. *Facientes operationem in aquis multis.* Hæc operatio eſt
veli, mali, funium nauticorum ac remorum aptatio, nec-non cæterorum in-
ſtrumentorum quæ ſunt ad nauigationem neceſſaria, quæ operatio eò magis
neceſſaria eſt, quò aquæ ſunt profundiores & copioſiores ſicuti in mari ſeu
pelago.

V. 24. *Ipſi viderunt.* In vaſtis illis & immenſis aquarum profunditatibus
vident opera Dei & mirabilia eius, nempe quoad piſces immanes & horri-
dam maris commotionem, tum etiam quia Deus tantâ ſapientiâ & induſtriâ
inſtruxit hominem vt ligneis vſus tabulis ſuper profundas aquarum voragines
extare poſſit; & quod magis eſt admirandum, etiam cùm procelloſo venti
turbine mare agitatur, quod his verbis deſignat.

V. 25. *Dixit & excitatus eſt.* Dixit Deus, ac ſi diceret, voluit ac de-
creuit & excitatus eſt procelloſus ventus in mari: & ille ventus maris fluctus
excitauit, túncque ipſa nauis aſcendit & deſcendit, quod ſequentia denotant.

V. 26. *Aſcendunt ad cælos, deſcendunt ad abyſſos.* Homines qui ſunt in
nauigijs ad cœlos vſque tolli videntur, ac ſi diceret, in altum aërem; fluctus
enim nauim extollit, ac deinde ob eoſdem fluctus, ad profundas vſque abyſ-
ſos deferuntur: & in iſto aſcenſu & deſcenſu, anima eorum qui ſunt in illa
naui præ metu mortis colliqueſcit; hoc eſt, animus illorum in tanto diſcrimi-
ne diſſoluitur, anxiéque metuunt ne in mare demergantur.

V. 27. *Titubant ac nutant.* Eandem ſententiam alijs tantùm verbis expri-
mit, dictio enim יחוגו *iahoggou*, etiam motum ſignificat vt iſto in loco,
Et erit terra Iuda Ægypto in titubationem, hoc eſt, in commotionem pa- Iſa. 19.
uoris. Et quemadmodum ebrius continuò præ crapula vacillat nec vſquam 17.
conſiſtere poteſt, ſic qui in naui vehuntur, imò & ipſi naucleri, nullo certo
loco conſiſtere valent propter ventorum procellas huc illuc, ſurſum ac deor-
ſum nauem exagitantes. *Et omnis ſapientia eorum deuoratur.* Et eo in diſ-
crimine perit & euaneſcit tota ſcientia & induſtria ipſius nautarum princi-
pis: & ſi enim omnes totam ſapientiam ſuam & artem adhibeant non va-
lent tamen in firmam ſtationem conſtituere nauem, niſi priùs Deus benedi-
cendus ventos ſedauerit. Nec vlla prorſus illis ſupereſt ratio quâ tam præſens
vitæ periculum euadere poſſint, niſi vt clament ad Dominum.

V. 28. *Et clamauerunt, & eduxit eos.* E mari ſcilicet in terram eduxit eos.
PSAL. Aut ſenſus eſt, eduxit eos è preſſura in qua gemebant dum procella fluctus
107. ita extolleret, quos ipſe ſopitis ventis compeſcuit, ſicque ex grauiſſima angustia in liberum ac pacatum ſtatum Dei beneficio tranſierunt.

V. 29. *Statuit procellam in ſilentium.* Sunt qui vocem יקם *iaquem* exponunt reduxit; ſed ſimpliciter eſt exponenda hoc modo, procellam quam ipſe excitauerat, in tranquillum ſilentium conuertit. *Et ſiluerunt fluctus eorum.* Illud pronomem, eorum, ad nauis rectores refertur.

V. 30. *Et lætati ſunt, & deduxit ad terminum.* Nempe Deus benedicendus ad locum ad quem ire contendebant illos direxit, commodo excitato vento qui nauem illuc impelleret.

V. 31. *Confiteantur Domino.* Cùm ad optatum portum tandem peruenerint, gratias Deo benedicendo referant cuius ope è tanto diſcrimine ſunt exempti, & palam cæteris hominibus enarrent ac prædicent exhibita erga ſe à diuina benignitate miracula.

V. 32. *Et exaltent eum.* Scilicet ij qui in mare deſcendere ſolent, vel illud verbum refertur ad illa quatuor genera hominum, de quibus initio eſt dictum; hi enim omnes cùm Deum benedictum ob ipſius erga ſe miſericordiam laudant, illud in frequenti cœtu populi præſtare ſolent, vbi illum ſummis euehunt laudibus. Ita etiam in conſeſſu ſeniorum & ſapientum laudant illum, vt ipſi pariter eius auditis mirabilibus eum celebrent & extollant.

V. 35. *Qui ponit flumina in deſertum.* Poſtquam author Pſalmi recenſuit quatuor genera hominum qui potiſſimùm tenentur Deo grates & laudes rependere, eóquòd luctum ipſorum in gaudium commutarit, & anguſtias in libertatem; aliquid etiam ſimile refert de alijs quibuſdam locis quæ ex bonis & commodis in mala & ſterilia conuertit, ad puniendos eorum incolas. Qui ſi poſtea conuerſi diuinæ obtemperent voluntati, eadem loca priſtinæ fertilitati reſtituit; vt inde omnibus conſtet omnia in eius poteſtate eſſe poſita, & non niſi eius nutu euenire; ipsúmque pro ſuo arbitrio poſſe rerum naturas immutare, & res humanas ab incerto caſu non pendere vt falsò exiſtimant inſani, dicit ergo, *Ponit flumina*, hoc eſt, non rarò Deus locum in quo antea erant flumina & aquarum ſcatutigines, in aridum & ſitiens deſertum conuertit.

V. 34. *Terram fructiferam.* Ita etiam terram quæ priùs copioſos fructus edebat, adeo immutat vt fiat terra ſalſuginoſa, ex qua nullum gramen germinare poſſit; quod totum contingit ob malitiam inhabitantium in ea.

V. 35. *Ponit deſertum.* Interdum èçontra in gratiam bonorum efficit, nempe loca arida & ob ſiccitatem deſerta, in ſtagna aquarum conuertit. *Et terram ſiccam in exitus aquarum.*

V. 36. *Et collocat illic eſurientes.* Eos qui priùs alium locum incolentes victus inopiâ grauiter laborabant, illo in loco habitare voluit, quaſi causâ ipſorum factus ſit locus habitationi & victui ferendo accommodus. *Et conſtituerunt ciuitatem habitationis.* Ibidem certas ſedes fixerunt, eóquòd varijs ex locis illuc conuenerint homines penuriâ victûs alibi laborantes, qui Deo erant chari.

V. 37. *Et ſeminauerunt agros.* Illis in locis agros ſeminatunt & vineas plantauerunt, quod eis proſpetè ſucceſſit; nam vineæ & agri fecerunt fructum & prouentum, Deeſt autem littera ו *vau* ſeruilis inter illa duo nomina fructum, prouentum, eſtque repetitio eiuſdem per verba diuerſa. PSAL. 107.

V. 38. *Et benedixit eis* Hoc eſt, eorum opibus *Et multiplicati ſunt valde.* Nimirùm liberis. *Et iumenta eorum non imminuit.* Adeò vt nullum ex illis abortum faceret, quantò minùs vxores ipſorum?

V. 39. *Et pauci facti ſunt.* Cùm verò ita Deo benedicendo placet, res ipſorum in contrarium omninò ſtatum reducuntur, idque propter iniquitatem illorum, vanè ſiquidem præ bonorum copia ſuperbierunt, ſicut dixit ſuperiùs. *Propter malitiam habitantium in ea.* Illud porrò. *Et pauci facti ſunt,* opponitur iſti: *Et multiplicati ſunt*, quod præceſſit. Illud autem, *Et humiliati ſunt*, indicat ſtatum priori contrarium; cùm nempe elatâ ceruice ambularent; nunc verò triſtes ac depreſſi. *Ab anguſtia, malo & labore.* Deeſt hoc loco ו *vau* ſeruile, ſenſuſque eſt, ab anguſtia & malo. Illa porrò coarctatio, nihil aliud eſt quàm alienum dominium cuius iugo ſunt ſubiecti, ipſique alienâ tyrannide oppreſſi iacent: Eodem ſenſu dicitur illud, *Ab anguſtia & iudicio ſublatus eſt*: hoc eſt, à Gentium tyrannide. Dicit igitur illos opprimi coarctatione, & malo & mœrore. Et malum quidem pertinet ad corpus & opum penuriam etiam denotat, mœror ad animum refertur. Sapiens autem Rabbi Abraham F.'E. exponit illud, *A coarctatione* de concluſione vuluæ, vt ſit oppoſitum iſti verbo, Et multiplicati ſunt. Iſai. 53. 8.

V. 40. *Effundit contemptum* Super ditiſſimos quoq; & gentis totius nobiliſſimos, qui ſolent appellari principes, Deus verò gloriam illorũ in contemptũ & ignominiã conuertit. Cúmq; verbo illo vtitur, effundit, maximum dedecus & vilitatem denotat. *Et errare facit eos,* Ita vt conſilio & ſolertiâ deſtituantur omninò, nec à malo ſibi à Deo immiſſo poſſint ſeſe expedire, ſed veluti inter denſas tenebras & per vaſtitatem aberrant, & non per vias ambulant.

V. 41. *Et erigit pauperem.* Ecce Deus qui humiliat & ditat, erigit pauperem ex miſeria in qua iacebat, erigit eum & extollit, quod opponitur illi quod ſuprà dictum fuit, *Et humiliati ſunt.* *Et ponit ſicut oues familias* Hoc contrarium dicitur iſti loco, Et pauci facti ſunt; & eſt ſenſus, efficit Deus benedictus vt familiæ pauperum numeroſæ fiant inſtar ouium, hoc eſt, vt nulla ſit apud eos ſterilis aut abortum patiens, ſed copioſâ prole adaugeantur. Illos verò idcircò aſſimilat ouibus, quòd illæ inter cæteras pecudes ſint fœcundiſſimæ. Et eo ſenſu dictum eſt illud, ſic erunt ciuitates deſertæ, plenæ pecudibus hominum. Poteſt etiam verbum hoc, Et poſuit, referri ad pauperem, vt ſit ſenſus illum copioſam prolem ſuſcipere: qua in ſignificatione partus vſurpatur verbum poſuit iſto in loco, Et poſuerunt filios. Ezec. 36. Eſdr. 10.

V. 42. *Videant recti.* Nimirùm vindictam improborum & Lætentur. *Et omnis iniquitas oppilet os ſuum.* Et iniquus quilibet occludat os ſuum, & loqui præ pudore non audeat, cùm iam agnoſcat Deum benedicendum vias omnes improborum intueri, ac illorum ſceleribus debitam pœnam in caput ipſorum refundere.

V. 43. *Quis ſapiens eſt & obſeruabit illa.* Si quis ſit qui ſapiat, omnia

PSAL. 107. iſta quæ in hoc Pſalmo fuere dicta obſeruabit, illa in animo ſuo ſtudiosè conſeruabit, ac perſpiciet omnia in Dei benedicti poteſtate eſſe poſita, & ipſum eſſe qui exaltat & humiliat, qui diuitem facit & pauperem, qui vulnerat & ſanat. *Et intelliget miſericordias Domini,* Quas nempe exercet erga eos qui eius obtemperant voluntati. Et ſi enim homo videat in præſenti ſeculo malos bona habere, iuſtos verè non rarò mala pati. Si tamen diligenter omnia quæ in hoc mundo fiunt conſideret, vt plurimùm agnoſcet Deum eſſe Deum veritatis, & nullam in eo eſſe peruerſitatem, ac vnicuique vt plurimùm reddere iuxta vias eius, & iuxta fructum operum eius. Et ſi quando videatur ipſi Deus agere ſecus quàm par ſit, dicat apud ſe, ſcit Deus benedictus cur ita fecerit, nos verò minimè nouimus, & ſibi ſtultitiam tantùm & ignorantiam attribuat; at nihil prorsùs iniquitatis Deo benedicendo & exaltando aſcribat.

PSALMVS CENTESIMVS OCTAVVS.

Canticum Pſalmi Dauid.

1. Conſtans eſt cor meum Deus: cantabo & pſallam, etiam gloria mea.

2. Exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo.

3. Confitebor tibi in populis Domine, & pſallam tibi in nationibus.

4. Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua.

5. Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

6. Vt liberentur dilecti tui, ſaluum fac dextera tua & exaudi me.

7. Deus loquutus eſt in ſanctitate ſua: exultabo, diuidam Sichimam: & conuallem Soccoth dimetiar.

8. Meus eſt Galaad, meus eſt Manaſſes, & Ephraim fortitudo capitis mei: Iuda legislator meus.

9. Moab olla lotionis meæ: in Idumæam projiciam calceamentum meum: ſuper Palæſtina iubilabo.

10. Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vſque in Idumæam?

11. Nonne *tu*, Deus *qui* repuliſti nos, & non exis Deus cum exercitibus noſtris.

12. Da nobis auxilium à tribulatione, quia vana ſalus hominis.

13. In Deo faciemus virtutem: & ipſe conculcabit inimicos noſtros.

COMMENTARIVS.

CAnticum Pſalmi Dauid. Hic Pſalmus magnâ ſui parte iam editus eſt in Pſalmo ſexageſimo, ibique in titulo ſcriptum eſt Dauidem hunc Pſalmum compoſuiſſe poſtquam Syriam interamnem incendiſſet: & ibi hoc ipſum à nobis fuit expoſitum. Qua verò de cauſa eundem Pſalmum hîc iterùm edat, nos prorſus ignoramus; niſi fortè dicamus ibi tum ab eo fuiſſe decantatum de ſupradicta in titulo illo materia, at verò hoc loco de rebus aliquando futuris; quapropter nullam hîc vllius belli mentionem facit. Porrò videtur rectum illos verſus qui hîc repetuntur, & iam in illo Pſalmo fuerant dicti, explicare de collectione exulum, cùm ſcilicet Iſraëlitæ ad proprias ſedes reuertentur, ſicut in prædicto Pſalmo ſenſus eorum erat, fore vt Reges Syriæ in ea loca reuerterentur, vnde fuerant aſſumpti. Quod autem ſpeciatim nominet iſta loca, Sichimam, Socchot & Galaad, & ex Tribubus ſolùm Manaſſen & Ephraim recenſeat, ratio eſt quia regnum Ioſeph aliquando erat reuerſurum ſub ditionem Regis Iudæ, vt ſcriptum eſt in vaticinio Ezechielis, *Et faciam eos in lignum vnum, & erunt vnum in manu eius*; Et additur, *Et Dauid ſeruus meus Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorum; & non erunt vltra duæ gentes; nec diuidentur ampliùs in duo regna.* Quod verò loquatur de Moabitis, Philiſtæis & Idumæis, qui tamen omnes in ſuis ſedibus priſtinis non ſunt futuri Meſſiæ tempore: pridem enim omnes nationes ex propriis regionibus ſunt expulſæ, ac ſimul commixtæ paſſim habitant, nec vlla eſt hodie gens certis addicta ritibus, præter Iſraëliticam, vult deſignare terras quas illæ nationes iam olim occupabant, non verò nationes ipſas. Quo pari ſenſu dicitur in Prophetia Iſaiæ. *Et volabunt in humerum Philiſtæorum ad Occidentem ſimul prædabuntur filios Orientis: Edom & Moab miſsio manuum eorum, & filij Ammon auditus eorum*, nempe futuris Meſſiæ temporibus. Quò ſpectat etiam illud Danielis, *Hæ autem ſolæ ſaluabuntur de manu eius Edom & Moab & principium filiorum Ammon.* Cæterùm hic Pſalmus totus eſt editus: nam ab eius initio vſque ad illa verba, vt liberentur dilecti tui, inuenitur in Pſalmo quinquageſimo ſeptimo. Ab iiſdem autem verbis vſque ad finem Pſalmi, continetur in ſexageſimo Pſalmo: Eſt tamen inter illos parua quædam diuerſitas in variis dictionibus; ſed idem vtrobique eſt ſenſus: & duo quidem priores Pſalmi de ipſo Dauide ſunt editi, hîc verò de Regis Meſſiæ diebus. Et in eo exules Iſraëlitæ loquentes exhibentur, necnon ille qui ex Dauidis Regis proſapia oriundus regno potietur, dicit ergo.

Ezec. 37 29.

Iſai. 11. 14.

Dan. 11. 41.

V. 1. *Conſtans eſt cor meum Deus.* Quũquam ego iam à plurimis annis in exilij miſeria verſor, futuræ tamen aliquando redemptionis ſpem nondum abjeci, ſed conſtans eſt cor meũ ac firmâ ſpe confidit, Deum nos tandem eſſe libera-

Psal. turum, & tunc cantabo & pſallam. Dictio autem illa, Deus, eſt in vocandi ca-
108. ſu. *Etiam gloria mea.* Anima hîc appellatur gloria, ipſa enim eſt corporis de-
cus & gloria; & ſenſus eſt, ore meo cantabo & pſallam mente. Mea etiam anima pſallet in ſeipſa, nimirùm piis cogitationibus ſui intellectus. Poteſt quoque ita exponi vt dictio, gloria mea, cohæreat cum verbo, exurge, quod eſt initium verſus, & ipſum referatur ad duo nomina, nempe ad, gloria mea, & ad pſalterium. Illud autem, Exurge pſalterium, figuratè eſt dictum, quaſi pſalterium ſeipſum poſſet excitare: & littera ה *he* præpoſita voci נבל *neuel*,
Num. eſt nota vocatiui caſus, ſicut ה *he* in iſto loco. *O congregatio, ſtatutum vnum*
15. 13. *eſt vobis. Exurgam diluculo.* Dicit hîc exurge pſalterium, exurge etiam cithara, quo tempore vos excitabo ad Pſalmos decantandos primis quibuſque diei temporibus. Aut ſenſus eſt, eo tempore quo à ſomno meo expergiſcor primo diluculo ad nomen tuum his inſtrumentis celebrandum, tum eis dicere ſoleo, exurgite.

V. 3. *Confitebor tibi in populis.* In alio Pſalmo huic perſimili voces illas, In populis, in nationibus, de variis Iſraëlitatum familiis explicuimus, quo ſen-
Deu. 33. ſu iſto in loco capiuntur, *Vocabunt ad montem populos.* In hoc autem Pſalmo,
19. de omnibus populis eas eſſe exponendas cenſemus; Omnes ſiquidem populi tempore liberationis apud Ieroſolyma ſunt congregandi, ſicut ſcriptum eſt,
Zach. 2. *Et adhærebunt Domino gentes multæ in tempore illo.* In iſta porrò voce לאמים
11. *leummim*, littera ל *lamed* eſt radicalis, vt conſtat ex iſto loco, *Populuſque*
Gen. 25. *populum ſuperabit.* Et littera ל *lamed* lenis eſt ad alleuiandam pronuntiatio-
23. nem, erat enim afficienda puncto Dagues: & ſimilia multa occurrunt.

V. 4. *Quia magna eſt ſuper cœlos.* In alio Pſalmo dictum fuit, Magna eſt vſque ad cœlos, quòd ibi de ſeipſo Dauid loqueretur, in hoc autem, quia de Iſraelitarum ſalute agit, idcircò dixit, ſuper cœlos; maior enim tum miſericordia exhibebitur, quando populum vnum ex multis nationibus educet. Nam etiam ſi præſentis exilij miſeriis iam à tot annis ita immerſi & addicti ſint, vt cæteri omnes populi nunquam ipſos ex ſua poteſtate exituros arbitrentur, Deus tamen eos ex illorum tyrannide ipſis inuitis aliquando eſt educturus. Nec hoc ſolùm, imò ipſimet etiam externi populi eos deducent ad terram Iſraeliticam in curribus, mulis & camelis: & hæc miſericordia tam magna eſt vt æquum ſit de illa dicere, magna eſt ſuper cœlos. Additur autem. *Et vſque ad nubes veritas tua.* Non verò dixit ſuper nubes, ſicut dixerat de miſericordia, magna eſt ſuper cœlos: nempe quia veritas ſeu fidelitas in promiſſis, non eſt aliquid excedens, ſed eſt aliquid quod ex conuenientia & quaſi ex debito præſtandum eſt, at verò miſericordia omnem excedit conuenientiam & ſpeciem debiti: & quidem veritas & Dei fidelitas requirit vt nos redimat, noſque in terram noſtram aliquando reducat; Et ipſum condecet illud certò præſtare; ſic enim nobis promiſit futurum vt nos tandem quoquo modo libertati reſtitueret. Etſi quidem ipſius redemptionis tempus multùm differat propter ſcelera noſtra; attamen quod ipſe nobis promiſit, æquum eſt, & ipſi conuenit vt ſua promiſſa impleat. Et hæc eſt eius veritas, de qua hoc loco; vnde ſi vel rebus omnibus deſtituti, vitâ ſolùm incolumi egrediamur ex exilio, ratum erit ac impletum. Quòd autem magnâ gloriâ affecti exeamus, ita.

vt in nobis illud impleatur quod prædictum fuit: *Et erunt Reges nutritij tui,* Psal.
&c. Et illud, *Super latus portabimini, & ſuper genua blandientur vobis.* Et il- 108.
lud. *Et filij peregrinorum agricolæ & vinitores veſtri erunt.* Et cæteræ con-
ſolationes quæ de nobis ſunt ſcriptæ; hæc eſt miſericordia magna. Quòd ſi Iſai. 49
dicas, illa etiam ad veritatem ſeu fidelitatem ſpectare, quandoquidem ea no- 23.
bis promiſerit Deus, rectè poſſe reſponderi videtur ipſum nobis maximas il-
las res abſolutè non promiſiſſe, niſi eâ conditione vt iuſti & earum digni ſi-
mus. At ipſa liberatio ab exilij miſeriis ſuo ſtatuto tempore, quoquo modo eſt
futura, ſiue iuſti, ſiue peccatores exiſtamus. Attamen ſi iuſti eſſemus, illam ci-
tiùs modò exequeretur.

V. 5. *Exaltare ſuper cœlos Deus.* Illud, exaltare, figuratè eſt dictum,
quaſi exilij noſtri tempore non eſſet Deus exaltatus ſuper cœlos, vt poſſit ſuum
ſuper gentes omnes dominatum exercere, illáſque noſtri causâ caſtigare; ſicu-
ti Propheta dixit. *Quare futurus es ſicut vir attonitus, ſicut fortis qui non po-* Ierem.
teſt ſaluum facere? Ita etiam dicit ipſe Dominus, cuius nomen ſit benedi- 14.9.
ctum, de ſalute illa nobis exhibenda. *Nunc ſurgam, nunc exaltabo me, nunc* Iſai. 33.
eleuabo me. Et alio in loco, *Exaltabor in gentibus, exaltabor in terra. Et* 10.
ſuper omnem terram gloria tua. Senſus eſt, oſtende gloriam tuam ſuper om- Pſal. 46
nem terram. 1.

V. 6. *Vt liberentur dilecti tui.* Ab hoc verſu vſque ad finem Pſalmi iam explanata ſunt omnia in alio Pſalmo, vſque ad illud quod expoſui in hoc Pſalmo.

PSALMVS CENTESIMVS NONVS.

Præcentori, Dauid Pſalmus.

1. DEus laudis meæ, ne tacueris.

2. Quia os improbi & os doli aduersùm me aperuerunt ſe: loquuta ſunt mecum linguâ mendacij.

3. Et verbis odij circundederunt me, & oppugnauerunt me gratis.

4. Pro dilectione mea inimicabantur mihi: ego autem orabam.

5. Et poſuerunt aduersùm me malum pro bono, & odium pro dilectione mea.

6. Conſtitue ſuper eum improbum, & Satan à dextris eius ſtet.

7. Dum iudicatur exeat reus: & oratio eius fiat in peccatum.

8. Sint dies eius pauci: præfecturam eius accipiat alter.

9. Sint filij eius orphani, & vxor eius vidua.

10. Et vagando vagentur filij eius & mendicent, & inquirant ex parietinis ſuis.

11. Illaqueet fœnerator omnia quæ ſunt illius, & diripiant alieni laborem eius.

12. Non ſit illi extendens miſericordiam: nec ſit qui miſereatur pupillis eius.

13. Sit poſtremum eius in excidium: in generatione altera deleatur nomen eorum.

14 In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur.

15. Sint coram Domino ſemper: ſuccidat de terra memoriam eorum.

16. Pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam: & perſequutus eſt hominem afflictum & mendicum, & attritum corde vt morti traderet.

17. Et dilexit maledictionem & veniat ei: & noluit benedictionem & elongetur ab eo.

18. Et induat maledictionem ſicut veſtimentum ſuum, & intret ſicut aqua in interiora eius: & ſicut oleum in oſſa eius.

19. Fiat ei ſicut veſtimentum quo operiatur; & in zonam quâ ſemper præcingatur.

20. Hoc opus eorum qui aduerſantur mihi, à Domino, & qui loquuntur malum aduersùs animam meam.

21. Et tu Domine, Domine fac mecum propter nomen tuum: quia bona eſt miſericordia tua, libera me.

22. Quia miſer & egenus ego ſum: cor meum ſauciatum eſt intra me.

23. Sicut vmbra cùm declinat, abii: excuſſus ſum ſicut locuſta.

24. Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea emaciata eſt à pinguedine.

25. Et ego factus ſum opprobrium illis: viderunt me, mouerunt caput ſuum.

29. Adiuua me Domine Deus meus: ſaluum me fac ſecundùm miſericordiam tuam.

27. Et ſciant quia manus tua, hoc, & tu Domine feciſti iſtud.

28.

28. Maledicant illi, & tu benedicas: inſurrexerunt & confun- Psal.
dantur; ſeruus autem tuus lætetur. 109.
29. Induantur aduerſarij mei ignominia, & operiantur ſicut
pallio, pudore ſuo.
30. Confitebor Domino valde in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.
31. Quia adſtat ad dexteram pauperis, vt ſaluam faciat à iudicantibus animam eius.

COMMENTARIVS.

PRæcentori Dauid Pſalmus, Deus laudis meæ ne tacueris. Hunc Pſalmum compoſuit Dauid cùm Saülem fugeret, eſſentque nonnulli Iſraëlitarum qui mala de ipſo apud Saülem loquerentur, ac dixit.

V. 1. *Deus laudis meæ ne tacueris*, ac ſi diceret, quia in te glorior, non ſicut illi homines qui in ſua malitia gloriantur: & ego te inuoco, ne quaſi diſſimules noſſe mala quæ mihi machinantur improbi.

V. 2. *Quia os improbi & os doli.* Hoc eſt, viri doloſi; ipſi os ſuum contra me in malum aperuerunt, at mecum ſunt loquuti, cùm viderem illos. *Lingua mendacij.* Seipſos enim mei eſſe amantiſſimos coram profitebantur, cùm interim ore ſuo & linguâ ſuâ dolum & mendacium facerent.

V. 3. *Et verbis odij circundederunt me.* Nimirum per illa verba odij quæ contra me coram Saule ſunt loquuti, me circundederunt & oppugnarunt; nam propter maledica illorum verba, mecum Saul bella gerit, & me vndequaque obſidet, ut tandem capere & perdere poſſit. Et illud וילחמני *vaillahamonni*, eſt pro וילחמו עמי, *vaillahamou immi* pugnauerunt mecum. *Gratis.* Nullam quippe illis iniuriam intuli.

V. 4. *Pro dilectione mea.* Ego enim verè eos diligebam, & ipſi me calumniis lacerabant. *Ego autem oratio.* Ego interim eram vir orationis. Eodem ſenſu dicitur, *quia deſideriorum tu es*, hoc eſt, vir deſideriorum. Et ſenſus eſt, Dan. 9.
ipſi ſunt homines belli in me incendendi cupidi, ego verò vir orationis, quia 23.
pro ipſis orabam: ſicuti & alibi dicit. *Ego autem cum ægrotarent ipſi, induebar* Pſal. 35.
cilicio. Dominus autem pater meus, P. M. ſic exponit: Ego autem ni- 12.
hil aliud præſtare valebam, quam orationem apud Deum effundere, vt me ex illorum manibus eriperet.

V. 5. *Et poſuerunt.* Pro bonis quibus illos affeci, mala ipſi mihi rependunt, & pro amore quo illos ſum proſequutus, odium repoſuerunt.

V. 6. *Conſtitue ſuper eum improbum.* Hominis improbi dominio & voluntati ſubiiciatur. *Et Satan ſtet ad eius dexteram.* Angelus Satanæ adſtet eius dexteræ vt illi aduerſetur; ac ſi diceret, ita vt quidquid agat vertatur in maledictionem. Vtitur autem numero ſingulari vt deſignet principem improborum qui odio ipſum proſequebantur, iſque erat Doeg Idumæus.

V. 7. *Dum iudicatur.* Si quid aliquando litis cum alio quopiam diiudi-

Psal. candum habeat, exeat improbus in iudicio ſuo, hoc eſt, reus denuntietur,
109. & causâ cadat, & corruat in lingua ſua & in ſuis reſponſionibus. *Et oratio eius*
—— *fiat.* Cùm pro ſe deprecari, iudices, volet, non reputetur ei oratio eius ad
meritum, ſed potiùs ad peccatum & ſcelus: vel illa dictio, ad peccatum, ſu-
mi poteſt eo ſenſu quo verbum peccare in iſto loco, *Omnes fundâ iaciebant*
Iud. 20. *lapides ad capillum, nec aberrabant*, quaſi diceret non acceptetur eius oratio,
16. ſed ſit irrita.

V. 8. *Sint dies eius pauci, præfecturam eius accipiat alter.* Hoc eſt, res cui curandæ fuerat præpoſitus, nempe opes eius vel vxorem.

V. 9. *Fiant filij eius orphani*, Nempe dum adhuc ſint paruuli. Quo etiam ſenſu illud eſt intelligendum, Et vxor eius vidua, ſcilicet adhuc iuuenis.

V. 10. *Et vagando vagentur filij eius & mendicent.* Verbũ illud שאלו *ſchielou* eſt
coniugationis grauis ſeu dageſſatæ, ſicut etiam iſto in loco, *Et interrogando*
interrogent in Abel. Senſuſque eſt, vagentur huc & illuc filij eius; vt buc-
2. Sam. cellam panis ſibi quæritent. *Et inquirant ex parietinis ſuis*, victum ſibi &
20. ſuas opes exquirant ex vaſtitatibus ſuis, ac ſi diceret; ſint deuaſtatæ illorum
domus, & ipſi ex illarum ruinis eleemoſynam petant ab hominibus illac iter
facientibus. Senſus eſt, errabundi victum inquirant, imò etiam dum in ſuis
vaſtitatibus verſantur, victum emendicare cogantur. Dictio דרשו *dareſchou*
cum Camets lato debet legi, ſicut iſta ושארו *veſchamerou* & cuſtodient viam
Domini; & hanc lectionem traditione accepimus. Et in quodam Pſalmorum
libro reperitur ſcriptum de hac voce in Maſſora non inueniri ſimile ſcheua.
Ita etiam ſcripſit Magiſter ſe inueniſſe item in Maſſora hoc ſcheua ſic raptum.
Hac ratione ſi legatur iſta vox, erit imperatiui modi, ſicut etiam iſtis in lo-
Ierem. cis. *Deſolamini vehementer. Trahite illam.* Sed interpretatio quæ illam le-
2. 12 ctionem conſequitur, mihi non arridet. Fortè etiam iuxta iſtam lectionem
Ezech. vox illa hoc ſenſu poſſet exponi, quando filij eius diuagabuntur ad mendican-
32. dum, ſi homines admirentur eorum infelicem ſtatum præ copia opum quibus
eorum patres fruebantur, illud fiet reſponſum, inquirite ex ruinis eorum &
reperietis quid ipſis euenerit, nam ex nimia penuria ipſæ domus eorum factæ
ſunt loca deſerta,

V. 11. *Illaqueet fœnerator.* Perdat fœnerator omnia quæ ſunt iſti, hoc eſt,
veniat ad capiendas vxores eius, & diripiat totam ſubſtantiam eius: verbum
ינקש *ienacqueſch* ſignificat laqueum ponat: יקש *iacaſch* enim & נקש *nacaſch*
Pſal. 38. idem habent ſignificatum; inde eſt illud, *Illaqueentur quærentes animam*
13. *meam*

V. 12. *Non ſit illi extendens miſericordiam.* Quia ſuperiùs dixerat fore ut filij eius diuagarentur quærendi victus causâ, iam dicit nullum inueniat qui eleemoſynam impertiatur filiis eius propter ipſum; nec inueniant orphani eius vllum hominem qui illorum miſeranda ſorte commotus beneficij aliquid eis elargiatur.

V. 13. *Sit poſtremum eius in excidium.* Hoc eſt, filius eius, quo ſenſu di-
Am. 9. 1. ctum eſt illud, *Et poſtremum eorum occidam gladio.* Non enim poſteritas
eius erit deſtinata excidio, nullus ſiquidem ex illo reliquus erit maſculus, &
hoc eſt quod ſubiungitur. *In generatione altera deleatur nomen eorum.* In

tertia generatione nomen patris & filij omnino deleatur; idcirco dixit, nomen eorum. Psal.

V. 14. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius.* Nempe vt in illam animaduertat Deus in filio, iuxta illud, *Viſitans iniquitatem patrum in filios:* 109. Exod.
Quo etiam pertinet hoc, *Et peccatum matris eius non deleatur.* Sed illius ſe 20. 5.
memorem aduersùs filios exhibeat Deus.

V. 15. *Sint coram Domino.* Illa nimirum iniquitas & peccata, ob oculos Dei ſemper obuerſentur, hoc eſt, illorum ſit continuò memor, vt iam dixit, eſt eiuſdem ſententiæ repetitio ad Emphaſim.

V. 16. *Pro eo quòd non eſt recordatus.* Omnibus vitæ ſuæ diebus in ſceleribus ſunt verſati; & ne ſemel quidem vllus eorum miſericordiæ opera ſtuduit exercere. *Et attritum corde.* Iſte nequam inſequutus eſt eum qui præ multis calamitatibus ſuis afflicto erat animo, vt ipſum morti traderet, Dauid autem ſeipſum appellat afflictum inopem & corde attritum.

V. 17. *Et dilexit maledictionem.* Et iſte dilexit ea propter quæ ipſi ſic imprecarer mala, nec vllo modo curauit quòd omnium maledictionibus foret obnoxius. *Et veniet ei.* Verbum hoc vt & ſequentia, elongetur induat, eſt temporis præteriti loco futuri; ſic non rarò ſolet fieri in ſacris literis, maximè verò in vaticinijs. *Et noluit benedictionem,* vt omnia illi proſpera à Deo precarer, ſiquidem mihi aliquod beneficium elargiretur.

V. 18. *Et induat ſicut veſtimentum ſuum.* Hoc eſt, totus vndequaque maledictione operiatur: Quo etiam ſenſu illa ſunt accipienda, *Intret in interiora eius,* ſicut aqua quam bibit aliquis. *Et ſicut oleum in oſſa eius.* Atque vt fit cùm quis oleo corpus ſuum perungit ad curandum oſſium dolorem, & vis olei in ipſa oſſa penetrat, ita eum totum obtineat maledictio.

V. 19. *Fiat ei ſicut veſtimentum.* Idem adhuc ad amplificationem repetit. *Et in zonam.* Dictio מזח *mezahh* idem ſignificat quod חגורה *hhagora* nempe cingulum vt iſto in loco, *Et cingulum fortium debilitat.* Quemadmodum quis ſuo cingulo eſt præcinctus, ſic ille maledictione ſit vndique circumcinctus.

V. 20. *Hoc opus eorum qui aduerſantur mihi.* Senſus eſt illa erit merces operum quæ in me fecerunt. Et pari ſenſu dicitur, *Non morabitur opus mercenarij apud te vſque mane.* Hoc eſt, merces operis. Leu. 19. 13.

V. 21. *Et tu Domine.* Ipſi quidem mihi aduerſantur, & malum contra vitam meam loquuntur & decernunt, tu verò fac mecum propter nomen tuum: Et ſiquidem ſim ego indignus iſto beneficio tuo, at ſta à meis partibus propter nomen tuum in quo ſemper fiduciam habui. *Quia bona eſt miſericordia tua.* Tuam erga omnes beneficentiam exhibes, eam igitur etiam erga me nunc oſtendas, vt me ſaluum efficias.

V. 22. *Quia cor meum ſauciatum eſt.* Ac ſi dicat, Cor meum præ multis calamitatibus meis veluti occiſum eſt in me.

V. 23. *Sicut vmbra, cùm declinat.* Quemadmodum vmbra declinans citò euaneſcit, ita ego declinaui & citò abij, ſenſus eſt, celerrimè tranſierunt dies vitæ meæ, ſine vllis in hac vita bonis. *Excuſſus ſum ſicut locuſta.* Ex loco vno in alium excutior inſtar locuſtæ quæ non habet certum locum in quo quieſcat, ſed ex ſepe in ſepem excutitur, ſic non eſt mihi tuta ſedes in loco vllo;

Psal. 109. ſtatim namque ac Saül cognouit me in loco aliquo verſari, me inſequitur, & ex loco in locum compellor fugere.

V. 24. *Genua mea vacillarunt præ ieiunio.* Dum enim huc & illuc fugitaret ſe ſe ieiunio affligebat, vt Deum ad ſui commiſerationem & curam flecteret; ac propterea vigor eius adeo debilitabatur vt iter facere non poſſet. *Et caro mea emaciata eſt à pinguedine.* Ab illa pinguedine quæ prius in corpore eius ſolebat eſſe, excidit, & emarcuit caro eius, propter ieiunium & itinerum moleſtias.

V. 25. *Et ego factus ſum opprobrium illis.* Cùm me ita iam macilentum & afflictum cernunt, ſpernunt me ac probris impetunt, & contra me caput agitant.

V. 26. *Adiuua me Domine.* Pro ſolita illa tua miſericordia quâ erga cæteros homines vteris, & qua etiam erga me ſæpius iam vſus es, modò quoque me ſaluum facias.

V. 27. *Et ſciant.* Nouerint omnes eam à te mihi eſſe præſtitam & factam ſalutem, non verò meis viribus aut robore.

V. 28. *Maledicant illi.* Si mihi maledixerint iſti, ego eorum imprecationes minimè curo, quandoquidem tu mihi ſis benedicturus. *Inſurrexerunt at confundentur.* Ipſi quidem aduersùs me inſurrexerunt, at pudore afficientur propter malam ſuam aduersùm me cogitationem quæ erit irrita. *Seruus autem tuus lætabitur.*

V. 29. *Induentur aduerſarij mei ignominiâ.* Cùm ſcilicet viderint ſuas in me machinationes eſſe vanas.

V. 30. *Confitebor Domino.* Tunc cùm me liberauerit, ipſum celebrabo & laudibus efferam in medio multorum, vt illi omnes agnoſcant eam mihi eius beneficio ſalutem eſſe collatam, & majorem in ipſo fiduciam habeant.

V. 31. *Quia aſtat.* Sic enim ſolet ſe gerere erga miſerum & inopem in ipſo confidentem, nec pollentem viribus quibus ſe ſe liberet, ipſe, inquam Deus ſtat ad eius dextram vt illi opem ferat, & eruat ab improbis qui vitæ eius ſunt iudices, eique mortem machinantur. In Midras hic Pſalmus de Iſraëlitici populi cœtu exponitur, & ad iſta verba, Quia os improbi & os doli contra me aperuerunt, ſic dicitur, quid indicant iſta verba, *Aperuerunt*, Nimirum Sancta Sanctorum aperuerunt, & in illa ingreſſi ſunt, atque dixerunt, vbi eſt Deus eorum ſurgat & opituletur vobis; manus noſtra excelſa & non Dominus fecit hæc omnia. *Et verbis odij circundederunt me.* Quid illud odium? nempe quia loquuti ſunt illis Iſraëlitis in odio patris ſui, quia ſcriptum eſt, Et Eſaü oderat Iacobum. *Pro dilectione.* Sic dicunt Iſraëlitæ quando per deſerta vagantes miſimus nuntios ad ipſum Eſaü, cum dilectione egimus cum eo, ita enim de illa legatione refertur, ſic dicit frater tuus Iſraël. Quidnam verò dixerunt ipſi Idumæi? Ita reſponderunt, Nequaquam ita fiat, alioquin armati vobis occurremus. Dixerunt Iſraëlitæ: Ego eram pacificus, & cùm loquerer illis, ipſi ad bellum me prouocabant, & impugnauerunt me gratis. Et ſiquidem Eſaü odio habet Iacobum eòquòd primogenita eius abſtulit, quid verò injuriæ intulit Barbaris Gentibus?& ipſi oppugnauerunt me ſine cauſa. *Et ego orabā.* Ego vitulos ſeptuaginta offero in ſacrificium, in die feſto pro ſeptuaginta po-

pulis nationum externarum. Ego etiam pro iiſdem orationes coram Deo fundo vt pluuiæ in terram deſcendant, ſed eheu pro dilectione mea ipſi me odio habent.

PSALMVS CENTESIMVS DECIMVS.

Psal. 110.

Dauid Pſalmus.

1. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedibus tuis.

2. Virgam fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

3. Populus tuus voluntates *erit* in die exercitus tui in ſplendoribus ſanctitatis, ex vtero ab aurora tibi ros natiuitatis tuæ.

4. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum ſecundùm morem Melchiſedech.

5. Dominus ad dexteram tuam: transfixit in die iræ ſuæ Reges.

6. Iudicabit in nationibus implebit cadaueribus: transfiget capita in terra multa.

7. De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

COMMENTARIVS.

Dixit Dominus Domino meo. Magiſtri noſtri felicis M. Pſalmum hunc interpretantur de patre noſtro Abrahamo, cùm egreſſus eſt vt aduersùs quatuor Reges pugnaret. Illaque verba, *Tu es Sacerdos*, &c. Sic exponunt dicentes congruum fuiſſe vt inde exiret Sacerdotium nempe ex Melchiſedech, ſcriptum quippe eſt, *Et ipſe erat Sacerdos Dei Altiſſimi.* Verùm quia Abrahamus ſuâ benedictione præuenit Deum Excelſum, idcirco Deus ſanctus & benedictus abſtulit ab iſto Sacerdotium, illúdque Abrahamo contulit, quia hìc dicitur, Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ritum Melchiſedech, hoc eſt, propter verbum quod loquutus fuit Melchiſedech. Sed magis videtur conſentaneum vt Pſalmus de Dauide iuxta literalem & ſimplicem ſenſum exponatur. Nempe cantorum aliquis illum de ipſo compoſuerit: & litera ל *lamed*, nomini Dauidis præpoſita ſignificet de, aut propter vt illo in loco, Dic de me, frater meus eſt iſte. Eo etiam modo ſumitur ל *lamed* in illis verbis, Præcentori Pſalmus de Dauide, in titulo Pſalmi, Exaudiat te Dominus in die tribulationis, ſicut ibidem expoſuimus. Sapiens autem Rabbi Abraham F. E. exiſtimat hunc Pſalmum fuiſſe compoſitum in ipſo regni Dauidis initio, nempe cùm audierunt Philiſtæi ipſum fuiſſe vnctum in Regem, & ſicut dicitur, *Aſ-*

Psal. *cenderunt omnes Philiſtæi vt quærerent Dauidem.* Promiſit autem Deus bene-
110. dictus ſe in manum eius daturum Philiſtæos, & tradidit illos in manu eius in Baalpharaſim, & in valle Raphaim; & tunc Pſalmum hunc edidit cantor &
2. Sam. ita cecinit.
5. V. 1. *Dixit Dominus Domino meo.* Hoc Deus benedicendus dixit Domino meo Dauidi, ſede à dextris meis; ſicut ibidem ſcriptum eſt, Quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam vt percutiat caſtra Philiſtijm, ac ſi diceret illi Deus, ſede & eſto ſecurus ad dexteram meam, nam dextera mea tibi opitulabitur, & non quieſcam donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedibus tuis.

V. 2. *Virgam fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Nimirum vt in eodem capite refertur, iam Dauid arcem Sionis ſubegerat initio ſui principatus, ſenſus ergo eſt, virgam & baculum quibus fortitudo tua inniteretur incepit Deus benedicendus mittere ad te, illum locum, eſt quippe in eo arx fortiſſima, & illam tradidit tibi: iam ergo ex hoc tempore dominare & principatum exerce in medio inimicorum tuorum, noli illos metuere. Porro dicit, In medio, perinde ac ſi diceret non debes dicere te dominaturum in ciuitatibus Philiſtæorum quæ terræ Iſraël ſunt conterminæ, nam in media ipſorum regione exercebis imperium. Non deſunt qui aſſerant idcirco eum dixiſſe, *Ex Sion*, quòd ibi Diuinæ maieſtatis præſentia reſideret.

V. 3. *Populus tuus ſponte in die virtutis tuæ.* Eo die quo tuam fortitudinem exercuiſti pugnando contra illos, tuus populus prompto animo venit ad te. *In ſplendoribus ſanctitatis.* Hoc eſt, Ieroſolymis, eſt enim illa ciuitas decor ſanctitatis, ſicut & terra ſancta appellatur: eſt enim dictio הררי *hadre* ab הדר *heder*, quod decorem & pulchritudinem ſignificat: vnde alio in loco
Pſal. nominatur pulchra climate, gaudium vniuerſæ terræ. Vtitur verò plurali nu-
48. 3. merò, ſplendoribus, quia propter quamplurimas res vrbis Ieroſolymitanæ bonitas & pulchritudo commendatur. *Ab vtero ex aurora tibi res natiuitatis tuæ.* Hoc eſt, ipſe dies quo egreſſus es è matrice & natus es, fuit tibi aurora, ac ſi diceret, ad bonum tuum; & ipſe ros natiuitatis tuæ, ille ros qui deſcendit quando natus es, tibi fuit. Perinde ac ſi diceret, ex vtero egreſſus es ad regnum, & ros benedictionis tibi fuit in illa aurora.

V. 4. *Iurauit Dominus.* Cuius verbum eſt eius iuramentum. *Tu es Sacerdos.* Dictio כהן *cohen* hoc loco, Regem & Principem ſignificat, ſicuti in
2. Sam. illis, *Et filij Dauid erant Sacerdotes.* Et, *Ambulare facit Sacerdotes ſpoliatos*,
8. 18. hoc eſt, Magnates & Principes. Dicit verò, *In æternum*, quia ſcilicet Saül
Iob. 12. non fuit Rex in ſæculum. *Secundùm ritum Melchiſedech.* Et quare elegi te
19. in Regem æternum? Nempe quia tu Rex iuſtitiæ futurus eras; quemadmodum de ipſo ſcriptum eſt, Et faciebat Dauid iudicium & iuſtitiam omni populo ſuo. Litera י *iod* paragogicè eſt addita in vocibus דברתי *diurati* & מלכי *malchi.*

V. 5. *Dominus ad dextram tuam.* Stabat Dominus ad dextram tuam, quando in prælijs victor euadebas. *Transfixit in die iræ ſuæ Reges.* Et ipſe ſtans à dextris tuis transfixit Reges Gentium, qui ad pugnandum aduerſum te conuenerant. *In die iræ ipſius.* Ac ſi diceret, ipſo die furor iræ eius contra il-

los erat accenſus, verùm beneuolentià ſuâ te proſequebatur. PSAL.

V. 6. *Iudicabit in nationibus.* Iudicium & punitionem exercebit in 110.
Gentibus, donec ipſe locus prælij cadaueribus oppleatur. *Transfiget caput in terra.* Hoc eſt, multa capita transfiget, caput enim collectiuè ſumitur, ſicut & multum; vt in iſto loco, In concilio Sanctorum multo. Quidam vocem רבה *rabba* de Rabbath Ammonitarum exponunt, & hunc verſum de illo bello intepretantur.

V. 7. *De terrente in via.* Propterea cùm deuicerit omnes ſuos hoſtes caput ſuper illos extollet. Et ſic de illo ſcriptum eſt. Et fecit Dauid, &c. 2. Sam. 5. 25.

PSALMVS CENTESIMVS VNDECIMVS.

Halleluia.

1. CONfitebor Domino in toto corde: in conſilio rectorum & congregatione.

2. Magna opera Domini, exquiſita omnibus volentibus ea.

3. Gloria & magnificentia opus eius: & iuſtitia eius manet in æternum.

4. Memoriam fecit mirabilibus ſuis, miſericors & miſerator Dominus.

5. Eſcam dedit timentibus ſe: memor erat in ſeculum teſtamenti ſui.

6. Vrtutem operum ſuorum annuntiauit populo ſuo, dando illis hæreditatem Gentium.

7. Opera manuum eius veritas & iudicium: fidelia omnia mandata eius.

8. Confirmata in perpetuum *&* in æternum: facta in veritate & æquitate.

9. Redemptionem miſit populo ſuo, mandauit in æternum pactum ſuum: ſanctum & terribile nomen eius.

10. Initium ſapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus ea: laus eius manet in æternum.

COMMENTARIVS.

HAlleloiia, laudate Deum. *Confitebor Domino.* Pſalmus hic Alphabetico ordine conſcriptus eſt, itaut in verſu quolibet duæ literæ, iuxta ſuum ordinem Alphabeticum duo vocabula incipiant, & tres in duobus vltimis

Psal. III. verſibus, nempe quia breuis eſt Pſalmus. Eſt tamen valde inſignis, ac in illo hortatur Pſalmographus ad ſeriam diuinorum operum contemplationem, & ad continuam mirabilium Dei [illegible] omnipotentis eius roboris recordationem. Inuitat etiam in ipſo homin[illegible] [illegible]mori diuino & cultui adjungant animum, nec-non vt ſapientiæ de[illegible] [illegible]. Et omnis quidem Pſalmus Alphabetico ordine conſcriptus, ob eius præ[illegible]tiam & rerum dignitatem de quibus in ipſo agitur, eâ ratione Spiritus Sancti inſtinctu editus fuiſſe videtur. Alloquitur autem Pſalmi author cantores, laudate Deum, inquit, nam & ego idem prælabo &c.

V. 1. *Confitebor Domino toto corde.* Hoc eſt, tota mentis intentione & ſtudio. *In conſilio rectorum & cœtu.* In cœtu rectorum, hoc eſt, Iſraëlitarum, quo ſenſu dictum eſt [illegible]d, *Moriatur anima mea morte rectorum.* Si-

Num. 23. 10. quidem ipſi recti ſunt in operibus ſuis, exactis ſecundùm iudicia quæ illis benedicendus Deus obſeruanda præſcripſit. Porro illud, *Et congregatione*, idem eſt ac, In congregatione, vox namque iſta, in, præpoſita voci conſilio æquipollet duabus, ac ſenſus eſt, In conſilio Iſraëlitarum & in congregatione illorum celebrabo Deum; tum enim omnes Iſraëlitæ cum ipſo concordi animo conſentiebant.

V. 2. *Magna opera Domini.* Hoc eſt encomij ipſius initium & ita dicit, magna ſunt opera Dei quæ fecit in rebus creatis: etſi quidem ſint magna, ſunt tamen exquiſita omnibus volentibus ea; Perinde ac ſi diceret, vnicuique fiunt explorata & inuenta, qui illa ſtudioſè conſiderat & inquirit. Dictio חפציהם *hhephtſehem* eſt nomen adjectiuum ſeu formale, à ſingulari חפץ *hhapets*, cuius plurale חפצים *hhapetſim* ſicut à זקן *zaquen* fit זקנים *zequenim* זקניהם *ziqnehem.*

V. 3. *Gloria & magnificentia opus eius.* Cùm ſtudioſè contemplatur homo illius opus, nempe cœlum & terram agnoſcit illa eſſe gloriam & magnificentiam. *Et iuſtitia eius*, nimirum totus ille mundus qui nihil aliud eſt quàm beneficium ab ipſo creaturis datum, manet in æternum.

V. 4. *Memoriam fecit.* Poſtquam Dei opera in mundo hoc maxima eſſe & pulcherrima declarauit, iam loquitur de ijs quos præ omnibus creaturis inferioribus dilexit, ſcilicet de Iſraëlitis, ac dicit eum feciſſe memoriam ſuis mirabilibus, quæ illorum gratiâ in Ægypto patrauit. Et hæc fuerunt initium omnium aliorum mirabilium. Et adeo magna fuere miracula, vt per ſingulas generationes eorum memoria celebretur. *Miſericors & miſerator Dominus.* Nam gratiâ ſuâ & miſeratione perſequutus eſt eos. Iſta verba, *Memoriam fecit*, ſic etiam poſſunt intelligi, ea miracula quæ in gratiam Iſraëlitarum operatus eſt per ſingulas deinceps generationes, fecit in memoriam illorum mirabilium priorum quæ propter ipſos patrauerat in Ægypto; hæc enim [illegible] iſta ali[illegible]a in hominum memoriam reuocantur. Hæc eadem verba [illegible] ita explanantur, Memoriam fecit eis, per Sabbata & alios dies feſtos quæ obſeruandos tradidit Iſraëlitis, nam in illis ſolemnem celebrant memoriam egreſſionis ex Ægyptiaca ſeruitute.

V. 5. *Eſcam dedit timentibus ſe.* Nimirum Iſraëlitis, quibus pretioſiorem

Exod. 3, 22. Ægyptiorum ſupellectilem in prædam dedit, iuxta illud, *Et ſpoliabitis Ægyptum.*

ptum. Memor erat in ſæculum teſtamenti ſui. Poſt multùm temporis, memor tandem fuit pacti ſui quod cum patre noſtro Abrahamo iniuerat inter diuiſas ſacrificij partes; tum enim promiſit ille ijs verbis, *Et poſtea egredientur cum ſubſtantia magna.* PSAL. CIII. Gen. 15. 14.

V. 6. *Virtutem operum ſuorum.* Nam quamuis iam in Ægypto eis oſtendiſſet mirabilia ſua & maxima opera; ſua tamen operum fortitudinem populo ſuo annuntiauit, cùm illis promiſit ſe daturum ipſis hereditatem Gentium. Non enim tam manifeſtè oſtenſa fuit eius diuina poteſtas cùm illos ex Ægypto eduxit, quàm cùm ſeptem fortiſſimos & numeroſiſſimos populos ex propria terra ejecit, eámque Iſraëlitis incolendam tradidit, vnde ſic dicebat Moſes Magiſter noſter, *Ne fortè dicant habitatores terræ de qua eduxiſti nos, propterea quòd non potuit Dominus introducere eos in terram*, &c. Dicturi enim erant, etſi ſatis habuerit virium ad illos ex noſtra ſeruitute liberandos, minimè tamen valuit alios populos è propria terra expellere, eámque ſuo populo tradere poſſidendam. Dicit porro, *Annuntiauit*, nempe quia hoc maius eſt miraculum, quod ante illud ſe facturum prædixerit quàm faceret, ne fortè illud caſu factum eſſe diceretur. Idcirco ante ſe facturum prædixerat quam faceret, & ſicut erat prædictum effecit. In Midras autem circa eadem verba, Fortitudinem operum ſuorum annuntiauit populo ſuo, ſic dicitur, quòd nimirum curauerit Deus creationis opus deſcribi Iſraëlitis, vt notum omnibus faceret terram omnem eſſe ſuam, quia ipſe illam creauit, & in ſua ſitum eſſe poteſtate eam quibuſcumque ſibi placuerit incolendam concendere, & ex illa exterminare quoſcumque libuerit, & hos aut illos in eorum locum inſtituere. Ne fortaſſe poſſent aliquando aliæ mundi nationes Iſraëlitis ſic exprobrare vos prædones eſtis, nam ſeptem nationum terram vi occupaſtis. Deut. 9. 28.

V. 7. *Opera manuum eius.* Quod per bella ſui populi Gentes illas attriuerit eáſque ex terra ipſarum expulerit, ne dixeritis iniqui aliquid ab eo fuiſſe commiſſum; nam veritas fuit & iudicium; veritas quidem quia tum impleuit quod Abrahamo patri noſtro promiſerat; fuit etiam iudicium, non enim erat æquum vt diutius manerent in illa propter opera illarum peſſima; ſicut dicitur, *Nec-dum enim completa ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus*: quo innuitur ipſos propter ſua ſcelera ex ea terra fuiſſe expulſos; erat ſiquidem terra illa, terra ſanctitati deſtinata, nec erat æquitati conſentaneum vt in illa remanerent & eam inhabitarent populi tam abominanda facientes: vnde ſic dicit Moſes, *Sed propter iniquitatem Gentium iſtarum Dominus Deus tuus expellit eas à facie tua.* Et vt compleat verbum quod ſub iuramento pollicitus eſt. Ecce veritas & iudicium. *Fidelia omnia mandata eius.* Nec verò in hoc tantùm iuſtus & verax apparuit Deus, ſed omnia eius mandata fidelia ſunt, nihilque prorſus ipſis ineſt iniquitatis.

V. 8. *Confirmata in perpetuum.* Non vacillabunt neque commouebuntur in æternum, facta quippe ſunt in veritate, & in via rectiſſimæ rationis condita, quapropter non corruent aut offendent quicumque per illa ambulauerint & ea obſeruauerint.

V. 9. *Redemptionem miſit populo ſuo.* Miſit ad illos qui ipſos è ſeruitute redimerent ac præcepit vt perpetuò fœderis ſui eſſent memores, *Quoniam*

PSAL. III. *ſanctum & terribile eſt nomen eius.* Et propterea reuerebuntur ipſum & ſancti erunt quia ipſe ſanctus eſt qui ſanctificauit eos, & ab alijs nationibus ſeparauit; vnde ſic ipſe dixit, Sanctificabitis vos & ſancti eritis quia ego ſanctus ſum Dominus qui vos ſanctifico.

V. 10. *Initium ſapientiæ, timor Domini.* Sed vbinam hoc illis præcepit? ſcilicet timorem Domini pro ſapientiæ principio: cùm nempe ita mandauit, Deut. 13. 4. *Dominum Deum tuum timebis & illi ſerues & ipſi adhærebis*, &c. Vbi primò nominauit timorem; eſt autem timor Domini, legis & præceptorum obſeruatio. Per ſapientiam verò hîc intelligitur vera & perfecta rerum naturalium cognitio, quâ ad notitiam totius operis creationis peruenitur: & per eam exhibetur cultus Deo benedicendo: illius ſiquidem beneficio, ſuum conditorem agnoſcit homo. Idcirco poſt illam mox ſubjungitur, *Et illi ſerues.* Et quiſquis huic ſolius ſapientiæ ſtudio incumbit, & res omnes inferioris huius mundi ex animo ſuo amandare conatur, hic Deo benedicendo adhæret; & hoc eſt quod tertio loco præcipitur, *Et illi adhærebis.* Mens illius rebus ſuperioribus affixa eſt, ac tum Dei nomen cognoſcit; Et hoc præcipitur illis verbis, *Et per nomen eius iurabis.* Ille ſiquidem minimè iurare poteſt per nomen eius ſi illud non cognoſcat. In iſto autem loco, timorem Domini, cultui illius præpoſuit, ita pariter in hoc verſu præcipit vt timor Dei anteponatur ſapientiæ, nam dixit, *Initium ſapientiæ timor Domini*: ſenſúſque eſt, quiſquis animum ſuum ſapientiæ ſtudio adjungere proponit, diuino primùm timori comparando ſtudeat, illúmque veluti ſui inſtituti radicem & fundamentum ponat, & continuò per vias eius in comparandis ſibi ſcientijs, incedere curet, ſecundùm illam Magiſtrorum noſtrorum F. M. ſententiam, Quicumque priùs peccati timorem habuerit, quam ſapientiam ſibi comparauerit, ſapientia eius firma & permanens erit; ſin autem econtra priùs ſapientiam didicerit, quàm peccatum reformidauerit * ſapientia eius nullatenus conſiſtet. Alioquin ſi rerum naturalium notitiam, & Philoſophiam ante illum timorem addiſcat homo, fortaſſis in animo ſuo perturbabitur, ac ſe ſe frons eius ita obfirmabit, vt abneget ſigna & prodigia magna quæ in ſacris literis conſcripta habentur; quapropter neceſſe eſt vt ante omnia perdiſcat legem, quæ eſt timor Domini, & firmiter apud ſe proponat certam adhibere fidem ijs omnibus quæ in illa ſunt contenta, veluti de mundi creatione, de naturalis rerum ordinis immutatione, in ſignis & prodigijs. Cúmque homo ſtudioſè legi diuinæ conſiderandæ ac meditandæ incubuerit, ſapientiæ vias & arcana in illa reperiet, iuxta illud de ipſa lege dictum, Deut. 4. 6. *Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis*, &c. Nec verò eſt quod dicat aliquis, legem ac præcepta eſſe condita ſupra viam & captum humani intellectus. Nam ipſa etiam ſtatuta, de quibus ſolet dici quod nulla illorum ratio reddi poſſit, verum quidem eſt non habere rationem notam & perſpectam quammultis hominibus. Attamen homo ſapientiâ præditus, illa accuratè conſiderans, claram & dilucidam eorum rationem agnoſcit. Poſtquam igitur

* Vnde à ſapientibus eſt dictum, væ diſcipulis ſapientum, qui occupantur quidem in lege, ſed timorem Dei non habent. Et illud, volenti legem diuinam addiſcere, opus eſt vt priùs in Dei timore corroboretur.

vir ſapiens & prudens legis arcana ſatis intellexerit, ciúſque notitiam veluti fundamentum aliquod cæteris ſcientijs præſtruxerit, dederitque operam in animo ſuo vt ea quæ videntur aliena à mente ſua, cum illa conciliet, & deinde Philoſophicis ſcientijs ſibi comparandis incumbet, nullâ deinceps perplexitate mentis laborabit in addiſcendis ſcientijs cum lege quam iam ante didicerat. Iam enim fixus eſt clauus in loco firmo & fideli, & ad illam, ſapientiæ vias totis viribus reducere conabitur, ac idcirco dixit hic author Pſalmi. *Initium ſapientiæ timor Domini*, & addidit, *Intellectus bonus omnibus facientibus ea.* Hoc eſt, bona attentio & prudens conſilium eſt illi qui hæc duo facit, nempe qui timori Domini, & ſapientiæ ſtudet. Vel illa verba שכל טוב *ſechel tou* ſignificant ſucceſſum proſperum; quo ſenſu dictum eſt illud, *In omnibus quoque vijs ſuis prudenter agebat David & Dominus erat cum eo*; 1. Sam. 18. q 10 in loco vox משכיל *maſchil* intelligenter agebat, idem valet ac proſperè ſua agebat, ſenſus igitur eſt, eum qui duabus illis rebus, timori & ſapientiæ ſuum impendit ſtudium, felici proſperitate vſurum & in hoc, & in futuro ſeculo. *Laus eius manet in æternum.* Quiſquis enim ſua opera ſecundùm æquam rectitudinis normam exigit, ac Dei legem & eius mandata obſeruat, eius laus per multas generationum ſeries in ore hominum erit celebris. Ipſa etiam eius anima in futuro ſeculo, in perpetuas durationes eſt permanſura. Sed iam fuſiùs egi de ſenſu huius verſus in præfatione Commentarij in Prophetas.

PSAL. III.

PSALMVS CENTESIMVS DVODECIMVS.

Halleloüia.

1. BEatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet multùm.

2. Potens in terra erit ſemen eius: generatio rectorum benedicetur.

3. Abundantia & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in æternum.

4. Exoritur in tenebris lumen rectis: miſericors & miſerator & iuſtus.

5. Bene *eſt* viro qui miſeretur & commodat: diſponit verba ſua in iudicio.

6. Quia in æternum non commouebitur: ad memoriam æternam erit iuſtus.

7. Ab auditione malâ non timebit: firmum eſt cor eius confidens in Domino.

PSAL. CXII. 8. Confirmatum eſt cor eius, non timebit donec videat in inimicis ſuis.

9. Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum, cornu eius exaltabitur in gloria.

10. Improbus videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium improborum peribit.

COMMENTARIVS.

HAlleluia. *Beatus vir qui timet Dominum.* Ordine Alphabetico hic etiam Pſalmus eſt conſcriptus; & duæ in quolibet verſu ſunt literæ, & in duobus vltimis, ternæ. Eſt quoque admodùm inſignis hic Pſalmus, & in illo hominis recti mores laudandi enarrantur, cui certa merces à Domino rependitur, cum in hoc tum in futuro ſeculo, ac de illo dicit.

V. 1. *Beatus vir qui timet Dominum.* Qui, inquit, Deum benedicendum teueretur, & ea ſtudioſè obſeruat quæ ab illo ſibi fuete præcepta, & ab illis cauet quæ ſibi ſunt prohibita. Et præcepta quidem negatiua obſeruat præ diuino timore quo eſt affectus, non autem quod carnem & ſanguinem ſeu hominem aliquem metuat; & illa tam ſtudioſè clam ac palam cuſtodit. *In mandatis eius volet multùm.* Affirmatiua etiam præcepta ſummâ animi oblectatione exequitur, non eo fine vt apud homines extollatur, & ſibi famam comparet, ſed ex animi ſui ſtudio & propter ſuum amorem erga Deum benedicendum qui ea facienda præcepit: & idcirco dixit, Multùm, nempe quia animi eiuſmodi hominis ſtudium nullius amoris ſtimulo excitatur niſi ſolius Dei charitate. Dicit etiam multùm, ac ſi diceret hominem illum ſummâ curâ diuinorum mandatorum impletionem proſequi, & totis eniti viribus vt illa exequatur, adhibito etiam labore corporis, & impenſis facultatibus. Vnde & Magiſtri noſtri F. M. dixerunt, In mandatis eius delectatur valde, non verò propter mandatorum eius præmium. Perinde ac ſi dicerent eum Dei præcepta non obſeruare propoſitæ mercedis intuitu: ac de viro hoc æquiſſimum eſt dicere, quod ſit beatus: Cæterùm in Deras ſic dicitur ad illa verba, *In mandatis eius voluit valde.* Hæc de Abrahamo dicta videntur; ſiquidem dixit illis ſanctus & benedictus Deus, Egredere de terra tua: & mox ſubjungitur, Tulitque Abraham Sara vxorem ſuam. Dixit iterum illi, Circuncide carnem, &c. Et additur, In eodem ipſo die circumciſus eſt Abraham, &c. Alio etiam tempore præcepit illi Deus. Tolle nunc filium tuum, vnicum tuum, &c. Et ſtatim legitur, Et ſurrexit Abraham manè, &c.

V. 2. *Potens in terra erit ſemen eius.* Et propter bona eius opera Deus benedicendus etiam illius poſteris, poſt eius mortem, bona retribuet, erunt potentes in terra; ipſos enim cæteri homines reuerebantur & colent, vt ſolent viri potentes coli & metui. Magiſtri verò noſtri F. M. his verbis indicari volunt poſteros illius fore robuſtiſſimos; & hanc eſſe vnam ex benedictio-

nibus viri iuſti in hac vita. Illorúmque eſt illud effatum ;Quinque res promeretur homo filiis ſuis, nempe robur, opes, pulchritudinem, ſapientiam & annos multos vitæ. Potentiam quidem, quia dictum eſt, potens in terra erit ſemen eius. *Generatio rectorum benedicetur.* Hoc eſt, patris & filij rectorum, iſti enim generationi Deus benedicendus ſolet benedicere multorum bonorum augmentis. Allegorica expoſitio, quæ ſuperiorem verſum de Abrahamo explicuit, hunc de Iacobo patre noſtro exponit, dicitque illa verba, *Potens in terra erit ſemen eius*, de Iacobo eſſe intelligenda, ſed quænam tanta eſt eius fortitudo? Nempe quia luctatus cum Angelo Dei, potens fuit & prævaluit. Illud verò, *Generatio rectorum benedicetur*, de Tribubus Iſraëliticis. PSAL. 11:.

V. 3. *Abundantia & diuitiæ in domo eius.* Viri ſcilicet iuſti & filiorum eius in hoc ſeculo. *Et iuſtitia eius manet in æternum*, nempe in altero ſeculo. Imò ſunt qui de præſenti ſeculo interpretentur, illumque ſenſum eſſe iſtius vocis, *In æternum*, de filiis eius & filiis filiorum vſque in ſeculum.

V. 4. *Exoritur in tenebris.* Eo tempore quo mundus tenebris obuoluitur, hoc eſt, calamitatibus, lumen exoritur rectis, ſalus & liberatio illis oboritur in ærumnis. *Miſericors & miſerator & iuſtus.* Quia ipſe Deus miſericors eſt in viis ſuis, & bonorum miſeretur, ſuaſque erga illos miſerationes exhibet, & calamitatis tempore eos ab anguſtia eripit. *Et iuſtus.* Iuſtus ſiquidem ac rectus eſt, & bonis ſecundùm vias illorum retribuit, & malis pariter iuxta illorum opera: quare efficit vt lux exoriatur rectis, verbum זרח *zarahh* hoc loco eſt tranſitiuum, aut fortè intranſitiuum etiam eſſe poteſt, & tum illæ voces, miſericors & miſerator, ad hominem rectum erunt referendæ, qui virtutes & proprietates conditoris ſui ſtudet imitari.

V. 5. *Bene* eſt *viro.* Hic ex virtutibus hominis recti præcipuè beneficentiam enarrat & commendat: & illud: benè viro, idem eſt ac, beatus eſt vir ille, ac dicit ipſum eſſe miſericordem, hoc eſt, gratis dare pauperibus, & mutuò dat egentibus verecundis: eò quòd nempe dona gratis erubeſcunt accipere, dat ipſis mutuò. *Diſponit res ſuas in iudicio.* Omnia ſcilicet dona quæ gratis elargitur, & omnes familiæ ſuæ expenſas, menſuratè & iuxta facultates ſuas moderatur & aptat in iuſtitia & iudicio, ita vt non plus æquo à commodis & lucris abhorreat, & ab iis omnibus quæ ſolent in hac vita deſiderari. Nec illa etiam ſupra modum acquirere & augere, ſed tantùm moderatè, & pro ſuis æquis expenſis. Sic pariter cum egenis ſua liberaliter elargitur, non ita profusè facultates ſuas prodigat, vt poſtea rebus ſibi ad victum neceſſariis ipſe indigeat. Hæc eadem verba, *Diſponit verba ſua in iudicio* de cæteris humanis moribus & affectibus explicari poſſunt, quibus ſcilicet vir iuſtus moderatè vtitur, atque vt eſt rationi conſentaneum & quantùm res exigit, quod illa voce, *In iudicio*, denotatur. Eiuſmodi verò affectus ſunt, amor, odium, lætitia, dolor, liberalitas, beneficentia, & his ſimiles.

V. 6 *Quia in æternum non commouebitur.* Nam in ſeculum opes & fortunæ viri illius in eius poteſtate permanebunt, & ſano ſemper & vegeto erit corpore. *Ad memoriam æternam erit iuſtus.* Siquidem apud poſteros celebris ſemper & grata futura eſt ob benefacta eius, memoria illius.

V. 7. *Ab auditione mala.* Cùm ècontrà de improbo ſit dictum, ſonitus ter-

Psal. rorum in auribus illius: at vir iuſtus non timet ne malos rumores accipiat de
1 2. filiis ſuis aut conſanguineis qui aliam prouinciam incolunt. Aut ſi fortè audiuerit hoſtes aduentare, non expaueſcet, quia nempe firmum eſt cor eius, ac in Domino confidens; non verò in ſuis opibus, aut in magno robore ſuo, vel amicorum aut propinquorum, ſed in Domino ſpem omnem ac fiduciam collocatam habet, quapropter non timebit.

V. 8. *Confirmatum eſt cor eius.* Suffultum eſt & firmiter Deo innixum, ac idcirco nullum hominem metuit, ſed ſua gerit ſecurus & omni tempore diuinæ tutelæ confiſus. *Donec videat in inimicis ſuis.* Nimirum pœnas quas in eis videre pridem exoptabat. Eodem ſenſu in alio Pſalmo dictum eſt, *Et in*
Psal. 54. *inimicis meis vidit oculus meus.* In ipſis oculus meus vidit id quod volui.
9. V. 9. *Diſperſit dedit pauperibus.* Scilicet ex ſuis facultatibus, & illud liberaliter diſtribuit indigentibus. Porrò verbum illud, Diſperſit, ſignificat illum dare huic & illi, omnibus quidem egenis coram ſe aſtantibus, & quantùm illos dignoſcit indigere: at verò non dicit illum tam magna dona diſtribuere, vt ipſemet ad inopiam redigatur. Illud enim viri iuſti officio non eſt conſentaneum, ſicuti iam declarauimus, ſed de illo dicitur, Diſperſit, quia huic & illi diſtribuit, at quantùm eius facultates ferre poſſunt; vnde Magiſtri noſtri F. M. dixerunt, Qui prodigit, ne prodigat vltra quintam partem bonorum. *Iuſtitia eius manet in æternum.* Ipſi ſcilicet & filij eius poſt eum, ſicut ſcriptum eſt, Et faciens miſericordiam mille generationibus: vel illud: In æternum, ſignificat præmium iuſtitiæ ſeu beneficentiæ eius, certiſſimè illi eſſe reddendum in futuro ſeculo. *Cornu eius exaltabitur in gloria.* Hoc eſt, ro-
Psal. 75. bur eius & potentia: quo ſenſu alio in loco dictum eſt, *Exaltabuntur cornua*
11. *iuſti.* De improbis autem contrarium ibidem. *Et omnia cornua improborum confringam.*

V. 10. *Improbus videbit.* Cùm viri iuſti gloriam viderit improbus, præ inuidia indignabitur, & ſic dentibus ſuis aduerſùs eum infremet, illumque ſi vires ei ſuppeterent, libenter perderet. *Et tabeſcet.* Cor illius præ inuidia
Prou. 14. 30. & dolore contabeſcet, iuxta illud, Putredo oſſium, inuidia. *Deſiderium peccatorum peribit.* Illud deſiderium quo improbi mala & calamitates iuſtis exoptant, peribit ac irritum erit; Nunquam enim iuſtos pœnis affectos ſunt viſuri: vel ſenſus eſt, Deſiderium improborum quo ſibi ipſis bona cupiunt, peri-
Prou. 10. 24. bit: at contrarium de piis viris eſt dictum, nempe; *Deſiderium iuſtis dabitur.*

PSALMVS CENTESIMVS DECIMVS-TERTIVS.

Halleluia.

1. LAudate ſerui Domini, laudate nomen Domini.
2. Sit nomen Domini benedictum, ex nunc & vſque in ſeculum.

3. A Solis ortu vſque ad occaſum eius, laudatum nomen Domini. Psal. 113.

4. Excelſus ſupra omnes gentes Dominus: ſupra cœlos gloria eius.

5. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui eleuat ſe ad habitandum?

6. Qui humiliat ad videndum, in cœlo & in terra.

7. Suſcitans è puluere inopem, de ſtercore erigit pauperem.

8. Vt ſedere faciat *eum* cum principibus, cum principibus populi ſui.

9. Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem. Halleluia.

COMMENTARIVS.

HAlleluia. *Laudate ſerui Domini, laudate nomen Domini.* Cùm vellet Dauid loqui de exitu Iſraëlitarum ex Ægypto, incepit ab enarratione ſummæ potentiæ quam Deus benedicendus in mundo exhibet, quando vult humiles exaltare, & deprimere ſuperbos ac elatos, quemadmodum in Iſraëlitis & Ægyptiis, illum egiſſe apparet.

V. 1. Dicit verò *Halleluia*, ſeu *Laudate Deum*, & quidem ter dicit, Laudate, innuens teneri nos ad Deum multis laudum generibus & multis de cauſis celebrandum. *Serui Domini.* Nomen hoc eſt vocatiui caſus, vt illud, *O cœtus, vnum ſtatutum eſt vobis.* Num. 15. 15. Per ſeruos autem Domini, viri ſapientes ac Deum reuerentes ſunt intelligendi: illos enim potiſſimum decet Deum laudare, eique gratias agere, quippe qui præ cæteris norint qua ratione ſit laudandus pro ſuæ ſapientiæ modulo, & iuxta notitiam diuini eius nominis, quam ſibi comparare potuerunt.

V. 2. *Sit nomen Domini benedictum.* Nimirùm ore rerum omnium creatarum, quarum illæ omnes ipſum benedicere tenentur, quæ ſcientiâ ſunt præditæ. Illorum porrò verborum, *Ex nunc & vſque in ſeculum.* Hic eſt ſenſus, Ex nunc, tempus hoc præſens deſignat: & vſque in ſeculum, futurum tempus.

V. 3. *A ſolis ortu & vſque ad occaſum eius.* Omnes enim homines quotquot ſunt ab oriente ad occaſum, Deum laudant: Etſi enim ſint inter eos qui colant ſtellas & planetas, omnes tamen fatentur ipſum eſſe primam & ſupremam cauſam; vnde ſic à Propheta dictum eſt, *Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum eius, magnum eſt nomen meum in Gentibus*, &c. Malac. 1. 11. Dicit autem, A Solis ortu vſque ad occaſum eius, quòd ſit hæc terræ pars præcipuè habitabilis ſupra lineam æquinoctialem.

V. 4. *Excelſus ſuper omnes gentes.* Omnes ſiquidem gentes ipſum extol-

Psal. lunt laudibus, etiam ſi gloria eius longè cœlos ipſos tranſcendat: nam & cœ-
113. li & illorum exercitus, & ipſi Angeli multò perfectiùs maieſtatis eius dignitatem aſſequuntur, ac multò etiam digniùs & nobiliùs ipſum norunt exaltare, & gloriæ illius magnitudinem enarrare, quàm inferiora omnia. Quidam illa verba ſic interpretantur, Maior eſt & excelſior omnibus laudum generibus, quibus illum Gentes omnes celebrare poſſint. Præterea etiam cœlis eſt excelſior eius gloria; nam neque cœli ipſi, nec omnis eorum exercitus gloriæ eius magnitudinem comprehendere poſſunt.

V. 5. *Quis ſicut Dominus Deus noſter.* Quoniam cœlos ſuperiùs nominauerat, quorum exercitus plurimæ Gentes pro Diis colunt, idcircò dixit hoc loco, Quis ſicut Dominus Deus noſter? ac ſi diceret, quiſnam eſt ex omnibus omnium populorum diis, qui ſit ſimilis Domino Deo noſtro? Nam ipſe eſt qui ſe exaltat ad habitandum ſupra omnia excelſa, & demittit ſe ad videndum omnia inferiora, ſiue in cœlo, ſiue in terra: omnia ſiquidem vbique ſunt infima coram illo, & cum illo collata; & videt ipſe omnia illa, & omnes eorum actiones. Sunt qui iſta verba ſic exponunt, qui ſe exaltat ad habitandum in cœlo, qui ſe deprimit ad videndum in terra. Porrò littera י *iod* in voce המגביהי *hammagbihi* & ſequentibus, eſt paragogica; & illa iſtius litteræ additio in fine harum dictionum fieri dicitur ad elegantiam ſermonis: Senſus autem eſt, ipſe quidem Deus eſt excelſus. & tamen videt humiles, ac ſi diceret, intuetur miſeros ac pauperes, eoſque ex puluere ſuſcitat, & erigit ex ſtercore. Et dictio illa אשפות *aſchpot*, eſt ſingularis numeri: & iam rationem eius grammaticam explanauimus in libro Miclol.

V. 8. *Vt ſedere faciat.* Nec verò tantùm erigit miſeros ex humili & abiecto ſtatu illorum, quin etiam exaltat eos, & locum eis dat inter Principes. Idcirco autem addidit, *Inter Principes populi ſui*, quia ipſi ſunt excelſi ſupra omnes populos quamdiu diuinæ obtemperant voluntati; & ſic aliquando futurum eſt vt ſupra omnes populos ſint conſtituti.

V. 9. *Qui habitare facit ſterilem.* Præterea etiam ipſe aliquando rerum natura & vires immutat: ita enim efficit vt quæ ante fuerat ſterilis, habitet in domo ſeu familia, hoc eſt, vt multos habeat in domo ſua liberos: quo ſenſu dictum eſt illud, *Et fecit illis domos.* Et, *Deus eſt qui inhabitare facit vnicos*
Exo. 1. 2. *in domo.* Dictio autem עקרת *aaqueret*, non eſt conſtructa cum voce, domo; nam dicitur in ſtatu abſoluto עקרה & עקרת *aaquara* & *aaqueret*, ſicut עטרה
Pſ. 68. & עטרת *aatara* & *aateret*, &c. Efficit ergo Deus vt ſterilis inhabitet do-
7. mum ſeu familiam, ſeu vt ſit mater filiorum, & ob illos gaudio cumuletur, cùm priùs illis deſtituta mœrore conficeretur. Addit iterùm Halleluia ſeu laudate Deum, perinde ac ſi diceret, vos tenemini Deum laudare propter illa omnia miracula quæ ſolet operari.

PSAL-

PSALMVS CENTESIMVS DECIMVS-QVARTVS. Psal.

1. IN exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. 114.
2. Fuit Iuda in ſanctificationem eius, Iſraël dominium eius.
3. Mare vidit & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum.
4. Montes ſubſilierunt vt arietes: colles ſicut agni ouium.
5. Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? Iordanis *quod* conuerſus es retrorſum?
6 Montes *cur* ſubſiliſtis ſicut arietes: colles ſicut agni ouium.
7. A facie Domini contremiſce terra: à facie Dei Iacob.
8. Qui conuertit petram in ſtagnum aquarum, & ſilicem in fontem aquarum.

COMMENTARIVS.

V. 1. I*N exitu Iſrael de populo barbaro.* Hoc eſt, qui aliâ linguâ quàm
Hebræâ loquebatur, quaſi diceret, egreſſi ſunt ex terra populi
cuius linguam non intelligebant; ſicut in Deuteronomio ſcriptum eſt, inter
maledictiones. *Adducet ſuper te gentem duram facie, cuius linguam non
poßis intelligere.* Quamquam vix poſſibile eſt quin eorum loquelam intelle- Deut.
xerint, cùm per tot annos inter eos ſint verſati. Fortè etiam aliqui illorum, 28.49.
Ægyptiorum ſermonem capiebant, qui ſcilicet ſtabant vt plurimùm inter il-
los eiſque miniſtrabant. Alij verò Iſraelitarum nunquam ex aſſignata ſibi re-
gione, nempe terrâ Geſen egredientes, linguâ Hebræá ſolùm vtebantur. Et
licet qui ex Iſraelitis egreſſi cum Ægyptiis conuerſabantur, linguâ Ægyptiacâ,
neceſſitate adacti vterentur: attamen mutuis inter populares ſermonibus, non-
niſi propriâ, hoc eſt, Hebræâ linguâ loquebantur: ſicque alienâ linguâ non-
niſi inuiti & coacti vtebantur. Deus autem benedicendus eduxit eos ex illo
populo qui ipſis erat barbarus.

V. 2. *Fuit Iuda in ſanctificationem eius.* Cùm exiiſſent ex Ægypto Iſraëli-
tæ, Deus benedicendus, inquit, illos in ſuam peculiarem hereditatem aſſum-
pſit, & fuit Iuda in ſanctificationem eius; illos enim ex profano & immun-
do populo ſecreuit, vt eſſent gens ſancta, & vt eſſent Iſraëlitæ regnum ac
dominium eius, nec deinceps Aegyptiaco parerent imperio, ſed diuino tan-
tùm dominio ſubderentur, & principatum ac regnum per ſeipſos ſeorſum
conſtituerent, nullius ditioni ſubiectum, quàm diuinæ poteſtati: Et ita ipſe
dicebat illis Deus ex Aegypto egreſſis, *Et vos eritis mihi in regnum ſacerdo-* Exod.
tale & gentem ſanctam: hoc eſt, eritis regnum ſeorſum ab aliis gentibus per 19. 6.
ſe conſtans, *Et ſacerdotes*, ac ſi diceret, Mihi eritis ſacerdotes ac miniſtri, &

Psal. 114. non alterius populi ſerui, & eritis mihi gens ſancta, ſecreti & alieni ab immunditiis aliorum populorum. Quòd verò dicat, Iuda & Iſraël, ratio eſt, quia ex quo egreſſi ſunt Hebræi ex Aegypto, Tribus Iuda principatum quemdam obtinuit, & cùm mouenda erant caſtra, prima cæteras antecedebat: nempe iuxta benedictionem Iacob patris eorum, quâ his verbis illi fauſta adprecans, illud prædixerat, *Iuda tu es, laudabunt te fratres tui.* Dicunt etiam aliqui Tribum Iudæ primam eſſe ingreſſam mare, nam in illud intrare præ metu non audebant alii Iſraëlitæ. Sed accedens Nahſon dux Tribus Iudæ præſtò aſtitit, ac primus omnium in mare audacter inſiluit, quem Tribus eius ſubſequuta eſt, deinde cæteri Iſraëlitæ: ac idcircò dicitur hoc loco, Iuda in ſanctificationem eius; ipſa enim Tribus Iudæ nomen Dei benedicendi in medio omnium Iſraëlitarum ſanctificauit.

Gen. 49. 8.

V. 3. *Mare vidit & fugit.* Hoc figuratè dictum eſt, nempe quia maris aquæ diſciſſæ ſunt, quaſi mare ipſos Iſraëlitas expauiſſet, & cedens tranſeuntibus aufugiſſet: & eodem ſenſu illud eſt dictum, *Iordanis conuerſus eſt retrorſum*, quando nempe ſimiliter illum traiecerunt.

Exod. 19. 18. V. 4. *Montes ſubſilierunt*, vt ſcriptum eſt, *Et commotus eſt omnis mons valde.* Dixit verò, montes in numero multitudinis, quia fortè alii etiam montes ipſi Sinæ monti vicini commoti ſunt & contremuerunt. Ita pariter colles eidem monti propinqui fuerunt eo tempore commoti: & collis idem eſt ac mons, præterquam quòd non eſt æquè altus, & vertex eius non æquè acutus ſicut montis.

V. 5. *Quid eſt tibi mare?* Eſt figurata interrogatio ad ſciendum reſponſionem, quaſi res ipſæ interrogarentur cur id ipſis ita contigerit: & reſponſio illis ſequentibus verbis continetur, *A facie Domini*, &c. Scilicet inſtar ſerui qui contremiſcit ac commouetur præ pauore domini ſui.

V. 6. *Montes ſubſiliſtis.* O montes & ô colles, quid vobis cauſæ eſt cur ita commoti fueritis?

V. 7. *A facie Domini.* Terra reſpondet ac dicit, à facie Domini contremiſco; nam terræ vocabulum complectitur mare, Iordanem, montes & colles. Et dictio הולי *bhouli*, eſt infinitiuus, & littera י *iod* pronomen primæ perſonæ; habetque accentum in penultima, propter vocem ארץ *ereth* quæ etiam eſt penacuta. Senſúſque eſt, tremor meus, pauor meus & ſaltatio, ſunt ob præſentiam Domini. Quis verò eſt ille Dominus? nimirùm Deus Iacobi, qui ſuâ potentiâ illum ſibi ex ſeruitutis iugo liberatum acquiſiuit. Is ſi quidem eſt Dominus omnium, & omnia pro ſuo arbitratu peragit. Et ſiquidem voluerit vt filii Iacob mare ipſum & Iordanem ſicco veſtigio traiicerent, æquum erat vt à facie eius aquæ fugerent & diſſecarentur; ipſe etenim eſt Dominus.

V. 8. *Qui conuertit petram.* Quemadmodum eâ præditus eſt poteſtate quâ res humidas in ſiccas conuertere valet, ſic aridiſſimam petram humidam efficit, illámq; conuertit in ſtagnum ac fontes aquarum, ſicut ſcriptum eſt. *Percuties petram & aqua effluent ex illa.* Ipſe ſiquidem Deus, omnium eſt Dominus & conditor, & dominium habet in omnia, nec vllæ res ab illo creatæ valent eius decreta & nutus irrita facere: vnde licet montes ſint graues, & præ creatis omnibus fixi & immobiles, cùm tamen ipſe voluerit, leues fient &

Exod. 17.

ſubitò mouebuntur, contremiſcent, & arietum inſtar exſilient; quia ſcilicet eum eſſe omnium conditorem, ac omnia poſſe nouerunt.

PSALMVS CENTESIMVS DECIMVS QVINTVS. Psal. 115.

1. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam: propter miſericordiam tuam, propter veritatem tuam.

2. Cur dicent Gentes, vbi *eſt* nunc Deus eorum?

3. Deus autem noſter in cœlo: omnia quæcunque voluit fecit.

4. Simulachra earum argentum & aurum, opus manuum hominum.

5. Os habent & non loquentur: oculos habent & non vident.

6. Aures habent & non audiunt: nares habent & non odorantur.

7. Manus habent & non palpant; pedes habent & non ambulant; nec muſſant gutture ſuo.

8. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

9. Iſraël ſpera in Domino; adiutor eorum & protector eorum eſt.

10. Domus Aaron ſperate in Domino, adiutor eorum & protector eorum eſt.

11. Qui timetis Dominum ſperate in Domino, adiutor eorum & protector eorum eſt.

12. Dominus memor fuit noſtri & benedicet: benedicet domui Iſraël, benedicet domui Aaron.

13. Benedicet iis qui timent Dominum, puſillis cum maioribus.

14. Adiiciat Dominus ſuper vos, ſuper vos & ſuper filios veſtros.

15. Benedicti vos à Domino qui fecit cœlum & terram.

16. Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

17. Non mortui laudabunt Dominum, neque omnes qui deſcendunt in ſilentium.

Psal. 115. 18. Sed nos benedicemus Domino, ex nunc & vſque in ſeculum. Halleluia.

COMMENTARIVS.

V. 1. NOn nobis Domine non nobis. Sunt quidam libri in quibus non eſt hîc initium Pſalmi. Porrò ſenſus eſt, quemadmodum tuam olim erga patres noſtros miſericordiam exhibuiſti, eoſque eduxiſti ex Aegypto, ita nobiſcum eandem per ſingulas ætates exerceas: Et quamuis eâ gratiâ ſimus indigni, ne nobis id præſtes, ſed nomini tuo. Nam ipſi etiam non fuerant digni, niſi propter gloriam nominis tui, & propter fœdus cum Patribus initum. Illud autem, Non nobis, bis dixit ad rem magis amplificandam. *Propter miſericordiam tuam, propter veritatem tuam*: hoc eſt, & veritatem tuam, & ita dictum eſt illud, *Sol, Luna.* (Abac. 3. 11.) *Nomini tuo da gloriam.* Ne inter gentes profanetur: Et ſic age nobiſcum propter miſericordiam tuam quâ erga omnes creaturas vteris, at multò magis erga nos propter veritatem tuam, vt impleas promiſſum tuum pro quo iuraſti Patribus noſtris. Porrò in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum diuerſas de hoc Pſalmo ſententias inuenimus: ſunt enim qui dicant illum eſſe editum de ſeruitute quâ ſæpè regna externa Iſraëlitas afflixerunt. Alii exiſtimant ipſum à Moſe & Iſraëlitis fuiſſe dictum eo tempore quo ſtabant iuxta mare. Quidam putant fuiſſe decantatum ab Chanania, Miſaële & Azaria, cùm eſſent in fornace ignis. Alij demque à Mardochæo & Eſtere eſſe compoſitum, cùm improbus Aman ſtaret aduersùs eos.

V. 2. *Cur dicent Gentes?* Hæc eſt ratio cur anteà dixerit, Da nomini tuo gloriam; niſi enim miſericordiâ erga nos vtaris, ſed nos deſeras ac populorum voluntati permittas; ſunt dicturi, vbinam ſunt Dij eorum, ſurgant & eos adiuuent: hoc eſt, modò cùm dominamur ipſis, vbi ſunt Dij illorum, ſurgant & eis opem ferant.

V. 3. *Deus autem noſter in cælo.* Sed ipſi ſunt inſani, non intelligunt nec agnoſcunt quid ſit diſcriminis inter Deum noſtrum & ſuos Deos. Nam Deus noſter in cœlo eſt, & in ſuperiora ſimul & in inferiora dominatur, & quicquid in illis operari voluerit illud operatur: at non ita Dij eorum.

V. 4. *Simulachra earum argentum & aurum.* Ea dolores appellantur ſeu עצבים *aatſanim*, quòd illis qui fiduciam in ipſis habent, dolorem afferant: non enim illorum beneficio liberantur; & quomodo ipſa ſalutem afferrent hominibus cùm ſint humanæ manus opificium? Et hæc quidem ſimulachra licèt à peritiſſimis opificibus nationum mundi effingantur ad modum rerum ſuperiorum, illa tamen faciunt ſecundùm opinionem multitudinis populi qui poſt iſta idola errat, vanéque apud ſe exiſtimat eſſe Deos quibus vis aliqua inſit ad bene aut malè faciendum.

V. 5. *Os habent.* Illa equidem efformant ad ſimilitudinem humanæ figuræ; ſed non valent ſpiritum illis indere, quò ore loquantur, & oculis videant, auribúſque audiant.

V. 6. *Aures habent.* Quinque ſenſuum organa recenſuit, quorum idola habent effigiem, verùm illis vti non poſſunt. PSAL. 115.

V. 7. *Non muſſant gutture ſuo.* Nequidem paruam muſſitationem edere poſſunt, quæ non eſt vera ſolidáque loquela, ſed tenuis ſonus quaſi pipientis aniculæ, ex gutture exeuntis, vt patet ex iſto loco, *Gemebam vt columba.* Iſai. 38. 14.

V. 8. *Similes illis fiant.* Hoc imprecatiuè dictum eſt. *Omnes qui confidunt* Pro, & omnes qui, &c. Sicut dicitur ſol, luna. Ruben Simeon. Et his ſimilia. Abac. 3. 11.

V. 9. *Iſrael ſpera in Domino.* Non ſicut illi qui confidunt in idolis, ſed vos, Iſraëlitæ ſperate in Domino. Hactenus enim eum fuiſſe Iſraëli per omnes ætates auxilium & clypeum videtis. Porro cùm dicit, Iſraël ſpera, ſumitur vox Iſraël collectiuè.

V. 10. *Domus Aaron.* Et hi Sacerdotes & Leuitæ deſignantur quos ſolos nominatim alloquitur, quòd ipſi peculiariter Deo eſſent conſecrati & addicti, ſtarentque continuò coram illo in miniſterio, hortatúrque illos vt ſperent in eo, quia cultus quem ei exhibent ipſis admodùm eſt vtilis.

V. 11. *Qui timetis Dominum.* Viros ſapientes alloquitur qui in domo Domini ſolitarie ad ſcientias ediſcendas habitabant & ſapientiæ dabant operam, vt Dei notitiam ſibi compararent, ipſi ſiquidem ſapientiæ ſuæ beneficio norunt nullum eſſe præter eum in quo ſperare ſit conſentaneum: alij volunt per timentes Dominum, eos intelligi, qui in quolibet populo Deum reuerentur & colunt.

V. 12. *Dominus memor fuit noſtri.* Dominus qui ſemper noſtri eſt recordatus pro ſuâ erga nos clementia, ipſe populo ſuo benedicet: aliter etiam ſic poteſt ſimpliciter exponi, benedicat domui Iſraël.

V. 13. *Benedicat ijs qui timent Dominum puſillis cum maioribus.* Et non dixit de alijs niſi de domo Iſraëlis & de domo Aaharonis, nam domus ſeu familia, paruulos cum magnis complectitur; vnde etiam cùm egit de fiducia, non appoſuit nomen domus cum Iſraële aut cum timentibus Dominum. Non enim paruuli norunt quid ſit fiducia; & Deus benedicit paruulis propter maiores.

V. 14. *Adiiciat Dominus ſuper vos.* Hoc ad illos dicit quos ſuperiùs nominauerat; dicitque, Adjiciat, per modum vaticinij aut precationis, ſicut & dixit benedicet aut benedicat. *Et ſuper filios veſtros.* Vt priùs dixit, Puſillis cum maioribus.

V. 15. *Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Hoc eſt, ſuperiora & inferiora, quique poteſt benedicere cuicumque voluerit.

V. 16. *Cœlum cœli Domino.* Quamquam cœlum & terram Deus condidit, cœli tamen dominium eius eſt ſolius, nec quidquam ea in re habent homines, at verò terræ dominium ipſis hominibus conceſſit; & ſic de hoc ſcriptum eſt, *Conſtituiſti eum dominatorem ſuper opera manuum tuarum; omnia ſubiecîſti ſub pedibus eius.* Sed neceſſe eſt vt ſciant & agnoſcant ipſi homines Deum eſſe Dominum, ſe verò præfectos tantùm eſſe ſupra illam conſtitutos; & quoties libuerit eos à præfectura amouet, eámque alijs committit; hoc eſt, hos mori ſinit & illos oriri curat. Et quiſquis eum verum eſſe agnouerit dominum, eique cultum & reuerentiam exhibuerit, qualem decet à præpoſito exhiberi Pſal. 8. 8.

PSAL. domino, illum præfecturâ ſuâ frui permittet, eúmque tempore ipſi præſtituto
115. conſeruabit, quapropter ſubdit poſtea.

V. 17. *Non mortui laudabunt.* Eos quos ante ſtatutum tempus interimit Deus benedicendus, propter ſcelera ipſorum è medio tollit: nempe quia dum viuerent minimè agnouerunt eum eſſe Dominum, nec eum reueriti ſunt, nec coluerunt. Et illi quidem morientur nec Deum laudabunt, eóquòd anima ipſorum ſit peritura in morte illorum, & ipſi verè in ſilentium deſcendunt. Eſt autem ſilentium ſepulchrum ipſum, in quo iacet corpus inſtar ſilentis lapidis, & corpus in illud deponitur: & ſic anima improbi peribit, cùm ipſius corpus deſtruetur, & quaſi cum corpore deſcendet in ſepulchrum.

V. 18. *Sed nos.* Verùm nos qui Deum colimus, ac ipſum eſſe Dominum ſuper omnia agnoſcimus & profitemur, ipſe conſeruabit & in vita præſenti bonis cumulabit; & hoc illa voce, *Ex nunc*, denotatur, quæ præſens tempus ſignificat: ſic etiam vſque in ſeculum, quod eſt futurum ſeculum; ſenſus eſt, Cùm tempore nobis ſtatuto moriemur non morientur, nec peribunt animæ noſtræ, ſed illum benedicent ac laudabunt per totam æternitatem. Quare laudate Deum ô vos qui eum colitis quandiu viuitis, & ipſe conſeruabit animas veſtras poſt mortem corporis.

PSALMVS CENTESIMVS DECIMVS SEXTVS.

1. Dilexi, quoniam exaudit Dominus vocem meam deprecationes meas.

2. Quia inclinauit aurem ſuam mihi: & in diebus meis inuocabo.

3. Circumdederunt me dolores mortis, & anguſtiæ inferni inuenerunt me: tribulationem & dolorem inueniam.

4. Et nomen Domini inuocaui: obſecro Domine, libera animam meam.

5. Clemens Dominus & iuſtus, & Deus noſter miſericors.

6. Cuſtodiens ſimplices Dominus: attenuatus fui, & ſeruauit me.

7. Reuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

8. Quia eripuiſti animam de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.

9. Ambulabo coram Domino in terris viuentium.

10. Credidi, propter quod loquor: ego afflictus eram valde.

11. Ego dixi in trepidatione mea: omnis homo mendax.

12. Quid retribuam Domino, pro omnibus retributionibus eius ſuper me? Psal. 116.

13. Calicem ſalutum eleuabo: & nomen Domini inuocabo.

14. Vota mea Domino reddam nunc coram omni populo eius.

15. Chara in oculis Domini mors Sanctorum eius.

16. O Domine quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, filius ancillæ tuæ: Dirupiſti vincula mea.

17. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: & nomen Domini inuocabo.

18. Vota mea reddam nunc in conſpectu omnis populi eius.

19. In atrijs domus Domini: in medio tui Ieruſalem, Halleluia.

COMMENTARIVS.

V. 1. D*Ilexi, quoniam exaudit Dominus.* Vox iſta, Dominus, eſt conſtruenda cum verbo, dilexi, hoc ſenſu, Dilexi Dominum quoniam ipſe exaudit vocem meam, & deprecationes meas, ac ſi diceret, dilexi & æquitas à me exigit vt diligam eum, ipſe ſiquidem exaudit vocem meam & deprecationes meas omni tempore quo illum inuoco.

V. 2. *Quia inclinauit.* Ipſe autem ſuam ad me inclinauit, vnde ego omnibus diebus meis eum inuocabo ad opem ab illo petendam, & non ab aliquo alio.

V. 3. *Circumdederunt me dolores mortis.* Omni tempore quo me circumdederunt & vndique circumcinxerunt me dolores mortis, ac ſi diceret, quando fui in diſcrimine & morti proximus. Dictio חבלי *hheule* ſignificat acutos dolores & funium inſtar conſtringentes. *Et anguſtia ſepulchri inuenerunt me.* Idem alijs verbis repetit, & dictio ומצרי *vmtſare* anguſtias ſignificat ex illo loco, *Quia anguſtijs ipſi vos afficient in fraudibus ſuis. Tribulationem & dolorem inuenio.* Dixerat ante, Inuenerunt me, & iam dicit, Inuenio, Eodem modo dicitur à Propheta, *Dolores apprehenderunt me*; & alio in loco, *Anguſtia & dolores tenebunt eos.* Caſus enim aduerſi vbique hominem inueniunt, nec illos effugere valet. Et ipſe etiam illos inuenit, quia eos quaſi inſequens, eum ſe in locum confert in quo illos inueniet. Neſcit quippe homo ſuum tempus; & non rarò aliquò proficiſcitur boni quærendi causâ, & in malum incurrit; vnde ſic dixerunt Magiſtri noſtri F. M. * Pedes hominis ſpondent pro eo, eò vbi quæritur illum ducunt.

Num. 25. Iſai. 13. 21.

V. 4. *Et nomen Domini.* Cùm anguſtijs me captum viderim, tum Dei nomen inuoco ac dico, obſecro Domine, eripe animam meam: vox אנה *ana* denotat obſecrationem ac petitionem; & interdum ſcribitur cum א

* Dictum eſt hoc de ijs qui extra ſuam patriam obeunt non caſu ſed occulto Dei decreto.

tamen loquutus, ac ſi diceret, cùm fugiens admodum premerer, & cùm eſ- Psal.
ſem in mea præcipiti feſtinatione, vt ſcriptum eſt, *Et feſtinauit David ire à* 116.
facie Saul. Dixi tamen, *Omnis homo mendax.* Hoc eſt, etiam quando valde
fui attonitus & afflictus, auſus ſum tamen dicere, omnis homo qui dicit re- 1. Sam.
gnum non fore aliquando meum, mendax eſt; & hæc eſt mea magna fides. Et 23. 26.
quod etiam ſcriptum eſt in Pſalmo, cuius initium eſt, *In te Domine ſperaui,* qui Pſalmus eſt ordine trigeſimus primus, ego dixi in præcipiti feſtinatione mea, exciſus ſum à conſpectu oculorum tuorum. Nam eo tempore ſuæ præcipitis fugæ pauidus metuebat ne Saülis manibus interficeretur: ſed poſtea in ſeipſum reuerſus dixit, hoc non eſt rectum, iam enim pridem mihi promiſit Deus benedicendus fore vt regnem, & ego firmiter ipſi credo, licèt in vitæ periculo ſim poſitus. Initio quidem ſuæ cogitationis erat pauidus ac dicebat, exciſus ſum à facie oculorum tuorum; ſed vbi deſijt cogitatio eius, fidem adhibuit Deo benedicendo ita apud ſe dicens, omnis homo qui dicit me non regnaturum, eſt mendax.

V. 12. *Quid retribuam Domino.* Quam retributionem aut quod munus ei reddere potero pro omnibus beneficijs quibus me affecit? *Pro omnibus retributionibus eius.* Omnia eius beneficia quibus me affecit, ſunt ſuper me, & pro illis teneor ſatisfacere ſi poſſim: non enim erat in me meritum vllum, quod ipſum obſtringeret ad illud omne erga me præſtandum quod præſtitit;
ſed omnia ex eius miſericordia emanarunt, quemadmodum dixit Iacob: *Mi-* Gen.
nor ſum omnibus miſericordijs & omni veritate quam feciſti cum ſeruo tuo. 32. 10.
Cæterum dictio תגמולוהי *thagmoulohi* eſt pro תגמוליו *thagmoulau* formâ Syrochaldaicâ: ſic dicitur עלוהי *aalohi* pro עליו *aalau*, &c.

V. 13. *Calicem ſalutum.* Sunt qui calicem hîc ſignificare putent portionem
vt iſto in loco, *Pars hæreditatis & calicis mei.* Verùm rectius eſt eam vocem Pſal. 16.
in propria & ſimplici eius ſignificatione interpretari, hoc ſenſu, cùm cele- 5.
brabo conuiuium & gaudium, eleuabo calicem vini & cum eo gratias agam Deo in conſpectu multorum, & eius ſalutem quâ ſaluum me effecit palam memorabo. Illum porro calicem appellat ſalutum calicem; & ſic in tranquillo ſtatu calicem ſanctum attollam & nomen Domini inuocabo.

V. 14. *Vota mea Domino reddam.* Illa nimirum vota quæ fugitans & exulans voueram ſi me Deus benedicendus domum aliquando reduceret, ea, inquam, vota modò perſoluam coram omni populo eius. Particula verò illa נא *na* nunc referenda eſt ad verbum reddam, non ad coram, & multa occurrunt ſimilia. Eſtque litera ה *he* in voce נגדה *negda* paragogica, vel eſt lo-
co ל *lamed* ſeruilis: ſæpe enim occurrit illa dictio cum ל *lamed*, vt, Quia ir- Neh. 4.
ritauerunt ex oppoſito ædificantes: ל *lamed* autem præpoſitum voci לכל *le-* 5.
col omni populo, nihil confert ad ſenſum qui ſine illa ſatis conſtat, ſic in multis alijs locis.

V. 15. *Pretioſa eſt in oculis Domini.* Eodem ſenſu dictum eſt illud, *Et pre-* Pſal.
tioſus erit ſanguis eorum in oculis eius. Pretioſum ſeu rarum eſt in oculis eius vt 72. 14.
ſinat interfici Sanctos ſuos ante illorum tempus: ego verò ſum ex numero piorum eius ac idcirco animam meam à morte eripuit.

V. 16. *O Domine.* Etiam hoc loco dictio אנה *ana* ſcribitur cum ה *he*,

Psal. & ſignificat affectum gratitudinis, ſicut in iſto loco, *Obſecro Domine peccauit*
116. *populus ille.* Significat confeſſionem peccati: at in hoc loco denotat gra-
tiarum actionem erga Deum benedicendum, à quo idcirco beneficijs fuerat
Exod. affectus quia eius erat cultor. *Seruus tuus filius ancillæ tuæ.* Iam iſta ver-
32. 31. ba expoſui Pſalmo octogeſimo ſexto; hîc tamen explicationem iſtam repe-
tam. Matrem præcipuè nominat quòd præcipua ſit cauſa in formatione &
educatione infantis, primùm enim embrio compingitur in vtero mulieris
tempore formationis ſuæ, ibique accreſcit ex ſanguine menſtruo & certo
temporis ſpatio efformatur. Poſtquam etiam eſt in lucem editus matris vbe-
ribus nutritur, quapropter matris indoles & affectus longè magis in liberis
inhærent ac vigent quàm patris. Et ea eſt cauſa cur de Regibus Iſraël dicatur,
Et nomen matris eius; ad indicandum actiones filij vtplurimùm eſſe ſimiles
operibus matris. Humana enim opera ſiue bona ſint ſiue mala, quamquam ſunt
in libera hominis electione, fiúntque ſecundùm quod ſeipſum aſſuefecit,
aut fuit inſtitutus; nihilominus ſemper aliquid apparet naturalis eius forma-
tionis & originis, ac idcirco dicit hîc Dauid, *Ego ſeruus tuus & filius an-
cillæ tuæ.* Hoc eſt, Ego, inquit, duplici nomine & ratione tuus ſum ſeruus,
primùm quia meipſum imbui & aſſuefeci præceptis cultus tui, deinde quia ad
illum pariter ex mea indole ſum propenſus, ſiquidem mater mea fuit ancilla
tua. *Dirupiſti vincula mea.* Propterea tibi gratias ago eóquòd ſolueris vincu-
la mea; noui enim meam à te eſſe factam liberationem. Cæterùm dicit, ſol-
uiſti vincula mea, cùm tamen non fuerit vinctus, ſed aliquando in tali fuit
ſtatu ac ſi fuiſſet vinctus & captus, ſicut in petra diuiſionum, & coram Rege
1. Sam. Achis; tum enim parum abfuit quin fuerit captus & vinctus.
21. V. 17. *Tibi ſacrificabo hoſtiam confeſſionis.* Nam tibi confitebor adhibito
ſacrificio, & plurimos inuitabo in nomine Domini qui mecum aderunt in ſa-
crificio, meámque confeſſionem audient.

V. 18. *Vota mea reddam.* Eundem verſum repetit dicens ſe redditurum ea vota in atrijs domus Domini.

V. 19. *In atrijs domus Domini.* Hoc eſt, in ea domo in qua erat Arca Domini in vrbe Ieroſolymitana. *In medio.* Litera י *iod* eſt paragogica ad elegantiam dictionis, vt in iſtis vocibus עוניכי *aauonechi* תחלואיכי *thahhalouichi*, &c. *Halleluia*, vos omnes Deum collaudate mecum.

PSALMVS CENTESIMVS DECIMVS SEPTIMVS.

1. Laudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi.

2. Quoniam roborata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini *manet* in æternum; laudate Deum.

V. 1. L*Audate Dominum omnes Gentes.* Duobus ſolùm verſibus conſtat hic Pſalmus; & ad Meſſiæ tempora ſpectat. Dum autem illum duobus tantùm verſibus conſtantem edidit, innuere voluit omnes omnino populos in duas tantùm partes fore aliquando diuiſos, nimirum in Iſraëlitas qui erunt cum ſua lege, & omnes alios populos ex alia parte cum ſeptem præceptis. Et omnes iſti Dominum laudabunt, quia tunc ipſi omnes palam ipſum confitebuntur, ſicut ſcriptum eſt, vt inuocent omnes in nomine Domini, & vt ſeruiant ei humero vno. Et quoniam in fine Pſalmi dixerat, *Laudate Deum*; quod ad Iſraëlitas directum eſſe videtur, Spiritus Sancti lumine illuſtratus præuidit omnes aliquando Deum collaudaturos; omnes tum alloquens dixit, Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi: vbi fit eiuſdem ſententiæ repetitio alijs verbis. Soph. 3.

V. 2. *Quoniam roborata eſt ſuper nos miſericordia eius.* Propter hoc illum laudare & celebrare debetis, quoniam eius miſericordia magna fuit erga nos, adeout nos ex veſtra poteſtate eruerit, quod minimè credebatis poſſe fieri propter exilij noſtri longitudinem. *Et veritas Domini in æternum.* Quia veriſſimum eſſe apparet verbum eius & promiſſum eius, quo nos ab exilio ſe educturum promiſerat; & addit iterum. *Laudate Deum* ad emphaſim; vel illud ad Iſraëlitas dirigit. In dictis autem Magiſtrorum noſtrorum F. M. iſta verba, Laudate Dominum omnes Gentes, ad exteras mundi nationes directa eſſe dicuntur. An verò ab illis tantùm laudes Dei exiguntur, & nobis etiam non ſunt neceſſariæ laudes? Quambotem ſic dicit, Laudate Dominum omnes Gentes, quælibet ſcilicet pro eo quod ipſi tributum fuit: nos autem multò magis Deum laudare debemus, quia ſingulari miſericordiâ nos eſt proſequutus. Ibidem præterea Rabbi Simeon filius Magiſtri noſtri ſancti interrogauit patrem ſuum quid ſibi vellent iſta, Laudate Dominum omnes Gentes, quænam ſunt omnes illæ Gentes? & quænam omnes illi populi? reſpondit illi, omnes illæ Gentes ſunt quæ Iſraëlitas ſeruituti ſubjecerunt, omnes verò populi; ſunt qui eos ſeruitute non afflixerunt. Reſponderunt omnes populi, ſi Gentes illæ quæ Iſraëlem ſeruituti ſubdiderunt Deum laudent, quàm potiori iure nos qui ſeruitute non oppreſſimus? vnde dixerunt, Laudate Dominum, &c. Dixerunt etiam Iſraëlitæ, ſi Gentes Deum laudent, quantò magis nos, ac incipiebant dicere, Quoniam præualuit ſuper nos miſericordia eius. Denique ipſa terra dixit, Et veritas Domini manet in æternum. Quid autem eſt hæc veritas? nempe fœderis veritas quod iam à Patribus noſtris fideliter obſeruaſti, ſcriptum quippe eſt, *Et recordabor fœderis mei cum Iacob, fœderis mei cum Iſaac,* &c. Leu. 26.

Psal. 118.

PSALMVS CENTESIMVS DECIMVS OCTAVVS.

1. Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in ſeculum miſericordia eius.

2. Dicat nunc Iſrael, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

3. Dicat nunc domus Aaron, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

4. Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

5. De anguſtia inuocaui Dominum: exaudiuit me in latitudine Dominus.

6. Dominus meus *eſt* non timebo quid faciat mihi homo.

7. Dominus mihi *eſt* in adjutoribus meis: & ego videbo in ōſoribus meis.

8. Bonum eſt ſperare in Domino quam ſperare in homine.

9. Bonum eſt confidere in Domino quàm confidere in Principibus.

10. Omnes Gentes circumdederunt me: at in nomine Domini *factum eſt* vt exſcinderem eas.

11. Circumdederunt me etiam circumdederunt me, ſed in nomine Domini *fuit* quod excidi eas.

12. Circumdederunt me ſicut apes, extinctæ ſunt ſicut ignis ſpinarum: in nomine Domini.

13. Impellendo impuleras me vt caderem: & Dominus adjuuit me.

14. Fortitudo & laudatio *mea* Dominus : & factus eſt mihi in ſalutem.

15. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum : dextera Domini facit fortitudinem.

16. Dextera Domini exaltata eſt : dextera Domini facit fortitudinem.

17. Non moriar ſed viuam: & narrabo opera Domini.

18. Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.

19. Aperite mihi portas iuſtitiæ : ingreſſus in eas confitebor Domino.

20. Hæc porta Domini: iuſti intrabunt in eam.

21. Confitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. PSAL. 118.

22. Lapis quem reprobrauerunt ædificantes: factus eſt in caput anguli.

23. A Domino factum eſt iſtud, eſt mirabile in oculis noſtris.

24. Hæc dies quam fecit Dominus; exultemus & lætemur in ea.

25. O Domine ſaluum fac nunc: ô Domine bene proſpera nunc.

26. Benedictus qui venit in nomine Domini: benedicimus vobis de domo Domini.

27. Deus Dominus & illuxit: ligate feſtum in funibus vſque ad cornua altaris.

28. Deus meus *es* tu & confitebor tibi: Deus meus *es* tu & exaltabo te.

29. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

COMMENTARIVS.

V. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus.* Diuerſæ ſunt circa hunc Pſalmum Magiſtrorum noſtrorum F. M. ſententiæ, nam ſunt qui exiſtiment illum de Dauide fuiſſe compoſitum. Alij ſunt qui de Meſſiæ temporibus illum eſſe editum aſſerant, & confeſſionem ſeu gratiarum actionem exprimi quidem in numero ſingulari in perſona exulum Iſraëlitarum, ſed collectiuè, & hoc rectum eſſe videtur. Porro incipitur Pſalmus à voce iſta, Confitemini, & per eandem deſinit; ad ipſius Pſalmi excellentiam, & rerum quæ in eo dicuntur præſtantiam oſtendendam. Et ſiquidem de Dàuide fuerit conſcriptus, ſic exponendus erit, nempe Dauidem accepto regno dixiſſe, Confitemini Domino, hoc eſt, vos omnes debetis Deo benedicendo grates & laudes referre propter regiam dignitatem mihi ab eo aſſertam, quoniam ipſe vobis benefecit.

V. 2. Et poſteà nominat ſpeciatim Iſraëlitas, familiam Aaronis, & eos qui Dominum reuerenter colunt. Ad Iſraëlitas quidem quod ſpectat, Deum inquit, celebrare debent propter meum regnum; ego enim diuino adiutus auxilio, hoſtes illorum deuici, etiam Saülis ipſius temporibus, quantò magis hoc regni mei tempore, quo eorum animus ſecurus & pacatus eſt, nec timent ne hoſtes terram ſuam inuadant, me etenim expaueſcunt.

V. 3. *Domus Aaron.* Deus etiam à vobis, ô Aaronitæ, eſt laudandus propter meum regnum, ſcilicet quia Saül Nobe ciuitatem ſacerdotum deleuit.

V. 4. *Qui timent Dominum.* Vos etiam oportet Deo benedicendo referre

Psal. 118. gratias regni mei cauſâ, eò quòd modò cùm Iſraëlitæ quietè ac ſecurè agant, Dei cultores ſapientiæ ſtudio liberiùs incumbere poterunt. Præterea etiam quia ego ſicut & ipſi Deum religiosè colo, eoſque diligo, & in meam familiarem ſocietatẽ eos ſum aſſumpturus, vt ſcriptum eſt. *Socius ego ſum omnium timentium te.* In Deras verò, per timentes Deum, ipſa Dauidis familia intelligitur, quia ſcriptum eſt, Socius fui omnium, &c. Quid egit Dauid, nempe dixit, ego habito in domo cedrina, & Arca teſtamenti Dei manet ſub pellibus. Dixit de illo Deus ſanctus & benedictus, Ego ſeruabo illi miſericordiam meam, &c. Et ponam in ſeculum thronum eius. Ecce igitur in æternum miſericordia eius. Ita etiam de Iſraële dixit, quoniam in æternum miſericordia eius, Deus ſanctus & benedictus non facit miſericordiam in vnum annum aut in duos annos, ſed in ſeculum. Dictum enim eſt, *Miſericordia Domini ſunt, quòd non ſumus conſumpti.* Et alio in loco. *Et miſericordia eius à te non recedet.* *Domus Aaron.* Sic etiam dixerunt, de iſtis, quoniam in æternum miſericordia eius. Dictum quippe eſt, *Et erit ei, & ſemini eius poſt eum pactum ſacerdotij perpetui.* Si autem de Meſſiæ temporibus Pſalmus ſit editus, hæc verba ad nationes dirigit, Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius; Nempe quia bona Iſraëlitis contulit, ſuamque illis miſericordiam ſeruauit in ſeculum, hoc eſt, poſt longum temporis ſpatium quo in exilio fuerunt. Poſteà ſolis Iſraelitis dicet vt Deum celebrent ac dicant, Quoniam in æternum miſericordia eius, nimirùm quod in exilio ſuo fuerint ſerui, nunc verò ſint domini. Ita pariter familiam Aaronis, vt Deo gratias agant ſoli, & dicant quoniam in æternum miſericordia eius; quia iam à tot annis ceſſauerat ſacerdotij exercitium apud eos in exilio, & iam illud recuperarunt. Sic etiam cultores Dei, legis & ſapientiæ ſtudio vacare ſoliti, Deum ſeorſim celebrent ac dicant, quoniam in æternum miſericordia eius: Siquidem in exilio præ calamitatum multitudine, non erat ipſis hoc liberum, nec etiam cor eorum erat perfectum & rectum ad Dominum Deum: Nunc verò Deum collaudent.

Margin notes: Pſal. 119. 63. — Thren. 3. 22. — Iſa. 54. 10. — Num. 25. 13.

V. 5. *De anguſtia inuocaui Dominum.* Si de Dauide Pſalmus ſit editus; gratias ipſe Deo agit qui ipſum ex anguſtia in latitudinem eduxit. Dum enim fugeret, valde coarctatus erat, ſubinde in ſpeluncis & cauernis deliteſcere coactus. Si verò de Iſraëlitis agat Pſalmus, iſta verba dicet Iſraël collectiuè ſumptus. Ex anguſtia quâ premebar, nempe in exilio, quærendo inuocaui Deum, donec exaudiuit me, ac in locum latum & liberum me reſtituit. Vox autem מצר *metſar* eſt nomen deriuatum à themate duplicante, eſtque eiuſdem formæ ac מסב *meſab*, eius plurale eſt מצרים *metſarim*, & in ſtatu conſtructionis, מצרי *mitſre*, habetque ſignificationem ex illo loco, *quia anguſtiis affecerunt eos.*

Margin note: Num. 25. 18.

V. 6. *Dominus mihi eſt, & non timebo.* Quandoquidem mecum eſt Dominus, non timebo quidquid mihi facere voluerit homo quilibet, non enim vires & poteſtatem habebit contra me.

V. 7. *Dominus mihi inter adiutores meos.* Dominus eſt mecum, & eſt etiam cum adiutoribus meis, nec ſatis virium habebunt inimici mei ad malũ mihi inferendũ. Imò, *Ego videbo in oſoribus meis.* In ipſis, inquam, videbò

ſicuti videre deſidero; ſic alibi dicitur, Et in inimicis meis vidit oculus meus Psal.
V. 8. *Bonum eſt ſperare in Domino.* Iuxta illud quod dicit Ieremias Pro- 118.
pheta, *Maledictus homo qui confidit in homine, & à Domino recedit cor*
eius: ſed ſi confidat quis in homine, præcipuam ſuæ fiduciæ baſim in Deo be- Ier.17.
nedicendo figat, qui animum viri liberalis & benefici excitabit, vt illi opem 5.
adferat.

V. 9. *Bonum eſt ſperare.* Eundem verſum repetit ad ſententiæ confirmationem.

V. 10. *Omnes Gentes circundederunt me.* Cúmque me vndique cinxiſſent, confiſus in nomine Domini quòd ipſos exſcindere poſſem: Et hæc verba ſi de toto Iſraëlitico populo ſint intelligenda, ſunt manifeſta; Sin autem de Dauide, per Gentes denotantur Iſraëlitæ & Philiſtæi qui malum illi ſunt machinati, cùm apud Regem Achis ſe recepiſſet: necnon & illæ gentes quæ vrbem Siceleg incenderunt, & captiuas abduxerunt vxores eius.

V. 11. *Circundederunt me.* Eundem adhuc verſum repetit & ei addit ad au- Deut.7.
gendum ſenſum. Dictio אמילם *amilam* eſt pro *amilem* cum *tſere*, eiuſdem 24.
formæ ac ואשימם *vaaſimem. Et ponam eos principes veſtros*; eſt verò cum
patahh pro *tſere*, propter accentum *paſouc*; & ſignificat, Exſcindam eos.

V. 12. *Circundederunt me.* Idem tertiò repetit ad ampliorem ſententiæ confirmationem. *Extinctæ ſunt*: vox דעכו *doaacou* eſt coniugationis Pual af-
fectæ Dagueſch, & ſignificat extinctæ ſunt, vt iſto in loco, *Et extinguatur* Prou.
lucerna eius. Dixit autem: *Sicut ignis ſpinarum*, quòd citò ignis iſte extin- 20.20.
guatur, nec vllas ex combuſtis ſpinis prunas efficiat.

V. 13. *Impellendo impuleras me vt caderem.* Hoc dicit hoſtem alloquens. *Dominus adiuuit me.* Ita vt non ceciderim.

V. 14. *Fortitudo mea & laus Dominus.* Dictio זמרת *zimrat* ſignificat laudem meam, & littera י *iod* quæ eſt in voce עזי *oozi* fungitur officio duarum, vox enim zimrat afficitur vocali camets, nec eſt conſtructa; nam ſi eſſet in ſtatu conſtructionis haberet patahh. Eâdem formâ vox ipſa reperitur iſto in
loco, *Et cantum lyrarum tuarum non audiam*, &c. vel dicendum ת *thau*
eſſe loco ה *he*, ſicut in locis iſtis, *Da nobis auxilium de tribulatione.* Et *quo-* Aam. 5. 23.
modo non eſt derelicta ciuitas laudis? Senſus porrò eſt, Deus eſt fortitudo Pſal. 58.
mea & ſalus mea, æquum ergo eſt vt ego ipſum laudem. 13.

V. 15. *Vox exultationis & ſalutis.* Quando fortitudinem, robur, & diui- Ierem.
tias illis impertitur Dei dextera, tunc in tabernaculis eorum vox iubilatio- 44.2. 5
nis auditur. Hæc porrò ſalus quam altâ voce & lætâ acceptam teſtabuntur, eſt ſalus ab ipſo data.

V. 16. *Dextera Domini exaltata.* Quæ non mouebitur in æternum, ſicut dextera ſeu robur potentum ac principum, ſed perpetuò excelſa erit, & diligentibus eum fortitudinem faciet. Sæpiùs verò idem repetit ad emphaſim; non enim erit potentia neque diuitiæ, niſi quæ ab ipſo conceſſæ fuerint.

V. 17. *Non moriar.* Sicut mihi necem inferre machinati fuerant, méque è mundo omninò tollere *Sed viuam & narrabo opus Domini.* Illa nimirùm opera & mirabilia quæ erga me eſt operatus.

V. 18. *Caſtigans caſtigauit me Dominus.* Quod per tam longum tempus

Psal. 118. in miſeriis verſatus ſim, caſtigatio Dei fuit, quâ me afflixit, vt me à meis peccatis emundaret, non quòd me vellet interficere. Cæterùm Dagues in littera נ *nun* vocis יסרני *iſſeranni* eſt ad ornatum lectionis; ſic in litera נ vocis חנני

Pſal. 9.4. *hhanneni* miſerere mei Deus.

V. 19. *Aperite mihi portas iuſtitiæ.* Hæc figuratè ſunt dicta, ac ſi diceret, verba laudis & gratiarum actionis ad celebrandum Deum benedicendum qui me liberauit. Sapientes autem & doctos alloquitur à quibus adiuuari petit in Dei laudibus celebrandis. Quod iſtis verbis denotatur, *Aperite mihi.*

V. 20. *Hæc porta Domini.* Non enim decet quemquam alium laudare & celebrare, præter Deum, idcircò iuſti per eam intrabunt, & Deo benedicendo grates & laudes referent ob illa omnia quæ erga illos fecit, ſic etiam ego per eam ingredior.

V. 21. *Confitebor tibi.* Ego te celebrabo, quia me exaudiſti dum ad te clamarem ex anguſtia.

V. 22. *Lapis quem reprobauerunt ædificantes.* Si de Iſraëlitis hæc verba

Gen. 49. 24. dicantur, totus Iſraël collectiuè lapis appellabitur, iuxta illud, Inde paſtor lapis Iſraël, quod metaphoricè eſt dictum, quia Iſraël eſt veluti fundamentum mundi. Ipſi enim per ſua ſtatuta & iudicia erga homines, mundi machinã conſtabiliũt ac conſeruant; & tamen Iſraëlitæ ſunt ab omnibus abiecti & deſpecti in exilio, & illos reprobant ædificantes, hoc eſt, Reges. Siquidem Reges terræ lapidem illum reprobauerunt, ne eſſet quidem vnus lapidum ædificij mundi, ſed multò magis ne eſſet lapis angularis. Senſus eſt, exiſtimarunt eos nullo modo eſſe mundo neceſſarios, vnde & illos omninò perdere ſtatuunt. Et nihilominùs ipſo tempore ſalutis erit iſte lapis in caput anguli: Sicut cùm homo, domus quam ædificat, angulos ex magnis & pulchris lapidibus facit, vt omnes ædificij lapides firmiùs & ſtabiliùs conſtent; ſic venturis aliquando temporibus Iſraëlitæ erunt in caput, & erunt mundi totius baſis & columen.

V. 23. *A Domino.* Illud Reges terræ demirabuntur ac dicent, non contigit hæc ſalus nationi iſti, niſi à Deo authore illius: hæc ſiquidem liberatio admodùm eſt admirabilis in oculis noſtris: & quomodo fieri potuiſſet, niſi quia

Iſai. 52. 15. ab ipſo Deo eſt effecta, ſicut Iſaïas dixit: *Super eum claudent Reges os ſuum, quia ii quibus non eſt narratum de eo viderunt.*

V. 24. *Hæc dies.* Et ipſi omnes mutuò ſeſe alloquentur & dicent, hæc eſt dies ſalutis Domini, ipſe enim illam eſt operatus: illud quippe à nullo alio quàm ab ipſo eſſe potuit.

V. 25. *O Domine.* Dicent tum Iſraëlitæ, Obſecro Domine, ſalua, quæſo, libera nunc omnes qui veniunt vt confugiant ſub vmbram tuam, & vt ad tuum cultum conuertantur.

V. 26. *Benedictus qui venit.* Et tum Sacerdotes qui aderunt in templo & omnibus ad colendum Deum confluentibus dicent, Benedictus qui venit in nomine Domini, benedicimus vobis de domo Domini, & ſitis benedicti in nomine eius, quia ipſe eſt Deus Dominus.

V. 27. *Deus Dominus.* Ipſe eſt potens, & ipſe vnicus exiſtit: *Et ipſe illuxit nobis.* Nempe in denſis illis tenebris in quibus poſiti in exilio verſabamur; quapro-

quapropter venite, & obſequium & cultum, ſicut nos, exhibete Domino. PSAL.
Ligate feſtum. Adducite agnum funibus deuinctum, & ad ipſa vſque altaris 118.
cornua perducite, ac ſi diceret, vt illum coram Deo offeratis ſacrificium. Por-
rò agni vel alterius pecudis oblatio, dicitur feſtum, quòd in diebus ſolemni- Iſai. 29.
bus vt plurimùm eiuſmodi offerrentur; quo ſenſu illud eſt dictum, Addite 1.
annum ad annum, & iugulent feſta.

V. 28. *Deus meus tu.* Iſraëlitæ tunc dicent, conſentaneum rationi eſt apud nationes omnes Deum fortem celebrare, quia tu es Deus fortis noſter; hoc eſt, qui tuum robur & potentiam exhibuiſti in nobis, quippe qui tuâ poteſtate magnâ nos ab exilio liberaſti. Tu pariter es Deus Iudex meus, quia mei causâ iudicia in nationibus exercuiſti: quare confitebor tibi & exaltabo te in ore meo.

V. 29. *Confitemini Domino quoniam bonus.* Hoc ad omnes gentes dirigit, Confitemini Domino quoniam bonus eſt erga omnes, & in æternum miſericordia eius erga electos ſuos. Si verò de Dauide Pſalmus ſit editus: illa verba *Lapis quem reprobauerunt ædificantes*, de Dauide dicta exponentur, quando venit Samuel ad vngendum ipſum. Sic autem Magiſtri noſtri F. M. ordinant explicationem verſuum ab illis verbis, Confitebor tibi, & deinceps. Confitebor tibi quia exaudiſti me, ait Dauid. Lapis quem reprobauerunt ædificantes, ait Ieſſe. Erat enim Dauid puer & paruus, paſcens greges, nec vllius erat exiſtimationis in oculis eorum: nec vnquam ſibi perſuadere potuerunt ipſum à Deo in Regem eſſe electum. A Domino factum eſt iſtud, dixerunt eius fratres. Hæc dies quam fecit Dominus, ait Samuel. O Domine ſalua nunc, dixerunt fratres eius. O Domine bene proſpera, ait ipſe Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini, ait Ieſſe, quando Dauid venit à grege. Benedicimus vobis à Domino, ait Samuel. Deus Dominus & illuxit nobis, dixerunt ipſi omnes. Ligate feſtum in funibus, ait Samuel, quia eos ad ſacrificium vocauit. Deus meus es tu, Et confitebor tibi, ait Dauid. Confitemini Domino, dixerunt omnes.

PSALMVS CENTESIMVS DECIMVS-NONVS.

1. BEati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.
2. Beati qui cuſtodiunt teſtimonia eius, in toto corde ex-
quirunt eum.
3. Etiam non operantur iniquitatem: in viis eius ambula-
uerunt.
4. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri valde.
5. Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodienda ſtatuta tua.
6. Tunc pudore non afficiar, cùm ego aſpexero ad omnia præ-
cepta tua.

Psal. 119. 7. Confitebor tibi in rectitudine cordis, cùm didicero iudicia iuſtitiæ tuæ.

8. Statuta tua cuſtodiam, ne me derelinquas vſque valde.

9. In quo emundabit adoleſcens viam ſuam? in cuſtodiendo ſecundùm verbum tuum.

10. In toto corde meo exquiſiui te: ne ſinas me errare à mandatis tuis.

11. In corde meo abſcondi eloquiũ tuum: vt non peccem tibi.

12. Benedictus es Domine, doce me ſtatuta tua.

13. In labiis meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.

14. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omni opulentia.

15. In mandatis tuis meditabor, & conſiderabo vias tuas.

16. In ſtatutis tuis delectabor: non obliuiſcar verbum tuum.

17. Retribue ſeruo tuo vt viuam & cuſtodiam verba tua.

18. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.

19. Aduena ego ſum in terra, non abſcondas à me mandata tua.

20. Confracta eſt anima mea deſiderando iudicia tua in omni tempore.

21. Increpaſti ſuperbos maledicti qui declinant à mandatis tuis.

22. Auffer à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua cuſtodiui.

23. Etiam ſederunt; principes aduerſùm me loquuti ſunt: ſeruus tuus meditatur in ſtatutis tuis.

24. Etiam teſtimonia tua deliciæ meæ, & viri conſilij mei.

25. Adhæſit pulueri anima mea, viuifica me ſecundùm verbum tuum.

26. Vias meas enarraui & exaudiſti me: doce me ſtatuta tua.

27. Viam mandatorum tuorum fac me intelligere; & meditabor in mirabilibus tuis.

28. Stillauit anima mea præ anxietate, erige me ſecundùm verbum tuum.

29. Viam mendacij amoue à me, & legem tuam dona mihi.

30. Viam veritatis elegi, iudicia tua propoſui.

31. Adhæſi teſtimoniis tuis Domine, ne pudefacias me.

32. Viam mandatorum tuorum curram, cùm dilataueris cor meum.

33. Doce me Domine viam ſtatutorum tuorum, & cuſtodiam eam ad extremum. PSAL. 119.

34. Da mihi intelligentiam, & obſeruabo legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.

35. Deduc me in ſemita mandatorum tuorum : quia ipſam volui.

36. Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam.

37. Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.

38. Statue ſeruo tuo eloquium tuum ; qui timori tuo.

39. Aufer opprobrium meum quod timui:quia iudicia tua bona.

40. Ecce concupiui mandata tua : in iuſtitia tua viuifica me.

41. Et veniant ſuper me miſericordiæ tuæ Domine : ſalus tua ſecundùm eloquium tuum.

42. Et reſpondebo exprobranti mihi verbum : quòd ſperaui in ſermonibus tuis.

43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque: quia in iudicijs tuis ſperaui.

44. Et cuſtodiam legem tuam ſemper in ſeculum & in æternum.

45. Et ambulabo in latitudine, quia mandata tua exquiſiui.

46. Et loquar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum & non erubeſcam.

47. Et delectabor in præceptis tuis, quæ dilexi.

48. Et leuabo manus meas ad præcepta tua quæ dilexi ; & meditabor in ſtatutis tuis.

49. Memor eſto verbi ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.

50. Hæc mea conſolatio in afflictione mea : quia eloquium tuum viuificauit me.

51. Superbi deriſerunt me vſquequaque : à lege tua non declinaui.

52. Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo Domine, & conſolatus ſum.

53. Tremor tenuit me propter peccatores derelinquentes legem tuam.

54. Cautiones mihi fuerunt ſtatuta tua in domo peregrinationum mearum.

55. Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam.

PSAL. 119.

56. Hoc factum eſt mihi : quia mandata tua quæſiui.

57. Portio mea Domine dixi, cuſtodire verba tua.

58. Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde, miſerere mei iuxta eloquium tuum.

59. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos ad teſtimonia tua.

60. Feſtinaui & non tardaui cuſtodire præcepta tua.

61. Turmæ improborum implicuerunt me ; legem tuam non ſum oblitus.

62. Media nocte ſurgo ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

63. Socius ego *ſum*, omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

64. Miſericordiâ tuâ Domine plena eſt terra : ſtatuta tua doce me.

65. Bonum feciſti cum ſeruo tuo Domine, ſecundùm verbum tuum.

66. Bonitatem ſapientiæ & diſciplinæ doce me : quia præceptis tuis credidi.

67. Priuſquam humiliarer ego errabam: nunc autem eloquium tuum ego cuſtodio.

68. Bonus es tu, & benefaciens : doce me ſtatuta tua.

69. Concinnarunt aduersùm me mendacium ſuperbi : ego autem in toto corde cuſtodiam mandata tua.

70. Incraſſatum eſt præ adipe cor illorum : ego vero lege tua delectatus ſum.

71. Bonum mihi quod afflictus ſum : vt diſcam ſtatuta tua.

72. Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti.

73. Manus tuæ fecerunt me & aptarunt me : da mihi intellectum vt diſcam præcepta tua.

74. Qui timent te, videbunt me & lætabuntur, quia in verbo tuo ſperaui.

75. Cognoui Domine, quòd iuſta *ſunt* iudicia tua : & in veritate afflixiſti me.

76. Sit quæſo miſericordia tua ad conſolandum me : ſecundùm eloquium ſeruo tuo.

77. Veniant mihi miſerationes tuæ & viuam : quia lex tua delectatio mea eſt.

78. Confundantur ſuperbi, quia falsò peruerterunt me: ego meditabor in mandatis tuis. Psal. 119.

79. Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt teſtimonia tua.

80. Sit cor meum immaculatum in ſtatutis tuis, vt non confundar.

81. Defecit ad ſalutem tuam anima mea: in verbum tuum ſperaui.

82. Defecerunt oculi mei ad eloquium tuum, dicendo, quando conſolaberis me.

83. Quia factus ſum ſicut vter in fumo; ſtatuta tua non ſum oblitus.

84. Quot *ſunt* dies ſerui tui? quando facies de perſequentibus me iudicium.

85. Foderunt mihi ſuperbi foueas: quod non ſecundum legem tuam.

86. Omnia mandata tua veritas: iniquè perſequuti ſunt me, adiuua me.

87. Paulòminus conſumpſerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

88. Secundùm miſericordiam tuam viuifica me: & cuſtodiam teſtimonium oris tui.

89. In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo.

90. In generationem & generationem veritas tua: firmaſti terram & perſtat.

91. Secundùm iudicia tua ſteterunt dies: quoniam omnia ſeruiunt tibi.

92. Niſi *quòd*, lex tua delectatio mea *eſt*, tunc periiſſem in afflictione mea.

93. In æternum non obliuiſcar mandata tua: quia in ipſis viuificaſti me.

94. Tuus ſum ego ſaluum me fac: quoniam mandata tua quæſiui.

95. Me expectant improbi, vt perdant me: teſtimonia tua conſidero.

96. Omnis perfectionis vidi finem: latum mandatum tuum valde.

97. Quàm dilexi legem tuam, tota die meditatio mea eſt.

Psal. 98. Super inimicos meos prudentem me fecit mandatum tuum:
119. quia in æternum mihi eſt.

99. Super omnes docentes me intellexi: quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.

100 Super ſenes intellexi: quia mandata tua cuſtodiui.

101. Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verba tua.

102. A iudicijs tuis non declinaui: quia tu docuiſti me.

103. Quam dulcia palato meo eloquia tua, ſuper mel ori meo!

104. Ex mandatis tuis intelligo: propterea odi omem viam mendacij.

105. Lucerna pedi meo verbum tuum, & lumen ſemitæ meæ.

106. Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.

107. Afflictus ſum vſquequaque: Domine, viuifica me ſecundùm verbum tuum.

108. Voluntaria oris mei accepta habe, quæſo Domine, & iudicia tua doce me.

109. Anima mea in manu mea ſemper: & legem tuam non ſum oblitus.

110. Poſuerunt improbi laqueum mihi: & à mandatis tuis non erraui.

111. Hereditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei ſunt.

112. Inclinaui cor meum ad facienda ſtatuta tua in æternum, & in finem.

113. Cogitationes odio habui, & legem tuam dilexi.

114. Latebra & ſcutum meum es *tu*: & in verbum tuum ſperaui.

115. Declinate à me improbi: & cuſtodiam mandata Dei mei.

116. Suſtenta me ſecundùm eloquium tuum & viuam: & non pudore afficias me ab expectatione mea.

117. Fulci me, & ſaluus ero, & delectabor in ſtatutis tuis ſemper.

118. Conculcaſti omnes deſcendentes à ſtatutis tuis: quia mendax eſt calliditas eorum.

119. *Vt* ſcorias ceſſare feciſti omnes improbos terræ: ideo dilexi teſtimonia tua.

120. Horruit præ timore tui caro mea : & à iudicijs tuis timui. PSAL.
121. Feci iudicium & iuſtitiam : ne permittas me opprimenti- 119.
bus me.

122 Sponde pro ſeruo tuo in bonum: vt non calumnientur me ſuperbi.

123. Oculi mei defecerunt ad ſalutem tuam , & ad eloquium iuſtitiæ tuæ.

124. Fac cum ſeruo tuo ſecundùm miſericordiam tuam, & ſtatuta tua doce me.

125. Seruus tuus *ſum* ego, fac me intelligere : & ſciam teſtimonia tua.

126. Tempus *eſt* faciendi Domine : diſſipauerunt legem tuam.

127. Idcirco dilexi præcepta tua ſuper aurum & obryſum.

128. Propterea omnia mandata omnium *rerum* rectificabam omnem viam mendacij odi.

129. Mirabilia teſtimonia tua : ideo cuſtodiuit ea anima mea.

130. Oſtium ſermonum tuorum illuminat , intellectum dat paruulis.

131. Os meum aperui & attraxi ſpiritum , quia mandata tua deſideraui.

132. Aſpice in me & miſerere mei, ſecundùm iudicium erga diligentes nomen tuum.

133. Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum : & non dominetur mei omnis iniquitas.

134. Redime me ab oppreſſione hominum , & cuſtodiam mandata tua.

135. Faciem tuam lucere fac ſuper ſeruum tuum , & doce me ſtatuta tua.

136. Riui aquarum defluxerunt ab oculis meis , quia non cuſtodierunt legem tuam.

137. Iuſtus es Domine , & rectum iudicium tuum.

138. Mandaſti iuſtitiam teſtimoniorum tuorum , & veritatem valde.

139. Succidit me zelus meus : quia obliti ſunt verba tua inimici mei.

140. Probatum igne eloquium tuum valde : & ſeruus tuus dilexit illud.

141. Paruulus ſum ego , & contemptus : mandata tua non ſum oblitus.

PSAL. 142. Iuſtitia tua iuſtitia in æternum, & lex tua veritas.

119. 143. Tribulatio & anguſtia inuenerunt me: præcepta tua delectationes meæ.

144. Iuſtitia teſtimonia tua in æternum: intellectum da mihi & viuam.

145. Clamaui in toto corde: exaudi me Domine, ſtatuta tua cuſtodiam.

146. Clamaui ad te ſaluum me fac: & cuſtodiam teſtimonia tua.

147. Præueni in crepuſculo & clamaui: in verbum tuum ſperaui.

148. Præuenerunt oculi mei vigilias, vt meditarer eloquium tuum.

149. Vocem meam audi ſecundùm miſericordiam tuam: Domine ſecundùm iudicium tuum viuifica me.

150. Appropinquauerunt inſequentes ſcelus: à lege tua longè facti ſunt.

151. Prope es tu Domine: & omnia præcepta tua veritas.

152. Pridem cognoui de teſtimonijs tuis: quòd in æternum fundaſti ea.

153. Vide afflictionem meam & eripe me: quia legem tuam non ſum oblitus.

154. Decerta cauſam meam & redime me: propter eloquium tuum viuifica me.

155. Longè à peccatoribus ſalus: quia ſtatuta tua non quæſierunt.

156. Miſericordiæ tuæ multæ Domine: ſecundùm iudicia tua viuifica me.

157. Multi qui perſequuntur me & tribulant me: à teſtimonijs tuis non declinaui.

158. Vidi præuaricantes & tædio affectus ſum: quia eloquia tua non cuſtodierunt.

159. Vide quod mandata tua dilexi: Domine ſecundùm miſericordiam tuam viuifica me.

160. Principium verbi tui veritas: in æternum omne iudicium iuſtitiæ tuæ.

161. Principes perſecuti ſunt me gratis: & à verbo tuo formidauit cor meum.

162. Lætor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.

63.

163. Mendacium odio habui & abominatus ſum : legem autem tuam dilexi.

164. Septies in die laudaui te, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

165. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.

166. Expectaui ſalutem tuam Domine, & præcepta tua feci.

167. Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua : & dilexi ea vehementer.

168. Seruaui mandata tua & teſtimonia tua : quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

169. Appropinquet clamor meus in conſpectu tuo Domine : iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

170. Intret poſtulatio mea in conſpectum tuum : ſecundùm eloquium tuum eripe me.

171. Effundent labia mea laudem : quum docueris me ſtatuta tua.

172. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum : quia omnia mandata tua iuſtitia.

173. Sit manus tua ad adiuuandum me : quoniam mandata tua elegi.

174. Concupi ſalutem tuam Domine : & lex tua delectationes meæ ſunt.

175. Viuat anima mea & laudet te : iudicia tua adiuuent me.

176. Erraui ſicut ouis quæ periit : quære ſeruum tuum : quia præcepta tua non ſum oblitus.

COMMENTARIVS.

B*Eati immaculati in via.* Præſtantiſſimus eſt hic Pſalmus, & Dauid illum edidit octo veluti Alphabeti ordinibus, nam à qualibet Alphabeti litetera, octo verſus incipiunt. Et præterea in quolibet verſu occurrit aliqua vocum iſtarum, nempe aut via, aut lex, aut teſtimonium, aut mandata, aut præceptum, aut eloquium, aut verbum, aut iudicium, aut iuſtitia, aut ſtatuta. Et omnes iſtæ dictiones aliquas totius legis partes ſignificant. Quæ nomina hoc loco iam explicabo, ne ſubinde in ſingulis verſibus illa cogar interpretari: Lex quidem eſt diſpoſitio præceptorum, ſcilicet quomodo ſint facta & ordinata, vt lex peccati, lex delicti; & ſic de alijs præceptis. Via denotat quid ex præceptis ſit imitandum, vt quia Deus clemens eſt, ſis etiam tu clemens: quòd ſit miſericors, ſis etiam miſericors, & ita de alijs præceptis. Statuta ſunt ea præcepta quorum ratio ignoratur. Præcepta ſunt ea de quibus, illa vox, Præceptum, vſurpatur vt dimiſſio immundorum,

Psal. 119. irritatio votorum, & his ſimilia. Iudicia ſunt rationes agendi hominum in mutua conuerſatione. Teſtimonia ſunt præcepta quæ rei alicuius teſtimonium & memoriam continent, vt Sabbatum, ſolemnitates, ſchedulæ fimbrijs affixæ, Phylacteria, & ſimilia. Mandata ſunt præcepta quæ ipſe intellectus dictat, & quæ ſunt veluti depoſitum in corde hominis & quaſi res abſcondita. Iuſtitia denotat ipſam præceptorum iuſtitiam & æquitatem; quòd nimirum iuſtiſſimè ſint præſcripta. Verbum, ſermo, eloquium, omnia ſummatim præcepta ſignificant; licet etiam illis vocibus deſignentur ea quæ promiſit Deus. Vſurpantur etiam pro epitheto voluntatis eius in creatione mundi. Sic etiam fides vſurpatur pro firmitate verbi diuini, in mundi creatione. Dum autem illa nomina omnia adhibet Dauid, vnumquodque in verſu aliquo, ſententia eius non illo ſolo nomine concluditur, ſed cùm vnum vſurpat, idem de alijs eſt ſentiendum. Et aliquando in verſu eodem duo illorum adhibet. Et ſunt verſus in hoc Pſalmo quos ſuarum calamitatum tempore pronuntiauit, nempe dum fugeret, aut tempore aliarum anguſtiarum: cúmque hunc Pſalmum componeret, illos verſus huic cum alijs inſeruit: nimirum quia calamitas iſta impediebat illum quominus legi & ſapientiæ daret operam. Sed iam inquirendum eſt quare hunc Pſamum compoſuerit ſuper octo literas non ſuper plures aut pauciores: in alijs ſiquidem locis in quibus vſurpat ad ſupputationem numeros ſeptenarium aut denarium, non vſurpantur minutim ad ſummam numeri conficiendam, ſicut alibi expoſuimus. Sed numerus quidem ſeptenarius nominatur propter ſeptem orbes in quibus ſunt ſeptem Planetæ, qui huic mundo miniſterium impendunt. Quia etiam omnes huius ſeculi dies ſeptenario numero diſponuntur, eóquòd mundi creatio ſex diebus ſit perfecta, & in ſeptimo fuerit requies. Eadem eſt ratio de numero denario, quia ſcilicet eſt finis omnis computationis. At verò numerus octonarius in nullo loco inuenitur eſſe computationis ſumma, ſed tantùm vt ſimplex & minutus numerus. Si ita ſe res habet, quare ergo Dauid hunc Pſalmum hac numeri ſpecie diſpoſuit? hæc mihi ordinationis illius ratio eſſe videtur quòd per totum hunc Pſalmum diſſeratur de præceptis, de ſtatutis, & iudicijs, & his ſimilibus: quæ omnia inſtituta ſunt ſecundùm modum intellectus & ſapientiæ. Viæ autem quibus acquiruntur ſapientia & boni habitus illis attribuuntur; ac de illis

Prou. 9. 1. dictum eſt, *Excidit columnas ſeptem.* Sunt autem quinque ſenſus quibus boni hominis mores accommodantur, ſicut illos explicat ſapiens Rabbi Salomon filius Rabbi Gabirol. Ratio etiam cur nullam ſenſuum mentionem fecerit Dauid vt illos cum modis acquirendæ ſcientiæ compararet, eſt quod de quatuor ſenſibus hoc ſit ſatis manifeſtum. Nam oculis vtens homo libros ſapientiam complectentes legit. Auribus doctrinam excipit ex ore doctorum. Ore etiam proprio eloquitur quæ didicit & ea alios edocet; & manu ſuâ libros conſcribit. Non etiam videtur neceſſarium pluribus loqui de ſenſu odoratus, qui etiam ad ſapientiam magis accommodatur, quia ſcilicet duo narium foramina ſunt proxima duobus cerebri concauitatibus anterioribus, in quibus locum habet vis imaginatiua. Sextus modus eſt narratio hiſtoricorum, quæ res eſt quæ nullo ſenſuum percipitur, ſed certa eſt in ſeipſa. Sic referunt hiſtorici vrbem Conſtantinam eſſe in mundo, licèt qui id audit illuc nunquam iuerit,

nec eam vrbem viderit ; verùm quia omnes qui ibidem aliquando fuerunt , PSAL.
hoc ita eſſe aſſerunt , nec vllus inter eos id negat , id ex ſeipſo conſtare & cer- 119.
tum eſſe videtur. Præterea Hiſtoricorum narratio etiam neceſſaria eſt inter
modos comparandæ ſcientiæ, quidam enim illorum per creaturarum contemplationem dignoſcuntur, at nullus homo eas omnes per ſe contemplari & diſquirere valet , ſed Hiſtoricorum enarratione addiſcuntur , iuxta illud quod ipſe Deus Iobo dixit , *Nunquid noſti tempus partus ibicum in petris vel partu-* Iob. 39.
rientes ceruas obſeruaſti ? Et ſic de ſimilibus alijs rebus quæ per modos ſcien- 4.
tiæ circa res creatas expenduntur. Via autem ſeptima eſt facultas intellectus & potentia eius cognoſcitiua ; & hæc via potior eſt omnibus iſtis. Super eſt via vna , quæ non eſt de numero viarum ſapientiæ , & de qua intellectus nihil docet , ſed quæ eſt columna magna , & longè fortior omnibus legis peritis. Eſt autem Cabbala ſeu traditio cui tenemur modis omnibus fidem adhibere : & per eam verificatur in animabus noſtris & ſtabilitur in cordibus noſtris, quòd Moſes Magiſter noſter , qui ſit in pace , ſcripſerit legem ex ore Dei benedicendi, & primam mundi creationem , & opus creationis ipſius, & res Patrum , & ſigna magna quæ Patres noſtri viderunt in Ægypto atque in deſerto, & ſciſſionem maris rubri & Iordanis. Stationem in monte Sina , & moram ſolis & lunæ per Ioſue impetratam , & alia omnia miracula quæ per Prophetas deſcripta fuerunt ; quæ nec viderunt oculi noſtri, nec aures noſtræ audierunt , nec illa nos edocet intellectus , nec ea poteſt quis explorare. Nam etſi ea quæ ab alijs autoribus enarrantur, explorari poſſint, at illud expendere & examinare non licèt , ſed apud nos veriſſimum habetur ex lectione librorum , qui ſunt inſtar hereditatis nobis à Patribus per continuam ætatum ſeriem tranſmiſſæ. Et hæc traditio certiſſima eſt apud nos , & ita noſtris animis infixa adhæret ac ſi res ipſas oculi noſtri eſſent intuiti, & audijſſent aures noſtræ, ac noſter intellectus nos id confiteri cogeret ; imò longe ampliùs. Nam & ſenſus aliquando fallunt , & ipſe etiam intellectus humanus errat ſæpenumero, quando probationum modi nobis non ſunt euidentes , verùm traditio quæ eſt hereditas à Patribus poſt generationes multas accepta , nihil continet erroris apud nullas nationes. Ex ipſis etiam libris qui de ea conſcripti ſunt , ab ortu ſolis vſque ad occaſum , nullus alterum erroris arguit : quapropter Cabbala apud nos certiſſima & manifeſtiſſima habetur , & ſine vllo prorſus dubio ei aſſenſus datur ; ac idcirco Dauid , ſuper quem ſit pax , Pſalmum hunc compoſuit ſuper omnes Alphabethi literas octies repetitas propter octo vias ſeu modos ſciendi memoratos. Quod cùm ſit declaratum iam reuertamur ad ipſos Pſalmi verſus explanandos, dicit igitur,

V. 1. *Beati integri viâ.* Et quinam ſunt illi homines qui ſunt integri via , & quorum via eſt integra & perfecta? Illi nimirum qui ambulant in lege Domini, hoc eſt , qui diſcunt legem, illius enim via non eſt perfecta qui Dei legem non addiſcit , ſicut dixerunt ſapientes , rudis & ſtolidus non metuit peccare. Quidam ſic interpretantur, qui ambulant in via legis Dei , itaut dictio via ſemel poſita , ſit vice duarum ; quia ſcilicet via legis Dei perfecta eſt & integra. Poſſunt adhuc illa verba per modum oppoſiti ſic explicari , Beati qui ambulant in lege Domini , ac ſi diceret , qui diſcunt , quia illi ſunt integri viâ

Psal. 119. qui opera faciunt integritatis ex ſua ſcientia, hoc eſt, qui non ſtant ſuper præciſum & ſummum ius, ſed benefaciunt pluſquam ex ſummo iure teneantur.

V. 2. *Beati*. Qui obſeruant illa & cuſtodiunt oculo cordis ſui, & ex teſtimonijs eius quæ intelligunt ac ſciunt in toto corde ſuo, non duplici corde, ſicut illi qui præcepta ediſcunt aut faciunt vt ſibi nomen comparent.

V. 3. *Etiam non operantur.* Sunt qui vocem, etiam, exponant quantò magis, ſicut iſto in loco, *Quantò magis qui habitant domos luteas.* Si ob-
Iob. 4. 19. ſeruent teſtimonia eius quæ ſunt præcepta affirmatiua, quantò magis ſibi cauebunt ne operentur iniquitatem, quod eſt præcepta negatiua transgredi? imò in vijs eius ambulabunt. Alij ſic interpretantur, illis etiam qui non operantur iniquitatem, reputatur perinde ac ſi in vijs eius ambularent, hoc eſt, ac ſi affirmatiua præcepta implerent: ſed iſta expoſitio minimè recta videtur, ſicut in explicatione primi Pſalmi iam diximus; vnde ſic ſcriptum eſt, Declina à malo & fac bonum. Non enim perfectus ille eſt cenſendus, qui tantùm à malo recedit, niſi etiam bonum operetur. Porro illud quod dixerunt ſapientes, ſedit & non fecit peccatum, mercedem illi rependunt ſicut præcepta implentibus, non dixerunt niſi de eo qui venit in periculum & poteſtatem peccati, & ab illo fuit exemptus. Poteſt adhuc ſic exponi, Etiam non operantur iniquitatem, quandoquidem Deum toto corde exquirant, certum videtur eos deinceps iniquitatem non operaturos, quia nunquam ipſis occurret occaſio aut diſcrimen quod eos in peccatum inducat, ſed toto vitæ tempore in vijs Dei eſſe inceſſuros, ſecundùm illud dictum, venit vt ſe ſe mundet, & illum adjuuant.

V. 4. *Tu mandaſti.* Quare mandaſti vt ea quam ſtudioſiſſimè obſeruentur? Nempe ne homo in illis erraret, ſed vt toto corde ſuo eorum obſeruationi intenderet.

V. 5. *Vtinam.* Hæc eſt mea obſecratio & petitio apud te, vt firmiter diſponantur viæ meæ ad tua ſtatuta obſeruanda, ac ſi diceret, ne vllum ex mundi huius negotijs ita me intricet ac occupet, vt non poſſim ſtatuta tua ſeruare. Illud ego à te peto vt me à mundi occupationibus ſerues, vt ſemper cor meum, & totum meipſum liberum & expeditum inueniam tuis ſtatutis obſeruandis. Dictio אחלי *abhalai* hoc loco idem ſignificat ac in iſto, *Vtinam Do-*
2. Reg. 5. 3. *minus meus eſſet coram Propheta qui eſt in Samaria.* Et ſuam ſignificationem habent ex illis verbis: *Et orauit Moſes faciem Domini Dei ſui.* Et litera א *a-*
Exod. 32. 11. *leph* ſuperadditur.

V. 6. *Tunc non pudefiam.* Qui enim præcepta non obſeruat, ſibi meritum ruborem parit ſi quando legat aut audiat præcepta; ſi etenim fuerit fur & illud fortè in libro legat & videat, *Non furaberis*, tunc ſanè erubeſcet & pudore afficietur.

V. 7. *Confitebor tibi.* Ipſa ſiquidem edocebunt me vt tibi in rectitudine cordis confitear, cùm didicero & intellexero ea omnia eſſe iudicia iuſtitiæ tuæ.

V. 8. *Statuta tua vſque valde.* Verba hæc debent conſtrui cum iſto, cuſtodiam, quemadmodum ſuperiùs dixit, Mandata tua cuſtodiri valde; ac ſi diceret, mens & voluntas mea eò tendunt vt valde cuſtodiam ſtatuta tua toto corde meo & omnibus viribus meis. Etiam nunc ne derelinquas me, ſed

in eorum obſeruatione velis mihi opem ferre. Sic verò Dominus Pater meus iſta verba interpretatur, ſtatuta tua cuſtodiam, & tu ne me derelinquas donec ad perfectam illorum obſeruationem peruenerim. PSAL. 119.

V. 9. *In quo emundabit adoleſcens.* Declarat hoc loco viam hominis non fore mundam, ſi ſolùmmodò addiſcat legem; ſed etiam eſſe opus vt operetur, & obſeruet ſicut addiſcit; quod iſtis verbis innuitur: *In cuſtodiendo ſecundùm verba tua.* Si enim ediſcat quidem, at non agat iuxta ea quæ diſcit, non erit munda via eius, ſed turpis. Puerum autem nominauit, vt indicaret quòd ſicut debet homo filium ſuum iuuenem bonis diſciplinis imbuere, ita etiam eum à teneris annis debeat inſtituere & aſſuefacere ad ea obſeruanda & facienda quæ diſcit: quemadmodum dixerunt Magiſtri noſtri P.M. debere hominem liberos ſuos paruulos adhuc imbuere præceptorum notitiâ & obſeruatione: Et tunc adoleſcentioris ita inſtituti munda eſt via, ſi obſeruet atque faciat verbum Domini, ſicuti addiſcit; ſi hoc à pueritia ſua incipiat, & huic inſtitutioni ſeſe aſſuefaciat, verè munda erit via eius eâ ratione, & perpetuò mundus erit. Si etenim in ipſa pueritia, ex pueritiæ moribus excedat, & opera pura ac recta faciat; quantò magis cùm erit grandior? Quapropter Salomon dixit, *Etiam in operibus ſuis cognoſcetur puer, vtrum mundum & vtrum rectum ſit opus eius.* Tunc à pueritia ſua dignoſcitur, ac de illo dicunt, iſte puer non eſt, non enim puerilia ſunt eius opera. Porrò ſi hoc de puero dictum eſt, nempe quod opus habeat emundare viam ſuam, quantò magis de grandiori? cuius doctrina & opera ſemper eſſe debent conſona. Pro. 20. 11.

V. 10. *In toto corde meo exquiſiui te.* Quia ego ita me geſſi: nam quodcumque didici, illud obſeruaui: Et illud his verbis denotatur, In toto corde meo exquiſiui te, & non duplici corde: Nam idcircò legi addiſcendæ operam impendi, vt eam opere implerem; ipſum verò opus direxi ad quærendum Deum, & cultum ei exhibendum, non autem vt nominis celebritatem apud homines captarem. Cùm igitur te in toto corde meo requiram, & tu animum meum perſpectiſſimum habeas, ne quæſo, ſinas me aberrare à tuis mandatis: ac ſi diceret, ne ponas me errantem ab illis, ſed adiuua me vt ea intelligam & opere compleam. Dixit autem, ne errare me facias: quandoquidem ipſius in poteſtate poſitum eſt dare ſapientiam & intelligentiam, & ipſe eas elargitur, ſecundùm illud: *Et impleui illum Spiritu Dei, ſapientia & intelligentiâ & ſcientiâ in omni opere,* &c. Et paulò poſt, *Et in corde omnis ſapientis corde dedi ſapientiam.* Et alio in loco, *Et dabis cor obediens ſeruo tuo.* Si ita ſit, cùm Deus benedictus non infundit ſapientiã in animum eius qui illam expoſcit, perinde eſſe videtur ac ſi ipſe illum errare faceret. Et eo ſenſu dictum eſt illud; *Quare errare facis nos à viis tuis, Domine, indurare feciſti cor noſtrum?* Si enim amoueres à nobis moleſtias exilij, per vias tuas ambularemus: nam vult quidem cor noſtrum per vias tuas incedere, ſed illud minimè permittunt grauiſſimi labores quibus opprimimur in exilio. Quòd cùm ita ſit, tu qui potes nos ex anguſtia in libertatem aſſerere, nec tamen id præſtas, imò ſinis nos iam à tot annis in exilio verſari, perinde facere videris, ac ſi nos à viis tuis errare faceres. Exod. 31. 3. 1. Reg. 3. 10. Iſa. 63. 17.

V. 11. *In corde meo abſcondi.* Ego ſtudioſè prouideo ne tuum eloquium

PSAL. 119. obliuiſcar, ſed illud in corde meo ſeruo abſconditum. *Vt non peccem tibi.* Qui enim illius eſt immemor, in diuina præcepta ſæpiùs offendit.

V. 12. *Benedictus es Domine.* Ego tibi benedico & confiteor quòd me docueris, & peto à te vt me adhuc edoceas.

V. 13. *In labiis meis.* Quoniam dixerat. In corde meo abſcondi, iam dicit, etiamſi illa in animo meo abſcondi, non tamen ceſſaui illa ore meo enarrare, vt meipſum illis magis aſſuefacerem, atque vt alios ea docerem.

V. 14. *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum.* Senſus eſt. Delector ego ac lætor cùm viam teſtimoniorum tuorum intelligo, & mirabilem in illis ſapientiam & res iuſtiſſimas ac rectiſſimas aduerto; tantamque ex iſtis voluptatem capio, quantam capere poſſet aliquis alius ex omnibus quas habere poſſit opibus.

V. 15. *In mandatis tuis meditabor.* Quando illorum meditationi vaco, mentis ipſius oculis illa ſtudioſè contemplor, ad illa verè cognoſcenda & firmiter infigenda memoriæ, non ſicut is qui ea legeret ore ſuo, at animo non attento nec adhibito.

V. 16. *In ſtatutis tuis delectabor.* Cùm illa contemplor, maximam ex illis delectationem percipio, quapropter illorum non obliuiſcar, gaudium enim & lætitiam cordi meo adferunt.

V. 17. *Retribue ſeruo tuo.* Hoc beneficentiæ tuæ donum mihi oro conferas, nempe vt viuam: nec verò à te vitam peto vt mundi huius deliciis frui valeam, ſed vt verba tua cuſtodiam.

V. 18. *Reuela oculos meos.* Animi ſcilicet velum amoue, vt ſciam contemplari & intueri mirabilia myſteria in lege tua abſcondita, vt ſunt ſtatuta, quorum ratio eſt ignota, ſicut opus creationis, & his ſimilia, quæ ſunt occulta legis arcana.

V. 19. *Aduena ego ſum.* Homo ſiquidem in hoc mundo veluti peregrinus eſt reputandus, qui nullo in loco ſtabilem habet manſionem. Iſti planè ſimilis eſt homo qui ex hoc mundo eſt aliquando certiſſimè profecturus. Nam in eo nullum habet certum & fixum permanendi locum; quare opus eſt vt tua à me mandata non abſcondas, ego enim ignoro diem quo hinc ſum profecturus.

V. 20. *Confracta eſt.* Anima mea attrita eſt præ magno meo deſiderio quo teneor addiſcendi iudicia tua omni tempore; tum etiam cùm mundi huius occupationibus diſtineor, ad ea meus animus anhelat. Porrò ſignificatio vo-
Leuit. 2. 14. cis גרשה *gareſa* confirmari poteſt ex iſto loco, *Contuſum frumentum offeres.*
Et vox לתאבה *lethaana* eſt infinitiuus, cuius præteritum infrà eſt hoc Pſalmo: *Deſideraui præcepta tua*, Et, *Deſideraui ſalutem tuam*, quibus in locis deſiderium & amor deſignantur.

V. 21. *Increpaſti ſuperbos.* Præteritum eſt hoc loco pro futuro; & cùm vſurpatur increpatio, nec conſtruitur cum littera ב *beth* perditionem & maledictionem ſignificat. Dicit igitur, diſperdes ſuperbos maledictos, quia à tuis præceptis aberrant: illos autem appellat ſuperbos & aberrantes: ſuperbi enim ſunt, quia diſciplinam & doctrinam aſpernantur & abdicant; & à præceptis aberrant, quia ſunt ignari eorum. Et ſicut anteà dixit ſe omni tempore ſum-

mo ferri deſiderio ad iudicia diuina: ſic etiam dicit, ego ea deſidero, at illi PSAL.
non deſiderant, ſed illa non curant, & mundi vanitatibus animum & ope- 119.
ram impendunt. Aut certè in angulis otioſi ſedent, nec vllo diſcendi ſtudio tenentur: quapropter Dei iudicia minimè norunt; ab eiſque aberrant & illa transgrediuntur. Et eodem loquendi modo dictum eſt à Magiſtris noſtris P. M. Eſto ſolicitus de doctrina, error enim doctrinæ ſubit in ſuperbiam: hoc eſt, ſuperbia reputatur iſte error, quia ipſe à diſciplina auertit in arrogante. Dixit autem à præceptis tuis, non verò in præceptis tuis, quia ipſi in ſuo errore egrediuntur ex præceptis.

V. 22. *Aufer à me.* Iſti ſuperbi probris me impetunt & deſpicatui habent, eò quòd teſtimonia tua cuſtodierim, tu verò transfer à me probra iſta, & ea retorqueas in ipſos, vt ipſi pudore ſuffundantur, ego autem lætitia perfundar.

V. 23. *Etiam ſederunt.* Ipſi etiam principes & magnates, qui legis diuinæ ſtudioſi non ſunt, confidentes in angulis de me ignominioſè confabulantur; quomodo dicitur illud. *Et loquuta eſt Maria & Aaron contra Moyſen.* Ego autem Num.
nullo modo de iſtis ſolicitus ſum, ſed interim tuorum ſtatutorum meditatio- 12. 1.
ni ſolito more incumbo, Ego enim ſum ſeruus tuus, & tua præcepta impleo, ſicut mancipium mandata tui domini: vtitur verò verbo ſecundæ coniugationis נדברו *nidbarou* loquuti ſunt, quia loquutio per illam coniugationem ſignificata, continua eſſe notatur.

V. 24. *Etiam teſtimonia tua.* Iſta meæ ſunt deliciæ & conſiliarij mei ac ſocij mei; non autem principes.

V. 25. *Adhæſit pulueri.* Cùm in vitæ periculo verſaretur Abſalomum fugiens, & non procul à morte abeſſet, anima eius iam pulueri adhærere videbatur, ac Deum benedicendum orabat ac dicebat: *Viuifica me ſecundùm verbum tuum*, nempe ſecundùm illa verba quæ dixiſti in lege tua, *Ego occidam &* Deut.
ego viuere faciam. Vel ſenſus eſt, ſecundùm verba tua quibus ita mihi per 32. 39.
Nathan Prophetam promiſiſti, *Cùmque completi fuerint dies tui, & dormie-* 2. Sam.
ris cum patribus tuis. 7.12.

V. 26. *Vias meas narraui.* Sicut homo animo ſuo viam ſuam reputans; ac ſi diceret, ſtudia mea, negotia mea & vias meas, & quidquid agere volebam, ſæpènumero coram te enarraui, vt ſcriptum eſt: *Et conſuluit Dominum* 2. Sam.
Dauid. Et exaudiſti me. Iam multoties exaudiiſti me in iis quæ à te petebam, 2.1.
ita modo etiam exaudi me, & quod à te poſtulo, mihi concede, nimirùm doce me ſtatuta tua: ſunt enim abſtruſa, nec quis ea penitus intelligere valet, niſi ſapientiâ præpolleat. Tu autem illa me edoce, & da mihi animum intelligentem, quo veras illorum cauſas & fundamenta poſſim aſſequi.

V. 27. *Viam præceptorum tuorum.* Doce me, ſicut iam dixit, & idem repetit ad confirmandam petitionis inſtantiam.

V. 28. *Diffluit anima mea.* Præ mœrore anima mea quaſi effunditur. Quo ſenſu dictum eſt, *Diſſolutum eſt cor populi.* Aut eſt ſenſus, Effundit lachry- Ioſ 7.1.
mas; iuxta illud aliud, In occultis flebit anima mea. *Erige me ſecundùm ver-* Ier 13.
bum tuum. Inſtitue me & ſtabili in regno meo iuxta verbum tuum, ſicut pro- 17.
miſiſti mihi per Nathan Prophetam, *Thronus tuus erit firmus.* 2. Sam.
7.

PSAL. 119. V. 29. *Viam mendacij.* Ne coram me occurrere permittas; ſed me adiuua vt eam longè à me remoueam. *Et legem tuam dona mihi.* Mihi velis largiri animum ad illam intelligendam; & ei obſeruandæ inſiſtendum.

V. 30. *Viam veritatis.* Oppoſitum præcedenti, viam mendacii, ac ſi diceret, illam elegi, fac ergo ut mihi opportunè obuerſetur ob oculos. Et eodem ſenſu proſequitur, Iudicia tua ſemper ante oculos meos propoſui.

V. 31. *Adhaſi teſtimoniis tuis.* Cùm ergo tam ſtudioſè addiſcendis illis affigar ſemper, ne ſinas me pudore ſuffundi propter ea, quòd nempe illa non intelligam, nec miram eorum diſpoſitionem penitus aſſequar. Hoc enim pudori mihi verteretur, ſi ea quàm rectiſſimè non comprehenderem, poſtquàm aſſiduam operam illis addiſcendis impenderim; ac idcircò illud à te vehementer efflagito, vt mihi in illis capiendis opem feras.

V. 32. *Viam mandatorum tuorum.* Vſque adeò dilata cor meum, vt per viam obſeruantiæ mandatorum tuorum ſine vlla mora decurram.

V. 33. *Doce me Domine, & cuſtodiam eam.* Hoc pronomen refertur ad nomen, viam: vocem autem עקב *equeu* ſapiens Rabbi Abraham F. E. ſic interpretatur, Cuſtodiam illam, quòd ſit eius merces, hoc eſt, propter præmium & re-
Pſal. 19. 12. tributionem ſicut alio in Pſalmo dicitur, *In cuſtodiendis illis merces multa.* Sed non recta videtur illa expoſitio, eſt enim contra illud quod dixere Magiſtri noſtri F. M. Ne ſitis vt ſerui qui ſeruiunt mercedis gratiâ. Iſta autem verba, *In cuſtodiendis illis*, &c. ſuo loco fuerunt explicata. Dominus autem Pameus P. M. ſic exponit hunc locum, merces quòd me docueris viam ſtatutorum tuorum, hæc erit quòd illam cuſtodiam. Et iuxta mentem meam dictio
verſu 112. עקב *exeu* finem ſignificat, ſicuti hoc ipſo Pſalmo infra, *In ſeculum & in finem.*
Gen. 49. Sic etiam illo in loco, *Et ipſe ſuccidet tandem*, hoc eſt, in fine. Et quoniam calcaneus eſt in extrema parte corporis, finis rei cuiuslibet iſtâ voce deſignatur. Ipſa etiam merces calcaneo denotatur; vt, *Et erit merces ſi audie-*
Deut. 7. 12. *ritis iudicia iſta.* Nempe quia merces eſt finis operis. Senſus autem eſt in hoc loco. Et cuſtodiam eam vſque ad finem vitæ meæ; hoc eſt, omnibus diebus quibus agam in viuis, illam obſeruabo.

V. 34. *Da mihi intelligentiam in toto corde meo,* Pridem hoc loquendi genus explicui, Legem tuam cuſtodiam, non vt mihi famam comparem, ſed toto ſtudio meo & voluntate mea præ amore quo teneor tua adimpleri præcepta.

V. 35. *Deduc me.* Mentem ſcilicet meam & voluntatem ſic ad illam diſpone & dirige, vt in ea nunquam aberrem, ſimque inſtar hominis qui tam rectè nouit viam aliquam, vt quoties libuerit per eam iter faciat ſine vllo errandi periculo.

V. 36. *Inclina cor meum, & non ad auaritiam.* Non ita quæſo ſit affectum cor meum, vt ardeat deſiderio congerendi diuitias, verùm tota eius intentio
Exod. 18. 21. ad tua teſtimonia feratur. Dictio בצע *bethaa* opum cupiditatem ſignificat, vt patet ex iſto loco: Conſidera viros odio habentes auaritiam. Iam enim nominauerat timentes Deum, viros veritatis.

V. 37. *Auerte oculos meos.* Tota hæc petitio perfectam præceptorum impletionem ſpectat. *Ne videant vanitatem.* Ne ſcilicet errem poſt oculos meos,

meos. *In viis tuis viuifica me.* Abeſt littera י *iod* nota pluralis numeri in Psal.
hoc nomine: dicit autem, viuifica me, quia peccatum interficit hominem. 119.
V. 38. *Statue ſeruo tuo.* Illud eloquium tuum quo mihi promiſiſti te con-
ſeruaturum regnum poſteris meis poſt mortem meam. *Qui timori tuo.* Illis
ſcilicet qui tuo cultui conſtanter adhærebunt. Iſtis enim facta eſt promiſſio,
vt ſcriptum eſt. Sapiens R. Abraham F. Eſ. illud, Eloquium tuum, interpre-
tatur omne decretum quod à Deo emanat, vt ſit hic ſenſus, Statue omne de-
cretum quod me ad tui timorem adducet.

V. 39. *Aufer opprobrium meum.* Quia in præcedenti verſiculo dixerat ſe
optare vt Deus promiſſum ſuum de regno, in poſteris ſuis impleret, iam pe-
tit ne peccatum ſuum iſti promiſſo aduerſetur, quod filiis ſuis probro vertere-
tur: nam etſi Nathan dixiſſet ipſi, *Etiam Dominus abſtulit peccatum tuum:*
nempe Deum ab eo pœnam illius peccati tranſtuliſſe, ita vt propter illud non 2. Sam.
eſſet moriturus; ſicut dixit Propheta, non morieris: ipſe tamen hoc loco pe- 12.
tit à Deo benedicendo vt illud peccatum etiam à filiis ſuis transferat, nec ipſis
hoc crimen reputetur, quod ipſe multùm verebatur. *Quia iudicia tua bona
ſunt,* nec tantâ punitione hominem afficis, quantâ eſt dignus, ſed magnam
pœnæ illi debitæ partem aufers ab illo, quia tu bonus & miſericors es, & bo-
na iudicia tua.

V. 40. *Ecce concupiui.* Quamquam ego peccaui, tua tamen mandata de-
ſidero, quapropter, *In iuſtitia tua viuifica me*, hoc eſt, vitæ meæ tempus
protrahe, quo tua poſſim mandata implere.

V. 41. *Et veniant mihi miſericordia tua.* Littera י *iod* numeri pluralis no-
ta hoc loco deeſt in Scriptura in voce חסדך *hhaſadeca*: Eſt porrò ſenſus, ſa-
lus tua & miſericordia tua mihi veniant ſicuti promiſiſti mihi.

V. 4:. *Et reſpondebo exprobranti*, qui nempe dicit de me; *Non eſt ſalus* Pſal. 3.
ipſi in Deo; ſiquidem ſperaui in promiſſis tuis, quòd illa mihi eſſes præſti- 3.
turus.

V. 43. *Et ne auferas de ore meo.* Verbum נצל *natſal* hoc loco idem ſi-
gnificat ac in illis, *Nam omnes diuitias quas Deus abſtulit à patre noſtro*: &, Gen. 31.
Et *ſpoliauerunt Ægyptios*: Senſus eſt, Ego magnoperè à te peto, vt non au- 9.
feras hoc ex ore meo; imò potiùs os meum aſſuefacias vt ſemper verum lo- Exod.
quatur: Nam ſi illud non præſtes, perinde erit ac ſi abſtuliſſes veritatem ex 12. 36.
ore meo; ſiquidem potes me adiuuare, & os meum ad bonum aperire, iuxta illud,
Domine labia mea aperies. Quia in iudiciis tuis quæ veriſſima ſunt, ſperaui fo- Pſal. 51.
re vt ea mihi nota faceres, ac me edoceres. 17.

V. 44. *Et cuſtodiam.* Quando illis proferendis aſſuetum erit os meum, il-
la ſemper memorabo, & illis obſeruandis intentus ero in ſeculum & in perpe-
tuum, hoc eſt, toto vitæ meæ tempore: vel ſenſus eſt, vſque ad futurum ſe-
culum: ac ſi diceret, Ego legem ſemper obſeruabo in hoc ſeculo. Et ipſa erit
mihi ſeruata in ſeculum & in perpetuum, hoc eſt in futurum ſeculum: vel
ſenſus eſt, Legem tuam quæ in ſeculum & in æternum eſt permanſura, ſem-
per obſeruabo.

V. 45. *Et ambulabo in latitudine.* Poſtquam enim me adiuueris in addiſ-
cenda lege, non ampliùs arctabitur in ea greſſus meus, ſed ambulabo in la-
titudine, hoc eſt in via lata: ego quippe tua ſemper mandata quæro: & cùm

AAa a

Psal. 119. illa exquiram, tuâ ope me ea inuenturum confido.

V. 46. *Et loquar de teſtimonijs tuis.* Cum mihi fueris opitulatus ad ipſam verita- loquar de teſtimonijs tuis coram ipſis Regibus, & non pudefiam; ſi enim tem aſſequendam, tunc aliquid contrarium mihi velint reſpondere, ego cum veritate illos conuincam. Reges porro nominauit, cæteri quippe regum regni ſui rebus curandis ſuam omnem impendunt curam & occupationem, cùmque me viderint diuinæ legi vacantem, mox aduersùm me loquētur, ſeſéque aliquid contra me poſſe reſpondere exiſtimabunt, ego verò audacter eis reſpondebo, & certò ſcio me non fore ſuffundendum pudore, imò rationibus meis eos conuicturum.

V. 47. *Et delectabor.* Cum ego priuatim ſedebo ſolus, illis me oblectabo; illa etenim longè magis diligo quam alios quoſlibet ſocios.

V. 48. *Et leuabo manus meas.* Leuabo manus meas & eas aſſuefaciam exequendis præceptis, & os meum in illis eloquendis aſſiduè exercitabo.

V. 49. *Memor eſto verbi.* Promiſſi quod mihi dediſti: & hoc verbum יחלתני *ihhaltani* eſt tranſitiuum in tertium, dixiſti mihi vt ſperarem in te.

V. 50. *Hæc mea eſt conſolatio in afflictione mea.* Mihi huc & illuc fugienti, ſpes iſta ſingulari ſolatio fuit. Nec enim tum vitâ fruebar, ſed pene præ laborum moleſtia moriebar, niſi verbum & promiſſum tuum me in vita conſeruaſſent.

V. 51. *Superbi deriſerunt me vſquequaque.* Aduersùm me ſunt loquuti, & ſannis me impetiuerunt, eòquòd legis tuæ ſtudio aſſiduam darem operam. Ego autem proptereà à lege tua minime declinaui.

V. 52. *Memor fui iudiciorum.* Verba hæc ſic interpretatur ſapiens Rabbi Abraham F. E. Memor fui iudiciorum quæ exercuiſti contra ſuperbos iſtis ſimiles. *Et conſolatus ſum.* Quod nimirum paria eduersùs iſtos ſis facturus. Sed hæc rectior videtur explanatio, cùm ego in calamitate mea reuoco in memoriam iudicia tua, quæ annis præteritis, in homines bonos induxiſti, in quos poſtea multa beneficia contuliſti, & id mihi fuit ſolatio, certò enim noui quod ſi modò in me tua iudicia & calamitates immittis, me tamen adhuc bonis ſis cumulaturus.

V. 53. *Horror me corripuit.* Inuaſit me propter improbos qui deſerunt legem tuam, dum mente recolo quiſnam ſit futurus illorum finis: totúſque corpore contremiſco, felicem eorum ſtatum conſpicatus.

V. 54. *Cantiones, in loco peregrinationum mearum.* Dum in locis illis, in quibus exul & ſæpe ſolus verſatus ſum propter moleſtias mihi ab improbis illatas, recordarer ſtatutorum tuorum, erant illa mihi cantiones & illis oblectabar.

V. 55. *Memor fui nocte.* Si quando per noctem à ſomno meo excitor, nominis tui ac tuæ vnitatis memoriam mihi in animum reuoco & illa recogito: & cognoui cuſtodiam bonitatis magnam eſſe ſcalam quâ poſſet aſcendi ad notitiam nominis tui, quapropter & cuſtodiui legem tuam.

V. 56. *Hoc factum eſt mihi.* Cognitio iſta & conſideratio, donum fuit mihi à te conceſſum, eòquod mandata tua cuſtodiui, quemadmodum dixere ſapientes * Præcepti obſeruati merces, eſt aliud præceptum.

* Innuit hoc dictum virtutes ex virtutibus naſci, vt ex vitijs vitia.

V. 57. *Portio mea.* Cùm cæteri in ſuam portionem elegerint opes & pretioſa quæque & decora mundi huius, ego ſic ſtatui, hæc mea erit portio, nec mihi aliud conquiram quàm vt verba tua cuſtodiam. Pſal. 119.

V. 58. *Secundùm eloquium tuum.* Quo nempe dixiſti, *Et miſerebor cuius miſerebor.* Hoc eſt, eius qui gratiâ dignus erit. Exod. 33. 19.

V. 59. *Cogitaui vias meas.* Iuxta illud quod præceperunt ſapientes, compara damnum præcepti cum præmio eius, & mercedem peccati cum damno eius. Supputaui mercedem peccati cum damno eius, & cognoui damnum eius eſſe magnum & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Aut ſenſus eſt, Recogitaui diligenter vias huius ſeculi omnes, & non inueni viam æquè bonam ac viam tuorum teſtimoniorum; quapropter conuerti pedes meos; hoc eſt, receſſi à vijs ſeculi & ambulaui per viam teſtimoniorum tuorum.

V. 60. *Feſtinaui.* Expeditus & feſtinus fui in mandatis, nec vllâ torpui negligentiâ in illis obſeruandis.

V. 61. *Cateruæ improborum prædatæ ſunt me.* Hoc eſt exſpoliauerunt me, vt iſto in loco, Manè comedet prædam, ſenſus eſt, quaſi deprædati ſunt animam meam, ob frequentes ſuos aduersùm me conflictus, & cœtus & incurſus quos contra me diſpoſuerunt; attamen præ iſtis omnibus legem tuam non ſum oblitus. Gen. 49. 27.

V. 62. *Mediâ nocte.* Excitor à ſomno meo, & ex lectulo ſurgo vt tibi confitear ſuper iudicia quæ nobis dediſti, quòd rectiſſima ſint atque iuſtiſſima, & ea de re pſalmos compono quibus te celebrem vbi è ſtrato ſurrexi; éſtque locus de iudicijs quæ iuſtè aduersùs improbos facies.

V. 63. *Socius ego ſum.* Improbos odio habeo, at eos qui te reuerenter colunt & tua obſeruant mandata, adeo diligo vt illorum fiam ſocius & amicus.

V. 64. *Miſericordiâ tuâ Domine plena eſt terra.* Omnes enim res creatæ nonniſi tuâ benignitate & beneficentiâ, quam eis impertiris, exiſtunt: eam verò miſericordiam erga me exhibeas velim, vt me ſtatuta tua edoceas; hoc eſt, vt mihi des animum ad ipſa intelligenda.

V. 65. *Bonum feciſti cum ſeruo tuo.* Litera ד *daleth* vocis עבדך *aaudeca* habet ſcheua cum accentu atnahh præter morem. *Secundùm verbum tuum.* Hæc verba referenda ſunt ad iſta, bonitatem feciſti, éſtque ſenſus, quod te erga me facturum promiſeras, effeciſti Domine.

V. 66. *Bonitatem ſenſus.* Quidquid eſt optimi ſenſus legis & præceptorum, & ſcientiam in illis reconditam, doce me, quæſo; illis enim ſemper fidem adhibui, & ea à te fuiſſe præcepta, eſſéque iudicia iuſtiſſima credidi; & eapropter optimus eſt illorum ſenſus.

V. 67. *Priuſquam ego humiliarer.* Dictio אענה *ene* humiliationem hîc denotat, vt iſto in loco, *Et à multitudine eorum non humiliabitur.* Dicit verò antequam humiliatus eſſem & peccarem errans fui, non enim animum aduertebam ad præcepta & eloquia tua, necdum illa mandaueram animo meo nec eorum recordabar. Nunc autem cùm me peccaſſe aduerti, quòd animum ab eloquijs tuis haberem auerſum, humiliatus ſum & conuerſus ſum vt ſeruarem eloquium tuum, & illius ſemper memor eſſem, ne vel ab vno ex tuis præceptis deinceps aberrem. Poſſet etiam dictio אענה *ene* in eo ſigni- Iſa. 31. 4.

Psal. 119. — Iob. 3. 1. Deut. 26. 5. ficatu exponi quem habet in illis locis, *Et clamauit Iob. Et reſpondebis iſtorum & dices*; hoc ſenſu, anteqnam ſtudio legis addiſcendæ impendiſſem operam, erraui ſæpiſſimè in obſeruatione mandatorum, at poſtquam iterum applicui me diſciplinæ, eloquium tuum cuſtodiui.

V. 68. *Bonus es tu.* Tu bonus es & bona multa in me à te conferuntur, ac benefacis omnibus, hoc igitur me beneficio afficere velis vt ſtatuta tua ediſcam.

V. 69. *Concinnarunt aduersùm me.* Mendacium contra me compoſuerunt, dicentes me aliud gerere in pectore & aliud præ me ferre: verùm tu optimè noſti me omnibus meis viribus obſeruare mandata tua.

V. 70. *Incraſſatum eſt cor.* Pinguedo cordis eorum ita condenſata eſt, vt legem tuam intelligere non poſſint, ego autem lege tuâ delectatus ſum, illius intelligentiæ ſedulam dans operam; eſtque verbum טפש *taphaſch* iuxta Chaldaicam ſignificationem hic vſurpatum, vnde pro Hebræâ voce השמן *haſchmen* impingua cor populi huius, Chaldæus Paraphraſtes habet טפש *tephiſch*.

V. 71. *Bonum mihi.* Quòd meipſum afflixerim & laborauerim vt addiſcerem legem tuam, magni boni & delectationis loco illam afflictionem & laborem habeo. Alij ſeipſos affligant & defatigent in comparandis diuitijs, ego ſanè meipſum afflixi, & corpus meum labore confeci in legis notitia

V. 72. mihi comparanda, quia, Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti.

V. 73. *Manus tua fecerunt me.* Opus ac diſpoſitio membrorum hominis in apta illorum diſpoſitione, in eius creatione, ipſum innuunt ad comparandam ſapientiam eſſe conditum. Primùm quidem ob ſtaturam eius erectam, quæ talis non eſt reliquis animantibus; tum ob efformationem organorum intellectûs in eius membrorum medio ſcilicet in corde, quod eſt veluti Rex illorum; tum ob cerebrum quod eſt eius quaſi præfectus; nec-non ob facultatem loquelæ, in medio organorum in ipſo aptè diſpoſitorum ad vocem ex pulmone emittendam; & ad locutionem intercidendam in lingua, in dentibus & in palato; denique propter alias facultates miniſtrantes. Cùm igitur hæc omnia tam excellenti diſpoſitione effinxeris, vt eſſet homo ſcientiæ & intelligentiæ capax, adjuua me ad intelligentiam habendam, fac vt intelligam & ediſcam mandata tua.

V. 74. *Qui timent te.* Qui à me diſcunt, videbunt me ſcientiâ & intelligentiâ in omnibus pollentem & lætabuntur quòd mihi dederis quæ à te expectaueram, nam in verbo tuo & in ope tua ſperaui.

V. 75. *Cognoui.* Illud ex tua lege intellexi & perſpexi, nimirum iuſtiſſima eſſe tua iudicia, cúmque ego in animum meum reuoco id in quo me afflixiſti, agnoſco te in veritate me afflixiſſe; tu enim es Deus veritatis & non iniquitatis. Ante vocem ואמונה *veemona* ſubintelligenda eſt litera ב *beth* & in ve-

2. Reg. 12. ritate, ſicut iſto in loco, quod inuentum eſt, *in*, domo Domini, & ſimilibus alijs.

V. 76. *Sit quæſo ad conſolandum me.* Ex quo me afflixiſti. *Secundùm verbum tuum*, ſicut mihi promiſiſti.

V. 77. *Veniant mihi miſerationes tuæ.* Vt viuam ſcilicet & legem tuam

cuſtodiam, quia hæc eſt delectatio mea. 119.

V. 78. *Confundantur ſuperbi quia falsò peruerterunt.* Me falsò accuſarunt, & peruerſum de me iudicium fieri voluerunt. *Ego autem in mandatis tuis meditor.* Mea omnis meditatio circa tua mandata verſatur; ipſi verò falſitatem contra me excitant; fac igitur vt propter verba ſua erubeſcant.

V. 79. *Conuertantur mihi timentes te.* Cùm viderint iſtos ſuperbos pudore ſuffuſos, ad me conuertentur vt fauſta nuntient mihi, ac me in mea fide confirment. Magiſtri autem noſtri F. M. circa hæc verba differentes, putant ſupremos Iudices ab ipſo receſſiſſe propter eius peccatum cum Bethſabee, ac idcirco ipſum oraſſe Deum & dixiſſe, Conuertantur mihi timentes te.

V. 80. *Sit cor meum.* Ipſi quidem ſuperbi pudore afficiantur, at ego non erubeſcam, verùm tu me adjuua, vt ſit cor meum immaculatum & perfectum in ſtatutis tuis; & ea ratione pudore non afficiar.

V. 81. *Defecit ad ſalutem.* Ardenti deſiderio te expetit vt me liberes ab ijs qui vitam meam quærunt. *In verbum tuum.* Hoc eſt, in promiſſum tuum.

V. 82. *Defecerunt oculi mei.* Eóqòd nimis intentè ad auxilium tuum aſpexerim. Et quia oculi hominum illos intueri ſolent à quibus datur auxilium, idcirco dixit ſimiliter metaphoricè. Oculi mei ad auxilium diuinum attendentes defecerunt; quaſi præ ſuo nimis frequenti & intento aſpectu deficiant. *Ad eloquium tuum.* Hoc eſt, ad promiſſum tuum. *Dicendo quando conſolaberis me.* In meis miſerijs in quibus iam verſor.

V. 83. *Quia factus ſum ſicut vter in fumo.* Cutem ſuæ carnis comparat cum vtre ad fumum ſuſpenſo, qui penitus eſt exſiccatus; & adhuc tamen, inquit, ſtatuta tua non ſum oblitus.

V. 84. *Quot ſunt dies.* Metuit ne moriatur antequam videat ſupplicium de ſuis aduerſarijs a Deo ſumptum.

V. 85. *Foderunt.* Nempe Saülis aut Abſalomi conſiliarij, malum enim conſilium fouea eſt profunda. *Quod non ſecundùm legem tuam*, fuit. Quoniam dixiſti ac prohibuiſti ne ſanguis innocens effunderetur. Eſt autem dictio שיחות *ſchihhot* cum vocali hhiric in litera ש *ſchin*: quo etiam modo inuenitur iſto in loco, *Foderunt ante faciem meam foueam.* Pſal. 57.

V. 86. *Omnia præcepta tua veritas.* Ipſa ſunt veriſſima, & ea præcepiſti 7.
in gratiam imbecillorum ne à quopiam opprimerentur: & tu illorum iudicium facis vt tuo iuſſu fuit ſcriptum. *Facit iudicium peregrino, pupillo & viduæ.* Deut.
Quod ſi ita ſit, feras mihi opem aduersùs eos qui me iniquè & immeritò diuexant. 10. 18.

V. 87. *Paulominus.* Sicuti ipſe alio in loco dixit, *Vno tantùm paſſu ego* 1. Sam.
morſque diuidimur. Et ita alijs in occaſionibus cùm in vitæ periculo eſſet, 20. 3.
parum abfuit à morte. *Nec tamen ego dereliqui mandata tua.* Cùm enim facilè poſſem illos morti tradere, tamen ob tua præcepta quibus cædem prohibuiſti, ab illis interimendis me cohibui. Et quamuis rei eſſent necis, cóquòd me ſine vlla prorſus cauſa ad necem inſequerentur, ego nihilominus tibi meum commiſi iudicium, quòd de te ipſo ſcriptum volueris, *Quia non iuſti-* Exod.
ficabo impium. 23. 7.

V. 88. *Secundùm miſericordiam tuam.* Quam multoties iam erga me ex-

Psal. hibuiſti, adhuc à te peto vt me in viuis ſerues vſque dum videam eos qui me
119. perſequuntur, vltionem à te paſſos: Ego autem quandiu viuam, *Cuſtodiam teſtimonia oris tui.* Cùm ipſi per totam ſuam vitam leges tuas non deſinant tranſgredi.

V. 89. *In æternum, verbum tuum.* Illud quo dixiſti vt fieret cœlum & factum eſt, hoc, inquam, verbum & hæc tua voluntas in æternum ſtabilia permanſura ſunt: nam cœli & exercitus eorum, nunquam ſunt deſituri. Et ita etiam de ipſa terra ſe res habet; etiamſi eius exercitus perpetuò non perſiſtat: & hoc indicatur iſtis verbis.

V. 90. *In generationem & generationem.* Iuxta illud, *Generatio præterit*
Eccl. 1. *& generatio aduenit.* Quod licèt ita ſit, tua tamen veritas in terra perſeuerat: &
4. hæc eſt conſtans duratio mundi quem conſtabiliuiſti vt permaneat in æternum, ſicut dictum eſt, terra autem in æternum ſtat. Sic etenim tuo decreto ſanxiſti vt cœlorum exercitus perſtarent in æternum; at verò in terra, eorum quidem ſingularia perirent, verùm vniuerſalia ſtarent in perpetuum.

V. 91. *Ad iudicia tua.* Ad exequenda iudicia tua & decreta ad hunc vſque diem perſtant, & perſtabunt cœli & terra, quia omnia ſunt ſerui tui.

V. 92. *Niſi, quòd, lex tua.* Si ita ſit quemadmodum verbum tuum perſtat immutabile in cœlis & in terra, ſic pariter verbum tuum & tua promiſſio ſint erga me inconcuſſa: nam ferè perij in mea afflictione propter eos qui me diuexant, niſi lex tua delectatio mea fuiſſet, quâ veluti recreatus conſolatione fui, nec omnino perij cordis mei moleſtiâ oppreſſus.

V. 93. *In æternum viuificaſti me.* Sicut mox dixit, Tunc perijſſem. Ecce ipſa mihi vitam conſeruarunt, & ſpiritum meum recrearunt, & præ moleſtijs non ſum extinctus.

V. 94. *Tuus ego.* Seruus tuus & tibi omnino addictus, & ſoli tuæ legi animum & operam impendo: & mandata tua omnibus vitæ meæ diebus exquiſiui; quapropter ſaluum me facias iam, ſicuti aliquis ſeruum ſuum ſolet è malis eripere.

V. 95. *Me expectant improbi.* En ratio quare mox dixerit, ſaluum me fac; mihi ſiquidem opus eſt ſalute, cùm me expectent improbi, quare verò? vt me ſcilicet è mundo tollant. *Ego interim teſtimonia tua conſidero.* Illis conſiderandis & exequendis do operam & hoſtium inſidias & inſultus non recogito. Sapiens verò Rabbi Abraham F. Eſræ iſta verba, vt perdant me, ſic exponit, vt me a futuro ſeculo deturbent; hoc eſt, eò ſpectant vt me à via bona abducant. Verùm ego attentiùs teſtimoniorum tuorum conſiderationi vacabo: ſingulis enim momentis illorum arcana mihi reteguntur, etiamſi nullus eorum ſit finis quare poſtea ſubiungit.

V. 96. *Omni perfectioni vidi finem.* Omnium rerum perfectionis vidi finem, hoc eſt, vidi & cognoui earum finem & conſumptionem; at mandatum tuum eſt latiſſimum, nec vllum habet finem: nam etſi præceptorum ſit finis & numerus certus, at rami qui ex illis prodeunt, ſunt latiſſimi & infiniti. Præterea illud etiam explicant de præceptis animi quæ ſunt infinita, & præcepta corporis ſunt finita. Cæterum dixit, præceptum tuum in numero
Deut. ſingulari collectiuè, vt etiam ſumitur iſto in loco, *Præceptum hoc quod ego præ-*
30. 11. *cipio tibi hodie*, &c.

V. 97. *Quantùm dilexi legem tuam!* Illam vſque adeo amo, vt per totum diem eius meditationi vacem. PSAL. 119.

V. 98. *Super inimicos meos.* Hoc communiter exponitur, præ inimicis meis; ſed iſta explicatio minimè recta eſſe videtur: & Dominus pater meus P. M. ſimpliciter vt ſonat interpretatur, ex inimicis meis, perinde ac ſi diceret, ex ipſis me ſapientem effeciſti & docuiſti me tua mandata, cùm viderem eos non poſſe legem tuam ex ore meo auferre. Lex enim tua eſt pactum ſalis, vt mox ſubjungit, *Quia in æternum mihi eſt.* Ego didici certò hoc tuum eſſe beneplacitum, tuámque voluntatem, & te eum in finem me creaſſe.

V. 99. *Super omnes docentes me.* Ab his omnibus didici & diſciplinam accepi, & ab illis intellexi viam bonam, & ipſi me docuerunt vt teſtimonia tua ſemper eſſent meditationis meæ materia.

V. 100. *A ſenibus.* Idem alijs verbis repetit, vel ſenſus eſt vocis מלמדים *melammedim*, Ab his qui docent per viam intelligentiæ; illud verò, A ſenibus, ſignificabit ex verbis ſeu via traditionis. *Quia mandata tua cuſtodiui.* Senſus eſt, quia primùm à pueritia obſeruaui mandata ſicut ex traditione acceperam; poſtea verò cùm illa conſideraſſem, & notitiæ eorum ſtuduiſſem, illa obſeruaui eâ ratione quâ illa intellexeram.

V. 101. *Ab omni via mala prohibui pedes meos.* Quando pedes meos ab omni via mala cohibui, illud non præſtiti quòd homines reuererer, aut ne mihi aliquid mali eueniret propter illud opus, ſed tantùm vt cuſtodirem verba tua; & hic eſt cultus manans ex amore.

V. 102. *A teſtimonijs tuis docuiſti me.* Tu me illa edocuiſti per modum intelligentiæ, & poſtquam ea meo intellectu cognoui, meo animo & voluntati meæ ſunt infixa, nec ampliùs ab illis declinaui. Aut ſenſus huius vocis, docuiſti me, eſt, ad illa obſeruanda adjuuiſti, hoc eſt, docuiſti me, quia viam illorum coram me aperuiſti.

V. 103. *Quam dulcia.* Quantùm præ melle ſuauia fuerunt, hæc autem ſuauitas eſt optima ſermonis diſpoſitio, idcirco verba legis cum melle comparat, verba enim illius ſuauiſſima ſunt, modò linguâ & ſermone optimè fuerint enuntiata. Porro dixit, Dulcia ſunt, collectiuè de verbis omnibus legis; dixit verò, ſingulari numerò, verbum tuum, quia quodlibet ex diuinis eloquijs eſt ſuaue; nullum illorum ſua dulcedine eſt deſtitutum.

V. 104. *Ex mandatis tuis intelligo.* Ex ipſis intelligo, quia in corde meo per viam intellectus ſunt plantata; illam enim rem quam longè amouet intellectus, tantùm propter præceptum quod ei impoſitum eſt, homo omnibus modis odio habet: vnde ſubdit, *Propterea odi omnem viam iniquitatis.*

V. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum.* Quemadmodum qui in tenebris ambulat, ſi lucernam ante ſe habeat, non ſolet in via ſua impingere, ſic ego in meis operibus & vijs non offendo, verba quippe tua inſtar lucernæ coram me prælucent, quibus ſubinde admoneor ne quod peccatum admittam.

V. 106. *Iuraui.* Vt me ſedulò excitarem ad iudicia iuſtitiæ tuæ obſeruanda; hoc eſt, quæ ſunt iuſtiſſima iudicia.

V. 107. *Afflictus ſum.* Ecce in grauiſſimis calamitatibus iaceo adeout morti ſim proximus. *Viuifica me ſecundùm verba tua.* Secundùm promiſ-

Psal. ſum tuum quod mihi es pollicitus. Alij exponunt, ſecundùm verbum tuum
119. quo dixiſti; cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis,
ego autem cuſtodio iudicia iuſtitiæ tuæ.

Leu. 18. V. 108. *Voluntaria oris mei.* Orationes ac laudes quas ſpontaneo ſpiritu
5. coram te pronuntio, tibi, quæſo, ſint gratæ. *Et iudicia tua doce me.* Pro
quibus noſcendis maximè te oro.

V. 109. *Anima mea.* Quamquam ego in continuis periculis verſor, ac ſi vitam meam in manu mea haberem, tuam nihilominus legem non ſum oblitus.

V. 110. *Poſuerunt improbi laqueum mihi.* Laqueos in vijs ad me intercipiendum diſpoſuerunt; nec tamen propterea à tuis mandatis erraui.

V. 111. *Hereditate acquiſiui teſtimonia tua.* Illa mihi ſunt inſtar hereditatis, hoc eſt, illa ego retineo, vt quis ſuam hereditatem perpetuò poſſidere ſatagit; nempe ne vel per vnius horæ ſpatium ab illis diuellar, itaut ipſis non
amplius fruens inhæream; ſunt quippe tota mei animi delectatio, iuxta illud,
Pſal. *Mandata Domini recta, lætitiâ cor afficientia.* Quo loco ſenſum huius ſenten-
19. 9. tiæ clarè explicuimus.

V. 112. *Inclinaui cor meum.* Si quando meus animus ad res huius mundi propenderet, illum ſtatim reflectebam ad facienda ſtatuta tua; hoc eſt, tentabam
efficere vt tota voluntas mea, & cogitatio omnis ad tua ſtatuta implenda
Ver. 33. tenderet. *In æternum & in finem.* In æternum & vſque ad finem vitæ meæ ea
exequar; vt iam iſta verba ſumus interpretati, *Et cuſtodiam illam in finem.*

V. 113. *Cogitationes.* Vocem סעפים *ſeaphim* interpretantur communiter quaſi ſit adiectiuum nomen, nempe de illis qui malas habent cogitationes. ſed iuxta meam ſententiam non eſt nomen adiectiuum, ſed hunc habet ſenſum, alias omnes cogitationes odio habui, legem verò tuam dilexi, & omnes meæ cogitationes circa illam verſantur.

V. 114. *Latebra mea.* Nequid mali mihi inferant qui mihi nocere machinantur. *Et in verbum tuum.* Hoc eſt; promiſſum tuum ſperaui, & ipſum me ab iſs liberabit. Vel verbum tuum ſignificat legem tuam: qui enim illam obſeruat, nihil ei mali euenire ſolet.

V. 115. *Declinate.* Ne me impediatis, ſed ſinite vt Dei mei præcepta obſeruem.

V. 116. *Suſtenta me, ſecundùm eloquiuum tuum.* Per quod me beneſperare feciſti. *Et viuam.* Et malignorum illorum manu non interficiar. *Et non pudore afficias me à mea expectatione.* Quâ te expectaui me abijs liberaturum.
Leuit. Aut ſenſus eſt, ſecundùm eloquium tuum quo dixiſti, *Quæ faciens homo viuet*
18. 5. *in eis*: ego verò illa exequor, & dum illa facio, ſpero malignos iſtos nihil in
me poteſtatis habituros.

V. 117. *Fulci me.* Si enim me confirmes & ex illorum manibus liberes, nulla erit alia res quæ me detinere poſſit. *Et narrabo ſtatuta tua ſemper.* Vox iſta ex Chaldæa Paraphraſi vertenda eſt; & narrabo; & camets litera ע aain eſt loco ſegol, vel ſignificatio huius vocis petenda eſt ex illo loco, *Et lex tua delectatio mea eſt*, nam etiam illius vocis thema eſt שעה *ſchaah*: verùm in illa repetuntur prima & ſecunda radicales.

V. 118. *Conculcaſti.* Verbum iſtud habet ſignificationem coniugationis
grauis, vt iſto in loco, *Calcauit omnes fortes meos*, in ſignificatu conculca- Psal.
tionis & protritionis, & eſt præteritum loco futuri: ac per modum petitio- 119.
nis loquitur Dauid: Conculces eos omnes qui aberrant à tuis ſtatutis. *Quia* —
mendacium calliditas eorum. Quoniam illi ſeipſos obtegunt, & quales ſint Thre.1.
diſſimulant, ſeque probos eſſe oſtendunt, cùm ſint mali, dolus autem illo- 15.
rum eſt retectus, & via illorum fallax innotuit. Illos porro aberrantes nomi-
nauit, nam vbi eorum iniquitas fit hominibus aliis manifeſta, dicunt omnes
illos verè eſſe aberrantes.

V. 119. *Vt ſcorias ceſſare feciſti.* Ecce iám quoties vidi te vindictam in im-
probos exercuiſſe, ipſi enim ſcoriis ſunt ſimiles, vt dixit Propheta, *Et repur-*
gabo quaſi fornax ſcorias tuas. Illi autem ſunt de quibus paulò ante dictum Iſa.1.25.
fuit, Mendacium eſt calliditas eorum; nam ipſi qui mundum decipiunt, lon-
gè ſunt pernicioſiores mundo, quàm qui apertè ſunt mali, ab his quippe ſibi
facilè quiuis cauere poteſt, at ab illis nemo ſibi cauet. Tu verò Domine, pro-
duc eos in apertum, & fac vt in mundo eſſe deſinant. Cùm autem dicit, Om-
nes, non loquitur præcisè; quod etiam fit iſto in loco, *Omniſque terra venie-* Gen.41.
bat in Ægyptum. Ideo dilexi teſtimonia tua. Ipſa enim hominem ab omni 57.
ſcoria emundant, & docent vt homo ſit perfectus; debere idem extra ſe præ-
ferre quod geſtat in corde: quapropter illa diligo, & ipſis adhæreo.

V. 120. *Horruit.* Ipſi peccatores nullo tui pauore concutiuntur, eò quòd
occulta cordis eorum perſpicias, imò dicere ſolent, Deus nos minimè intue-
tur: ego autem valde te timeo, quia pauore tui horr. it caro mea. *Et à iudi-*
ciis tuis timui, me quippe ſecundùm opera mea es iudicaturus, ac idcirco
ſolicitè caueo ne tua præcepta & iudicia tranſgrediar. Timeo enim te, ne ali-
quando me ſis puniturus; certò quippe ſcio te me intueri ac opera mea tibi
eſſe cognita: Et illud eſt quod iſta verba innuunt, *Dominum Deum tuum ti-* Deut.
mebis: homo ſiquidem à peccatis committendis ſe cohibet, quòd Deum re- 10.20.
uereatur, qui non alia de cauſa de illis vitandis præcepta dedit, vnde eſt di-
ctum, *Et vt timor illius eſſet coram vobis, & non peccaretis.* Verbum autem Exo.20.
סמר *ſamar* idem hîc ſignificat ac iſto in loco, Horridos efficeret pilos carnis 20.
meæ: Cùm enim quis grauiſſimo pauore corripitur, ſtatim rigeſcunt eius pili, Iob. 4.
ac inſtar clauorum eriguntur, ſic etiam caro illius. 15.

V. 121. *Feci iudicium & iuſtitiam.* Neminem iniuſtè oppreſſi, tu igitur
Deus ne me permittas eorum iniuriis qui me opprimere volunt, hoc eſt, ne
illorum poteſtati ſinas me ſubiici.

V. 122. *Oblecta.* Dictio ערוב *aarou* idem hoc loco habet ſignificatum ac in Pro.3.
illis, *Et ſuauis erit ſomnus tuus.* Et. *Dulceſcet Domimino ſacrificium Iude* 24.
hoc tamen loco eſt verbum tranſitiuum hoc ſenſu, exhilara & congruenter Mal.3.
dirige ſeruum tuum ad bonum, ne me ſuperbi opprimant. Et eadem ratio- 4.
ne dictum eſt illud, vim fecit mihi, iucunda me, meainfirmitas mihi vim
fecit: nuncexhilara me in bonum, ne me iterùm opprimant.

V. 123. *Oculi mei defecerunt.* Hanc loquendi formam expoſuimus ad iſtum Pſal.69.
verſum, Oculi mei in altum. *Ad ſalutem tuam*; vt me eripias ab illis ſuperbis,
ne mihi vim inferant, ac ſi diceret, ad humanum auxilium non aſpexi, ſed ad

Bbbb

PSAL. 119. opem tuam. *Et ad eloquium iuſtitiæ tuæ.* Iuſtum eſt enim eloquium tuum, quod protuliſti pro me, in tuo promiſſo per Prophetam.

V. 124. *Fac cum ſeruo tuo.* Quemadmodum iam tua erga me miſericordia exhibita multoties fuit, ſic illam modò mihi exhibe; cúmque ſuperbi multis me moleſtiis vexabunt, ſtatutis tuis operam dare potero: & tu etiam illud mihi conferas gratiæ, vt in illis intelligendis opem feras.

V. 125. *Seruus tuus ego ſum.* Senſus eſt: Ego doctrinam non deſidero, niſi propter cultum tuum meliùs obeundum, quòd cùm ita ſit, da mihi intelligentiam vt fundamentum & ſenſum tuorum teſtimoniorum cognoſcam. Sapiens R. Abraham F. Eſræ F. M. ſic locum hunc exponit, merces cultus mei erga te ſit, vt me intelligentem efficias.

V. 126. *Tempus.* Statutum eſt tempus Domino quo vindictam exerceat, cùm legem tuam diſſipauerint iſti. Quamquam hoc tempore differt Deus improborum pœnas, at veniet tempus quo vindictam de illis faciet. Illud autem eſt tempus redemptionis, vt ſcriptum eſt in vaticinio Malachiæ. Sapiens R. Abraham F. Eſræ hunc verſum ita exponit, Legem tuam irritam fecerunt improbi eo etiam tempore quo maximè illam ſeruare debuerant; nimirùm tempore ſenectutis aut anguſtiæ. In ſcriptis verò Magiſtrorum noſtrorum dixit Rau Aua, principium huius verſus per eius finem explicatur, & èconträ, finis per principium, principium per finem explicatur hoc modo, Tempus agendi Deo eſt, quid ita? quia irritam fecerunt legem tuam, hoc eſt, tempus eſt vt Deus benedictus puniat hunc mundum, quia irritam fecerunt legem eius. Et finis exponitur ſic per principium, quare irritam fecerunt legem tuam, quia tempus erat agendi pro Deo. Cuius eſt ſenſus, Legem tuam irritam fecerunt Prophetæ tui, veluti Elias qui ſacra fecit in monte Carmel, eo tempore quo excelſa erant prohibita, nimirùm vt celebraret nomen Dei, & cultores idolorum exſcinderet, vtque Iſraëlitæ vnum verum Deum agnoſcerent; & palàm Deum eſſe Dominum profiterentur. Poſſunt etiam illa verba: *Tempus faciendi Domino*, exponi ſecundùm iſta alia quæ priùs dixit, *Ego ſeruus tuus ſum, da mihi intelligentiam*, &c. vt dicat Deo, opus eſt vt mihi des auxilium ad comparandam mihi notitiam tuorum teſtimoniorum, vt illa conſtanter retineam; hoc enim tempus & ætas quibus in viuis ago, tempus eſt quo maximè ſunt neceſſarij homines qui fortes & conſtantes ſeſe exhibeant, vt pro Deo agant in lege & præceptis obſeruandis: hæc ſiquidem generatio legem tuam violare non deſinit; quapropter oportet vt qui ſunt Dei, ſtrenuè admodum & conſtanter ſe gerant in lege tuenda, ne tandem omninò aboleatur. Et huic explicationi aptiſſimè congruit illud quod mox ſequitur, propterea, &c.

V. 127. *Ideò dilexi.* Hoc eſt, propterea quòd ego videam illos tuam legem violare, & nonniſi lucrum ſectari, & omnes illorum occupationes & ſtudia eò ſpectare vt diuitias comparent, dilexi ego præcepta tua, vt illa condiſcam & opere compleam: Et longè mihi gratiùs eſt in illis occupari, quàm frui auro vel obryſo, quibus comparandis illis toto animo inhiant.

V. 128. *Ideò omnia.* Illud, Propterea, eumdem habet ſenſum ac aliud ſuperiùs. Vox autem iſta כל *col* omnia bis repetita, exemplum habet illum lo-

cum, Et primitiæ omnium primitiuorum fructuum, & omnis oblatio om- Psal.
nium, hoc eſt, omnes primitiæ fructuum omnium: ita hoc loco, omnia 119.
mandata omnium rerum: omnia præcepta quæ ſcripta ſunt in lege, & ea
etiam quæ non ſunt deſcripta, cuiuſmodi eſt illud, *Et hoc anteà erat teſtimo-* Ezech.
nium in Iſrael: & huic ſimilia in rebus vſu receptis inter Iſraëlitas, pro ſta- 44. 30.
tutis & iudiciis. Omnia, inquam, iſta rectificaui, ac probaui ea, res eſſe quæ Ruth.
rationem haberent & cauſam & intellectum de illis docere quòd ſint æquæ: 4.7.
& ſanè ſunt æquiſſimæ, & ego rectas eas oſtendi coram illis qui eas contem-
nebant & dicebant illas non eſſe iudicio & iuſtitiæ congruentes: at verò iu-
dicia eorum & vias, quæ ſunt ſemitæ mendacij, odio habui.

V. 129 *Mirabilia teſtimonia tua*, dictio פלאות *pelaot* hîc idem habet ſignifi-
tum quod eſt iſto in loco, ſi admirabile fuerit à te aliquid in iudicio, ac ſi di-
ceret, occulta myſteria in illis continentur, ideò cuſtodiuit ea anima mea in- Deut.
tellectualis; hoc eſt ſtudiũ ſuũ illis intelligendis accuratiſſimè adhibuit, vel cu- 17. 8.
ſtodiuit ea, vt illa faceret; nã illorũ intelligentia & cognitio eſt maxima in illis
vtilitas; quippe qui præceptũ non intelligit, illud non poterit, vt oportet ob-
ſeruare. Sed quæri poteſt, cùm Moſes magiſter noſter, qui ſit in pace, aliquo in Deut.
loco dixerit: Nam præceptũ quod ego tibi præcipio hodie non admirabile eſt 30. 11.
à te, neque procul poſitum; quomodo dicat hoc loco Dauid, Mirabilia teſti-
monia tua? Reſpondendum eſt, Moſem illis verbis, non admirabile eſt à te
ſeu difficile, indicare velle præcepta non eſſe enuntiata modo figurato & me- Ibid.
taphorico; nam ſermo figuratus mirabilis ſeu arduus tibi eſt, & quomodo il-
lum intelliges? ſed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo & in corde tuo, vt fa-
cias illum. Idcircò ſicuti diſcis illum in ore tuo, ita potes illum animo tuo
intelligere, & ſic illum exequi: nam nulla eſt in præceptis figurata loquutio:
Et inde deſumenda eſt reſponſio pro Nazaræis ſeu Chriſtianis dicentibus legem
eſſe parabolicam. Quod autem dixit Dauid, Mirabilia teſtimonia tua, hoc
de præceptorum fundamento & ſenſu ac ratione debet accipi. Et quomodo
intellectus iſta demonſtrare poſſet? aut quânam viâ & ratione ex illis homo
egredietur? multos enim habent ramos.

V. 130. *Ingreſſus verborum tuorum.* Apertio ipſa tuorum verborum illuſtrat
oculos eorum qui cæci ſunt corde. Nam ſtatim atque incipit quis ea conſide-
rare, & illis intelligendis animum adiungit, oculi eius illuſtrantur, & maio-
rem ſubinde intelligentiam acquirit. Hoc porrò idcircò dicit, quia ante di-
xerat, Mirabilia teſtimonia tua, ne quis intelligendis illis ſegnius incumbe-
ret, diceretque quandoquidem ita ſunt iſta difficilia, non potero illa intelle-
ctu aſſequi, ab illis conſiderandis deſinam, & qualia ſunt relinquam; ſed vt eo-
rum intelligentiam ſcrutari incipiat, & ipſa verba viam & aditum intelligen-
tiæ illi patefacient; nam ipſe verborum ingreſſus ipſum illuſtrabit: ſiquidem
ipſe Deus facit vt ſimplices intelligant, hoc eſt, dat intellectum ſimplicibus.

V. 131. *Os meum aperui.* Figuratus eſt loquendi modus, iuxta quem illud Ezec. 3.
etiam eſt dictum: *Aperi os tuum & comede volumen.* Porrò ſenſus eſt, præ 1.
magno deſiderio quo tua præcepta deſideraui, os meum aperui ad illa, & an-
helaui; vox iſta anhelationem ſignificans, denotat aëris ad os attractionem;
quemadmodum cùm quis fame laborans auidè cibos deſiderat, & cùm ei fue-

Psal. 119. rint oblati, ſtatim præ vehementi appetitu os ſuum aperit ad cibos, antequam illos ore contingat, ſicque aërem attrahit antequam cibos. Cæterùm hæc vox יאבתי *iaauti* vnica eſt in tota ſcriptura, & idem ſignificat quod תאבתי *taauti* deſideraui.

V. 132. *Reſpice ad me ſecundùm iudicium.* Dictio hæc כמשפט *chemiſchpat* idem hoc loco ſignificat ac in iſto, *iuxta iudicium filiarum faciet ei*, hoc eſt (Exo. 21. 9.) ſecundùm morem & conſuetudinem. Dicit ergo ſecundùm morem ac conſuetudinem tuam quâ reſpicis ad eos qui diligunt nomen tuum, ita mecum facias.

V. 133. *Greſſus meos.* Effice vt aſſueſcant incedere ſemper per mandata tua affirmatiua: & ne permittas vt mala concupiſcentia mihi dominetur, & præ- (Pſ.19,15.) ceptum aliquod negatiuum tranſgrediar: Et hoc iſtis verbis innuitur. *Et non dominetur meî omnis iniquitas*: ſicut alio in loco dixit: *Etiam à ſuperbijs prohibe ſeruum tuum, ne*, &c. ſicut ibi explicuimus: Cùm verò ait, omnis, vel leuis tranſgreſſio notatur.

V. 34. *Redime me.* Ne me opprimant homines ac detineant, & tunc *Cuſtodiam mandata tua.* Nam tum licebit mihi liberè illa obſeruare.

V. 135. *Faciem tuam lucere fac ſuper ſeruum tuum.* Hoc eodem ſenſu dictum (Num.6. 25) eſt, ac illud, *Lucere faciat Dominus faciem tuam ſuper te & miſereatur tui.* Nam lux faciei eius eſt illius beneuolentia, ſicut eſt ſcriptum, *In luce faciei Regis* (Prou. 16. 15.) *vita & beneuolentia eius quaſi imber ſerotinus. Et doce me.* Et hoc mihi ex tua beneuolentia contingat vt doceas me ſtatuta tua.

V. 136. *Riui aquarum.* Effundit lacrymas propter ſceleta quæ fecerat, & pœnitentiâ ducitur: & mandatorum cuſtodiam vnà cum oculis commemorat; ipſi enim primi fornicantur, & qui peccat *, poſt oculos ſuos aſpicit.

V. 137. *Iuſtus es Domine.* Iudicia etiam tua iuſta ſunt & recta, quod verò dicit rectum, ſenſus eſt, quodlibet iudiciorum tuorum eſt rectum: vel ſenſus eſt, iudicia tua in recta via & ratione ſunt diſpoſita.

V. 138. *Mandaſti iuſtitiam.* Ac ſi diceret, magnum erga nos amorem exhibuiſti, quòd tua nobis teſtimonia ſeruanda præceperis, iuſtiſſima enim ſunt & veriſſima.

V. 139. *Succidit me.* Me ferè conſumit zelus meus cùm meos hoſtes video verborum tuorum oblitos, quaſi tu illa obſeruanda eſſe non præcepiſſes. Cùmque interim cerno eos proſperâ vti fortunâ, grauiſſimo zelo contra illos in- (Pſal. 73. 3.) cendor, vt etiam teſtatur alibi, *Quoniam æmulatus ſum contra inſanos, pacem peccatorum videbo.*

V. 140. *Probatum igne eloquium* Nam illud eſt abſque omni prorſus ſcoria & vitio: & ego ſeruus tuus ipſum diligo; & continuò illius recordor, ipſi autem, hoſtes illius ſunt obliti.

V. 141. *Paruulus ſum.* Ego veluti paruulus & deſpectus ſum apud eos, proptereà quòd in tua lege occuper, nec tua mandata, ſicut ipſi, oblitus fuerim.

V. 142. *Iuſtitia tua.* Quam exerces erga mundum, iuſtitia eſt quæ in æternum permanebit. *Et lex tua veritas.* Omnia ſiquidem eius præcepta ſunt veritas; & mundi ſtabilitas & conſeruatio. Recta etiam ſunt iudicia quæ in

* Hinc illa Ben-Sira Sententia. væ illi ſ qui vadit poſt oculos ſuos, cùm ſciat eſſe filios ſcortationum, id eſt, deditos libidini.

ipſa continentur; nam per ipſa conſtat mundus, & ipſi homines in mutuis commerciis ſuis. Ipſæ pariter legis promiſſiones, obſeruantibus ipſam certiſſimæ ſunt, & non mentientur. Psal. 119.

V. 143. *Tribulatio & anguſtia.* Eo tempore quo me inueniunt anguſtiæ, mandata tua, meæ ſunt delectationes, & illa mihi ſunt ſolatio cùm in illis occupor.

V. 144. *Iuſtitia teſtimonia tua in æternum.* Hoc intelligendum vt ſuprà vocem, Iuſtitia, explicuimus: fac vt ſemper illa intelligam, vt per illa viuam in futuro ſeculo: & vox in æternum ſemel poſita, eſt pro duabus.

V. 145. *Clamaui.* Cùm in calamitatem incidi, toto corde ad te clamo, noui enim nullum eſſe præter te alium qui me exaudiat & ſeruet: Si ita ſit, me igitur exaudias, & ne ſinas vt per manus hoſtium meorum moriar, & tua ſtatuta cuſtodiam: ac ſi diceret, non alia de cauſa vitam peto, niſi vt ſtatuta tua obſeruem.

V. 146. *Clamaui.* Idem aliis verbis repetit, ad confirmandam petitionem.

V. 147. *Preueni in crepuſculo.* Quando adhuc eſt nox, præuenire ſoleo omnem alium qui conſurgit vt de nocte orationi vacet: *Speraui in verbum tuum.* Quod mihi promiſiſti; vel ſenſus eſt, verbum tuum, quod ſcriptum eſt in lege, *Quis ſicut Dominus Deus noſter in cunctis pro quibus inuocauerimus eum?* Idcircò ſpero te clamorem meum exauditurum. Deut. 4. 7.

V. 148. *Preuenerunt oculi mei vigilias.* Dictio אשמורה *aſchmoura*, vigiliam noctis ſignificat. Tres autem in nocte erant vigiliæ, ſicut tradiderunt Magiſtri noſtri F. M. Dicit ergo Dauid oculos ſuos præueniſſe omnem hominem in vigiliis noctis, nempe quia nonniſi primam noctis partem ſomno impendebat, & per duas alias vigilabat & ſtudio ac meditationi diuinorum eloquiorum & viarum intendebat: Et hoc ſæpiſſimè faciebat quando noctes ſunt longiores. Porrò tempus vigiliæ deſtinatum appellatur cuſtodia, vt iſto in loco dicitur. *Cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de nocte?* in quo vigil appellatur cuſtos, quòd per totam noctem ſit vigilans. Iſa 21. 11.

V. 149. *Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam.* Fac mecum modò ſicuti iam multoties feciſti. *Secundum iudicia tua.* Quemadmodum iam ſuprà expoſuimus iſta verba, Secundùm iudicium diligentium nomen tuum, ſic ſunt hæc intelligenda, ſicut agere ſoles erga bonos, quos ſcilicet cum tua miſericordia ſoles gubernare, ac illos viuificare, ſic etiam viuifica me.

V. 150. *Appropinquauerunt.* Propinqui facti ſunt, & adhærent ſceleri, adeò vt ipſum ſectentur; at à lege tua longè ſunt remoti. Duæ ſiquidem viæ ſunt oppoſitæ: nec legi ſunt proximi, imò ſcelus proſequuntur: nam ſi ad legem acceſſiſſent, non ſectarentur iniquitatem. Dictio זמה *zimma* idem hic ſignificat quod in iſtis locis, *quia ſcelus fecerunt*. Et, *ſcelus eſt*, quod ſignificat abominationem, & opus peſſimum. Leu. 20. 14. Iud. 20.

V. 151. *Prope es tu.* Ipſi longè à te, & à lege tua ſunt remoti, verùm tu proximus ades omnibus qui te inuocant. *Et omnia præcepta tua veritas.* Illi tamen longè ab eis recedunt, quia ignorant ea, nec veriſſima eſſe exiſtimant.

V. 152. *Pridem.* Quod primùm cognoui & intellexi de tuis teſtimoniis,

Psal. 119. illud fuit, quòd nempe in æternum illa fundaueris; ea enim feciſti vt eſſent fundamentum & columen mundi: ſiquidem cùm quis illa incipit contemplari, videt in illis rectam mundi ordinationem: & cùm illa profundiùs & penitius perſcrutatur, ex ipſis ad res excellentiſſimas egreditur, & agnoſcit illa eſſe ſcalam ad aſcendendum ad ſcientiam diuinitatis, rerum omnium præſtantiſſimam. Et ego quum primùm illorum contemplationi incubui, excellentiſſimam illam dignitatem in ipſis aduerti. Poſſunt etiam illa verba, *Quoniam in æternum fundaſti ea.* Sic exponi quòd præceptis legis non ſit tempus definitum, ſicut dicunt qui Prouidentiam negant. Et quidem ab initio hoc ex illis cognoui, cóquòd viderem ipſa exſtructa ſuper viam iuſtitiæ & rectitudinis; quomodo igitur eſſet illis præſtitutum tempus, cùm iuſtitia in æternum permanſura ſit.

V. 153. *Vide, quia legem tuam non ſum oblitus.* Propter has omnes afflictiones, non ſum oblitus legem tuam.

V. 154. *Decerta cauſam meam, in eloquium tuum.* Propter tuum eloquium; ac ſi diceret, vitam poſtulo vt cuſtodiam eloquium tuum, non verò vt mundi voluptatibus indulgeam.

V. 155. *Longè à.* Ego quidem, inquit, ſalutem mihi propinquam expecto, quia ſtatuta tua quæſiui; at verò longè abeſt ſalus ab errantibus cum fuerint in anguſtia, quia ſtatuta tua non exquiſierunt, nullúmque in illis eſt meritum propter quod ex illa exeant. Dixit verò רחוק *rahhoc* elongatum, ſcilicet quod ſalutare eſt.

V. 156. *Miſericordia tua.* Quoniam multi erant qui ipſum diuexabant, vt mox dicet, iam ſic dicit, miſericordiæ tuæ ſunt multæ, ac ſi diceret, multi quidem ſunt ipſi hoſtes, verùm ex illis me liberabunt miſericordiæ tuæ. *Secundùm iudicia tua.* Sicut cum bonis agere, ſoles vt expoſuimus.

V. 157. *Multi ſunt at à teſtimonijs tuis.* Nihilominus tamen à tuis teſtimonijs non declinaui: non enim malum illis inferre tentaui, ſicut ipſi mala mihi ſunt machinati. Et hoc præceptum eſt vnum ex teſtimonijs tuis, *Non*
Leuit. 19. 18. *queres vltionem nec memor eris.* Et, *Si videris aſinum odio habentis te*, &c.
Exod. 23. 5. V. 158. *Vidi præuaricantes.* Dictio אתקוטטה *etquotata* ſimilem habet ſignificationem cum voce קטטא *quetata* à Magiſtris noſtris F. M. vſurpata, & ſenſus eſt, Plus contentionis cum illis habui eóquòd tuum eloquium non cuſtodierunt, quàm contenderim, quòd mihi injuriam inferant. Dominus autem pater meus P. M. vidi illos præuaricatores, proſperè agentes, & tæ-
Iob. 10. 1. dio affectus ſum, ſicut dicitur alibi, *Tædet animam meam vitæ meæ.*

V. 159. *Vide quòd.* Conſidera quantùm ea dilexi, cùm ego propter ipſa contendam cum improbis, & non propter meipſum, idcirco pro ſolita tua erga me miſericordia conſerua me in vita, nec permittas vt in poteſtatem hoſtium veniam.

V. 160. *A principio verbum tuum.* Ab ipſo mundi principio, & vſque in æternum, ac ſi diceret omnibus mundi diebus hoc tuum verbum, & iudicia tua ſunt veritas & iuſtitia: ſic fuit ſemper & ita perpetuò eſt futurum. *Iudicium iuſtitia tua.* Hoc eſt, iudicia tua quæ ſunt cum iuſtitia conjuncta; vel ſenſus eſt, illud quod primùm nobis præcepiſti eſt veritas; ſiquidem tua eſt

vnitas, de quâ ſic dixiſti, Ego ſum Dominus Deus tuus; & ita nobis de omnibus iudicijs iuſtitiæ tuæ præcepiſti, vt illa obſeruaremus in perpetuum, non eſt igitur eis tempus determinatum vt dicunt Nazareni. Aut denique ſenſus eſt, Quandoquidem nobis ab initio præceperis tuam vnitatem intelligere, ſic debemus in æternum iudicia iuſtitiæ tuæ obſeruare, ipſa enim ſunt veluti ſcala quâ ad notitiam vnitatis tuæ aſcenditur. PSAL. 119.

V. 161. *Principes perſequuti ſunt me.* Nempe Iſraëlitarum Principes vnà cum Saüle aut cum Abſalomo. *Et à verbo tuo magis formidauit cor meum*, Ne ſcilicet aliquod tuorum præceptorum tranſgrederer, magis, inquam, quàm timuerim ab iſtis: vel ſenſus eſt, ipſi me ſunt perſequuti, & tentauerunt me à tua lege abſtrahere, ſicuti dictum eſt, *Vade ſerui Dijs alienis.* Verùm ſemper à verbo tuo formidauit cor meum, & timui ne tuam legem tranſgrederer. Etſi de Abſalomo accipiatur, hoc ſic erit exponendum, formidauit cor meum, ne in eorum poteſtatem inciderem, propter verbum tuum quod mihi dixiſti, *Ecce ego ſuſcitabo tibi malum de domo tua*, &c. 1. Sam. 26. 19. 2. Sam. 12. 11.

V. 162. *Lætor ego.* Quando tuum eloquium audio ac intelligo, ego lætor & perfundor gaudio, non ſecus ac ille qui inuenit ſpolia multa.

V. 163. *Mendacium*, &c. Dilexi tuam legem, quia ipſa eſt contraria mendacio, ego enim odi mendacium & amo veritatem.

V. 164. *Septies in die.* Hoc eſt, multoties nec enim ſeptem, hîc numerum ſeptenarium præciſè deſignat, ſicut nec iſtis in locis, *Et addam ſuper vos percuſſionem ſepties iuxta peccata veſtra*, Et, *Septies enim cadet iuſtus & reſurget.* Etiam de hoc, in huius Pſalmi initio diſſeruimus. Super iudicia iuſtitiæ tuæ. Laudaui te propter illa ſæpiſſimè diebus ſingulis, quoties illorum memini, eò quòd rectiſſima ſint & iuſtiſſima. Leuit. 26. 24. Prou. 24. 16.

V. 165. *Pax multa.* Nam qui diligunt legem, nullibi vnquam offendunt, quia via illorum via eſt recta, & pace in perpetuum fruentur. Ipſi quippe modicis rebus quas ex hoc mundo poſſident ſunt contenti, nec quolibet euentu aut caſu anxiè admodum afficiuntur; & inde magnam habent pacem.

V. 166. *Expectaui ſalutare tuum.* Animæ ſcilicet ſalutem. *Et tua mandata feci.* Nec verò propter ſpem mercedis, ſed illa ſum exequutus, quaſi quæ mihi à te fuerant imperata, & noui ſalutem tuam mihi adfuturam, & illam expectaui.

V. 167. *Cuſtodiuit anima mea.* Quoniam illis intelligendis ſtuduit, & proptereà, dilexit ea vehementer.

V. 168. *Seruaui mandata tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Iuxta illud, *In omnibus vijs tuis illum cogita* Deum, vnde à Magiſtris noſtris F. M. dictum eſt, omnia opera tua ſint propter Deum. Ratio autem eſt quia ipſa me docuerunt omnes vias meas tuis patere oculis. Prou. 3. 6.

V. 169. *Appropinquet clamor meus.* Dictio רנתי *rinnati* ſignificat clamorem meum, ſicut iſto in loco, Et tranſiuit vox clamoris per caſtra; quiſnam verò eſt, & quò ſpectat ille clamor? ſcilicet, *Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Des mihi intelligentiam & notitiam vt agam ſecundùm verbum tuum.

V. 170. *Intret, ſecundùm eloquium tuum eripe me.* Non debet hæc libe-

PSAL. 119. ratio de corpore intelligi, quâ liberetur ab anguſtia ſed de liberatione animæ ab offendiculis peccati; nam in hoc verſu aut in præcedenti non ſit vlla mentio hoſtium. Dicit verò ſecundùm eloquium tuum; ſed in quonam legis totius loco, habetur illa ſententia, nempe quòd Deus ſanctus & benedictus ſeruet & adjuuet hominem contra peccatum? Nimirum illud innuitur in iſto verſu, vt ſit timor eius ſuper facies veſtras vt non peccetis. Etſi enim Deus liberum arbitrium homini dederit, ſi homo ſit rectus, Deus illum adjuuat in via bona. Idcirco etiam Iſraëlitis ſtationem montis Sinai oſtendit, quæ fuit illis magnus aditus ad corda illorum aperienda & diſponenda ad viam bonam, & ad eos à peccato reuocandos, & ita innuit iſte verſus, *Quis det vt ſit cor eorum hoc eis vt timeant me*, &c. Eam ob cauſam dicit hic Dauid, ſecundùm eloquium tuum eripe me ab offendiculo peccati. Ego ſiquidem cor meum tuo cultui addixi, etiam mihi opem largiaris.

Deut. 5. 29.

V. 171. *Scaturient.* Voce iſtâ hic locutio denotatur, vt iſto in loco, Dies diei ſcaturit ſermonem. Et de loquutionis aſſiduitate vſurpatur illa ſignificatio; nimirum inſtar fontis perenniter ſcaturientis: ſenſus eſt, cùm me docueris tua ſtatuta, tum continuò te labijs meis celebrabo.

Pſal. 19. 2.

V. 172. *Pronuntiabit.* Verbum תען *taan* hoc loco, loquutionem ſignificat, ſicut in iſto, Et reſpondebis & dices; ſenſúſque eſt, cùm tuum eloquium pronuntiabo, illud alijs dicam, & docebo illos quia omnia mandata tua ſunt iuſtitia. Et author Maſſoræ hoc verbum interpretatur hic in laudandi ſignificatione, ac ſi diceret, laudabit lingua mea eloquium tuum, quia vniuerſa eſt iuſtitia. Et addit in Maſſora, vocem iſtam תען *taan* reperiri ter in ſignificatione laudis, & ſignum eſſe, Et cantauit eis Maria. Laudabit lingua mea, & reſponde ſtulta, &c.

Exod. 15. 20. Prou. 26. 6.

V. 173. *Sit manus tua.* Quandoquidem tua elegi mandata, tu me in illis adjuua.

V. 174. *Concupiui ſalutem tuam.* Animæ ſcilicet ſalutem in futuro ſeculo; ideoque lex tua delectationes meæ; quia hæc nos ad ſalutem adducit.

V. 175. *Viuat anima mea.* In hoc mundo viuere exopto propterea vt te celebrem, quaſi diceret, vt cognoſcam diuinitatis tuæ veritatem, & ipſa erit mihi laudis materia. *Et iudicia tua adiuuent me.* Ea ſcilicet in te, ſunt enim veluti ſcala ad aſcendendum ad cognitionem Dei benedicti.

V. 176. *Erraui ſicut ouis.* Siquidem ego in cognitione iſta erraui, nam in illa hucuſquè non fui ſtabilis; vnde ſimilis ſum ouiculæ quæ perit, nec ad locum ſui accubitus redire nouit. Sic anima mea nondum hactenus nouit ad ſuum reuerti principium. Et quemadmodum fidelis paſtor pereuntem ouiculam exquirit donec illam inueniat, & ad eius cubile reducat, ſic tu quære ſeruum tuum, donec eum ad ſuum reducas principium; hoc eſt, ad animæ principium: hæc autem inquiſitio in eo conſiſtit, vt me in cognitione adjuues. *Quia præcepta tua non ſum oblitus*, Sic etiam tu adjuua me, nec mei obliuiſcaris, ſed me quærere velis.

PSAL-

PSALMVS CENTESIMVS VIGESIMVS.

PSAL. 120.

Canticum Graduum.

1. AD Dominum in tribulatione mea clamaui, & exaudiuit me.
2. Domine libera animam meam à labio mendacij, à lingua fraudis.
3. Quid dabit tibi & quid apponet tibi lingua doloſa ?
4. Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus iuniperorum.
5. Heu mihi quia peregrinatus ſum in longitudine ; habitaui cum tabernaculis Cedar.
6. Multùm habitauit anima mea cum eo qui pacem odit.
7. Ego pax ; & quum loquor, ipſi ad bellum.

COMMENTARIVS.

Canticum graduum. Hæc graduum cantica ſunt quindecim, & tradiderunt illa fuiſſe à Leuitis decantata, in quindecim gradibus qui erant in monte templi, inter atrium virorum Iſraëlitarum & atrium mulierum ; per illos enim, inquiunt, aſcendebant ab atrio mulierum ad atrium virorum, & canticum vnum in gradu vno decantabant. Magiſtri verò noſtri F. M. circa hoc ſic adhuc diſſerunt, has quindecim aſcenſiones de quibuſnam dixit Dauid ? ſic de illis dixerunt, eo tempore quo fodit fundamenta domus Sanctuarij, aſcendit abyſſus, ac timuerunt ne exundans totum mundum immergeret ; tum verò Achitophel Dei nomen expoſitum deſcripſit, illúdque in abyſſum immiſit, & abyſſus deſcendit per ſpatium ſex decim millium cubitorum ; dixitque, bonum fuit mundo ne tantopere abyſſus deſcenderet ; aquæ enim ſunt mundo neceſſariæ, & terra per abyſſum fit humida, &c. Rabbi autem Saadias F. M. exiſtimat voces iſtas, canticum aſcenſionum, denotare hæc cantica fuiſſe altiſſimâ voce decantata, itaut in quolibet eorum canendo, vocis tonum cantores intenderent. Poſſunt etiam aſcenſionum nomine intelligi aſcenſiones ab exilio, quibus aliquando Iſraëlitæ ab exilio ſuo in terram Iſraëliticam ſunt aſcenſuri. Et hæc omnia cantica in perſona exulantium Iſraëlitarum ſunt edita : & in illis crebra fit mentio calamitatum exilij : non rarò etiam in illis refertur expectatio liberationis & promiſſorum quæ abſque omni prorſus dubio euenient aliquando. Dicit igitur :

V. 1. *Ad Dominum in tribulatione mea.* Et in perſona exulum loquitur ſingulari numero collectiuè. Et dictio בצרתה *tſarata* habet literam ה *tau*

Psal. ad indicandam anguſtiæ grauitatem, ſicut alibi dictum eſt de voce ישועתה
120. *ieſchouaata*, quæ ſalutis magnitudinem innuit. *Et exaudiuit me.* Præteritum
eſt loco futuri, cui multa occurrunt ſimilia, maximè in vaticinijs.

V. 2. *Domine libera animam.* Nempe ex illis Gentibus inter quas exulamus, ſunt enim homines mendacijs & fraudibus addicti.

V. 3. *Quid dabit tibi.* Alloquitur eos qui verba mendacia loquebantur, & praua conſilia per calumniam aduersùs Iſraëlitas in exilio objiciebant; quid inquit, vtilitatis ex lingua doloſa vobis euenit? Et quid vobis dabit aut apponet lucri? Authores verò Deras dicunt Pſalmographum alloqui ita linguam ipſam, quid, inquit, dabit tibi Deus, aut quid vltra tibi addet ad cuſtodiendum te ne loquaris malum? Ecce omnia alia membra condidit erecta, te verò iacentem fecit: cætera membra extrinſecus, te autem intrinſecus. Nec tantum hoc, ſed præterea duplici te circumſepſit muro, vno quidem carneo, altero autem oſſeo; & cum omnibus iſtis non tibi cauiſti. Quid dabit tibi, aut quid addet tibi?

V. 4. *Sagitta potentis.* Sermones prauos comparat cum ſagittis acutis viri alicuius potentis, & valida manu contortis. Illos etiam aſſimilat prunis iuniperorum, quæ calidiſſimæ ſunt, nec facilè extinguuntur etiam per longum temporis ſpatium. Imò etiam quando apparent extinctæ, & tanquam cinis projectæ, intus ſunt ignis accenſus: ſic omnino verba hominis doloſam linguam habentis, palam enim coram alijs ſic ſe exhibet, quaſi nihil mali contra quemquam in animo gerat, vt nemo ſibi ab illo caueat; at cùm ab eo cui nocere parat, ſejunctus fuerit, tum verò mala aduersùs eum loquitur. Dixit *cum*, quia nimirum duo hæc, ſagittæ & carbones ſimul in lingua mala continentur.

V. 5. *Heu mihi, in longitudine.* Protractè peregrinatus ſum in exilio, ac ſi diceret, quòd exilium meum admodum fuerit protractum, & inter malos diu habitauerim. *Cum tabernaculis Cedar.* Loquitur potiſſimùm de Iſraëlitarum exilio inter Iſmaëlitas, non verò de illorum captiuitate inter Idumæos ſeu Romanos; nam vt plurimùm inter Iſmaëlitas exulant Iſraëlitæ. Et Cedarenos nominauit, quia ſunt certæ familiæ conjunctæ, quæ cum Iſmaëlitis verſantur, & ipſi caput regni conſtituunt. Sunt qui voce משך *meſchec*, Cedarenos ipſos putent appellari, ideo ſcilicet quod ſint tractores ar-
Gen. cuum, & exponunt, peregrinatus ſum cum Meſchec, vt ſit tantùm repetitio
10. per alia verba. Alij volunt nomine Meſchec, denotari nationem ex poſteris Iapheth oriundam, de qua ſit mentio in lege. Dicit verò Ioſeph filius Gorionis, illâ voce deſignari Tuſciæ incolas, qui ſunt Chriſtianæ religionis ſectatores. Tuſcos autem nominat propter Idumæorum ſeu Romanorum regnum quoniam Roma eſt in confinio Tuſciæ. Cedarenos verò propter Iſmaëlitarum regnum; ſicque duo regna recenſuit in quibus præſertim exules agunt Iſraëlitæ.

Pſal. V. 6. *Multùm habitauit.* Litera ת *tau* in voce רבת *rabbat* eſt pro ה
129. 2. *he*, non eſt enim nota conſtructionis: & ita occurrit in his locis, *Multùm*
Pſal. 65. *oppugnauerunt.* Et, *Multùm locupletaſti eam.* Et his ſimilia quæ ſcripſimus
10. in libro Miclol. Senſus eſt, multo iam tempore verſatus ſum in exilio cum Gente quæ pacem odit.

V. 7. *Ego pax.* In ore meo eſt pax, & cum de pace illos alloquor ipſi de his quæ bellum ſpectant, verba faciunt.

PSALMVS CENTESIMVS VIGESIMVS PRIMVS. PSAL. 121.

Canticum graduum.

1. LEuo oculos meos in montes: vnde veniet auxilium meum?
2. Auxilium meum à Domino qui fecit cœlum & terram.
3. Non dabit in commotionem pedem tuum: non dormitabit
qui cuſtodit te.
4. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit
Iſraël.
5. Dominus cuſtodit te: Dominus vmbra tua ſuper manum
dexteram tuam.
6. Per diem ſol non percutiet te, neque luna per noctem.
7. Dominus cuſtodiet te ab omni malo: cuſtodiet animam
tuam.
8. Dominus cuſtodiet exitum tuum & introitum tuum, ex
nunc & vſque in ſæculum.

COMMENTARIVS.

C*Anticum graduum.* Solus hic Pſalmus habet literam ל *lamed* præpoſitam voci מעלות *maaloth* loco ה *he* articuli Emphatici, eſt enim pro המעלות *hamaaloth*: & idem fit in iſtis locis, *Et reſpondit ille Dux ſu-* 1. Reg.
per cuius manum innitebatur; למלך *lammelec*, pro המלך *hammelec* Rex. *Et* 7. 2.
occidiſtis eos furore qui vſque ad לשמים *laſchſcamaim cælos peruenit.* Poſ- 2. Paral.
ſet quoque vox iſta למעלות *lammaalot* myſticè exponi, canticum ad cen- 28.
tum aſcenſiones, quod congrueret cum myſtica illa expoſitione de qua in præcedenti Pſalmo. Sic præterea voces iſtas allegoricè interpretantur, canticum illi qui facturus eſt aſcenſiones iuſtis futuro tempore.

V. 1. *Leuo oculos meos.* Nimirum inſtar illius qui e longinquo expectat auxilium, & in montes aſcendere ſolet, & huc & illuc oculos circumferre, ad videndum num aliqui ſibi ad auxilium veniant. Et particula אל *el* eſt pro על *aal* ſuper, in, ſicut iſtis in locis, אל *el*, *In montibus non comederit. Et per-* Ezech. 18. 15.
cuſſit Philiſtaum אל *el in fronte eius.* 1. Sam. 17. 50.

V. 2. *Auxilium meum.* Si ego attollam oculos ad montes exploraturus vnde mihi adſit auxilium, nihil omnino inde vtilitatis accipiam; à nul-

PSAL. 121. lo enim præterquam à Domino auxilium mihi eſt expectandum; quapropter oculos meos attollo ad ipſum, ille ſiquidem mihi opem eſt allaturus, méque ex Gentibus aliquando eſt collecturus. Ipſe enim fecit cœlum & terram, & omnia in eius poteſtate ſunt poſita, & quidquid voluerit, valet efficere; nam omnes Gentes, quaſi nihilum ſunt coram illo.

V. 3. *Non dabit.* Iſtud vnuſquiſque Iſraëlitarum dicit ſocio ſuo, per modum ſolatij in exilio, bonum eſt quòd certâ fiduciâ ſperaueris Deum benedictum tibi daturum auxilium; ſic enim faciet aliquando, & quamuis exilium hoc in longum tempus protrahi ſinat, non tamen dabit in commotionem pedem tuum. *Non dormitabit qui cuſtodit te.* Dum enim in exilio tamdiu verſamur, videtur Deus ſimilis dormienti & quaſi noſtras calamitates & miſerias non videre; vt alibi dicitur, *Exurge, quare obdormis Domine.* Verùm,

Pſal. 44. 23.

V. 4. *Ecce non dormitabit.* Dormitatio minor eſt ſomno, & tamen dicit, Non dormitabit; quantòminus dormiet? verè etenim ipſe omni tempore cuſtodit Iſraëlem. In ipſo etiam exilio nos conſeruat, ac impedit quominus nos omnino è medio tollant Gentes, illæ quippe odio internecino nos perſequuntur, at Deus ſemper laudandus non permittit eas nos iſtis afficere malis, quæ contra nos machinantur. *Neque dormiet.* Etiam quando ſomno damus operam, ipſe pro nobis vigil excubat.

V. 5. *Dominus cuſtodit te.* Dominus eſt vmbra tua; & ipſe ſtat iuxta manum dexteram tuam, vt tibi in omnibus tuis operibus opem ferat.

V. 6. *Per diem.* Hoc refertur ad verba iſta paulò ante dicta: *Dominus vmbra tua.* Hoc ſenſu, ipſe Deus eſt tibi veluti vmbra, ne ſolis calor te interdiu lædat, & lunæ frigus, noctu: ſolis enim calor humorem exſiccat; luna verò eumdem adauget, vnde naſcitur frigus: calor autem & frigus ſunt cauſæ morborum; & ab illis Deus benedicendus te præſeruabit.

V. 7. *Dominus cuſtodiet te ab omni malo.* Ne tibi aliquo modo homines aut feræ agreſtes noceant. *Cuſtodiet animam tuam.* Adeout ſi in morbos incidas, erunt ipſi ad emundationem tuorum criminum; verùm Deus animam ſeu vitam tuam conſeruabit, ne illam tibi morbi eripiant.

V. 8. *Dominus cuſtodiet.* In exilio te ſeruabit vt iam antea dixit Et cum ex illo in pace fueris egreſſus, & tutò in terram Iſraëliticam regreſſus, tum verò ex eo tempore te vſque in perpetuum cuſtodiet.

PSALMVS CENTESIM. VIGESIMVS SECVNDVS.

Psal. 122.

Canticum graduum Dauidis.

1. LÆtatus ſum his qui dicunt mihi *in* domum Domini ibimus.
2. Stantes fuerunt pedes noſtri in portis tuis Ieruſalem.
3. Ieruſalem quæ ædificata eſt vt ciuitas, quæ coniuncta eſt ſibi pariter.
4. Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: teſtimonium Iſraël, ad confitendum nomini Domini.
5. Quia illic ſederunt ſedes ad iudicium: ſedes domus Dauid.
6. Poſtulate pacem *ipſius* Ieruſalem, proſperè agant diligentes te.
7. Sit pax in antemurali tuo: proſperitas in palatiis tuis.
8. Propter fratres meos & proximos meos, loquar pacem de te.
9. Propter domum Domini Dei noſtri, quæram bonum tibi.

COMMENTARIVS.

Canticum graduum Dauidis. Fieri poteſt vt cætera cantica graduum, quibus nomen Dauidis non eſt præfixum, compoſita fuerint ab alijs Cantoribus, quorum nomina non exprimantur: verùm illa quæ nomen Dauidis præferunt, ab illo ſunt edita. Continet autem hic Pſalmus ſermonem exulum Iſraëlitarum, qui præ magno ſuo deſiderio, quo inſtaurationem templi exoptant, de aſcenſione veterum Iſraëlitarum ad feſtos dies loquuntur, & verbis eorum qui ſtante templo vixerunt, dicit igitur:

V. 1. *Lætatus ſum.* Ita nempe quilibet eorum dicit, Lætatus ſum, &c.

V. 2. *Stantes fuerunt.* Qui enim primi aſcenderant, in portis ſtabant, alióſque expectabant qui poſt ipſos erant venturi.

V. 3. *Ieruſalem.* Sic Iſraëlitæ exules dicunt, cùm ſtaret exſtructa vrbs Ieroſolymitana, & diuina majeſtas in ea reſideret, erat quàm celeberrima, nec vlla ſimilis ei ciuitas inueniebatur; in eam etenim ter in anno conueniebat ſimul Iſraëlitarum cœtus; Quis vnquam vidit ciuitatem illi vrbi ſimilem?

V. 4. *Illuc enim aſcenderunt.* Etenim in eam aſcendebant duodecim tribus Iſraëliticæ, quæ erant tribus Domini, præcepta eius obſeruantes, & illas omnes ciuitas Ieroſolymitana capiebat. Quod erat Iſraëlitis teſtimonium ſe à Deo benedicendo fuiſſe electos. *Ad confitendum nomini Domini.* Propter

PSAL. 122. miracula quæ ipſis oſtenderat, ex quorum numero illud erat, ſicut textu Talmudico refertur. Et nemo, inquiunt, vnquam dixit, anguſtior mihi eſt locus, quàm vt in vrbe Ieroſolymitana pernoctare queam. Aliud adhuc eo maius erat miraculum, nimirum quòd cùm omnes in atrio congregati ſtarent, coarctabantur, at cùm proni adorarent, latum habebant ſpatium: vel ſenſus horum verborum, Teſtimonium Iſraëli, eſt iſte, Quòd Tribus aſcenderent illuc, teſtimonium & præceptum ipſis Iſraëlitis fuerat impoſitum, vt illuc aſcenderent ad confitendum nomini Domini.

V. 5. *Quia illic.* Sedes in numero plurali, vna ſcilicet diuinæ gloriæ inhabitantis, altera Regum Dauidicæ familiæ, ſicuti mox expreſsè dicitur, ***Sedes domus David.*** Ibi ſcilicet fuerunt, & illic adhuc aliquando erunt.

V. 6. *Optate.* Dicunt modò Iſraëlitæ extorres, poſtulate à Deo benedicendo ciuitatis Ieroſolymitanæ pacem. Hæc autem pax eſt vt Iſraëlitæ à patria eiecti, in eam ſimul congregentur: nam antequam hoc contigerit, non erit pax vrbi Ieroſolymitanæ; etenim pro ea poſſidenda incircumciſi ac Iſmaëlitæ pridem decertant; & deinde ipſam vrbem Ieroſolymitanam alloquens ſubiungit ***Proſperè agant diligentes te.*** Sunt autem Iſraëlitæ qui in exilio poſiti, eius deuaſtationem continuò deflent.

V. 7. ***Sit pax in antemurali tuo.*** Foſſa quæ muros vrbis ambit, hac voce חיל ***hhail*** appellatur: Dicit ergo, ſit pax vt ad illam Iſraëlitæ reuerti poſſint, ac rurſus non erit bellum in antemurali tuo, nec in tuis arcibus; vox enim ארמנות ***armenot*** arces in media vrbe conſtructas ſignificat.

V. 8. ***Propter fratres meos.*** Vnuſquiſque exulum dicit, propter fratres meos Iſraëlitas qui ex te ſunt expulſi, propter eos, inquam, loquor nunc de te pacem, vt tandem reuerſi in te habitent.

V. 9. ***Propter domum.*** Præterea quoque bona pro te à Deo benedicendo expetam propter domum Dei noſtri quæ eſt deuaſtata.

PSALMVS CENTESIMVS VICESIMVS TERTIVS.

Canticum Graduum.

1. AD te leuaui oculos meos qui habitas in cælis.
2. Ecce ſicut oculi ſeruorum ad manum dominorum ſuorum; ſicut oculi ancillæ ad manum dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

3. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multùm ſaturati ſumus deſpectione.

4. Multùm ſaturata eſt anima noſtra ſubſannatione tranquillorum, deſpectione ſuperborum.

COMMENTARIVS.

V. 1. CAnticum graduum. *Ad te leuaui oculos meos.* Cùm ſermones exulum Pſalmographus exprimit, vtitur aliquando ſingulari numero, aliquando plurali. *Qui habitas.* Dictio היושבי *haioſchebi* habet י *iod* paragogicum. Senſus porrò eſt, nullum in terris auxilium inuenio, nec aliunde quidquam opis expectare poſſum quàm à te ſolo.

V. 2. *Ecce ſicut.* Nempe, quia à nullis aliis cibum & victum accipiunt quàm ab ipſis heris, idcirco in eos oculos ſuos ſubinde coniicere ſolent. Dominus verò Pater meus P. M. voces illas, *Ad manum dominorum ſuorum*, interpretatur, ad ipſos dominos ſuos. *Ad manum dominæ ſuæ.* Quando ab heris ſerui percutiuntur, non habent vllum alium ad quem oculos conuertant, niſi ad eoſdem dominos, vt eos ſi poſſint, ad ſui commiſerationem flectant, & efficiant vt à plagis infligendis ceſſent. Similis omnino eſt ſors noſtra, qui enim nos afflixit & captiuitati addixit, eſt Deus benedicendus, qui & Dominus noſter eſt, & nos illius ſerui: & neminem prorſus habemus ad quem oculos attollamus, niſi ad eundem ipſum qui exilij eſt author, vt noſtri tandem miſertus nos ab exilio reuocet.

V. 3. *Miſerere noſtri.* Eſt repetitio ad confirmationem orationis. *Quia multùm.* Hoc eſt, longiſſimo tempore. *Saturati ſumus deſpectione* in hoc exilio noſtro.

V. 4. *Multum ſaturata eſt.* Iam ſupra vocem רבת *rabbat* explicuimus. *Subſannatione tranquillorum.* Deſideratur hoc loco altera vox conſtructa, vt dicat, Saturata eſt anima noſtra הלעג לעג *hallaag· laag*, ſubſannatione, ſubſannatione, inquam, tranquillorum qui nos ſubſannant. Aut dicendum eſt litteram ה *he* præpoſitam voci השאננים *haſchſchaanannim* eſſe loco ל *lamed*, vt ſit ſenſus; Saturati ſumus ſubſannatione quam à tranquillis patimur: ſaturati ſumus etiam deſpectione ſuperborum. Porrò hîc per ſuperbos & pacatos, gentes denotantur quæ pacatæ & tranquillæ ſunt, nos autem miſeri & doloribus confecti inter illas, continuò ſubſannatione illarum impetimur. Dictio לגאיונים *ligeonim*, ſcribitur vt vox vnica, & idem ſignificat quod גאים *geim*, niſi quod in illa appareat tertia radicalis mutata in י *iod*, & littera נ *nun* eſt paragogica: & eiuſdem eſt formæ ac dictio עליונים *eelionim*, licet vocales ſint diuerſæ propter litteram gutturalem. At verò in lectione, vt duæ voces profertur לגאי יונים *lige ionim*, & ſic auget ſignificationem in lectione; nam גאי *gee*, ſicut גאים *geim* ſuperbos ſignificat, & יונים *ionim* Sopho.
oppreſſores deſignat, vt iſto in loco, Væ fœdatæ & inquinatæ ciuitati היונה 3.1.
haiona quæ opprimit: hæc enim dictio eiuſdem ſignificati eſt eo in loco ac in Leu. 25.
iſtis, *Et non opprimetis vnuſquiſque proximum ſuum. Et non oppriment vl-* 14.
tra principes mei, populum meum. Ezec. 45. 8.

PSAL. 124.

PSALMVS CENTESIMVS VIGESIMVS QVARTVS.

Canticum Graduum Dauid.

1. NIſi Dominus adfuiſſet nobis, dicat nunc Iſraël.
2. Niſi Dominus adfuiſſet nobis, cùm exurgerent in nos homines.
3. Tunc viuos deglutiſſent nos, dum iraſceretur furor eorum in nos.
4. Tunc aquæ inundaſſent nos: torrens pertranſiſſet ſuper animam noſtram.
5. Tunc pertranſiſſet ſuper animam noſtram aqua elata.
6. Benedictus Dominus qui non dedit nos prædam dentibus eorum.
7. Anima noſtra ſicut auicula erepta eſt de laqueo aucupum: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.
8. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.

COMMENTARIVS.

V. 1. & 2. CAnticum graduum Dauidis. *Niſi Dominus.* Hoc nunc dicant Iſraëlitæ in exilio. Et quid eſt hoc, Niſi Dominus? *Cùm exurgerent in nos homines.* Cùm hoſtes noſtri contra nos in exilio inſurgerent, vt nos prorſus è medio tollerent. *Niſi Dominus fuiſſet nobis*, hoc eſt nobiſcum.

V. 3. *Tunc.* In dictione אזי *azai*, littera י *iod* eſt paragogica, & idem ſignificat quod אז *az*, tunc *Viuos deglutiſſent nos.* Hoc dictum eſt eodem ſenſu,
1. Sam. 2. 15. ac illud, *Et non accipiet à te carnem coctam, ſed crudam.* Dixit autem figuratè, viuos deglutiſſent nos; non enim ſolent homines crudas carnes comedere, ſed coctas: at verò iſti præ magna cupiditate nos deglutiendi quâ ardebant, viuos nos erant deuoraturi, quùm furor eorum in nos iraſceretur, niſi
Prou. 22. Dominus fuiſſet nobiſcum: ita etiam dicitur, *Deglutiamus eos ſicut ſepulchrum viuentes.*

V. 4. *Tunc aqua.* Hâc comparatione anguſtias deſcribit. *Torrens pertranſiſſet ſuper animam noſtram.* Torrens ſcilicet inundans. Porrò dictio נחלה *nahhla* legitur cum accentu in penultima in litera נ *nun*, & ה *he* in fine eſt paragogicum, & littera ח *hheth* habet ſcheua ſimplex. Et eâdem formâ iſto

...a loco reperitur, *Et circuibit terminus ab Haſmon vſque ad torrentem* Psal.
Ægypti. 124.

V. 5. *Tunc pertranſiſſet.* Coniungit verbum, tranſiſſet, quod eſt ſingulare cum nomine duali, aquæ, vt iſto in loco, quoniam aqua ſeparationis non aſperſa eſt ſuper eum, immundus erit. Aut illud, pertranſiſſet, refertur ad nomen, Num. 34. 5. torrens, quod anteà præceſſit, hoc ſenſu, torrens aquarum elatarum, Num. 19. 13. quæ in malitia & ſuperbia inundant.

V. 6. *Benedictus Dominus.* Qui nos minimè illorum poteſtati permiſit vt nos diriperent, ſicuti iam decreuerant.

V. 7. *Anima noſtra.* Non enim vllo modo irretita auicula ſe liberare valet, niſi forte laqueus in quo eſt innexa dirumpatur: ſic nobis eueniet; illæ enim Gentes inter quas exulamus, tandem conſumentur ac peribunt; ſicque Deo nobis opitulante liberabimur.

V. 8. *Adiutorium noſtrum.* Ipſe ſiquidem cæli & terræ eſt conditor, & in ſuperiora ſimul ac inferiora poteſtatem habet; poteritque nobis opem adferre, atque ex laqueo, hoc eſt, ab exilio educere.

PSALMVS CENTESIMVS VIGESIMVS-QVINTVS.

Canticum Graduum.

1. QVi confidunt in Domino, ſicut mons Sion *qui* non commouebitur, *ſed* in æternum permanebit.

2. Ieruſalem, montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui, ex nunc & vſque in ſeculum.

3. Quia non requieſcet virga improbitatis ſuper ſortem iuſtorum: vt non mittant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.

4. Benefac Domine bonis & rectis in cordibus ſuis.

5. Declinantes autem in tortuoſitates ſuas adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax ſuper Iſraël.

COMMENTARIVS.

V. 1. CAnticum graduum. *Qui confidunt in Domino,* non commouebuntur, ſicut mons Sion, qui non eſt loco ſuo emouendus: nam perſtabit in æternum, poſtquam ad eum reuerſi fuerint exules Iſraëlitæ, non dimouebitur, nec in æternum deſtruetur, ſed permanebit in perpetuum. Verbum enim ישב *ieſcheu* ſignificat, perſtabit in æternum, & erit inconcuſſus: quo ſenſu dicitur: *Tu autem, ô ſancte ſedes,* hoc eſt, ſtabilis perſeueras: ſic & illud *Tu autem Domine in æternum permanebis.*

Psal. 125. V. 1. *Ierusalem.* Etiamſi montes in ſuo circuitu habeat, non tamen in hoc ſtat eius robur: nam Gentes eam expugnabunt & capient, ſed à Deo ſuo. Nec firmum habebit robur, donec ſit cum Domino in medio ſui, quia tunc erit in circuitu populi ſui, & maiori præſidio erit illi eius nomen quàm montes: nec deinceps vſque in æternum vllus illis inimicus dominabitur.

V. 3. *Quia non requieſcet.* Vt in Prophetia Iſaïæ ſcriptum eſt, *Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion & reſiduus in Ieruſalem, ſanctus vocabitur.* Nam improbi omnes tum ij qui ſunt inter Iſraëlitas cùm illi qui ſunt inter alias Gentes, prorsùs interibunt, & ſuper Ieruſalem, quæ eſt ſors iuſtorum, non requieſcet virga improbitatis, hoc eſt, robur & potentia improborum, ſicut hodie eſt improbus in virgam & in baculum. *Vt non mittant iuſti.* Ac ſi diceret, ne fortè iuſti praua eorum opera addiſcerent, ſi qui in terra improbi remanerent. Et ea de cauſa Deus olim Iſraëlitis ex Ægypto egreſſis, & in promiſſam terram ingreſſuris præcepit vt penitùs Gentes illas expellerent, easque omninò delerent: ne fortè, inquit, doceant vos facere ſecundùm cunctas abominationes ſuas, &c. At non ita fecerunt, vnde & ipſi impegerunt; futuris autem temporibus nullum erit offendiculum ad ſcelus inducens; omnes ſiquidem improbi ſunt conſumendi.

V. 4. *Benefac Domine bonis.* Illis qui boni ſunt in operibus ſuis, & iis qui recti ſunt in cordibus ſuis.

V. *Declinantes autem.* Hoc eſt, eos inter Iſraëlitas qui ad ſuas peruerſitates declinant, ac ſi diceret, qui vias ſuas ad tortuoſitates ſuas deflectunt. *Adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Nimirùm inter ipſos gentiles. Explicari etiam ſic poteſt, qui ſuas tortuoſitates in ſua corda declinant; quorum intima non conſentiunt cum externis: adducet illos Dominus cum Gentibus ſcelera palam operantibus, quod oppoſitum eſt ei quod ante dixerat, Bonis, & iis qui recti ſunt in cordibus ſuis. *Pax ſuper Iſrael:* Poſtquam improbi fuerint ablati ex Iſraëlitis, tum pacificè agent qui ex illis erunt reſi-
Soph. 3. 5. dui, ſicuti in Sophoniæ vaticinio dictum eſt. *Et remanere faciam in medio tui populum humilem & pauperem, & ſperabunt in nomine Domini.* Et mox additur, *Reſiduum Iſrael non faciet iniquitatem*, &c. Quia ipſi paſcentur & accubabunt, & non erit qui exterreat. Ecce pax ſuper Iſraëlitas futura.

PSALMVS CENTESIMVS VIGESIMVS-SEXTVS.

Canticum Graduum.

1. CVm conuerteret Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut ſomniantes.

2. Tunc replebatur riſu os noſtrum, & lingua noſtra exultatione: tunc dicebant inter Gentes, magnificauit Dominus facere cum eis.

3. Magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus læ- Psal.
tantes. 126.

4. Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrentes in Auſtro.

5. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

6. Eundo ibit & flendo, portans pretium ſeminis; veniendo veniet cum exultatione portans manipulos ſuos.

COMMENTARIVS.

V. 1. CAnticum graduum. *Cum conuerteret.* Verbum שוב *ſchou* hoc loco, Num.
quietem deſignat, vt in illo, *Requieſce Domine in myriadibus mil-* 10.36.
lium Iſrael. Item, *Et quieſcere faciet Dominus captiuitatem tuam*, &c. Aut Deut.
reuerſionem ſignificat, eſtque verbum tranſitiuum. Dictio etiam שיבת *ſchi-* 28.30.
uat reditum notat, tum enim filij Sion ad Dominum ſunt reuerſuri. *Facti ſumus ſicut ſomniantes.* Quaſi ſomnium auolans erit in oculis noſtris anguſtia captiuitatis, præ multa lætitia quæ nobis erit, quum reuerſi erimus in terram noſtram. Sic iſta verba expoſuit Dominus Pater meus P. M. Sapiens verò Abraham F. E. hoc modo, tum ſunt dicturi Iſraëlitæ, cùm Deus benedicendus captiuitatem ipſorum reduxerit, nemo hominum videre poteſt oculis ſuis miraculum iſti ſimile, tantùm in ſomnio.

V. 2. *Tunc, magnificauit.* Obſtupeſcent Gentes & dicent: magnum ſanè miraculum! *Cum eis*, hoc eſt, cum Iſraelitis: Qui etiam ipſi dicent, Magnificauit Dominus facere nobiſcum, & ea propter facti ſumus lætantes: Ac ſi diceret, magna iſta lætitia quâ nos affectos cernitis, & illud gaudium quo repletur os noſtrum, inde procedunt quòd Dominus magnificauerit nobiſcum, vt magnum hoc miraculum & ingens beneficium nobis exhiberet.

V. 4. *Conuerte Domine.* Sic orantes dicebant Iſraëlitæ cùm adhuc in exilio verſarentur, reduc Domine; & vox שובה *ſchouua* ſignificat, vt iam explicuimus, fac quieſcere, aut reduc. *Captiuitatem noſtram*, nos exulantes; Et ſcribitur cum ו *vau*. ſed legenda eſt cum י *iod*: verùm idem eſt ſignificatum. *Sicut torrentes in terra ſicca.* Dictio נגב *negeu* terram arentem ſignificat, Iud. 1.
iuxta illud, *Quia terram arentem dediſti mihi.* Eiuſmodi autem terra aquas 15.
appetit, & ſi quando torrentes aquarum per illam decurrant, fiet in ea magna immutatio, & multa bona proferet: ſic erit reductio noſtra ab exilio, & Iſraelitarum liberatio: aſſimilat exilium terræ calore ſqualenti, & liberationem torrentibus aquarum.

V. 5. *Qui ſeminant.* Quoniam terræ arenti exilium comparauerat, in quam qui ſementem ſpargit, lacrymas etiam ſolet effundere; fiet enim & Deum benedicendum inter ſeminandum deprecatur, vt terram illam pluuiis ita irriget, vt quod ſeminat cum benedictione poſſit metere. Vix enim fieri poſſe videtur, vt qui terram eiuſmodi ſeminat, quidquam ex illa demetat, niſi diuinæ miſerationes adfuerint. Ita nunc Iſraelitæ in exilio poſiti inter tot

PSAL. 126. calamitates ſeminant, ipſa verò ſeminatio eſt opus obſeruationis præceptorum Dei, quæ obſeruant cum lachrymarum effuſione, propter exilij anguſtias. Et ſperant fore vt à Deo benedicendo eruantur ab exilio, & tum cum exultatione metent, quod cum lacrymis ſeminarunt: meſſis verò eſt ipſa bonorum retributio.

V. 6, *Eundo ibit portans pretium ſeminis.* Vox enim משך *meſchec* pretium
Iob. 28. 16. ſignificat, vt illo etiam in loco, *Pretium ſapientiæ ſupra margaritas*; Res autem pretioſa eo appellatur nomine, quòd ad loca longinqua nomen eius trahatur; & ſemen eſt pretioſum in terra ſicca & arenti: & pauper illud deportans, & ad ſuum agrum vadens vt illud ſeminet, eundo flere ſolet, metuens ne ſemen ipſum pereat, nec germinare poſſit propter ariditatem iſtiuſmodi ſoli. Deus autem benedicendus videt illius lacrymas, eiuſque miſertus, imbrem ſuper terram immittit: vnde meſſis tempore in domum ſuam cum exultatione venit, cùm priùs ècontra ſeminationis tempore flens iret ac rediret, cum lætitia magna meſſis ſuæ manipulos infert in domum ſuam. Ita Iſraëlitæ è patria exulantes, iugum exilii portant & onera tributorum quæ coguntur ſoluere, vt legem & præcepta quæ per ſemen figuratè deſignantur, liberè poſſint implere. At redemptionis tempore, quod eſt meſſis tempus, venient in terram Iſraël cum exultatione, & ferent manipulos bonorum quibus eos donauit Deus benedicendus, & cum argento & auro ab exilio egredientur.

PSALMVS CENTESIMVS VIGESIMVS-SEPTIMVS.

Canticum graduum Salomoni.

1. NIſi Dominus ædificet domum, in vanum laborant ædificatores eius in ea: niſi Dominus cuſtodiat ciuitatem, fruſtrà vigilat cuſtos.

2. Vanum *eſt* vobis diluculò præuenientibus ſurgere, tardantibus ſedere, manducantibus panem dolorum: ſic dabit dilecto ſuo ſomnum.

3. Ecce hereditas Domini, filij: merces, fructus ventris.

4. Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij iuuentutis.

5. Beatus vir qui impleuit pharetram ſuam ex ipſis: non confundentur cùm loquentur inimicis ſuis in porta.

COMMENTARIVS.

CAnticum graduum Salomoni. Hic Pſalmus editus fuit ſuper Salomone: vnde littera ל *lamed* præfixa voci שלמה *ſchelomo* ſignificat propter, de; vt

iſto in loco, *Dic*, quæſo, *de me, eſt frater meus*. Eſtque conſcriptus de domus PSAL.
Dei conſtructione, quam ipſe Dauid ædificare decreuerat, & argentum, au- 127.
rum & æs ad opus ipſum perficiendum collegit, verùm ſedulâ ſuâ curâ &
labore non eſt aſſequutus vt ipſe illam ædificaret, ſed filius eius: Et hoc ip- Gen.
ſum cæteris mundi hominibus contingit, vt minimè poſſint ea exequi quæ 20. 11.
deſignauerant. Præterea in hoc Pſalmo quædam de Meſſia innuuntur: nam & ipſe in Cantico Canticor. Salomon appellatur; & nos illum iuxta triplicem iſtum ſenſum exponemus, & primò quidem de Salomone. Dicit igitur,

V. 1. *Niſi Dominus ædificauerit domum*, &c. Loquitur de negotio domus Sanctuarij, nam pro illius ædificatione non mediocriter Dauid fuit ſolicitus; at quandoquidem Deo exaltando minimè placuit vt illam ipſe conſtrueret, eam non ædificauit. Iſta autem verba, *Ædificatores eius*. Eos denotant qui eius ædificationi curam & operam impendunt. Quoniam ita loquutus fuerat de vrbe Ieroſolymitana, eóquòd eſſet regni metropolis, & in ea templum erat ædificandum, dicit, quis eſt qui Deo benedicendo annuente, templum eſt ædificaturus? eſt Salomon filius meus. Hæc ædificatio irrita non erit, ſed verè ac certò domus ædificata ſubſiſtet. Per ciuitatem, Ieroſolymitana intelligitur quam niſi Dominus ipſe cuſtodiat, fruſtra vigilant cuſtodes illius. Verùm illam cuſtodiet Dominus, qui filium meum in ea Regem eſſe præcepit. Et cùm hoc fiat ex beneplacito illius, ipſe vrbem ſimul & ſacram ædem proteget. Porro verbum illum, *vigilat*, curam & ſolicitudinem notat quæ circa rem aliquam adhibentur.

V. 2. *Vanum eſt vobis*. Hæc de Abſalomo ſunt dicta, ille enim eſt qui
prior in patrem ſuum maturè rebellauit, & regnum occupare tentauit, vnde
dictum eſt de illo; *Et manè conſurgens Abſalom ſtabat iuxta introitum portæ*, 2. Sam.
&c. Et poſtea ſubjungitur, *Et furabatur Abſalom cor virorum Iſrael*. Di- 15. 2.
cit verò tum de ipſo, cùm de illis qui opem ei ferebant, vanum eſt vobis diluculum præuenientibus ſurgere. *Tardantibus ſedere*. De Adonia loquitur qui rebellionem excitare diſtulit, & in regio throno ſedere diſtulit donec conſenuiſſet Dauid, & ſenio confectus in lecto decumberet. Et ambo iſti dolorum panem comederunt, multùm enim laborauerunt in captando regno;
ſed illud obtinere non potuerunt. *Dolorum*. Paris eſt ſignificati vox illa Gen. 3.
hoc loco ac in iſto, *In dolore comedes eam*. Dixit autem, Comedentes pa- 17.
nem, quia ſicut homo laborare debet, vt ſibi victum comparet, ita iſti propter regnum laborarunt, ſed nihil illis profuit is labor. Additur mox, *Sic dabit dilecto ſuo ſomnum*. Ipſe Salomon eſt dilectus Dei benedicendi, vt
ſcriptum eſt, *Et vocauit nomen eius Iedidiah, amabilis Domino propter Do-* 2. Sam.
minum. Senſus autem particulæ iſtius, ſic, is eſt, Quemadmodum iſti labo- 12. 25.
re ſuo regnum vſurpare meditabantur; ſic Deus benedicendus, illud Salomoni dedit abſque vllo labore. Et hoc denotat vox, ſomni, in ipſa quiete, ſine labore, ſicut cùm aliquis dat operam ſomno. Aut ſenſus eſt, dum adhuc dormiret Salomon, nec quidquam de regiæ dignitatis negotio cogitaret, verbum Dei regnum illi deſtinabat. Vox שנא *ſchena* ſcripta quidem eſt cum א *aleph*, ſed perinde eſt ac ſi cum ה *he* eſſet ſcripta.

V. 3. *Ecce*. Verba ſunt Dauidis, Ecce, inquit, ego agnoſco Domini here-

ditatem eſſe filios, hoc eſt, bonum quod largiri ſolet ſuis dilectis in hoc mun-
PSAL. 127. do eſſe liberos, & illi ſunt eius hereditas; bona enim hereditas mihi in filio meo Salomone contigit. *Merces fructus ventris.* Sententiam alijs verbis repetit; ſenſúſque eſt, merces quam dare ſolet Deus benedictus homini in hac vita, in præmium bonorum operum, ſunt liberi, & ipſi ſunt eius hereditas, & ille eſt fructus ventris.

V. 4. *Sicut ſagittæ.* Quoniam Salomonem filium in ſenectute ſua habuerat, & Deus benedictus ipſum elegerat vt in regni moderamine patri ſuccederet: verùm in vita ſua nihil auxilij ab ipſo capere poterat, idcirco dixit, Ita filij iuuentutis, hoc eſt, filij qui naſcuntur alicui cum adhuc eſt in tempore ſuæ iuuentutis, illi liberi magno ſunt adjumento homini iſti non ſecus ac ſagittæ in manu potentis. Dauid autem filios habuit in iuuentute ſua bonos, ſapientes & potentes, ſicut dictum eſt, *Et filij Dauid Principes erant.* Et alibi, *Et filij* Dauid priores *Regi erant ad manum.* Nam priores iſti, opem ei ferebant; omnéſque illi probi fuerunt præter Abſalomum & Adoniam, qui ob ſuam pulchritudinem elati ſunt inſolentiùs, & in malos mores degenerarunt. At verò boni, erant ei gloriæ & decori. Dicunt enim omni homini eſſe gloriandum propter liberos bonos, & eos eſſe illi reputandos veluti portionem óptimam ſibi à Deo benedicendo conceſſam.

V. 5. *Beatus vir.* Quia liberos comparauerat ſagittis, domum iam cum pharetra comparat. *Non erubeſcent.* Pater ac filij cùm loquentur in porta coram ſenioribus; ipſi enim multi ſunt & probi, & facilè poterunt loqui in porta cum inimicis ſuis, nec pudore ſuffundentur, nec ab hoſtibus exterrebuntur.

De Rege autem Meſſia, ſic poteſt explicari. *Niſi Dominus ædificet domum.* Loquitur de domo Sanctuarij ſeu templo, & per ciuitatem, Ieroſolymitana eſt intelligenda. Ecce autem ex eo tempore quo deuaſtatum fuit templum, & Iſraëlitæ è patria ſua demigrarunt & Ieroſolyma fuerunt diruta: contigit aliquando vt iterum ædificaretur ciuitas Ieroſolymitana, & quandoque dirueretur: nam fuit in ditione Idumæorum, id eſt Romanorũ ſeu Chriſtianorum, & in ditione Iſmaëlitarum, qui ſingulis annis bello contendentes, modò hi illam inſtaurabant, modò illi diruebant. Nimirum quia Deo benedicendo minimè grata erat illorum ædificatio, aut cuſtodia: vnde & fruſtra laborauerunt qui illam ædificabant, & incaſſum vigilarunt cuſtodes eius. Quod dicit, *Vanum eſt vobis mane ſurgere*, de Idumæis eſt intelligendum, qui primò Ieroſolyma ſibi ſubjecerunt. Illud verò, *Qui tardatis ſedere*, de Iſmaëlitis, qui poſtea venientes contra Chriſtianos decertarunt, & ipſam ex illorum poteſtate eripuerunt, & illi rurſus, eam ex eorum manibus abſtulerunt, fuitque omni tempore bellum inter vtroſque; inſumetúrque labor eorum & conatus omnis circa illam, donec redemptor veniat; & eam ob cauſam eos panem dolorum manducantes appellat. Quod autem ſequitur, *Sic dabit dilecto ſuo ſomnum.* Per eius dilectum, Regem Meſſiam deſignat, & Deus benedicendus abſque vllo labore dabit illi Ieroſolyma: & illi alij qui propter illam tantopere laborauerunt, non remanebunt in ea, nec illam inhabitabunt. Cæteri verſus continent verba Dauidis, ſicut ipſos expoſui-

mus. Poteſt etiam de quolibet homine exponi hic Pſalmus, eadem ratione. PSAL. 127.
Nunc verò illum de filijs huius mundi hoc modo interpretamur; de ædificatione domus primò loquitur, quâ indicatur ſtabilitas regni alicuius Regis, quod ipſi & filijs eius poſt eum ſtabile permaneat: vnde illa verba Prophetæ ad Dauidem, *Annuntio tibi quòd ædificaturus ſit tibi Dominus domum*, 1. Paral. 17. 10. de regno ſunt intelligenda. Dicit vero nullum Regem poſſe ſibi ſuiſque poſteris regni poſſeſſionem ſtabilem efficere, niſi ex diuino beneplacito. Poſtea loquitur de cuſtodia ciuitatis propter metum hoſtium, non enim qui in muris excubant, impedient quin illam hoſtes expugnent, niſi ipſe Dominus eam cuſtodiat. Deinde ſermonem facit Pſalmographus de ijs qui varijs huius mundi occupationibus diſtinentur, ac diuitias ſibi comparare conantur: & ipſi quidem maturè conſurgunt ad opus aut negotiationem. Qui etiam diu immorantur in ſuis operibus peragendis vſque ad ſolis occaſum; aut in ſuis tabernis ad ſuas merces diuendendas ſerò admodum perſiſtunt. Hæc verò anxia & ſolers occupatio prorſus illis eſt irrita, niſi Deus benedicendus ipſis opituletur; qui ei qui ipſi erit acceptus, & quem diliget, opes multas donabit abſque vlla moleſtiâ & labore. Tandem loquitur de liberis, qui ſunt etiam donum optimum à Deo benedicendo conceſſum, ſiquidem boni fuerint & probi.

PSALMVS CENTESIMVS VIGESIMVS OCTAVVS.

Canticum graduum.

1. BEatus omnis qui timet Dominum, qui ambulat in vijs eius.
2. Laborem manuum tuarum quia manducabis: beatus eris & bene tibi erit.

3. Vxor tua ſicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ: filij tui ſicut plantulæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.
4. Ecce quia ſic benedicetur homo qui timet Dominum.
5. Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bonum Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.
6. Et videas filios filijs tuis, pacem ſuper Iſraël.

COMMENTARIVS.

V. 1. CAnticum graduum. *Beatus omnis qui timet Dominum.* Laudat in hoc Pſalmo rectas hominis timentis Deum vias, vt illas imitatus omnis qui in hoc exilio verſatur, dignus ſit qui videat bonum Ieruſalem, ſi in vijs Dei incedere aſſueſcat, & Deum timeat; & ille eſt qui ſibi præcauet à præceptis negatiuis. *Qui ambulat in vijs.* Is eſt qui cauet ne affirmatiua

Psal. 128. pr cepta tranſgrediatur; deinde rationem enarrat quâ ſibi victum comparat.
V. 2. *Laborem manuum tuarum.* Nam hæc eſt felicitas quædam vt ho-
neſtâ operâ victum ſibi paret, nec ab alijs ſibi commoda expectet, quamdiu
artem aliquam ipſe valet exercere; & ſiquidem eâ ratione tibi victum com-
pares. *Beatus eris & bene tibi erit.* Beatum te prædicabunt filij ſeculi hu-
ius, & bona merces tibi à Deo benedicendo retribuetur: & hoc eſt quod
ita enunciant Magiſtri noſtri F. M. Beatus eris in hoc ſeculo, & bene tibi
erit in futuro.

V. 3. *Vxor tua.* Addit, illud etiam pertinere ad bonos & honeſtos mores
in hoc mundo tenendos, vt præcipias vxori tuæ vt ſit inſtar fructiferæ vitis in-
tra domus tuæ latera. Illam porro idcirco viti comparat, quòd nulla ſit ar-
bor alia quæ intra domum plantari ſoleat, quàm vitis: ſunt enim homines
qui illam in aliquo ſuæ domus loco plantent; cúmque aliquantùm excreue-
rit, illam per foramen domus ad ſolis radios foras emittunt: ſícque radix
quidem eius eſt intra domum, at rami eius extra illam ſunt expanſi. Sic
vxor modeſta intra ſuæ domus penetralia remanere debet, nec vnquam fo-
ras egredi; is enim eſt mos adulteræ mulieris, ſicut de illa Rex Salomon te-
ſtatur, nunc foris eſt, modò in plateis. Dicit verò in lateribus domus; nam
modeſta vxor in ipſis etiam domus ſuæ penetralibus deliteſcere debet, non
verò in eius oſtio reſidere, vt euntium & redeuntium oculis pateat: ita
Prou. 9. 19 enim agere ſolent malæ mulieres, ſicut de illis eſt dictum, *Et ſedet ad ho-
ſtium domus ſuæ.* Sed continuò intra ſuæ domus angulos ita ſe contineat, vt
nullis ſe videndam præbeat, niſi marito ſuo & domeſticis. Eius autem filij
ad varia negotia & domus neceſſitates, foras prodeant, ſicuti rami vitis
cùm multi & fructiferi ſunt effecti, extra domum promittuntur, ob excel-
lentis fructus prouentum quem ſolis beneficio producunt. Et ſi tua vxor ho-
neſtam illam viuendi rationem tenuerit, erunt filij tui ſicut plantulæ oliua-
rum; quos idcirco oleæ comparat, quòd olea nullius arboris alterius inſitio-
nem admittat, ſed plantulæ eius bonæ ſunt, & ex ſuo trunco, vt ex patre or-
tæ, ac illi ſunt ſimiles: ſic liberi ex eiuſmodi muliere nati, nulli erunt ſuſpecti
quòd ſint ſpurij; quia nempe illorum mater fuit pudica, nec vlli quàm marito
ſuo, cognita. Illos etiam filios cum oleis idcirco comparat, quòd oleæ ar-
boris folia per totum annum viridia ſint & viuida, ita illi in ſuo decore &
pulchritudine in bonis operibus permanebunt. Addit, *In circuitu menſæ
tuæ.* Hoc eſt, coram te aſtabunt dum cibos capies, vt tibi miniſterium im-
pendant: aderunt ſemper circa menſam tuam, quia non erunt expulſi ex do-
mo tua, vt comeſſatores & ebrioſi: nec comedent aut bibent alibi quam in
menſa tua.

V. 4. Ecce igitur propter illas rectè agendi & viuendi rationes benedicetur
homo qui timet Dominum.

V. 5. *Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas.* Vt merearis videre bo-
num Ieruſalem, cùm ad illam ex iſto exilio reuerſi erunt Iſraëlitæ. *Omnibus
diebus vitæ tuæ.* Et videas bona cunctis diebus vitæ tuæ, ſiue in exilio, ſiue re-
uerſus Ieroſolyma.

V. 6. *Et videas filios.* Et tempus vitæ tuæ protrahas, donec videas filios
liberis

liberis tuis natos & donec videas pacem ſuper Iſraël. Quod tum continget cùm vnà congregati fuerint exules, ſiquidem tuis temporibus redemptor adueniat. Si autem hoc te viuo non contingat, te conditor orbis vitæ reſtituet tunc cum mortuis iuſtis qui viuificabuntur, & videbis pacem ſuper Iſraël.

PSALMVS CENTESIMVS VIGESIMVS NONVS. Psal. 129.

Canticum graduum.

1. MVltùm oppugnauerunt me à pueritia mea, dicat nunc Iſraël.

2. Multùm oppugnauerunt me à pueritia mea, etiam non potuerunt mihi.

3. Supra dorſum meum arauerunt aratores: prolongauerunt ſulcum ſuum.

4. Dominus iuſtus concîdit funes improborum.

5. Pudore afficiantur & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion.

6. Sint ſicut herba tectorum, quæ priuſquam extrahatur, exaruit.

7. Quâ non implet manum ſuam qui metit, & ſinum ſuum qui manipulos colligit.

8. Et non dixerunt prætereuntes, benedictio Domini ſuper vos, benedicimus vobis in nomine Domini.

COMMENTARIVS.

V. 1. CAnticum graduum. *Multùm oppugnauerunt me.* Exilij Iſraëlitici tempus comparat cum tempore humanæ vitæ; & ipſius quidem exilij initium, cum pueritiæ tempore, & prorogatam eiuſdem exilij durationem, cum tempore ſenectutis, ac dicit, Iam ab initio exilij noſtri graui calamitate nos afflixerunt inimici: Et hoc ideo refert vt Iſraëlitas ad laudandum Deum excitet, quòd non permiſerit vt omnino in exilio deficerent, cùm iam ab illius exordio quamplurimis nos anguſtijs affecerint. Imò & hoc ipſo tempore idem faciunt; quod licet ita ſit nondum tamen ita mihi præualere potuerunt vt me prorſus extinguerent, ſicuti ſe facturos exiſtimarunt. Quod verò eamdem ſententiam repetat, fit hoc vt ad majores Deo benedicendo gratiarum actiones reddendas excitet, ex more linguæ ſanctæ.

V. 3. *Supra dorſum meum.* Metaphora eſt quâ magnitudo & grauitas

PSAL. 129. onerum, ſeruitiæ, contemptus & vilitatis exprimitur; vt etiam alio in loco dicitur, *Poſuiſti quaſi terram corpus tuum, & ſicut plateam tranſeuntibus.*
Prolongauerunt ſulcum ſuum. Eſt autem ſulcus linea illa ſeu ſtriga quam ara-
Iſai. 51. 23. tor arando in agro delineat, vt quod libuerit in eo ſeminet: cúmque ſulcum vnum confecit, ſimilem iterum inchoat & perficit, idque eodem modo facere pergit, donec totum agrum arauerit: & quò longior eſt ſulcus, eò major eſt boüm labor, non enim ceſſant donec ad ſtrigæ finem peruenerint. Dum ergo addit, prolongauerunt ſulcum ſuum, indicare vult hoſtes noſtros non permittere nobis vt tantillùm quieſcamus à ſeruitute & oneribus quæ nobis imponunt.

V. 4. *Dominus iuſtus concidit.* Eſt præteritum loco futuri, éſtque ſenſus, Deus qui iuſtus eſt & rectus in vijs ſuis, concidet & conteret funes improborum: vox עבות *aauot* funes ſignificat quibus iugum aſtringitur; ac ſi diceret, iugum illorum à nobis amouebit.

V. 5. *Pudore afficiantur.* Cùm Deus benedicendus funes quibus alligati tenemur, à nobis diſrumpet, tunc pudefient & retrorſum conuertentur à malo conſilio ſuo quod contra nos inierant. *Qui oderunt Sion.* Gentes quidem oderunt Sion, veruntamen illam amant; ſiquidem propter illam Gens contra Gentem decertat: ſed horum verborum ſenſus eſt, oderunt Iſraëlitas.

V. 6. *Sicut herba tectorum.* Gramen in tectis germinans cui nulla eſt conſiſtentia & vigor, adeout antequam egrediatur & appareat, ardore ſolis exareſcit. *Quod priuſquam*, &c. Hoc hyperbolicè eſt dictum, ſicut & illud,
Pſal. 90. 6. manè floreat, & tranſeat, veſperè ſuccidatur & areſcat. Verbum שלף *ſchalaph*
Ruth. 4. 8. ſignificat extractionem rei alicuius & exitum eius è loco ſuo; vt *Exuebat quis calceum ſuum*; hoc tamen eſt actiuum, illud verò neutrum.

V. 7. *De quo non impleuit.* Hoc eſt, non deficcatum eſt vt congruo tempore demeti poſſet. *Et ſinum ſuum qui facit manipulos.* Hoc eſt, lacer-
Iſa. 49. 22. tum ſuum, iuxta illud, *Et adducent filios tuos in vlnis.* Item, *Et lacertum meum excuſſi:* Vox מעמר *meaammer* eum denotat qui manipulos colligit. Eſt
Nehem. 5. 13. autem conſuetudo viatorum vt obuijs meſſoribus dicant, benedictio Domini ſit ſuper vos; ſicut olim Boos ſuis meſſoribus dixit, *Sit Dominus vobiſcum.*
Ruth. 2. 4. Quod verò addit, *Benedicimus vobis in nomine Domini*, eſt eiuſdem ſententiæ repetitio. Hæc autem dici non ſolent de fœno quod in tectis enaſcitur; nec enim cum exultatione ſeminatur nec vſque ad meſſem peruenit. Ita erit de Gentibus; omnis enim lex earum & religio vana eſt & inutilis, & fœno tectorum ſimilis. Ipſæ etiam inſtar fœni illius deficient; at verò legem Iſraëlitarum comparat Pſalmographus cum ſemine benedictionis; ſicut ſupra iam expoſuimus ad illum verſum, *Qui ſeminant in lachrymis.*

PSALMVS CENTESIMVS TRIGESIMVS. Psal. 130.

Canticum graduum.

1. DE profundis clamaui ad te Domine.
2. Domine exaudi vocem meam : fiant aures tuæ attentæ
in vocem deprecationum mearum.
3. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſtabit?
4. Quia apud te venia eſt, vt timearis.
5. Expectaui Dominum, expectauit anima mea : & in verbo
eius ſperaui.
6. Anima mea ad Dominum præ cuſtodibus ad manè, quàm
cuſtodes, inquam, ad manè.
7. Spera Iſraël in Domino: quia apud Dominum miſericordia,
& multa apud eum redemptio.
8. Et ipſe redimet Iſraël ex omibus iniquitatibus eius.

COMMENTARIVS.

V. 1. CAnticum graduum. *De profundis clamaui ad te Domine.* Aſſimilat hoc exilium, altis aquarum profunditatibus.

V. 2. *Domine ſint aures tua attenta.* Dictio קשבות *caſchuuot* eiuſdem eſt formæ ac שכלות *ſchaculot* orbatæ, à ſingulari שכולה *ſchacoula.* Ierem.

V. 3. *Si iniquitates, quis ſtabit?* Breui tempore deficiemus ac peribimus, 18.
ſi ſeruaueris nobis iniquitates noſtras omnino puniendas.

V. 4. *Quia apud te.* Dominus pater meus P. M. ſic illa verba interpretatur, Deus benedicendus dominium commiſit ſuperioribus mentibus, vt ſecundùm ipſius voluntatem terrena curarent; verùm condonatio peccatorum non eſt in poteſtate earum, ſed tantummodo apud ipſum. Quare autem? Nimirum ne apud ſeipſos dicerent homines, ſi nos peccemus, exorari ſe ſinent Angeli; & præuaricationes noſtras nobis condonabunt, ſed hoc dicitur ad indicandum non eſſe illorum dare ſcelerum veniam, vt homines Deum exaltandum metuant, quòd in eius poteſtate ſit remiſſio, & non apud alium ab ipſo. Sapiens autem Rabbi Abraham filius Eſræ ſic exponit, ſi enim non parcas, te peccatores minimè reuerebuntur, ſed ſuis deſiderijs, in omnibus animæ ſuæ cupiditatibus indulgebunt.

V. 5. *Expectaui Dominum.* Ego in hoc ſeculo certò ab illo ſperaui fore vt mihi liberationem oſtenderet. Anima etiam mea illum pariter expectat in morte mea, vt gloriam meam apud ſe colligat. *Et in verbo eius ſperaui.* Pro-

PSAL. 130. miſit enim mihi fore vt me ab exilio in patriam reuocaret.

V. 6. *Anima mea.* Cum ſtrepitu anhelat ad Dominum per noctem, vt ſit ex illorum hominum numero qui obſeruant mane, hoc eſt qui ſurgunt in matutinis vigilijs vt orationi vacent. Iterum idem dicit, qui obſeruant mane, hoc eſt, quorum ſimiliter mos eſt, vt cuſtodes & vigiles ſint ſingulis horis matutinis vt Deum orent. Eſt enim hic Pſalmus ſermo cuiuſlibet viri pij in exilio poſiti. Sapiens verò Abraham filius Eſræ ſic interpretatur, Anima mea majori deſiderio Dominum expectat, quàm qui in muris vrbium excubant, expectent tempus matutinum; hi enim cùm per totas noctes in excubijs vigilent, auidè tempus matutinum exoptant adeſſe, quo ſomno vacare poſſint.

V. 7. *Spera.* Dictio יחל *iahhel* eſt imperatiuus conjugationis affectæ puncto dagues, dicit autem Pſalmographus, ô Iſraël expecta Dominum, qui te ab hoc exilio eſt redempturus, quia ſemper apud ipſum eſt miſericordia, erga res creatas exerenda, tecúmque piè & miſericorditer aget. *Et multa eſt apud eum redemptio.* Iam etenim multoties te liberauit, nempe ex Ægypto, ex Babylone & ex multis alijs calamitatibus; ſic etiam ex iſto exilio te redimet; nec enim deeſt ipſi redimendi facultas, imò eſt copioſa apud illum.

V. 8. *Et ipſe redimet.* Quòd ſi dixeris, quî fieri poteſt vt me redimat, cùm ego plenus ſim iniquitate? nam ipſe eſt redempturus Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius. Primò illum redimet ab iniquitatibus eius, hoc eſt, illi præteritas eius iniquitates condonabit, immittétque in cor eius voluntatem reuertendi ad ipſum in toto corde; ac deinde eius captiuitatem reducet, vt
Deut. 30. 3. ſcriptum eſt, *Et conuertet Dominus Deus captiuitatem tuam, & miſerebitur tui*, &c.

PSALMVS CENTESIMVS TRIGESIMVS PRIMVS.

Canticum graduum.

1. DOmine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſupra me.

2. Si non poſui me vt ſilere facerem animam meam, ſicut ablactatus ſuper matre ſua: ſicut ablactatus, ſuper me anima mea.

3. Spera Iſraël in Domino, ex nunc & vſque in ſeculum.

COMMENTARIVS.

V. 1. CAnticum graduum Dauid. *Domine non eſt exaltatum.* Hoc de ſemetipſo pronuntiat Dauid; & hanc ſententiam dixit in iſtis aſ-

cenſionibus, quæ ſunt de Iſraëlitis exulibus; ac ſi diceret Iſraëlitas aliquando exu- Psal.
les futuros, tum debere in exilio ita humiliter ſe ſegerere, quemadmodum ipſe 131.
ſe geſſit, & eà ratione Deum ad ſui miſericordiam & amorem inflexuros, quia
excelſus Dominus & humilem intuetur: vnde in fine Pſalmi ſic dicit, *Spera* Pſal.
Iſrael in Domino. Dicit igitur, non eſt exaltatum cor meum in occulto, 138. 6.
nec oculi mei palam ſunt elati. *Neque ambulaui.* Hoc verbum eſt neutrum,
licèt ſit conjugationis dagueſſatæ; & eodem modo vſurpatur iſto in loco. *Pul-* Pſal.
latus inceſſi. In magnis & in mirabilibus ſuper me. Circa res diuinitatem 138. 7.
ſpectantes, non ſum gloriatus in corde meo quaſi poſſim comprehendere, & co-
gnoſcam res & arcana quæ longè ſuperant captum mentis & intelligentiæ
meæ, ſed pedetentim in illis conſiderandis proceſſi cum timore & pauore, ne
videret irrumpere ad videndum illud, ad quod cognoſcendum meus intelle-
ctus non laboraſſet, & in eo mens mea confunderetur. Quâ de re ita ſcrip-
tum eſt, *Gloria Dei eſt celare verbum.* Item dicitur ibidem. *Mel inueniſti*, Prou.
comede quod ſufficit tibi. 25. 2.

V. 2. *Si non poſui.* Mos eſt linguæ ſanctæ vti particulis illis, ſi non, in V. 16.
execratione & iuramento, hoc ſenſu, ſi non ita fuit, ſic aut ſic fiat. In eadem
etiam ſignificatione dicitur aliquando, ſic faciat mihi Deus & ſic addat: ſic
ergo dicit Dauid, ſi non poſui & non ſilere feci animam meam, ſic & ſic
mihi contingat. Illa porro verba, poſui & ſilere feci, hunc habent ſenſum,
poſui eam, ſicut ablactatum ſuper matre ſuâ, ac ſi diceret, ſicuti lactentem
qui depellitur ab vberibus matris ſuæ, & qui parumper accretionem ſuam
cognoſcere incipit, & pedetentim incedere, qui tamen necdum ſibi ipſi in-
nititur, ſed ſuper matre ſua, quæ illum erudit & ſenſim ad gradiendum inſti-
tuit. Ita poſui animam meam, & eam ſilere feci ne propriæ intelligentiæ ni-
miùm crederet, & inniteretur in myſterijs, & rebus nimis arduis & ſupra
eius captum poſitis, ſed vt præceptoribus ſuis potiùs inniteretur, & ſuper
Cabbala ſeu traditione quæ eſt veluti mater. Pergit adhuc eandem ſenten-
tiam confirmare ac dicit, *Sicut ablactatus, ſuper me, anima mea.* Inſtar
ablactati poſui animam meam ſuper me, vt minimè de mea intelligentia ni-
mis præſumerem. In verbis autem Magiſtrorum noſtrorum F. M. ſic dicitur,
Non eſt exaltatum cor meum. Eo tempore quo Samuël inunxit me in Regem.
Neque elati ſunt oculi mei. Tum quando Goliathum interfeci. *Neque am-
bulaui in magnis.* Quando me circumcinxerunt, & ad regni moderamen aſ-
ſumptus fui. *Et in mirabilibus ſuper me.* Quando Arcam adduxi.

V. 3. *Spera Iſrael.* Nimirum cum bonis moribus iſtis, vt te aſſuefacias
humilitati, clam & palam, & non efferatur cor tuum, vt ad ardua & ſupra
vires tuas poſitas contendas, ſpera in Domino & ipſe tibi dabit quod ſperas, ex
nunc & vſque in ſeculum.

PSAL. 132.

PSALMVS CENTESIMVS TRIGESIM. SECVNDVS.

Canticum Graduum.

1. MEmento Domine Dauid, &, omnis afflictionis eius.
2. Qui iurauit Domino, votum vouit potenti Iacob.
3. Si introiero in tabernaculum domus meæ: ſi aſcendam ſuper lectum ſtrati mei.
4. Si dedero ſomnum oculis meis, palpebris meis dormitationem.
5. Donec inueniam locum Domino, tabernacula potenti Iacob.
6. Ecce audiuimus illud in Ephrata: inuenimus illud in campis ſyluæ.
7. Introibimus in tabernacula eius: adorabimus ſcabellum pedum eius.
8. Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca fortitudinis tuæ.
9. Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & Sancti tui exultent.
10. Propter Dauid ſeruum tuum: non auertas faciem Chriſti tui.
11. Iurauit Dominus Dauidi veritatem, non recedet ab ea; de fructu ventris tui ponam ſuper ſolium tuum.
12. Si cuſtodiant filij tui pactum meum, & teſtimonia mea quæ docebo eos; etiam filij eorum vſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſolium tuum.
13. Quia elegit Dominus Sion: expetiuit in habitationem ſibi *dicens.*
14. Hæc requies mea in ſeculum: hîc habitabo quoniam deſideraui eam.
15. Victum eius benedicendo benedicam: pauperes eius ſaturabo pane.
16. Et Sacerdotes eius induam ſalute: & Sancti eius exultando exultabunt.
17. Illic germinare faciam cornu Dauid; paraui lucernam Chriſto meo.

18. Inimicos eius induam confuſione : ſuper ipſum autem ef- Psal.
florebit diadema eius. 132.

COMMENTARIVS.

CAnticum graduum. Hunc Pſalmum edidit Dauid eo tempore quo ex ex mandato Prophetæ Gad ædificauit altare in area Areunæ Iebuſæi, atque in eo obtulit holocauſta & pacifica, & inuocauit Dominum & exaudiuit eum in igne de cælo ſuper altare holocauſti. Dixitque Dauid, hæc eſt domus Domini & hoc altare in holocauſtum Iſraël. Et ad illum vſque diem non fuerat notus locus in quo extruendum erat templum: & iam dixerat Dauidi Propheta Nathan, Templum non eſſe ab ipſo ædificandum ſed à Salomone filio ipſius. Et quoniam omnes ſuas vires & poteſtatem adhibuerat Dauid, vt neceſſaria ad Templi ſtructuram, non ſine moleſtia pararet, vbi etiam de loco ad illud opus delecto, certior eſt factus, quod anxiè deſiderauerat, iam poſtulat à Domino, ac dicit. 1.Paral. 21.

V. 1. *Memento Domine Dauid*, &c. Quandoquidem dignus non ſum qui Templum ædificem, ipſa, quæſo, cogitatio quâ illud præſtare decreueram, mihi reputetur quaſi ipſum opus præſtitum, & memor ſis mei, & quantùm meipſum propter hoc afflixerim: quod ſæpè ſomnum oculis meis ſurripuerim ob ſolicitas ea de re cogitationes: Quòd vouerim & iurauerim me non futurum quietum, donec illum locum inueniſſem. Et quod non inuenerim vllam ſpiritus tranquillitatem in mea domo, aut in meis tentoriis, eo quòd domus Domini non eſt ædificata.

V. 2. *Qui iurauit Domino, votum vouit.* Eandem ſententiam aliis verbis repetit. Dicit verò, *Potenti Iacob*, ac ſi diceret, ei quem ipſe Iacob fortem ſuum appellabat, nimirùm quòd in eius omnibus anguſtiis opem ei tuliſſet, & eum è Labani & Eſaü manibus liberaſſet, fuiſſetque robur illius & potentia. Qui etiam illi in ſpecie oſtenderat fore vt nequidem ipſo ſuperior foret Angelus, ac multò minùs homines, & eapropter eum fortem Iacob appellauit; vnde etiam Dauid hoc loco, Deum fortem Iacobi nominauit: Quòd autem hoc in argumento meminerit Iacobi, ratio eſt, quia ipſe in ſomnio locum domus ſanctuarij vidiſſet, nempe quando ſcalam iſtam vidit de qua dixit, *Quàm terribilis eſt locus iſte! non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta cæli.* Hoc Gen.28. 17.
autem de domo ſanctuarij dixit, non de Bethel vbi iacebat. Quia verò ibi ſomnium illud viderat, locum ipſum gloriâ affecit & eius memoriam, vnde ſtatuam illic erexit, & cùm reuerteretur ex Haran, altare ibidem conſtruxit & domum orationis; ac de illa dixit, erit domus Dei, hoc eſt, locus precationis ad Deum, quandoquidem in hoc loco vidi locum electum in quo eſt domus Sanctuarij ædificanda; nam ſumma & præcipuum ſomnij iſtius fuit domus Sanctuarij quam mente præuidit; vnde ſic refertur in Commentario magno ſuper Geneſim. Dixit R. Iuda filius R. Simon, ſcala hæc ſtabat in domo Sanctuarij, & eius decliuitas pertingebat ad Bethel, vult dicere, & decliuitas eius quæ protrahebatur in viſione vſque ad Bethel, ibi enim illam ha-

buit viſionem. Addit autem, Et hæc porta cæli erat ſuper domum Sanctua-
Psal. rij. Nam ille locus è regione ſolij gloriæ erat directus; vnde ſic loquitur Iere-
132. mias Propheta, *Solium gloriæ eſt altitudo à principio; ſic locus Sanctuarij*
noſtri. Eſt enim mundi vmbilicus, ſeu medium mundi; vnde ſic dixerunt Ma-
Ier. 17. 12. giſtri noſtri F. M. veni & vide quemadmodum eminentior iſta pars ædificij,
in eius medio eſt poſita; ſic terra Iſraëlitica ſita eſt in mundi meditullio; di-
Ezech. ctum quippe eſt de Iſraëlitis quòd ſint, *Habitantes in vmbilico ſeu medio ter-*
38. 12. *ræ.* Et alio in loco, *Ex Sion perfectione decoris*, hoc eſt Iſraëlitica terra ſita eſt
in pulchritudinibus mundi; & ipſa vrbs Ieroſolymitana in medio terræ Iſraël,
& domus Sanctuarij, ſeu Templum, in medio Ieroſolymorum; Templum au-
tem erat in medio domus Sanctuarij; Arca denique erat in medio Templi,
hoc eſt, inter Septentrionem ac Meridiem: ac tandem lapis fundamentalis
erat ante Arcam, quia ex eo fundatus eſt mundus. Et hoc eſt quod dicitur
in libro Ietſira ſeu Formationis, ſex erant ſubſtructiones ad ſex latera, & Tem-
plum ſanctum erat in medio conſtitutum; Templum autem ſanctum, glo-
riæ ſolium appellatur, & profundum eſt myſterium eius. Etſi autem Iacob
pater noſter in ſomnis viderit locum in quo erat conſtruenda domus Sanctua-
rij, fortè poſtquam expergefactus eſt, illum non nouit; aut ſi nouit, illum
nulli indicauit. Noluit enim Deus benedicendus, vt ille locus vſque ad Da-
uidem innoteſceret; idcircò Dauid hoc loco meminit Iacobi, ac dicit votum
vouit potenti Iacob, eò quòd primò locum iſtum ipſi oſtenderit Deus benedi-
cendus. Quamquam enim eundem patri noſtro Abrahamo indicarit, eique
præceperit vt in ipſo loco filium ſuum in holocauſtum offerret; nihilominùs
tamen non certò conſtat an pater noſter Abrahamus agnouerit eum eſſe lo-
cum electum, vt in ipſo domus Sanctuarij eſſet ad multas generationes ædifi-
canda. Cæterùm inter dicta Magiſtrorum noſtrorum F. M. ita refertur, cir-
ca illa verba, *votum vouit forti Iacob*, dixit Rabbi Abahou, non dicitur vo-
uit forti Abraham aut forti Iſaac, ſed forti Iacob; ſcilicet votum ad illum,
Gen. vt eius authorem refert, qui primus illud incepit. Iacob autem primus om-
28. 18. nium votum fecit, ſicut dicitur, *Iacob vouit votum dicendo*, quid dicendo?
Dicendo nimirum ſecuturis generationibus, vt in ſuis calamitatibus voue-
rent: Iacob primus omnium vouere incepit, idcircò quicumque vouet, nulli
votorum initium aſcribit quàm ipſi Iacobo.

2. Sam. V. 3. *Si introiero in tabernaculum domus meæ.* Sicut dixit ad Nathan
7. 2. Prophetam, *Ecce ego habito in domo cedrina, & Arca Dei habitat in medio*
pellium: quod dicit, Si introïero, Si aſcendero, per modum hyperbolæ lo-
quitur; ac ſi diceret ſibi non gratam fore vnquam manſionem in domo ſua,
& dormitationem in lecto ſtrati ſui, donec inuenerit locum Domino. Dicit
verò, lectum ſtrati mei, hoc eſt, lectum in quo eſt ſtratum meum; lectum in
quo ſunt elegantia ſtrata ſeu tapetia, cuiuſmodi Regi conueniunt, illud ſi-
gnificat hoc vocabulum, ſtrati mei.

V. 4. *Si dedero ſomnum oculis meis.* Nempe profundum ſomnum & im-
Psal. 81. perturbatum: Littera verò ת *tau* in voce iſta שנת *ſchenat* eſt loco *he*, non
26. eſt enim nomen conſtructum, ſimile ſit in illis vocibus, *Linguam quam non*
Pſalm. 65. 10. *noui audio.* Et, *Multùm ditabis eam.* Et ita de aliis paribus, vt ſcripſimus in
libro

libro Miclol. *Palpebris meis dormitationem.* Idem diuerſis vocibus repetit. PSAL.
V. 5. *Donec inueniam locum Domino.* Electum ſcilicet locum. *Tabernacula* 132.
potenti Iacob. Domus tres erant in Sanctuario, idcircò dixit, Tabernacula. Quòd verò dixit potenti Iacob, confirmat in hoc verſu quod ſuperiùs in expoſitione dixi: nam illud quod dicunt M. N. F. M. in hoc verſu locū non habet.

V. 6. *Ecce audiuimus.* Sic iſta verba interpretatur Rabbi Moſes filius Catalæ, Audiuimus illam per manus Dauidis ex Ephrata oriundi. Dominus verò pater meus P. M. ſic exponit, quòd ex Ephrata naſciturus ſit, qui eam domum eſt ædificaturus. At ſapiens Abrah. F. E. hoc modo, quia audiuerant ex ore Prophetarum locum Sanctuario ædificando electum, vicinum eſſe Bethleem Ephratæ. Attamen ignotum fuit vtrum iſte locus eſſet ad latus Orientale, Meridionale, Septentrionale aut Occidentale ipſius Bethleem ſitus. Illud quidem eſt exploratum, non eſſe inter Bethleem & Ieruſalem, niſi ſpatium trium tantùm milliarium. In ſcriptis Magiſtrorum N. F. M. ſic legitur, *Ecce audiuimus eam in Ephrata.* Iſte eſt liber Ioſue ex Tribu Ephraimitica, orti: in eo enim ita eſt ſcriptum, de portione Tribus Iudæ, *Et aſcendet terminus ad vallem filij Hinnon iuxta latus Iebuſæi* Et de parte Beniamin Ita etiam ibi ſcriptum eſt, *Et deſcendit* terminus ad extremum montis qui eſt è regione vallis filij Hinnon. At inter duas Tribus iſtas, ſita fuit domus Sanctuarij. *Inuenimus eam in campo ſyluæ.* Illis verbis Tribus Beniamin deſignatur, quia de ea ſcriptum eſt, *Beniamin vt lupus rapiet.* Verùm mihi videntur iſta verba, Audiuimus eam in Ephrata, ſic eſſe exponenda, vt Dauid dicat illum locum ad hunc vſque diem non cognouimus, verumtamen audiuimus illud in Ephrata, vrbe noſtra, fore ſcilicet locum electum domus Sanctuarij in perpetuum; nam neque in Silo, Nob, aut Gabaon in perpetuum. Solummodo olim ex ore ſeniorum didicimus in vrbe noſtra, locum adhuc eſſe reuelandum alium electum ad illud: Et ecce nunc tandem inuenimus illum in campis ſyluæ, nempe in area Araunæ Iebuſæi: & illam appellat ſyluam, quòd illic ſylueſtæ eſſent arbores. Idcirco dixit in Ephrata, quia Dauid ibi natus fuerat, ibique creuerat, & ibidem rem iſtam didicerat. Quod autem inuenimus eam, audiuimus eam, in genere fœminino dicat, ratio eſt, quia refertur illud pronomen ad habitationem gloriæ; nam & priùs dixerat, tabernacula eius. Ibi verò illam inuenit, quia dicitur, *Et exaudiuit illum* Deus *in igne de cœlo.*

Ioſ. 15. 8. Ibid. 18. 16. Gen. 27. 1. Par. 21. 26.

V. 7. *Introibimus in tabernacula eius.* Quandoquidem electum locum inuenimus, ab hoc die & deinceps intrabimus in eum locum, qui eſt tentorium eius, & ſcabellum pedum eius: verè etenim locus ille eſt ſcabellum pedum eius, cùm ſit directè è regione ſolij gloriæ diſpoſitus.

V. 8. *Surge Domine.* Hos tres verſus etiam Salomon in dedicatione domus Sanctuarij recitauit, vt ſcribitur in libro verborum dierum. Eſt tamen inter hos & illos verſus aliqua diuerſitas, ſed ſenſus eſt prorſus idem. Porrò dixit metaphoricè, ſurge in requiem tuam, hoc eſt, ex aliis locis, in quibus hactenus fuit tentorium, ad eum locum qui futurus eſt locus requiei tuæ in perpetuum. *Tu & arca fortitudinis tuæ.* Illud, Tu, ad gloriam Dei refertur, quæ apparuit in dedicatione Templi, poſtquam inducta fuiſſet Arca in Sancta Sanctorum: quod illis verbis innuitur, Et factum eſt cùm Sacerdotes exiiſ- 2. Par 6.

PSAL. ſent ex Sancto, nubes ſtatim impleuit domum Domini.

132. V. 9. *Sacerdotes tui.* In ſuo miniſterio induantur iuſtitiam, hoc eſt, ve-
ſtes ſacerdotij quæ ſunt veſtes iuſtitiæ. *Et ſancti tui.* Leuitæ canant & Pſalmos coram te decantent.

V. 10. *Propter David.* Quia in iſto loco apparuiſti ei in igne tuæ gloriæ, eique electum hunc locum reuelaſti, propter eum, inquam, efficias vt hic locus perpetuò conſtet, nec in illo vnquam ceſſet miniſterium Sacerdotum, & Cantica Leuitarum. *Non auertas faciem Chriſti tui.* Quod ego à te deprecatus ſum pro illo loco, & quod filius meus Salomon orabit pro illo, ne quæſo, in eo auertas faciem noſtram, ſed oratio noſtra ſit accepta in conſpectu tuo. Et hos verſus ſicut Dauid recitauit, ſic pariter illos recitauit Salomon in fine orationis ſuæ.

V. 11. *Iurauit Dominus.* Cuius verbum eſt iuramentum; & ipſe promiſe-
2. Sam. rat ei per Nathan Prophetam, *Suſcitabo ſemen tuum poſt te quod egredietur*
7. 12. *de ventre tuo.* Nam hoc ſignificant illa verba, De fructu ventris tui ponam ſuper ſolium tuum. Dicit autem, veritatem, &, non recedet ab ea, ſicut ibidem dicitur, *Et firma erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum.*

V. 12. *Et teſtimonium meum hoc quod docebo eos.* Dictio hæc עדותי *eedothi* teſtimonium meum, ſcripta eſt hîc cum hholem pro ſchourech, & alio pariter in loco, cum eodem puncto ſcripta reperitur. Dicit porro, Docebo eos, cùm tamen & fœdus & teſtimonium ſcripta ſint iam & edocta ac tradita, nec vllum aliud præceptum ſit proponendum vt diſcatur poſt legem Moſis: verùm ſenſus huius vocis, Docebo eos, iſte eſt, ſemper eos operâ Prophetarum excitabo, ne legis obliuiſcantur.

V. 13. *Quoniam elegit Dominus Sion.* Et dixit Dauid, iam tandem agnoui quòd Dominus elegerit Sionem, quam ego vi cepi, nam in vrbe Sione reuelatus eſt locus diuinæ Maieſtatis, & illam Deus in ſedem ſuam cooptauit, ac de illa dixit.

V. 14. *Hæc requies mea in perpetuum.* Non enim deinceps ex loco in locum demigrabit, ſicuti hactenus fecit.

V. 15. *Victum eius.* Littera ה *he* צדה vocis *tſedah*, eſt cum puncto mappic indicis pronominis affixi. Et idem ſignificat quod iſto in loco, & conteſta-
Nehe. tus ſum vt in die quâ venderent eſcam, hoc eſt, cibum. Dicit ergo Deus exal-
13. 15. tandus, victum Sionis benedicam, ac ſi diceret ſuper prouentum ac fructus eius benedictionem effundam longè copioſiùs quàm in reliquas omnes terræ Iſraëliticæ partes, nempe vt gloriâ afficiam domum meam quæ in ea eſt conſtructa. Et fortaſſe proptereà terra Iſraël appellata eſt terra Moria, quia fuit terra רויה *rauaia* irrigua & abundans, poſtquam Dei gloria habitauit in ipſa. *Pauperes eius.* Etiam miſeros qui in illa ſunt pane ſaturabo.

V. 16. *Et Sacerdotes eius.* Proptereà quòd ipſi mei causâ induti ſunt veſtibus ſacerdotij, ego illos veſtibus ſalutis induam, nam per me ſalui erunt. *Et Sancti eius.* Leuitæ ſcilicet, quos, eò quòd nomini meo Laudes & Pſalmos altâ & lætâ voce decantent, ego abundare faciam bonis, ita vt læto & hilari
Deut. animo concinnant & exultent. Leuitas autem appellat ſanctos, ſicuti Moſes
33. 8. Magiſter Noſter qui ſit in pace, dixit de Leui ipſo: *Perfectiones tuæ & do-*

ſtrinæ tuæ erunt viro ſancto tuo.

V. 17. *Illic germinare faciam cornu Dauid.* Per cornu, robur & regnum Psal.
intelligit, vt illo in loco, *germinare faciam cornu domui Iſrael*: & alibi ſi- 231.
militer, Et exaltauit cornu Chriſti ſui. Hic autem verſus de futuro Rege Meſſia
eſt dictus, ideò ita dixit: germinare faciam, perinde ac ſi diceret; nam quam- Ezech.
uis iam à multo tempore exaruerit, efficiam tamen vt adhuc germinet: vnde 29. 21.
& ſic de illo dicitur, Et ſuſcitabo Dauid germen iuſtum: Et alio in loco, In
diebus illis & in tempore illo, germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ. Di-
citurque, Ibi, quia in Sione erit, vt ſcriptum eſt, Et aſcendent ſaluatores in Ierem.
montem Sion. Et alio in loco ſic etiam ſcriptum eſt, In diebus illis ſaluabitur 23. 5.
Iuda, & Ieruſalem habitabit confidenter, & hoc eſt nomen eius quo vocabunt Ibid. 33. 15.
eum, Dominus iuſtitia noſtra. *Paraui lucernam*: ſicut dicit ipſe Deus, *vt* Ab. 1.
remaneat lucerna Dauid ſeruo meo cunctis diebus coram me in Ieruſalem. Et- 21.
enim Rex eſt inſtar lucernæ, populo prælucens. Ier. 23. 13.

V. 18. *Inimicos eius induam confuſione.* Contra illud quod ante dixit, in- 1. Reg.
duam ſalute Sacerdotes eius qui coram Domino miniſtrant, & illum pro Re- 11. 36.
ge deprecantur; at inimicos Regis pudore cooperiam. *Et ſuper eum efflorebit diadema eius.* Et ſuper Regem germinabit & efflorefcet corona eius, hoc eſt, magnitudo eius & gloria magis ac magis in dies augeſcet.

PSALMVS CENTESIMVS TRIGESIMVS TERTIVS.

Canticum Graduum Dauid.

1. ECce quàm bonum & quàm iucundum ſedere fratres etiam vnà.

2. Sicut oleum optimum ſuper caput quod deſcendit in barbam, barbam Aaron: quod deſcendit in oram veſtimentorum eius.

3. Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion: quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & vitam vſque in ſeculum.

COMMENTARIVS.

CAnticum graduum. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum.* Dominus Pater meus P. M. exiſtimat hoc eſſe dictum de Iſraëlitis, qui omnes ſunt fratres: dicitque communem illorum omnium habitationem ſimul in vrbe Ieroſolymitana fore gratam & iucundam, ſicut optimum illud oleum quod olim ſuper barbam Aaronis, & ſuper veſtimenta eius deſcendebat; aut ſicut

PSAL. ros qui deſcendit ſuper montem Hermon, aut ſicut ros qui deſcendit ſuper
133. montes Sion, qui eſt benedictus præ omni rore qui deſcendat in mundum.
Sapiens verò R. Abraham F. E. ſic interpretatur vt argumentum huius Pſalmi
cohærere putet cum Sacerdotibus, de quibus in præcedenti Pſalmo fuit ſermo, dicitque appellari fratres, propter ſocietatem Sacerdotum, & voculam illam גם *gam* etiam denotare Sacerdotem magnum: & mentionem feciſſe Dauidem Aaronis, quòd ille fuerit Sacerdos magnus, & caput vnctorum. Mihi autem videtur quod loquatur de Rege Meſſia, & de ſummo Sacerdote qui illius temporibus eſt futurus. Duo enim illi ſupremi ſunt inter Iſraelitas, & domini ſuper eos. Rex namque in ſolio iudicij & regni ſedet, vt præcipiat Iſraëlitis quod bonum viderit eique placuerit: Sacerdos verò legem docet & præcepta. Et illos fratres vocat, quòd ſint ambo in dignitate, nec vnus alteri debeat inuidere: vnde cùm Propheta Zacharias è Babylonica captiuitate eſſet reuerſus, de vtroque eſt vaticinatus, de Zorobabele ſcilicet Duce, & de Ioſua ſummo Sacerdote; & vidit illos ſub ſpecie duarum oliuarum, eóſque appellat duos filios olei, quòd ambo vnctionis oleo vncti eſſent, hic ad ſacerdotium, ille ad regnum; & dicit, *Et facies coronas & pones in capite Ioſue*
Zach. *filij Ioſedec Sacerdotis magni*, ac ſi diceret, vnam iuſſit imponi capiti Ioſue,
6. 11. alteram capiti viri illius, cuius nomen erit, germen; ille autem erit Zorobabel. Sic etiam prædixit loquens de futuro olim Rege & de ſummo Sacerdote, fore vt habitent veluti fratres etiam ſimul. Nam vterque illorum ſedebit in ſolio magnitudinis. Quàm bonum aut quàm iucundum erit eorum ſic conſentientium dominium. Dicit verò, etiam vnà, quoniam ſicut erunt fratres ſeu pares in dignitate; ita erunt fratres in mutuo animorum ſuorum affectu, & erunt ſimul in concordi & vnanimi conſenſu: nec vnus alteri inuidebit. Et ſic de Zorobabele & Ioſua dictum eſt, Et conſilium pacis erit inter illos
Zac. 6. duos.

V. 2. *Sicut vnguentum.* Littera כ *caph* præfixa voci שמן *ſchemen*, afficitur vocali patahh, vt ſit nota ה *he* emphatici, per quod nobiliſſimum deſignatur vnguentum, ſcilicet vnctionis vnguentum. Dicit igitur, ita gratum ac iucundum erit illos duos fratres habitare & conſentire ſimul, ac bona & iucunda fuit Aaronis Sacerdotis vnctio, eo die quo factus eſt ſummus Sacerdos. Cæterùm meminit vnctionis Sacerdotis, non autem vnctionis Dauidis Regis, duabus de cauſis. Prima, quòd Aaronis vnctio fuerit prior, & eo quidem tempore quo gloria diuinæ Maieſtatis reſidebat inter Iſraelitas, cùm erectum eſſet tabernaculum; ita futuris temporibus quum ædificabitur Templum, ſtabuntq, Rex Meſſias & ſummus Sacerdos, ibi gloria Dei reſidebit. Alia cauſa eſt, quòd vnctio Aaronis palam facta fuerit in oculis omnium Iſraelitarum, Dauidis autem vnctio clam facta fuerit, & præſentibus tantùm Ieſſe & filiis eius, & ſenioribus vrbis Bethleem. At olim futuro tempore res iſta fiet publicè in oculis omnium Iſraelitarum, & in oculis omnium populorum. *Super caput.* Cùm Moſes vnguentum illud effudit ſuper caput Aaronis, quod inde in barbam illius, & in oram veſtimentorum eius deſcendit. Primùm enim Moſes induit illum ſacerdotij veſtibus, ac deinde oleum infudit in caput eius, eumque inunxit oleo inter oculorum ipſius ſupercilia, inſtar litteræ *caph* ſeu *chi*

Græcorum. Oleum autem illud quod eius capiti infuſum fuit, in barbam eius defluxit, & inde in illam veſtium eius oram quæ erat ſub eiuſdem barba. Per os veſtimenti, ſignificatur ea veſtium pars quæ eſt circa collum: Illud porro vnguentum ex aromate optimo & ſuauiſſimo erat compoſitum. Psal. 133.

V. 3. *Sicut ros Hermon.* Illa verba, Sicut ros, bis debent poſita intelligi, ac ſi diceretur, ſicut ros Hermon, & ſicut ros qui deſcendit ſuper montes Sion. Meminit verò montis Hermon, quòd vnus ſit ex maximis Iſraeliticæ terræ montibus, vt dicitur alio in Pſalmo, Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: Et montes Sionis nominauit, quòd illic eſſet regia ſedes. Et montes in numero multitudinis expreſſit, vt alio in Pſalmo dixit, Ieruſalem, montes ſunt in circuitu eius. Iam ſuperiùs meminit quidnam vnguenti comparatio adumbraret, nempe ſummum Sacerdotem: nunc verò meminit roris Prou. quo Rex figuratè deſignatur, vt ſcriptum eſt, ſicut rugitus leonis, eſt Regis 19. 12. ira: & ſicut ros ſuper herbam, ita & beneuolentia eius. Tum etiam quia redemptio comparatur rori, ſicut dicitur, *Vt ros à Domino.* Ideò etiam rorem Mich. ſuper montes defluentem commemorat, quòd ros ſit ipſis in benedictionem, 5. 7. quódque ipſi rore plus indigeant, quàm valles aut terra plana. *Quoniam ibi*, ſcilicet in montibus Sion, mandauit benedictionem. *Et mandauit illis vitam* Iob.65. *vſque in ſeculum*, hoc eſt, vſque ad multum tempus, ſicut ſcriptum eſt, quo- 22. niam ſecundùm diem arboris erunt dies populi mei, & opus manuum ſuarum inueterabunt electi mei: vel ſenſus eſt, vſque in æternum.

PSALM. CENTESIMVS TRIGESIMVS QVARTVS.

Canticum Graduum.

1. Ecce, benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini, in noctibus.

2. Extollite manus veſtras *in* Sancto, & benedicite Dominum.

3. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

COMMENTARIVS.

V. 1. Canticum graduum. *Ecce benedicite Dominum.* Ecce, cùm ipſe Dominus benedictionem pro vobis præceperit, vos etiam illum benedicite per veſtras laudes, vnuſquiſque ſecundùm intelligentiæ ſuæ modulum. Ac idcircò nominat omnes ſeruos Domini, nempe omnes viros ſapientes & pios, qui per noctes ex lectis ſuis ſolebant exſurgere, ac in templum venire, vt Deum orarent & eius nomen celebrarent.

PSAL. 134. V. 2. *Extollite manus veſtras in Sancto.* Hoc eſt, in loco ſancto: Et verba iſta, Extollite manus veſtras, notant illam manuum eleuationem quâ Sacerdotes manus ſuas eleuantes, benedicebant Iſraelitis. Et meâ quidem ſententiâ loquitur de manuum eleuatione ad Deum, in oratione; iuxta illud, *Eleuemus corda noſtra ad manus*, quod explicandum videtur, cum manibus: Cui etiam ſimile eſt illud, *Dum extollo manus meas ad adytum ſanctum tuum.* Ita etiam illud, *Expandi ad te manus meas.* Illud autem, In Sancto, conuenienter exponendum videtur ad locum ſanctum, vt paulò ante dictum eſt, Ad adytum ſanctum tuum. *Benedicat te.* Secundùm ſententiam Interpretum, hæc erunt verba Sacerdotum ad Iſraelitas, quando illis benedicebant: Sed iuxta noſtram expoſitionem ſunt verba Cantoris, qui dixit, Benedicite Dominum, vt ſit ſenſus, ſi illum benedicatis, ipſe vos pariter benedicet. Dicit verò, Ex Sion, quòd ibi reſideret gloria, & inde manaret benedictio omnibus Iſraelitis, ac terræ vniuerſæ; Subiunxit, *Qui fecit cælum & terram.* Ac ſi diceret, ipſe eſt cælorum conditor, qui benedictiones in mundum effundunt: & ipſe fecit terram, quæ dat prouentum ſuum in benedictionem, prout ipſe Deus benedicendus iubet.

Thren. 3. 4. Pſal. 28. 2. Pſal. 88. 10.

PSALMVS CENTESIMVS TRIGESIMVS QVINTVS.

Halleluia.

1. Laudate nomen Domini, laudate ſerui Dominum.
2. Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.
3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus: pſallite nomini ejus quoniam dulce *eſt.*
4. Quoniam Iacob elegit ſibi Dominus, Iſraël in peculium ſibi.
5. Quia ego cognoui quod magnus *eſt* Dominus, & Dominus noſter præ omnibus Diis.
6. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra in maribus & omnibus abyſſis.
7. Attollit vapores ab extremis terræ, fulgura in pluuiam facit: educit ventum de theſauris ſuis.
8. Qui percuſſit primogenita Ægypti, ab homine vſque ad pecus.
9. Emiſit ſigna & prodigia in medium tui Ægypte, in Pha-

raonem, & in omnes ſeruos eius.
10. Qui percuſſit gentes multas & occidit reges fortes.
11. Sehon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Baſan, & omnia regna Chanaan.
12. Et dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Iſraëli populo ſuo.
13. Domine nomen tuum in æternum: Domine memoria tua in generationem & generationem.
14. Quia iudicabit Dominus populum ſuum, & ſuper ſeruis ſuis pœnitudine ducetur.
15. Idola Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.
16. Os eis & non loquuntur, oculi eis & non vident.
17. Aures eis & non audiunt; etiam non eſt ſpiritus in ore ipſorum.
18. Similes illis ſint qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.
19. Domus Iſraël benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.
20. Domus Leui benedicite Domino: qui timetis Dominum benedicite Domino.
21. Benedictus Dominus ex Sion qui habitat in Ieruſalem. Halleluia.

COMMENTARIVS.

V. 1. HAlleluia. *Laudate nomen Domini*, &c. Pſalmus centeſimus decimus tertius ab illis verbis incipit, Laudate ſerui Domini, ac poſteà ſubditur, Laudate nomen Domini. Et verſus proximè conſequens ita incipit, Sit nomen Domini benedictum. In hoc verò Pſalmo, ordine veluti inuerſo, dicitur, Laudate nomen Domini, & mox additur, Laudate ſerui Domini. Verſus deinde poſtea conſequens, Qui ſtatis in domo Domini.

V. 2. *Qui ſtatis.* O vos qui ſtatis in domo Domini: Et Sacerdotes alloquitur. *In atriis domus Dei noſtri.* O vos etiam qui ſtatis in atriis Dei noſtri. Et hi erant Iſraelitæ qui in atriis Templi orabant, non enim in ipſum Templum intrabant. Ego, inquit, vos omnes adhortor.

V. 3. *Laudate Deum*, quia bonus eſt & benefaciens; & quia etiam dulce eſt nomen eius. Hæc porro ad illos dicit qui in domo Dei à Salomone conſtruenda erant miniſtraturi, aut olim futuris temporibus, in templo quod Rex Meſſias eſt ædificaturus. Dicit ergo, quia bonus eſt Dominus, & idcirco.

PSAL. 135. conuenit illum laudare, quod ſit bonus & bona elargiens. Ita etiam nomen eius eſt iucundum, atque ideo conſentaneum eſt illud celebrare: ipſe enim eſt nomen ſuum, & nomen eius eſt ipſemet; atque in hoc verſu eadem ſententia diuerſis tantùm vocibus repetitur.

V. 4. *Quoniam Iacob.* Æquum eſt autem vt vos illum præ omnibus populis celebretis, cùm vos poſthabitis omnibus alijs elegerit.

V. 5. *Quia ego cognoui.* Verba ſunt Pſalmographi cohortantis, propterea, inquit, adhortor vos vt illum laudetis ac celebretis, ego ſiquidem eius miraculis & operibus intellexi eum eſſe magnum, & Dominum noſtrum; illum etenim ſuper nos in Dominum & in Deum aſſumpſimus. Cæteri verò populi, pro Domino & Deo cœli exercitum agnouerunt. Porro hæc omnia dicit ex ſuo more loquendi. Nos verò non accepimus nobis in Dominum, niſi nomen vnicum & Dei proprium, ſeu Deum qui longè maior eſt omnibus Dijs. Illi porro ſunt exercitus cœli & Angeli, qui mundum ex Dei nutu gubernant & propterea Dij appellantur, at Dominus noſter omnibus iſtis longè major eſt & ſuperior, nihil enim ipſi agunt, niſi per potentiam ab eo acceptam, & ſecundùm præcepta illius.

V. 6. *Omnia quæ voluit Dominus fecit.* Non verò ſic Angeli aut ſtellæ faciunt quidquid volunt: imò nihil prorſus agunt in cœlis aut in terra, niſi quod Deus ipſe voluerit. At verò ipſe omnes ſuas voluntates in illis perficit, nec ab aliquo poteſt impediri: facitque in cœlis & in omni eorum exercitu, vt inferiora hæc dirigant: ita etiam in terra, & in omni illius exercitu, in maribus & in abyſſis efficit quidquid ſibi libuerit. Porro per maria, Oceanum & reliqua maria intelligit, per abyſſos verò flumina: deinde vnum ex præcipuis mirabilibus quæ Deus operatur in terra commemorat, ſcilicet opus pluuiæ,
Iob. 5. 9. 10, ſicuti Eliphas his verbis profitetur, *Qui facit magna & inſerutabilia, mirabilia abſque numero.* Et mox ſubjungit, *Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ,* &c. vnde hic dicitur, Qui aſcendere facit elationes, ſùntque nubes quæ ſic appellantur, eóquòd ex terra aſcendentes in altum efferantur, vt ſcriptum eſt,
Gen. 2. 6. *Et vapor aſcendebat è terra. Ab extremo terræ.* Hoc eſt, ab extremo aridæ
Amo. 5. 8. quod eſt mare; inde enim aſcendunt vapores, vt ſcriptum eſt, *Qui vocat aquas maris & effundit eas ſuper faciem terræ*: vnde Elias dixit ſeruo ſuo, *Aſcen-*
1. Reg. 18. 43. *de nunc & proſpice contra mare*; Cui ille, ecce, inquit, nubes parua inſtar volæ hominis de mari aſcendit. Poſtea ſubjungit, *Fulgura in pluuiam fecit.* Quod magnopere admirandum eſt, quòd nimirum fulgura vnà cum pluuia faciat, cùm ipſa fulgura ignea ſint, & tamen aquæ pluuiæ ignem illum non extinguant. Additur, *Educit ventum de theſauris ſuis.* Ventus enim agitat & impellit pluuias ad illam terræ plagam, ad quam ille ſua commotione tendit: vox illa מוצא *motſe* idem ſignificat quod מוציא *motſi*: dicit autem, ex theſauris ſuis, eóquòd tria elementa alia oculis ſint conſpicua, at ventus ſeu aër, oculis non videtur, inſtar rei alicuius in theſauro repoſita. Dictio educit, hunc habet ſenſum, quòd antequam agitetur ventus aut aër, nullo ſenſu percipitur, at vbi commouere ſe incipit, tum ſentitur, vnde videtur tum primùm ex aliquo loco educi, cùm perflare incipit. At Sapiens Rabbi Abraham filius Eſræ ſcripſit ideo theſauros nominari cum vento, quòd ille ſit in poten-

potentia, at potentiam eſſe rem reconditam: & ecce quatuor elementorum meminit & dixit adhuc, omne quod voluit in rebus creatis fecit. PSAL.

V. 8. *Qui percuſſit.* Primogenitorum interfectionem peculiariter commemorat, quòd propter illam egreſſi ſint Iſraëlitæ ex Ægypto; & poſtea dicit: 136.

V. 9 *Miſit ſigna & prodigia*, quibus verbis cæteras plagas complectitur: iſtæ autem plagæ ſunt ſignum & probatio, quòd faciat Dominus quidquid voluerit. Etenim ſi plagæ iſtæ caſu fortuito contigiſſent, ſoli Ægyptij non fuiſſent illis afflicti, & Iſraëlitæ ab iiſdem exempti, ſed verè ex Dei benedicendi voluntate ſunt inflictæ. *In medium tui* Litera י *iod* adiecta eſt per paragogen, vt iſto in loco, *In medio tui Ieruſalem.* Eſtque pro בתוכך *bethocheca* & ſignificat in conſpectu tui Ægypte. Illa porro additio litteræ י *iod* fit ad elegantiam. *In Pharaonem & in omnes ſeruos eius.* Quanto magis in populum eius? ſed ipſe etiam Pharao & ſerui minimè potuerunt cum ſua potentia, Dei benedicendi voluntatem effugere; præterea ſuam voluntatem fecit Deus benedicendus.

V. 10. *Quia percuſſit Gentes multas.* Nam Iſraëlitæ pauci erant & ex duriſſima ſeruitute egreſſi: Populi verò iſti erant numeroſiſſimi & robuſtiſſimi, atque in ſua terra degentes; illos tamen Iſraëlitæ occiderunt, eorúmque regionem ſibi poſſidendam occuparunt, Quis verò hoc fecit niſi Dei exaltandi voluntas? Specialiter autem Sehonem & Og nominat quòd contra illos primo pugnauerint. Et præterea quòd fuerint Reges aliorum omnium potentiſſimi, ſi- V. 11.
cut ſcriptum eſt, Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie veſtra, cuius altitudo ſicut altitudo Cedrorum, & fortis ipſe quaſi quercus; ac deinde ſubiungit, *Et omnia regna Chanaan*, vniuerſim.

V. 12. *Et dedit.* Poſtea diſſerit quibus Deus illorum terram in hereditadederit; nempe Iſraëlitis populo ſuo, quòd præ cæteris populis ab eo ſint electi, idcirco dedit illam regionem omnibus regionibus excellentiorem.

V. 13. *Domine nomen tuum.* Verſus hic eamdem ſententiam varijs dictionibus repetit; vult dicere, propter iſta mirabilia quæ in gratiam Iſraëlitarum exhibuiſti.

V. 14. *Quia iudicabit.* Quamquam autem hereditas illa quam ipſis poſſidendam dederat, ſit modò in poteſtate aliorum & ipſi ab ea expulſi, in exilio verſentur, hoc tamen perpetuò non durabit; veniet enim aliquando tempus, quo Deus benedicendus cauſam populi ſui ſuſcipiet, & iudicium pro eis contra Gentes exercebit. *Et ſuper ſeruis ſuis pœnitentiâ ducetur.* Iam enim punitionem pro ſuis omnibus peccatis ſunt paſſi, & tandem in propriam hereditatem reducet eos.

V. 15. *Simulachra Gentium.* Et tunc idola Gentium mera vanitas & nihilum reputabuntur, & qui eos colebant, agnoſcent nihil prorſus ſolidi ipſis ineſſe, quia eos non poſſunt ſaluare calamitatis ipſorum tempore; quippe ſimulachra eorum aliud non ſunt quàm argentum & aurum.

V. 16. *Os illis.* Iam horum verſuum materiam expoſuimus in Pſalmo centeſimo decimo quinto.

V. 17. *Etiam non eſt ſpiritus in ore ipſorum.* Non neceſſe eſt dicere illa non loqui, cùm nequidem ſit ſpiritus in ore ipſorum; qui quidem ſpiritus, eſt halitus ex corde per oris meatum egrediens.

PSAL. 135. V. 18. *Similes illis ſint.* Hæc per modum orationis ſunt dicta; aut ita futurum eſt aliquando cùm redemptor aduenerit, túmque deficient ac peribunt qui idola faciunt, & omnes qui confidunt in illis.

V. 19. *Domus Iſrael.* Verùm ô vos, domus Iſraël, qui in iſtis fiduciam veſtram non repoſuiſtis, Deum celebrate, qui vos ex poteſtate colentium idola ſaluauit: ſic etiam agite ô domus Aaronis; nempe Sacerdotes, qui coram Domino miniſtratis.

V. 20. *Domus Leui.* Hi ſunt cantores qui ante Dominum ore ac inſtrumentis muſicis concinunt. *Qui timetis Dominum.* Per iſtos deſignantur ij qui ex Iſraëlitis erant ſapientes, & continuò in templo Dei verſantes, ſoli ſtudio ſapientiæ incumbebant; vel per timentes Dominum, intelliguntur ij qui ex quolibet populo ad templum Domini, orandi gratiâ, veniebant.

V. 21. *Benedictus Dominus ex Sion.* Ibi ſiquidem gloria diuinæ majeſtatis reſidet in vrbe Ieroſolymitana, & inde egredietur confeſſio omnibus qui illum colent, celebrabunt & gloriâ afficient.

PSALMVS CENTESIMVS TRIGESIMVS SEXTVS.

1. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum miſericordia eius.

2. Confitemini Deo Deorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

3. Confitemini Domino Dominorum: quoniam, &c.

4. Qui facit mirabilia magna ſolus: quoniam, &c.

5. Qui fecit cœlos in intelligentia: quoniam, &c.

6. Qui extendit terram ſuper aquas, quoniam, &c.

7. Qui fecit luminaria magna: quoniam, &c.

8. Solem in dominium in die: quoniam, &c.

9. Lunam & ſtellas in dominia in nocte: quoniam, &c.

10. Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam, &c.

11. Et eduxit Iſraël de medio eorum: quoniam, &c.

12. In manu potenti & brachio extento: quoniam, &c.

13. Qui ſecuit mare rubrum in ſectiones: quoniam, &c.

14. Et tranſire fecit Iſraëlem per medium eius: quoniam, &c.

15. Et excuſſit Pharaonem & virtutem eius in mare rubrum: quoniam, &c.

16. Qui traduxit populum ſuum per deſertum: quoniam, &c.

17. Qui percuſſit Reges magnos: quoniam, &c.

18. Et occidit Reges fortes : quoniam, &c.
19. Sehon Regem Amorrhæorum : quoniam, &c.
20. Et Og Regem Baſan : quoniam, &c.
21. Et dedit terram eorum hæreditatem : quoniam, &c.
22. Hæreditatem Iſraëli ſeruo ſuo : quoniam, &c.
23. Quia in afflictione noſtra memor fuit noſtri : quoniam, &c.
24. Et eripuit nos ab inimicis noſtris : quoniam, &c.
25. Qui dat eſcam omni carni : quoniam, &c.
26. Confitemini Deo cœli : quoniam in æternum miſericordia eius.

COMMENTARIVS.

V. 1. *CONfitemini Domino quoniam bonus.* Hic Pſalmus viginti ſex continet verſus, qui omnes verbis iſtis concluduntur, Quoniam in ſeculum miſericordia eius. Et Magiſtri noſtri F. M. exiſtimant illos eſſe editos de viginti ſex generationibus quæ fuerunt ab ipſa mundi creatione vſque ad illud tempus quo legem acceperunt Iſraëlitæ; quas Deus ſanctus & benedictus ex ſua duntaxat miſericordi beneficentiâ toto illo tempore ſuſtentarit; nondum enim lex vlla incolis mundi data fuerat, propter cuius obſeruantiam illos paſceret Deus. Nam quamuis ſoli Iſraëlitæ legem receperint, vniuerſus tamen mundus propter Iſraëlitarum merita ſubſiſtit. Quilibet verò horum verſuum iuxta ſimplicem ſenſum, propriam continet materiam ſuo in loco. Inueniuntur autem viginti ſex propter diuerſas res quæ in Pſalmo enumerantur; ac primò dicit, *Confitemini Domino omnes incolæ mundi*; Dominum celebrate quoniam bonus eſt & benefaciens in æternum, eóquòd miſericordiæ eius nullus ſit finis, ſed in perpetuum duret; & is eſt ſenſus iſtorum verborum, *Quoniam in æternum miſericordia eius*, vbicumque occurrunt: & illa in quolibet verſu repetit ad augendam laudis celebrationem.

V. 2. *Confitemini Deo Deorum.* Deos appellat Angelos quia ſunt veluti Dij rebus inferioribus, & eas ex Dei voluntate regunt, qui ſupra illos eſt Deus.

V. 3. *Confitemini Domino Dominorum.* Cœleſtes ſunt orbes qui horum inferiorum ſunt Domini, eáque regunt, verùm ipſe eſt Dominus ſupra illos.

V. 4. *Qui facit.* Poſtquam Angelos & cœleſtes orbes recenſuit, ſupra quos Deus eſt Dominus, dixit, Qui fecit cœlos, vt oſtendat eos non eſſe æternos, ſicut ipſe eſt æternus: ſed illos eſſe effectos, & ipſum eſſe illorum cauſam, vt verè aſſerunt Philoſophi, quapropter vſus eſt iſto verbo, *Qui fecit*, vt doceat eos non eſſe æternos, ſed ipſum ſolum à quo ſunt facti, ipſos verò aliquando fuiſſe creatos. Et primùm dicit, *Qui facit mirabilia magna.* Quibus verbis fortaſſe generatim illa exprimit, quæ poſtea ſigillatim exponentur. Et ſapiens quidem Abraham F. E, iſta verba, Qui facit mirabilia, ſic exponenda cenſet, vt ea deſignentur quæ ſunt humano oculo mirabiliora,

PSAL. nempe conſtellationes & ſigna nobiliſſima, quæ ſunt cœlorum exercitus. Illa
136. autem verba, *Qui fecit cœlos*, de firmamento exponit, quod eſt cœlum terræ. Mihi tamen videtur per iſta verba, qui facit mirabilia magna ſolus, deſignari à Pſalmographo illas formas, quæ nec ſunt corpora, nec in corporibus, intelligentias nimirum ſeparatas, quæ ſuperant aciem oculi hominis qui illud tantum attingere valet quod eſt materiale. Et orbes cœleſtes & ſtellæ ex nitidiſſima conſtant materia, hinc illa poteſt attingere humanus oculus; at verò formas immateriales aſſequi non valet: imò mentis ipſius oculus in illis attingendis laborat; ac idcirco illas vocat mirabiles. Dixit verò, *Solus*, quòd ipſe ſolus Deus ſupra ipſas exceſſus emineat, at reliquæ res creatæ ipſis ſunt ſubjectæ; & ipſæ ſunt mundi columen quo ſubſiſtit; vnde ſubjecit, *Quoniam in æternum miſericordia eius.* Ipſæ etenim ſunt Dei miſericordia erga ſuas creatas: & in perpetuum finem ſubſiſtendi non habebunt.

V. 5. *Qui fecit cœlos.* Poſtea ſubjungit mentionem cœlorum: & ea voce omnes orbes cœleſtes & ſtellas complectitur, ac dicit Deum illos feciſſe, hoc eſt, creaſſe illos: & ſuam erga mundum beneficentiam exhibuit in illorum creatione, nunquam enim ſunt deſituri, quod illis verbis innuitur, *Quoniam in æternum miſericordia eius.*

V. 6. *Qui extendit.* Ex creatis inferioribus terram idcirco nominat quòd ſimpliciter ipſa ſit miſericorditer à Deo diſpoſita; nempe quia ipſe naturalem aquarum ſitum immutauit: nam innatus earum impetus eſt vt ſuper terram effuſæ conſiſtant, ſicuti in ipſo rerum initio fuerunt, & veluti ſint in medio ſphæræ; Deus verò ex ſua benignitate illas in locum vnum coëgit, & apparuit arida, vt in ea animantia & plantæ poſſent exiſtere: Et hæc miſericordia in perpetuum eſt futura. Nam quamuis diluuium aquas ſuper omnem terram induxerit; hoc tamen non fuit niſi ad modicum tempus, & duntaxat in vindictam ſceleratorum: & in ipſo etiam diluuio ſuam benignitatem oſtendit, quippe qui effecit prudenti conſilio vt in tanta vaſtatione ſpecies animantium ſupereſſent; & pridem iurauit non ampliùs per omnes terræ dies futuras diluuij aquas; & eâ ratione eſt in æternum miſericordia eius. Vox autem, expandit, ſignificat Deum poſuiſſe expanſionem terræ ſupra aquas; quamuis enim altæ ſint aquæ, ipſe tamen ita diſpoſuit vt terra ſit veluti ſuper aquas eminens, adeo vt ipſæ ſuper illam non ſint inundaturæ, ſicut dicitur, *Et aqua non præteribunt præceptum eius.* Ipſe etenim arenam poſuit terminum mari, ſtatutum æternum, quod non pertranſibunt; & hoc vnum eſt ex illius mirabilibus.

V. 7. *Qui fecit luminaria magna.* Subjicit poſtea mentionem duorum luminarium majorum ſpeciatim, per quæ potiſſimùm ſubſiſtit mundus, & addit, quoniam in æternum miſericordia eius, quòd ſcilicet nullus ſit futurus illorum finis: deinde vtrumque ſigillatim enarrans, dicit.

V. 8. *Solem in dominium.* Et ſolem poſuit vt per diem dominaretur ad mundi commodum; vt nempe illuminaret & calefaceret aërem; quod prodeſt viuentibus & plantis. Et hæc miſericors eſt beneficentia quæ manat à Deo, & quæ in perpetuum ſine fine eſt permanſura.

V. 9. *Lunam &c.* Ita etiam conſtituit lunam vt vna cum ſtellis per noctem dominaretur. Lux enim lunæ & ſtellarum eſt neceſſaria, iter facientibus

noctu per loca deſerta & nauigantibus: virtus quoque illarum plantis eſt com- Psal.
moda, iuxta illud, *Et de delicatis fructibus maturis lunarum.* Porrò certè quam- 136.
dam vim in aquas habet luna. De quibuſdam pariter cœli conſtellationibus
dicitur, Numquid ligare poteris fructus delicatos vergiliarum vel ſerotinos Deut.
fructus Orionis aperire facies? ſic etiam ſtella quælibet vim aliquam plantis, la- Iob. 38.
pidibus ac metallis impertit. Et ex communi duorum iſtorum luminarium in- 31.
fluxu mundi ſubſiſtentia dependet; calor enim & frigus cauſa ſunt quâ viuentia
conſeruantur: porro ceſſare nunquam debent, quare additur, *Quoniam in æ-
ternum miſericordia eius.* Poſtquam autem beneficia communiter vniuerſo
orbi à Deo collata enarrauit, iam ſpeciatim illa recenſet quæ ex miſericordi cle-
mentia Iſraëlitis contulit, & eius mirabilia in eorum gratiam exhibita declarat
ac oſtendit illum ſolum eſſe mundi Dominum, & eum qui ſolus pro ſuo bene-
placito naturas rerum poteſt immutare.

V. 10. *Qui percuſsit Ægyptum.* Cædem primogenitorum propterea com-
memorat præ cæteris plagis, quòd eius potiſſimùm causâ Iſraëlitæ exierint ex
Ægypto, vnde conſequenter dicit.

V. 11. *Et eduxit Iſrael de medio eorum.* Tum poſtea ſubdit,

V. 12. *In manu potenti.* Quibus verbis aliæ omnes plagæ comprehendun-
tur: & hoc totum contigit, quoniam in æternum miſericordia eius eſt, quòd
eius benignitas mundo ſic enarretur. Magna enim illius erga mundum fuit
miſericordia quod ſ[illegible] iam fiat Iſraëlitas olim fuiſſe inter Ægyptios & hos
ſolos immiſſis à Deo [illegible] fuiſſe afflictos, at Iſraëlitas inter ipſos verſantes,
illas omnes euaſiſſe; addit poſtea.

V. 13. *Qui ſecuit mare rubrum in ſectiones.* Hoc quoque beneficium æter-
nâ memoriâ referendum eſt hominibus & celebrandum, nempe ne bellum
Iſraëlitis eſſet agitandum, non [illegible] deduxit Deus per illam viam, quâ fuiſſet
illis tranſeundum per regionem Philiſtæorum: & propter eos aquarum natu-
ram immutauit, vt per medium illarum tranſire poſſent. Magnum etiam erga
illos fuit illud beneficium, ſcilicet maris diuiſio; quod in duodecim diuiſiones
fuit ſciſſum pro duodecim Tribubus, ne confuſo & perturbato ordine ingre-
derentur, ſed vt ſingulæ tribus per viam ſibi aquarum ſciſſione patefactam,
tranſirent. Et propter ſingulare hoc beneficium par eſt vt perpetuò eius
memoria recolatur & celebretur: ſic Magiſtri noſtri F. M. exiſtimant mare
rubrum in diuiſiones duodecim fuiſſe diſſectum. Poteſt etiam ſic exponi, id-
circo dici, diuiſiones, quod ſit diuiſum mare in latitudinem ſuam ad medium
vſque aut etiam ampliùs, ac poſtea in longitudinem ſuam: eàdem etenim pla-
gâ quâ Iſraëlitæ ingreſſi ſunt in mare, ipsâ eadem ſunt egreſſi: ſiquidem ex de-
ſerto Ethan ingreſſi ſunt mare rubrum, & ex mari rubro egreſſi ſunt in deſer-
tum Ethan, vt ſcriptum eſt. Si vero obijcias, quandoquidem non fuit illis ne-
ceſſe tranſire mare iuxta eius latitudinem, cur illud ſunt ingreſſi, & deinde ad
eundem locum egreſſi, in quo antea [illegible]: non alia de cauſa illud ita fieri vo-
luit Deus benedicendus quàm vt ſubmergerentur Ægyptij in mari, atque vt
robur magnitudinis ſuæ oſtenderetur, nempe cùm Iſraëlitæ ſicco pede per me-
dium mare tranſierunt, & in idem Ægyptij ſunt demerſi.

V. 14. *Et tranſire fecit Iſraelem per medium eius.* Nempe per ipſius ma-

PSAL. 136. tis profunditatem, quæ eſt eius medium, & illac eos tranſire fecit quaſi per ſiccam terram vt ſcriptum eſt: & majus adhuc beneficium quàm illud eſt eis præſtitum ſcilicet ne pedes quidem eorum aquis fuerint intincti.

V. 15. *Et excuſſit.* Ne ſua veſtigia relegentes, illuc redire poſſent vnde erant profecti; & hæc inſignis fuit Dei miſericordia, quòd Iſraëlitæ vindictam contra ſuos hoſtes exercitam viderint, nec quidquam mali ſibi ab illis deinceps timuerunt.

V. 16. *Qui traduxit populum ſuum per deſertum.* Hoc eſt, per regionem per quam nemo antea tranſierat, & in qua nullum erat tritum iter, Deus pro ſua miſericordia traduxit illos, & interdiu in columna nubis, & noctu, in columna ignis viam illis demonſtrauit. Præterea per deſertum, hoc eſt, per terram incultam & horrendam; in qua tamen omnia illis neceſſaria, pro ſua benigna pietate ſuppeditauit; quæ miſericordia in æternum eſt celebranda.

V. 17. *Qui percuſsit.* Illos collectiuè recenſet ac deinde ſpeciatim enumerat, ad materiam diuinæ laudis dilatandam. Eadem de cauſa dixit, qui percuſſit & mox ſubdidit, qui occidit, cùm vnum & idem ſit, & ſola ſententiæ eiuſdem per alia verba repetitio. Et hoc totum fit ad laudem amplificandam, & diuinæ miſericordiæ multis vicibus prædicandæ gratiâ. Et reuera inſignis fuit miſericordiæ exhibitio, quod nimirum cùm noluiſſent liberam tranſeundi Iſraëlitis facultatem dare, imò aduersùs eos pugnaturi Reges iſti eſſent egreſſi, & quidem magnâ populi multitudine viriſque potentibus ac robuſtis inſtructi, ipſos tamen Deus exaltandus tradidit in manus Iſraëlitarum, qui percuſſerunt illos, & tanta illos internecione deleuerunt vt nullum ſuperſtitem reliquerint: hæc ſanè magna admodum fuit eius miſericordia.

V. 18. 19. 20. *Et occidit Sehon. Et Og. Et dedit terram eorum hereditatem* Et majorem adhuc iſtâ miſericordiam erga illos exhibuit: non enim ſolùm effecit vt iſtos Reges & populos occiderent, ſed ipſorum regiones illis in hereditatem donauit; ne ſcilicet aliæ Gentes venirent & ſimul contra eos congregarentur vt inde illos ejicerent. Et hoc, magna fuit Dei miſericordia, eſt enim miſericordia ſeu liberalitas, boni ſeu beneficij additamentum: & per illam terram quam dedit ipſis, ſua erga eos beneficia multùm adauxit. Eam etenim tantùm regionem Abrahamo patri noſtro ſe daturum promiſerat, quæ erat trans Iordanem, nempe quæ ad ſeptem Gentes pertinebat: & tres adhuc ſunt Gentes Kinæi ſcilicet, Kinizæi & Kadmonæi: & tres iſtæ Gentes non ſunt ſubjiciendæ Iſraëlitarum ditioni niſi futuris aliquando temporibus cùm ad fines Iſraëliticæ terræ pertinebunt. Nihilominus tamen etiam in hoc ſeculo Dauidi Iſraëlis Regi ſubjectæ fuerunt, ſiquidem Magiſtri noſtri F. M. exiſtimant tres iſtas Gentes Kinæos, Kiniſæos & Kadmonæos eſſe ex Ammonitis & Moabitis. Et quòd Deus Abrahamo patri noſtro decem dedit populos, illas nimirum tres ſupradictas Gentes, & alios ſeptem populos, Hetheum ſcilicet, Phæteræum, & Rephaim & Amorrhæum & Gergeſæum, & Chananæum, & Iebuſæum, & ecce inter illos Heuæi non recenſentur. Reſpondent Magiſtri noſtri F. M. Rephaim quos nominauit, ipſos eſſe Heuæos: verùm trans Iordanem, ad plagam Orientalem nihil prorſus dedit Abrahamo patri noſtro. At Iſraëlitis hereditario iure poſſidendam dedit regionem Sehon & Og, quæ priùs Moabitarum

fuerat; & hoc fuit ex miſericordia ſeu liberalitate illis collatum à Deo; quapropter nullam in hoc Pſalmo fecit mentionem regnorum Chanaan, ſicut fecit in Pſalmo ſuperiore, nempe quia dicit in hoc Pſalmo, quoniam in æternum miſericordia eius; regna autem Chanaan quæ dedit illis, veritatis illius ſeu fidelitatis ſunt exhibitio, non verò miſericordiæ, quia pridem illa regna ſe daturum Abrahamo patri noſtro promiſerat. At verò quòd regionem illam Sehonis & Og, quam Abrahamo non promiſerat, ipſis Iſraëlitis dederit, hoc fuit ex miſericordia ſeu liberalitate. Psal. 136.

V. 22. *Hereditatem Iſraeli ſeruo ſuo.* Terram illis abſtulit populis qui erant cultores idolorum, & eam dedit Iſraëlitis qui ſolum Deum benedicendum colunt.

V. 23. *Quia in deiectione noſtra.* Maxima etiam præterea illius erga nos miſericordia fuit, quod cum fuimus ex noſtra illa terra ejecti & deportati propter iniquitates & peccata noſtra, & exules in miſera dejectione poſiti, noſtri tamen eſt recordatus propter fœdus olim cum Patribus noſtris initum, iuxta illud, *Et hocquoque etiam, cùm tamen eſſent in terra inimicorum ſuorum, non* Leuit.
reprobaui eos, &c. Hoc autem dixit de Babylonico exilio, aut de iſto præ- 26. 44.
ſenti quod videtur rectius. Dicit verò, memor fuit, eripuit vſurpans præteritum pro futuro, vt fieri ſolet vt plurimùm in vaticinijs; vel quia, ſicut dicunt Magiſtri noſtri F. M. ad illa verba, Semini tuo dedi terram hanc, non dixit hîc dabo, ſed dedi: nempe verba Dei ſancti & benedicti ſunt opera.

V. 24. *Et eripuit nos ab inimicis noſtris.* Magna quidem illius erga nos miſericordia extitit quod nos in exilio poſitos conſeruauerit inter Gentes; ſed longe major eſt adhuc ea miſericordia, & in æternum prædicanda, quâ nos aliquando ex noſtris hoſtibus eſt erepturus, & præterea ſuam à nobis miſericordiam in perpetuum non auertet.

V. 25. *Qui dat.* Poſtquam Dei miſericordiam erga Iſraëlitas enarrauit, eamdem erga viuentia omnia in fine Pſalmi commemorat: & ſicut in initio Pſalmi beneficentiam Dei in totum mundum prædicauit, ſic modò in fine de illo dicit quòd det eſcam omni carni. Magna eſt eius miſericordia erga res conditas, quòd illarum quamlibet cibo illi conuenienti alat. Addit deinde.

V. 26. *Confitemini Deo cœli.* Eóquòd è cœlis emanet pluuia quæ cibi cuiuſlibet eſt cauſa, ſicut dicitur, *Certè quomodo deſcendit imber & nix de cœlo*; Iſa. 55.
hoc eſt, è ſummo aëre, qui cœlis eſt expanſus. Et hoc maximum eſt bene- 10.
ficium, quod nunquam deficit; hinc dicit, quoniam in æternum miſericordia eius.

PSALMVS CENTESIM. TRIGESIMVS-SEPTIMVS.

1. SVper flumina Babylonis, illic ſedimus, etiam fleuimus: cùm recordaremur Sion.

In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus citharas noſtras.

PSAL. 137. 3. Quando illic rogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos verba cantici; & in ſuſpenſis noſtris lætitiam: cantate nobis de canticis Sion.

4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra alieni?

5. Si oblitus fuero tui Ieruſalem: obliuiſcatur dextera mea.

6. Adhæreat lingua mea palato meo, ſi non meminero tui, ſi non præpoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ.

7. Memor eſto Domine filiorum Edom cum die Ieruſalem, qui dicebant, nudate, nudate vſque ad fundamentum in ea.

8. Filia Babylonis deuaſtata: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

9. Beatus qui apprehendet, & allidet paruulos tuos ad petram.

COMMENTARIVS.

V. 1. *SVper flumina Babylonis.* Hic Pſalmus eſt editus de mœſtis queſtibus Leuitarum cantorum qui exulabant apud Babylonios, quaſi dicerent, iuxta Babylonios fluuios eramus ſoli, & ibi ſtupefacti ſedebamus, ac etiam flebamus dum eſſemus memores Sionis.

V. 2. *In ſalicibus.* Nempe fluuiorum; ſalices enim ad ripas fluminum creſcere ſolent: cùm igitur ſederemus iuxta fluuiorum ripas & citharas noſtras manibus tenentes, nos accingeremus ad canticum aliquod, vt in Sione ſolebamus, atque mox in mentem noſtram veniret ipſius Sionis memoria, ſtatim præ doloris acerbitate deponebamus citharas noſtras, eáſque ſalicibus appendebamus, & ſedentes mœſti flebamus. *In medio eius*, hoc eſt, in medio Babylonis.

V. 3. *Quia illic rogauerunt nos.* Verbum iſtud שאלונו *ſcheelounou* eſt con-
Iud. 4. 2. jugationis primæ cal, vt etiam iſto in loco, *Si quiſquam venerit & interrogauerit te*, &c. Cùm nos ſibi obuios haberent Babylonij, qui nos [illegible]xere captiuos, nobis ſolebant dicere vt aliquod è Sionis canticis ipſis audientibus decantaremus; tum verò copioſè flebamus, illiſque reſpondebamus, *Quomodo cantabimus?* Senſus horum verborum. *Et in ſuſpenſis noſtris lætitiam*, eſt, ipſi à nobis petierunt verba cantici ſeu oblectantia: nos rogabant vt citharis noſtris, quas in ſalicibus ſuſpenderamus, lætitiam ipſis crearemus. Quidam exiſtimant vocem תוללינו *tolalenou* idem ſignificare quod יללתינו *ielaltenou*, vt illa dictio ſit eiuſdem formæ ac תושבינו *thoſchauenou*, ac ſi diceret, dixerunt nobis vt pro noſtris vlulatibus lætitiam teſtaremur.

V. 4. *Quomodo, in terra alieni?* Hoc eſt, in terra Dei alieni; quòd eſt oppoſitum illi, canticum Domini.

V. 5. *Si oblitus fuero, obliuiſcatur dextera mea.* Nimirum [illegible] pulſandi muſica inſtrumenta: dexterâ enim manu pulſatur cithara.

V. 6. *Adhæreat lingua mea.* Adeout loqui non poſſit, aut cantic aliquod canere. *Si non meminero tui.* Niſi continuò ſim memor vaſtat[illegible]

tuæ, & luctûs qui ob ruinas tuas eſt factus: & niſi præpoſuero ſuper caput lætitiæ meæ, hoc eſt, quoties aliquâpiam afficiar lætitiâ, non ero immemor luctûs Ieruſalem, ſed illum aſcendere faciam ſuper caput vel initium lætitiæ. Huc vſque fuerunt verba Leuitarum; tres verò alij verſus conſequentes ſunt verba ipſius authoris Pſalmi, qui cùm adhuc de Babylonico exilio vaticinaretur, Spiritus ſancti lumine colluſtratus, præuidit captiuitatem quæ ſub templo ſecundo per Idumæos ſeu Romanos contigit. Illud ſiquidem penitus deuaſtauit Titus Princeps Romani imperij, qui ex Idumæis habuit originem. Ita etiam loquitur Ieremias Propheta in libro Lamentationum, qui dum adhuc vaticinaretur de Babylonico exilio, futuram ſecundi templi ruinam præuidens dixit, *Gaude & lætare filia Edom*, ſcilicet ironicè loquens, *Sicut lætatur iuuenis in pueritia ſua.* Ad quæ verba ſic Magiſtri noſtri dixerunt, filia Edom, Cæſaris familiam deſignat, & per illa verba, inquiunt, quæ habitas in terra Hus, Roma eſt intelligenda. Ita etiam loquitur hîc cantor, qui dum vaticinaretur de Babylonica captiuitate, vidit pariter exilium Titi, & ait: PSAL. 137. Thren. 4. 21.

V. 7. *Memor eſto Domine filiorum Edom cum die Ieruſalem.* Die nimirum vaſtationis Ieroſolymorum, quo ipſi ſeſe mutuò excitantes dixerunt, *Nudate, nudate vſque ad fundamentum in ea.* Hoc eſt, vaſtate & diruite omnia ædificia Ieroſolymorum, vſque dum ipſa eorum fundamenta eruta conſpiciantur.

V. 8. *Filia Babylonis.* Modo ad Babylonis regnum ſermonem iterum conuertit ac dicit, vaſtata es Babylon: & ſubdit: *Beatus qui retribuet tibi.* Nempe Darius Medus qui Babylonem deuaſtauit.

V. 9. *Beatus qui apprehendet.* Hoc eſt, crudelem in modum, eâdem immanitate quâ ipſi contra Iſraëlitas ſunt vſi. Et ita futurum Iſaias Propheta prædixit his verbis, *Ecce ego ſuſcito contra eos Medos*, &c. & addit, *Et arcus pueros allident.* Iſai. 13. 17.

PSALM. CENTESIMVS TRIGESIMVS OCTAVVS.

Dauidi.

1 CONfitebor tibi in toto corde meo: in conſpectu Deorum pſallam tibi.

2. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo ſuper miſericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificaſti ſuper omne nomen tuum, eloquium tuum.

3. In die clamaui, & exaudiſti me, auxiſti in anima mea virtutem.

4. Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ; cùm au-

Psal. dierint verba oris tui.
138. 5. Et cantent de vijs Domini: quòd magna *eſt* gloria Domini.
——. 6. Quòd excelſus Dominus & humilem reſpicit, & altus à longè cognoſcit.

7. Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me ſuper iram inimicorum meorum extendes manum tuam, & ſaluum me faciet dextera tua.

8. Dominus perficiet pro me: Domine miſericordia tua in æternum: opera manuum tuarum ne deſeras.

COMMENTARIVS.

V. 1. IPſi Dauidi. *Confitebor tibi in toto corde meo.* Hoc eſt, totâ mentis
meæ ſcientiâ & intelligentiâ meâ. *Pſallam tibi coram Dijs.* Palam
ac publicè, hoc eſt, coram iudicibus & viris ſapientibus; Quo ſenſu dictum
Exod. eſt illud, *Ad Deos vtriuſque cauſa perueniet.* Porro confeſſio ſeu gratiarum
22. 9. actio ſolo corde, aut ſimul etiam ore fieri poteſt, at Pſalmus ore editur.

V. 2. *Adorabo ad templum ſanctum tuum.* Ad illum locum in quo repoſita eſt Arca. *Super miſericordia tua & veritate tua.* Dei miſericordia in hoc fuit, quòd illi regni moderamen ſe daturum promiſit; veritas autem quòd promiſſum illi de regno factum, fideliter, vt ſe facturum ſpoponderat ſit exequutus, poſtquam multas calamitates eſſet expertus: à quibus omnibus à Deo fuit ereptus. *Quoniam magnificaſti ſuper nomen tuum eloquiuum tuum.* Eſt tranſpoſitio verborum, pro, Quoniam magnificaſti ſuper omne eloquium
tuum, nomen tuum; cuiuſmodi reperitur in his locis, *Et erit in die illa, dabo*
Ezech. *ipſi Gog locum ibi ſepulchri in Iſrael*, pro, locum ſepulchri ibi. Et, *Me inuo-*
39. 11. Oſ. 8. 2. *cabunt, Deus meus cognouimus te Iſrael*, pro, me inuocabunt Iſraël. Deus meus
cognouimus te. Et multæ his ſimiles, vt ſcripſimus in libro Miclol in Grammaticis. Et ſenſus huius verſus iuxta id quod dixit, Et ſuper eloquiuum tuum, ſicut expoſuimus: quia ſcilicet præſtitit illi quod promiſerat, ea de cauſa inquit, magnificaſti nomen tuum, ſuper omne eloquium tuum; quoniam tu dicis, tu decernis & exequeris, ac propter hoc magnificaſti nomen tuum: omnes enim ſunt dicturi, magnificetur Dominus quoniam omnia præſtat quæ promiſit, ſicuti etiam erga me egiſti, omnia implens quæ promiſeras. Cùm tamen omnes exiſtimaſſent me nunquam regiâ dignitate potiturum, eòquòd varias meas iactationes & fugas vidiſſent. Hic mihi videtur eſſe huius verſiculi ſenſus. Alij autem interpretes ſic exponunt, quoniam magnificaſti ſuper omnia magna tua, nomen tuum & eloquium tuum. Sapiens verò Rabbi Abraham F. E. ſic interpretatur, Et celebrabo * nomen tuum, nomen proprium tuum, quod ſcribitur & non legitur. Senſus eſt, quoniam magnificaſti nomen illud glorioſiſſimum quod ipſe Moſi dixiſti, ſupra omnia alia nomina tua,

* Nomen Tetragrammaton intelligit יהוה, quod quidam *Iehoua* pronuntiant.

quæ ſunt tantùm nomina adiectiua. Sed cum expoſitionibus iſtis non cohæret ſenſus qui eſt datus his verbis, Super miſericordia tua & veritate tua. PSAL. 138.

V. 3. *In die* quo *innocaui te.* Eo tempore quo anguſtiâ preſſus huc atque illuc fugerem & diuagarer, & inuocaui te, túque me exaudiſti, & ex anguſtia in liberum ſtatum me conſtituiſti. *Auxiſti in anima mea robur.* Eâ ipsâ te roboraſti me in anima mea in fortitudine, ac ſi diceret, magnum robur immiſiſti animæ meæ, vt fidei & veritati tuæ me committerem: tum enim noui nullum eſſe præter te Deum, téque res humanas intueri & curare.

V. 4. *Confitebuntur tibi Domine.* Propterea quòd me exaudieris & erueris ex anguſtia, mihique verbum tuum bonum de regia dignitate promiſſum impleueris, te celebrabunt omnes Reges terræ qui me cognoſcunt. *Quia audierant verba oris tui.* Nempe quibus regnum mihi promiſeras; qui cùm viderent me vagum ac profugum, & Saülem me ad necem mihi inferendam, proſequentem, deſperabant me aliquando Regem futurum: hócque videbatur ipſis admodum difficile, iam verò cùm promiſſum tuum bonum mihi præſtiteris, te prædicabunt. Et hæc expoſitio confirmat rectè à nobis fuiſſe explicatum illum verſum, Super omne nomen tuum eloquium tuum.

V. 5. *Et cantent.* Canticum & laudem Domino dicent, & de viis eius & tremendis operibus cantabunt, eò quòd poſſit omnia, & deprimere ac extollere quemlibet: & ſemper dicent quòd magna ſit gloria Domini; & quòd ipſe ſolus ſit Deus. Dum enim regnaret Dauid, de illo dictum eſt, *Et exiit nomen Dauidis in omnes terras, & Dominus pauorem illius immiſit ſuper omnes Gentes.* Cùm autem illum expaueſcerent, ipſum etiam Deum reuerebantur; nouerant enim & perſpectum habebant, regnum illi à Deo contigiſſe, & propterea eius gloriam aſcribebant Deo benedicendo, quòd ipſe ſit dominus ſupra omnia, qui Dauidem ad regiam dignitatem extulit, cùm iam omnes iſtius rei ſpem omnem abiecisſent. Hinc factum fuit vt Hiran Rex Tyri miſerit legatos ad Salomonem ac dixerit, *Benedictus Dominus Deus Iſrael qui fecit cælum & terram, qui dedit Dauid Regi filium ſapientem.* Ecce ipſe propter magnitudinem Dauidis, & regnum eius prædicat & profitetur Deum benedicendum feciſſe cælum & terram. 1. Par. 14.17. 1. Reg. 5. 7.

V. 6. *Quòd excelſus Dominus.* Tunc palam confitebuntur quòd Dominus ſit excelſus, & tamen reſpiciat humilem, & quòd hæc inferiora curet ac diſponat; non verò vt quidam dixerunt, *Nunquid nubes ſunt latibulum ei, vt non videat nos; & ambitum cæli perambulat?* Vbi ſcilicet viderunt ipſum fuiſſe intuitum miſeriam & depreſſionem meam, tunc profeſſi ſunt quòd abiectum aſpiciat, licet ipſe ſit excelſus. *Et altus à longe cognoſcit.* Dictio ידע *ieiedaa* eſt coniugationis hiphil inſtar iſtius, *Et vidua non* ייטיב *ieietiu benefecit.* Senſus eſt, & ipſe excelſus eſt & è longinquo, nempe è cælis, qui longe à terra ſunt remoti, inde, inquam, vias hominum cognoſcit, vt ſciant quòd ipſe videat eos. Sunt qui vocem ידע *ieiedaa* interpretentur confringit, ſicut iſto in loco. *Contriuit cum illis viros Socborb.* Et ſenſus erit, ipſe excelſus eſt, & humilem intuetur eique benefacit, at elatum & ſuperbum conterit, licet ab eo ſecundùm eius opinionem longè ſit diſſitus. Iob. 22. 14. Iob. 24. 21.

V. 7. *Si ambulauero.* Cùm ego, inquit Dauid, per medias calamitates am-

Psal. bularem, eſſémque morti proximus: hoc enim iſtis verbis in medio anguſtiæ
138. deſignatur; cùm in profundum anguſtiarum eſſem coniectus, tu me conſeruaſti. *Super iram inimicorum meorum.* Aduersùs iram eorum, & contra furo-
I. d s. tem eorum: ac ſi diceret, illis inuitis, nempe quod illud è re illorum non eſ-
16. ſet, miſiſti manum tuam ad me, in medio anguſtiæ poſitum, & ſaluum me fecit dextera tua.

V. 8. *Dominus perficiet circa me.* Sicut iam incepit ſuis me beneficiis afficere, ita ſuam erga me benignam miſericordiam abſoluet. *Domine* eſt vocatiui caſus. Domine miſericordia tua ſit mecum in æternum, & quia ego gratè agnoſco bonitatem & beneficium tuum, & quia ego ſum opus manuum tuarum; tu enim feciſti me, tu me educaſti & prouexiſti, ac tandem Regem conſtituiſti, ne tuam ergo à me, quæſo, miſericordiam retrahas.

PSALMVS CENTESIMVS TRIGESIMVS-NONVS.

Præcentori Dauid Pſalmus.

1. DOmine inueſtigaſti me, & cognouiſti.

2. Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam: intelligíſque cogitationem meam de longè.

3. Semitam meam, & accubitum meum cinxiſti, & omnes vias meas peruidiſti.

4. Quia *cùm* nondum eſt ſermo in lingua mea, ecce tu Domine cognoſcis omnem illum.

5. Retrò & ante formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

6. Mirabilis *eſt* ſcientia præ me: excelſa eſt non potero ad eam.

7. Quò ibo à ſpiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam?

8. Si aſcendero *in* cælum tu illic *es*: & ſi ſtratum fecero in inferno, ades.

9. *Si* ſumpſero pennas auroræ: habitauero in extremis maris.

10. Etiam illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

11. Et dixi fortè tenebræ occultabunt me: ſed nox lumen *eſt* circum me.

12. Etiam tenebræ non obſcurabunt à te, & nox ſicut dies lu-

cebit : ſic tenebræ ſicut lumen.

13. Quia tu poſſediſti renes meos : obumbraſti mihi in vtero matris meæ.

14. Confitebor tibi ; quia terribiliter mirificatus ſum, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit valde.

15. Non fuit occultatum à te os meum quo factus ſum in occulto, artificiosè confectus ſum in inferioribus terræ.

16. Informe meum viderunt oculi tui : & in libro tuo omnia iſta ſcripta erant diebus *quibus* formabantur, & non vnum in eis.

17. Mihi autem quam pretioſæ ſunt cogitationes tuæ Deus, quam multæ ſunt ſummæ earum.

18. Dinumerauero eas, ſuper arenam multiplicabuntur, expergefactus ſum, & adhuc ego tecum.

19 Si occideris Deus improbum & viros ſanguinum : declinate à me.

20. Qui loquuntur de te in cogitatione ; aſſumpſerunt in vanum inimici tui.

21. Nonne qui oderunt te Domine odi, & contra eos qui inſurgunt in te, moleſtiâ afficior.

22. Perfecto odio odi illos : pro inimicis fuerunt mihi.

23. Scrutare me Deus & cognoſce cor meum : explora me & noſce cogitationes meas.

24. Et vide ſi via doloris *in me eſt* : & deduc me in viam ſeculi.

COMMENTARIVS.

V. 1. PRæcentori, ipſi Dauidi Pſalmus. *Domine inueſtigaſti me & cognouiſti.* Exploraſti cor meum, & illud penitus pernouiſti, ſicut alio in loco dicitur, *Ego Dominus* ſcrutans cor, & probans renes. Ierem. 17. 10.

V. 2. *Tu cognoſcis ſeſsionem.* Ex humanis motibus ſeſſionem & ſtationem potiſſimùm commemorat, quòd homo ex animi deliberatione ſedere aut ſurgere ſoleat. Dum enim ſedet & ex ſuo loco vult ſurgere, rem aliquam apud ſe cogitat & ſtatuit propter quam velit aſſurgere : Si verò ſteterit ac velit ſedere, aliquid ſibi proponit cuius gratiâ ſedere deſideret. Ecce autem voluntatem hominis & eius cogitationem Deus pernoſcit ac intelligit de longè : hoc eſt, antequam ipſe cogitet ; vox לרעי *lereei* cogitationem ſignificat, vt iſto in loco, *Et in cogitatione cordis ſui.* Eccl. 2. 22.

V. 3. *Iter meum.* Inceſſum meum diurno tempore. *Et accubitum meum,*

Psal. hoc eſt cubatum meum noctu, quo ſcilicet homo iacet in lecto ſuo, vnde il-
139. lud, *Et cubauit* aſina *ſub Bilham*, Chaldaicè redditur ורבעה *ourueaat.*
—— Ecce autem quatuor hominis motus recenſuit, qui ſunt ſeſſio, ſtatio, ambula-
Num. tio & cubatio: Semper enim homo ab aliquo vno ex his ſtatibus ad alium ſi-
22. 2. tum mouetur: verbum illud זריתה *zerita* ſignificat, circumplexus es; à quo
fit illud nomen, *Et facies ei* menſæ זר *zer coronam auri vndequaque.* Por-
Exod. rò ſenſus eſt, omnes motus & ſitus meos, & cogitationes pernouiſti: tu ſi-
25. 25. quidem corpus meum continuò cingis & meis cogitationibus penitiſſimè
ades. *Et omnes vias meas.* Hoc eſt, illis quaſi aſſuetus fuiſti: cuius thematis
Num. & ſignificationis eſt illud, An vnquam ſolita fui? Dicit, ita perſpectas habes
22. 30. omnes vias meas ſicut qui ex longo vſu rem aliquam cognoſcit. Sapientiſſimus
Cozri ita in hanc rem ſcripſir, Exiſtimat homo ſua omnia membra ſapienter,
ordinatè & menſuratè eſſe diſpoſita; nam videt illa ſuæ voluntati obtempe-
rantia, cùm ipſe neſciat quâ ratione, & quodnam ex illis ſit mouendum. Exem-
pli causâ, ſi quando ſurgere velit, mox deprehendet omnia membra ſua quaſi
obedientes adiutores præſtò adeſſe, & iam corpus ſuum erigere, & ipſe ta-
men non nouit iſta membra: & idem contingit ſi velit iter facere aut ſedere,
&c. & hoc indicari per illa verba, Iter meum & accubitum meum cinxiſti, &
omnes vias meas aſſuefeciſti: Dominus verò pater meus P. M. ſic interpreta-
tur iſtas voces ארחי *orbhi &* רבעי *reuii*: primam quidem retrò & ante: al-
teram verò, quatuor diuerſas ſitus differentias, ſuperiorem ſcilicet & infe-
Ezec. 5. riorem, dextram & ſiniſtram, & vocem זריתה *zerita* exponit ex iſto loco,
12. *In omnem ventum diſpergam*, vt dicat Dauid, quia in hoc proſperas effeciſti
& ordinaſti res meas & vtiles feciſti in ſex partibus, quoniam me in omnem
partem diſperſiſti, ita vt non eſſet mihi aliunde quidquam. Sapiens autem
Rabbi Abraham filius E. verba iſta, *Et omnes vias meas*, quinque ſenſus de-
ſignare putat; nempe quia Deus cuilibet membro ſuum dedit ſenſum & actum
proprium, illique exercendo ipſum aſſuefecit & direxit; ſic & in aliis mem-
bris effecit: vt quod vnum ex illis facit, aliud minimè faciat.

V. 4. *Quia non eſt ſermo.* Nondum ſermo à me proferendus eſt in lingua mea; nondum illum eloqui incepi, & tamen illum iam totum nouiſti, ac ſi diceret, omnia quæ ego proferre volo: vel ſenſus eſt, Ego apud me ſtatuo verbum aliquod ex corde meo expromere, & tu cogitationem meam iam habes notiſſimam, & verbum quod ore meo proferam aliquando nondum linguæ meæ impoſitum vt illud enuntiem, ſed tantùm cogitatione meâ conceptum eſt; tu verò iam noſti quid ſim prolaturus, ego autem minimè noui, Et
Prou. ſi mente illud conceperim, ſicut dixit Salomon, *Hominis ſunt diſpoſitiones*
16. 1. *cordis, & à Domino eſt reſponſio linguæ*, &. hæc explicatio mihi recta eſſe
videtur.

V. 5. *Retro & ante formaſti me.* Dominus pater meus P. M. hæc verba ex-
Ioſ. 10. plicat de formatione fœtus in vtero matris ſuæ; Et verbum צרתני *tshartani*
10. quidem figurationem ſignificat. Et addit, *Poſuiſti ſuper me manum tuam*,
quemadmodum faciunt caſeo, iuxta illud, *Et ſicut caſeum me coagulaſti*: vult
autem iſtis verbis, *Poſuiſti ſuper me*, indicare longitudinis menſuram, quòd
ſcilicet ibi det menſuram fœtui.

V. 6. *Mirabilis*. Hebraica vox ſcribitur פלאית *peliah* & legitur פליאה *peliiah*, ſed idem eſt ſenſus, licet duæ ſint ſpecies: nam peliah eſt fœmininum à pelai ſuperiùs memorato: peliiah verò eſt fœmininum à פליא *pali* inſtar נביא *naui* Propheta, cuius fœmininum eſt נביאה *neuiah*. Dixit igitur Dauid, hæc ſcientia eſt mirabilior & altior me, ita vt illam non poſſim attingere: porrò hæc ſcientia illa eſt quam adhibet Deus in conformatione humani corporis, cùm ex quatuor naturis ſibi inuicem contrariis, nimirum calido & frigido, humido & ſicco, quæ Deus benedicendus pro ſua ſapientia, ita in corpore formato aptat & permiſcet, vt ex illis compactum corpus ſubſiſtat. Sapiens autem Rabbi Abraham F. E. hos duos verſus exponit cohærenter cum illis quæ dixit ad illa verba, Iter meum & accubitum meum, & verbum צרתני *tſartani* exponit, obſediſti me, vt in iſtis locis, *Si tecum fecerit bellum obſidebis eam.* Et, ne obſideas eos neque certes cum illis. Dicit ergo, obſe- Deut. 22.19.
diſti me retrò & ante, & poſuiſti ſuper me manum tuam, neq; eſt obſidio aut coarctatio ſimilis iſti, vult dicere, quòd non eſt mihi ſtatio neque profectio Ibid. 2.
abſque te. Ad illa autem verba, Mirabilis ſcientia præ me; hæc, inquit ſcientia, & cogitatio illa eſt, quo ibo? Dictio אנה *ana* idem eſt quod אן *an* quò, non eſt enim poteſtas in homine eundi aliquò, niſi illum ſpiritus Dei deduxerit: idcircò dixit, quò ibo à ſpiritu tuo, hoc eſt à facie tua?

V. 7. *Quo ibo?* Dictio אנה *ana* habet hoc loco accentum in vltima, ſicut etiam in illo, *Quò nos aſcendimus*? Aliis in locis eſt penacuta. Dicit, ſi cogi- Deut. 1. 28.
tem abire aliquò, aut à tuo ſpiritu me abſcondere, vel à tuo conſpectu fugere, & ſententia repetitur verbis diuerſis: Si apud me hoc facere conſtituam, non potero, inquam, tu enim in omni loco præſens inueniris, nec vllus te locus poteſt concludere.

V. 8. *Si aſcendero.* Hoc enim ſignificat vox iſta אסק *eſſac* etiam Chaldaïcè, Si me poſſe in cælum conſcendere cogitauero, & illuc aſcendam vt te non inueniam, ibidem præſens ades. *Si ſtratum fecero in inferno.* Et ſi dixerò quòd deſcendam in infernum, hoc eſt, in infimas terræ partes, ecce tu ibi ades. Dixit verò, ſtratum fecero, quia ſepulchrum eſt quaſi hominis ſtratum poſt mortem eius: ſic ergo commemorauit circuitus mundi locum altiſſimum & infimum ſeu centrum, & vbique tu præſens ades: ſi ita ſit, in nullum potero me conferre locum, in quo tibi non occurram.

V. 9. *Si ſumpſero pennas auroræ.* Dixi, etiam ſi aſſumam pennas auroræ, & illis adiutus volabo ab Oriente in Occidentem, ſi fortè illum inueniam: verùm abſque illo non potero illuc ire; nam in omnem locum manus tua deducit me. Dixit autem pennas auroræ, quòd hæc vno veluti momento ab Oriente in Occidentem diffundatur. Per extremum maris, plaga Occidentalis eſt intelligenda; & cùm dicit, in extremo maris, mundi extremam oram deſignat: mare etenim terram ſuo ambitu complectitur, & maris extremum, eſt etiam orbis, ac ſi diceret, ſi ab Ortu in Occaſum momento vno demigrauero, abſque te nihilominus ire non potero, nam in omnem locum deducet me dextera tua.

V. 10. *Et tenebit me dextera tua.* Illud etiam eſt explanatum in præcedentibus.

Psal. V. 11. *Et dixi, vtique tenebræ occultarent me.* Verbum ישופני *ieſchopheni*
139. deriuatur à voce נשף *neſcheph* tenebræ, ſuntque duæ radices, ſed idem ſig-
nificatum, נשף *naſchap* & שוף *ſchouph*: ſic נמל & מול *namal* & *moul*: Senſus eſt, ſi dicam & exiſtimem tenebras ipſas poſſe obſcurare & ita abſcondere me, vt mea opera méque videre non poſſis, nec cogitationes meas. *Sed nox lumen eſt circum me.* Nox ipſa, quæ aliud non eſt quàm caligo, eſt lumen circum me, & tam perſpicuè per noctem me intueris, quàm per diem.

V. *Etiam tenebræ.* Bis, ter & quater eamdem ſententiam repetit, vt magis rem ita ſe habere demonſtret, nempe nullas eſſe tenebras, nullam caliginem vt vt denſam & obſcuram, quibus aliquid à De conſpectu abſcondi poſſit. Verbum יחשיך *iahhaſchic* actiuam habet ſignificationem, ſensúſque eſt, non obſcurabit caligo, quidquam à te vt illud minimè peruideas: omnia enim coram te ſunt æqualiter manifeſta, & nox ipſa non ſecus ac dies ipſe, res tibi conſpicuas facit. *Sic tenebræ ſicut lumen.* Littera כ *caph* nota ſimilitudinis, bis continenter hoc loco ponitur, vt etiam iſtis in locis, *Quia ſicut tu, ſic Pharao. Sicut ſeruus, ſic dominus eius.* Et alia his ſimilia. Quod breuitatis causâ
Gen. 44. 18 ſic enuntiatur: & ſenſus eſt, hoc ſeſe habet omnino ſicut illud; & illud, per-
Iſai. 24. inde ſicut hoc.
2. V. 13. *Quia tu poſſediſti.* Quî verò fieri poſſet vt cogitationes à te ſint abſconditæ, cùm tu poſſideas renes meos, qui nimirum cogitationis ſunt principium: nam renum eſt conſulere, cordis verò perficere: at ſi illos tu poſſides, quomodo te latere poterit illud quod conſulunt? Præterea quoque accedit quòd tu me contexueris in ventre matris meæ, qui eſt locus obſcurus omniſque lucis expers: Si autem ibi me formaueris, oſſibúſque & neruis obduxeris, quomodo occulta non cognoſces? Sunt qui exiſtiment factam hìc mentionem renum, quòd ab iis initium habeat humani corporis efformatio, ſunt enim velati duo globi alicuius poli: verbum autem poſſediſti, idem habet hoc loco ſignificatum ac in iſto, *Leuo manum meam ad Dominum Deum*
Gen 14. *poſſeſſorem cæli*, &c.
22. V. 14. *Confiteor tibi quoniam in mirabilibus.* Stupendæ ſunt in conformatione mea operationes tuæ, & ego propter illas te celebrabo, quia mirificatus ſum in efformatione, hoc eſt mirabilis ſum effectus propter mira tua opera in me efformando. *Et anima mea cognoſcit valde.* Illud valde, refertur ad mirabilia opera tua; ac ſi dicat. Opera tua valde ſunt admiranda, & anima mea hoc cognoſcit, nimirum intellectualis anima. Etiamſi, inquit, in aliis animantibus efformandis mira ſint etiam opera tua, at nullum eſt ex illis quod hoc agnoſcat: at verò mente intelligente me donaſti præ cæteris animantibus, quæ ſtupenda tua opera percipiat, & de illis te laudet ac celebret. Porrò ſtupenda illa efformationis corporum mirabilia, manifeſta ſunt & nota viris ſapientibus ac peritis: quodlibet enim membrum ſapientiſſimè eſt efformatum, & neceſſarium fuit ac vtile vt effingeretur eâ diſpoſitione quam habet; & quilibet homo diligenter iſta conſiderare debet: inde etenim mira Conditoris opera poterit agnoſcere, eique propter illa gratias & laudes referre. Verùm ſi aggrederemur in hoc opere enarrationem diſpoſitionis membrorum, & vtilitatis eorum, & commodæ variarum potentiarum & facultatum commixtionis,

mixtionis, & vtilitatis earum, longior eſſet enumeratio; qui tamen ea omnia ſcire deſiderat, illa in libris ſapientum inueniet. Pſal.

V. 15. *Non fuit occultatum os meum.* Verbum נכחד *nichhad*, eiuſdem eſt 139. ſignificationis hoc loco ac in iſto, *Non abſcondemus à Domino meo. Robur meum.* Litera ע *aain* vocis עצמי *ootſmi* legitur cum vocali cameisbhateph, ſunt tamen qui illam putent legendam aatſmi cum vocali patahh, & ſignificare corpus meum; ſenſus eſt, corpus meum non fuit abſconditum à te quando efformatus ſum in occulto, in ventre matris meæ, & quando veluti artificiosè confectus & contextus ſum in inferioribus terræ, hoc eſt, in materno vtero qui eſt locus depreſſus & obſcurus, vt ſunt infimæ partes terræ. Eadem loquendi ratione vtitur Propheta, *Rota vna erat in terra*, hoc eſt, depreſſa; contra aliarum rotarum ſitum quæ erant ſuperiores iſtâ: Verbum autem עשיתי *vuſſethi* formatus ſum, ſimilem habet ſignificationem ac in iſto loco, *Et compreſſerunt vbera virginitatis earum, vt contuſio & expreſſio deſignetur.* Vtitúrque illâ loquendi formâ agens de humani corporis compactione, ſicut illam comparauit expreſſioni lactis, & coagulationi eius; ſicut per coagulationem effingunt caſeum, & illum manibus efformant: nam genitale ſemen primùm deciditur & attrahitur, poſteà verò in coagulum conuertitur inſtar caſei ex lacte compreſſi: & de corpore dicit: *Contextus ſum veluti phrygio opere.* Comparat ſiquidem opus formationis humani corporis ex neruis, oſſibus, pelle & carne compacti, operi phrygionico, quod multimodas habet figuras & modos multâ varietate intricatos. Sapiens verò Rabbi Abraham F. E. vocem עצמי *ootſmi* putat ſignificare potentiam meam, illam nimirum potentiam, quæ ipſum opus faciendum per formationem antecedit: ſic ſenectus dicitur eſſe in potentia in adoleſcente, & loquutio in infante recens nato; ita qui formandus eſt antequam opus efformationis illius ſit perfectum, eſt in potentia. Illud porro abſconditum eſt & occultum à viſu oculorum; imò etiam mentis creatæ notitiam latet; at verò à te minimè eſt abſconditum.

V. 16. *Informem maſſam meam.* Illa eſt ſemen coagulatum & rude antequam diſtincta ex eo membra ſint effecta: ſicut etiam eo nomine lignum rude & informe dicitur priuſquam in vas aut inſtrumentum aliquod efformatum fuerit. Dixit verò, *Viderunt oculi tui*, quia prælucentibus ipſis illa in rudi maſſa indidiſti potentiam, vt ex ea efformari membra poſſent. *Et in libro tuo omnia iſta ſcripta erant.* Hoc eſt, iſta coram te nota erant & perſpicua, non ſecus ac res aliqua in libro deſcripta. Per illas voces, *Omnia iſta*, omnia corporis membra denotantur quæ ante perfectam eorum efformationem tibi iam ſunt conſpicua, & manifeſta. *Diebus quibus formabuntur.* Nam per multorum dierum ſpatium fit membri cuiuſlibet efformatio, at non vnicà vice & ſemel totum perficitur. *Et non vnum in eis.* Multi dies illi, intra quos membrorum conformatio perficitur, ſunt veluti dies vnicus Deo benedicendo: hæc enim omnia vnico momento cognoſcit. Et ſcriptum eſt hoc & non ולא *velo*, cum א *aleph*, ſenſúſque eſt, nullum eſt membrum, ex illis quod non pernoſcat Deus antequam ſit effectum. Et ſapiens Rabbi Abraham F. E. ſcripturam illam ſic exponit; nulla eſt membrorum in ſe diuiſio aut diſtinctio in iſta informi maſſa, ante illius efformationem, ſed omnia ibi ſunt tantùm

in potentia generationis,nec eſt oculus vel auris aut quodlibet ex alijs membris
Psal. 139. diſcretum ab alio & diuiſum, licèt ſit in ipſa rudi materià embrionis.

V. 17. *Mihi autem quàm pratioſa ſunt.* Hoc eſt, itaut illas non poſſim comprehendere, iuxta illud, *Et verbum Domini erat pretioſum in diebus illis.* Et dictio רעיך *reeca* ſignificat cogitationes tuas, hoc eſt, intentiones tuas in creatione. *Quàm multa ſunt ſumma earum.* Verbum עצמו *aatſemou* ſignificat, numero ſunt magnæ; vnde poſtea ſubſequitur, dinumerabo eas: dictio enim illa עצם *aatſam* reperitur in ſignificatione roboris, & in ſignificatione multiplicationis vt, *Multiplicata ſunt mihi vidua eius præ arena marium*, & vox ראשיהם *reaſchehem* ſignificat ſummas earum vt iſto in loco, *Quum acceperis ſummam filiorum Iſrael*: ac ſi diceret, ſummaria tuæ intentionis in creatione ſunt multa, quantò magis ſpecialia eius.

V. 18. *Dinumerauero eas.* Quum illas dinumerare aggrediar, non potero id præſtare, nam arenam maris multitudine ſuperant. *Expergefactus ſum, & adhuc ego tecum.* Eóquòd de illis ſæpiſſimè cogitem interdiu, inde fit vt cùm dormio, de eiſdem quoque ſomniem: cúmque expergefactus ſum, inuenio meipſum adhuc eſſe tecum; hoc eſt, in cogitationibus tuorum mirabilium. Sunt qui vocem, expergefactus ſum, ita exponunt, ſi ego ſemper eſſem vigilans; ſiquidem media pars vitæ hominis ſomno impenditur. *Et adhuc ego tecum*; Si tecum ſemper eſſem in viuis, & nunquam morerer, illa non poſſem vnquam enarrare. Sapiens Rabbi Abraham F. E. ſic interpretatur eadem verba, quando ego apud me recogito de cognitione tuarum cogitationum; hoc autem fit in viſione Dei, & corpus iacet & anima corporis adhæret menti ſuperiori, & tunc videt ſimilitudinem, ac propterea dicit, expergefactus ſum, & adhuc ſum tecum; hoc enim non contingit vt in alijs ſomnijs.

V. 19. *Si occideris.* Hæc verba cohærent cum iſtis ſupra dictis, *Expergefactus ſum & adhuc ſum tecum*, hoc modo, quia ego continuò cogitationes meas tuis mirabilibus operibus conſiderandis adhibeo; verùm aliquando me ab iſta contemplatione exturbant res improborum, ô ſi illos occideres qui me moleſtià iſtà afficiunt: & ſunt quidem ipſi improbi & viri ſanguinum, quibus ideo dico, *Declinate à me*; nec enim quidquam poſſum contra illos: at ſi tu Domine occideris eos, omnes meæ occupationes ac cogitationes vni tibi applicabuntur.

V. 20. *Qui loquuntur de te in cogitatione.* Vox יומרוך *iomerouca* eſt ſine litera א *aleph* prima thematis, ita etiam iſto in loco, *Et Amaſa* תומרו *tho-*
2. Sam. 19. 13. *merou dicatis.* Dictio autem למזמה *limzimma* ſignificat in cogitatione; hoc ſenſu, contra te loquuntur iuxta cogitationem ſuam, quæ eſt aduersùm te mala. Poſſet etiam iſta dictio exponi in eo ſenſu quem habet illa in iſto loco, *Quia* זמה *zimma ſcelus fecerunt*, hoc eſt, abominationem. *Aſſumpſerunt*
Ose. 6. 10. *in vanum hoſtes tui.* Illi qui ſunt hoſtes tui, & oderunt te, ore ſuo te in vanum aſſumpſerunt. Et dictio נשוא *naſou* eſt ſicut נשאו *naſeou*, occurrit enim
Ezech. 39. 26. aliquando ſine א *aleph* tertia thematis, vt iſto in loco, *Et portabunt confuſionem ſuam*; & א *aleph* ſcriptum eſt ad protrahendam quietem vt idem א
Ios. 10. 24. *aleph* in iſta voce, *Qui* הלכוא *halecou iuerant ſecum*; & in iſta, Et non
Isa. 28. 12. אבוא *auou* voluerunt audire. Et alia his ſimilia, de quibus in libro Miclol

ſcripſimus. Sunt qui exiſtiment vocem נשוא *naſou* eſſe paul ſeu partici- Psal.
pium paſſiuum, hoc ſenſu, nomen tuum acceptum eſt in ore eorum in va- 139.
num, & dici עריך *aareca* pro nomen tuum, quaſi epitheton aut per peri-
phraſim.

V. 21. *Nonne qui oderunt te?* Eadem ſententia verbis alijs in hoc verſu, de more repetitur, & Magiſtri noſtri F. M. arbitrantur illum eſſe dictum aduersùs Hæreticos qui verum agnoſcunt, & tamen illud negant. Et dictio תקוממיך *thequomemeca* eſt adjectiuum cum adjectione literæ ת *tau*, & ſigni-
ficat eos qui te oderunt, vt iſto in loco, *A ſurgentibus in dexteram tuam.* Psal. 17.
Meipſum excruciaui. Verbum אתקוטט *etquotat* ſignificationem habere poteſt 8.
ex voce קטטא *quetata* contentio, in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum vſurpata, hoc eſt, contendo cum inimicis tuis.

V. 22. *Perfecto odio.* Hoc eſt, maximo, itaut majori odiſſe eos non poſſim: & idem mox repetit ad confirmandam ſententiam.

V. 23. *Scrutare me Deus.* Quia ſuperiùs dixit improborum cogitationes malas eſſe circa fidem Dei benedicendi, dicit iam, ſcrutare me Deus & noſce cor meum, & vide cor meum eſſe rectum in fide tua; & idem repetit ad confirmationem. Dictio שרעפי *ſaraapai* ſignificat cogitationes meas, ſicut etiam שעופי *ſaoophai*, illæ enim duæ voces cogitationem denotant, vt eædem ſignificant arborum ramos: ſicut enim ſe habent rami ad arborem, ſic cogitationes ad animum.

V. 24. *Et vide ſi via moleſtia.* Hoc eſt rebellionis, iuxta illud, *Et ipſi* Isai. 63.
rebelles fuerunt, & dolore affecerunt ſpiritum ſanctitatis eius. Et deduc me. 10.
Si in me videris aliquid conuerſationis rebellis, me ſtatim occide, & hoc indi-
catur per viam ſeculi, iuxta illud, *Ecce ego ingredior viam vniuerſæ carnis.* 1. Reg.
Et, *Quia pergit homo ad viam ſui ſeculi.* 2. 2.
Eccl.
12. 5.

PSALMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS.

Præcentori, Pſalmus Dauid.

1. Eripe me Domine ab homine malo: à viro violento cuſtodi me.

2. Qui cogitant mala in corde: totâ die congregant prælia.

3. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpens: venenum aſpidum ſub labijs eorum.

4. Cuſtodi me Domine de manibus improbi; à viro violento ſerua me: qui cogitauerunt propellere greſſus meos.

5. Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi: & funibus extenderunt rete iuxta ſemitam, offendicula poſuerunt.

Psal. 6. Dixi Domino Deus meus es tu: auſculta Domine voci de-
140. precationum mearum.

7. Domine Deus fortitudo ſalutis meæ: protexiſti caput meum in die armorum.

8. Ne tradas Domine deſideria improbi cogitationem eius malam, ne proferas ne exaltentur.

9. Caput circumdantium me, labor labiorum ipſorum operiet eos.

10. Cadent ſuper eos carbones, in ignem deiiciet eos, in foueas ne exurgant.

11. Vir linguoſus non dirigetur in terra: virum iniqum malum venabitur in propulſiones.

12. Cognoui quòd faciet Dominus vindictam pauperis, & iudicium inopum.

13. Veruntamen iuſti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

COMMENTARIVS.

P*Rœcentori, Pſalmus Dauid.* Hunc Pſalmum Dauid edidit cùm ipſum apud Saülem calumniarentur Doëgus & Ziphæi.

V. 1. *Eripe me Domine.* Ne mihi praui eorum ſermones perniciem creent; & idem diuerſis verbis repetitur in hoc verſu.

V. 2. *Qui cogitant.* Mala conſilia animo concipiunt, quæ tandem ore ſuo depromunt, quod verbis ſequentibus indicat. *Totâ die congregant bella.* Hoc eſt, colligunt turmas, iuxta illud. *Et congregabit illud in ſagena ſua.* (Habac. 1. 9.) Dicunt Saüli, ipſum iſto in loco inuenies, proficiſcere igitur, & pugna aduerſùs illum. Et hoc ipſi continuò repetebant.

V. 3. *Acuerunt linguas ſuas.* Inſtar ſagittæ acutiſſimæ ſuam linguam exacuerunt, vt mala contra me loquerentur, non ſecus ac ſerpens exacuit linguam ſuam cùm ſe ſe ad mordendum diſponit. *Venenum aſpidis.* Dictio חמת *hhamat* ſignificat venenum quod ſerpens mordendo exſpuit: éſtque aſpis ſpecies ſerpentis, eaque mala admodum, & perniciosiſſima. *Sub labijs eorum,* cùm enim malus homo præ ira efferueſcit, & iratus loquitur, ex ore eius quidam humor effluens eius labia defluit: illúmque humorem comparat author Pſalmi cum veneno quod à ſerpente exſpuitur.

V. 4. *Cuſtodi me Domine.* Poſtquam mala hoſtium contra ſe conſilia recenſuit, orat Deum benedicendum vt ſe ab illis tuetur; quippe qui nihil aliud moliantur quàm vt ipſum quoquo modo tandem in manus Saülis conjiciant.

V. 5. *Abſconderunt ſuperbi.* Dixerunt etenim, *Et noſtrum erit tradere*
1. Sam. 23. 20. *eum in manu Regis. Iuxta ſemitam.* Hoc eſt, ſecus eum locum per quem
Ibid. ſolebam iter facere, & cautè ingredi, ſicut dicitur ibidem, *Ite, quæſo, para-*

te adhuc & ſcitote, & videte locum eius in quo ſit pes eius, quis viderit eum ibi. PSAL. 140.

V. 6. *Dixi Domino.* Cùm illos omnibus in locis inſidias mihi ſtruere cognouiſſem, tum Domino dixi, *Deus meus es tu*, robur meum & fortitudo mea, nihil habeo virium quò manus illorum effugere valeam, niſi tu mihi opem attuleris.

V. 7. *Protexiſti caput meum in die armorum.* Eo die quo venturi ſunt contra me cum bellicis inſtrumentis, cum lanceis, cum ſagittis & cæteris belli inſtrumentis, tum obteges caput meum, ac ſi diceret, Eris Domine inſtar galeæ ſalutaris capiti meo: verbum סכתה *ſaccota* eſt præteritum loco futuri; & plura occurrunt ſimilia.

V. 8. *Ne tradas.* Litera י *iod* vocis מאויי *maauaiie* affecta eſt puncto dagues iuxta formam iſtius vocis, *Det tibi Deus de rore cœli, &* ממשמני *miſchmanne, & de pinguedinibus terræ.* Gen. 27. 28. Dicit igitur, ne impleas illius deſiderium, quod totum eò tendit vt me tandem comprehendat. *Cogitationem eius malam ne proferas.* Ne ſinas prauam eius cogitationem in lucem proferri. *Ne exaltentur.* Si enim effectum habeat conſilium eorum, extollent ſeſe & caput ſuum efferent ipſe & ſocij eius. Dictio תפק *tappec* ſignificat producas, vt in iſto loco, *Et educet quod voluerit à Domino.* Prou. 8. 35.

V. 9. *Caput circuituum meorum.* Quoniam ſuperiùs ſingularem improbum nominauit, nempe Doëgum, ſicut initio Pſalmi declarauimus, idcirco dicit hîc, caput circuituum meorum, hoc eſt, improbum illum qui eſt dux eorum qui me vndequaque circuncingunt vt me capere valeant, ipſum, inquam, operiet labor labiorum eius, mendacia quæ ipſe cum ſuis ſodalibus adu[illegible] me loquit[illegible] illa, inquam, mendacia ipſos operient ac proſternent.

V. 10. *Demittantur ſuper eos.* E cœlis ſuper eos admouebuntur carbones, hoc eſt, ira Domini & furor eius. *In ignem deijciet eos.* Propter labia eorum, de quibus ante eſt loquutus. *In foueas* In ſcrobes ita profundas eos deijciet, vt ex illis minimè poſſint exurgere; vox iſta ſic etiam vſurpatur in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum F. M. Primùm, inquiunt, in foueis eos ſepeliunt, ibique caro conſumitur, indéque oſſa colligunt & in arcis ea recondunt.

V. 11. *Vir linguoſus.* Iſte eſt Doëg cuius erat mendax & calumnijs aſſueta lingua. *Non ſtabilietur in terra.* Non aſſequetur, inquit, ſtatum firmum & ſupra cæteros elatum, ſed in deiectionem conijcietur. *Virum iniquum, malum, &c.* Malum quod ipſe operatur eum in propulſiones venabitur, donec illum in varios lapſus propellat. Siquidem ex malo in malum ſubinde præceps ruet.

V. 12. *Cognoui.* Vox hebræa legitur ידעתי *iadaati* & ſcribitur ידעת *iadaata*; & ſcripta quidem refertur ad Deum, Tu noſti cogitationes improbi contra me, fac igitur mihi de ipſo iudicium, lecta verò hunc habet ſenſum, ego cognoui quòd faciet Dominus vindictam pauperis, & iudicium inopum, ita cauſam meam aget, & meum iudicium, ac vindictam in improbum propter me exercebit.

V. 13. *Veruntamen iuſti.* Cùm iudicia in impios exercueris, laudem & confeſſionem tui nominis iuſti prædicabunt. *Habitabunt recti cum vultu tuo.*

Psal. 141. Manebunt continuò coram facie tua, vt te exquirant, & vias tuas cognoſcant.

PSALMVS CENTESIMVS QVADRAG. PRIMVS.

Pſalmus Dauid.

1. DOmine clamaui ad te, feſtina ad me: auribus percipe vocem meam dum clamabo ad te.

2. Dirigatur oratio mea *ſicut* incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum *ſit vt* ſacrificium veſpertinum.

3. Pone Domine cuſtodiam ori meo: cuſtodi ſuper oſtium labiorum meorum.

4. Non inclines cor meum in verbum malum, ad operandum operationes in impietate, cum viris qui operantur iniquitatem, & non veſcar deliciis eorum.

5. Percutiat me iuſtus, miſericordia, & redarguat me, oleum præcipuum, non franget caput meum, quia adhuc & oratio mea *eſt* contra mala eorum.

6. Dimiſſi ſunt in manibus petræ iudices eorum, & audient verba mea, quoniam dulcia fuerunt.

7. Sicut findens & proſcindens in terra, diſperſa ſunt oſſa noſtra iuxta ſepulchrum.

8. Quoniam ad te Domine Deus ſunt oculi mei: in te ſperaui ne effundas animam meam.

9. Cuſtodi me Domine à laqueo quem poſuerunt mihi: & à tendiculis operantium iniquitatem.

10. Cadant in retia eius peccatores: ſimul ego donec tranſeam.

COMMENTARIVS.

V. 1. PSalmus Dauidis. *Domine clamaui ad te.* Pſalmus hic eiuſdem argumenti materiam tractat ac præcedens. *Feſtina ad me.* Propera ad me vt mihi opem feras.

V. 2. *Dirigatur oratio mea.* Particula, ſicut, hîc eſt ſupplenda, ſicut incenſum. *Eleuatio manuum mearum.* Et cùm manus meas ad te eleuo& expando, mihi ſicut veſpertinum ſacrificium reputetur. Quod verò dicit de

oblatione veſpertina, idem etiam de matutina debet intelligi; & fieri poteſt PSAL.
vt veſpertino tempore hunc Pſalmum ediderit. Dominus autem pater meus 141.
P. M. exiſtimat illum dixiſſe, ſicut ſacrificium veſpertinum, eòquòd, ſi illud
ſacrificium quod manè offerebatur eſſet legitimum, erat acceptum ſeu gratum
Deo: iam ſi illa quoque oblatio quæ veſperi offerebatur eſſet pura & immaculata, ecce erat ſecunda, & adhuc magis acceptata.

V. 3. *Pone Domine cuſtodiam.* Vox שמרה *ſchemra* eſt nomen eiuſdem formæ ac חכמה *hhocma* ſapientia, &c. Et eſt ſenſus, Appone Domine cuſtodiam ori meo, ne fortè in mea oratione offendam aliquo modo, ſed facias, quæſo, vt ſicut rectum eſt cor meum ad te, ita etiam recta ſit oratio mea, vt ſcriptum eſt, *Hominis ſunt preparationes cordis, ſed à Domino eſt reſponſio linguæ.* Prou. 16. 1. *Cuſtodi ſuper.* Litera צ *tſade* vocis נצרה *nitſera* afficitur puncto dagues ad decorem lectionis; & verbis diuerſis idem in hoc verſu repetitur: verba autem iſta, *Oſtium labiorum meorum*, hunc habent ſenſum, ſicut oſtium labia mea, hoc eſt, ianuam labiorum meorum. Porro labia oſtium appellantur, quòd aperiantur & claudantur; & conſentaneum eſt vt qui rectus eſt, labijs ſuis vtatur tanquam oſtio, quod aperitur tantùm aut clauditur quando eſt neceſſe, ſic labia ſua non aperiat niſi ob loquendi neceſſitatem. Dominus autem pater meus P. M. vocem דל *dal* interpretatur, eleuationem labiorum meorum, ex illo loco, *Eleuati erant oculi mei in excelſum*; hoc eſt, verba quæ labijs Iſai 38. 14. meis efferam.

V. 4. *Non inclines.* Superiùs orauit pro iſs quæ ex ore ſuo proferebantur, iam pro ſuo corde precatur, nempe vt ſicut modò rectum eſt, ita ſit in perpetuum, nec poſſint vnquam illi, qui operantur iniquitatem, illud ad malum inflectere. Dixit verò, non inclines, nimirum niſi opem illi impendat quò ſuum cor dirigat & confirmet, quaſi ipſe videtur inclinare. *Ad operandum operationes in peccato*, hoc eſt, ad faciendaimprobitatis opera. *Et non veſcar delicijs eorum.* Et facias etiam vt non appetam veſci delicatis eorum cibis, ac ſi diceret, vt cor meum non attrahatur ad mundi cupiditates, ſicut cor illorum ad eas pertrahitur.

V. 5. *Percutiat me.* Deliciæ illorum minimè ſint mihi gratæ, & ſuaues, ſed potiùs me percutiat iuſtus & coarguat, & hoc mihi pergratum erit, & illi à me reputabitur vt magnum beneficium, & ſicut præſtantiſſimum oleum. *Non franget caput meum.* Percuſſio illa non lædet caput, verùm mihi reputabitur ſicut vnguentum capitis, hoc eſt, vt optimum vnguentum quo plagæ ſolent inungi. Et dicitur, vnguentum capitis, vt iſto in loco dicitur, Accipe tibi aromata capitis, hoc eſt, præcipua. *Et oratio mea in malis* Exod.
eorum. Nam adhuc ego orationem meam fundo ad Deum propter mala im- 30. 23.
proborum, vt me ab eorum malis operibus liberet; & quomodo illorum deliciæ mihi eſſent gratæ & dulces? Dominus pater meus P. M. ſic hunc verſum diuidit, & illa verba, *Oleum capitis*, de improbis interpretatur, dicitque, percuſſio iuſti & correctio eius, bonæ ſunt mihi, & beneficium mihi à billo miſericorditer collatum; at verò ſi improbus vngat me vnguento capitis ſeu pretioſo, tum clamabo & dicam, *Non frangat caput meum*, non mihi caput effringat.

Psal. V. 6. *Dimiſſi ſunt.* Demittentur de petra, quia illos cadere facient ex
141. petra. Iſtam porro maledictionem aduerſùs iudices eorum prædicit, qui eos
gubernabant, nec ab eis vias prauas prohibebant, ſed potiùs apprehensâ
manu illos ad malum deducebant. *Et tunc audient verba mea quoniam iucun-
da fuerunt.* Cùm ſuos duces pereuntes viderint, tum fortè erudientur, &
meas correctiones audient quibus eos coarguo, & agnoſcent ſuauia fuiſſe verba
mea & increpationes meas.

V. 7. *Sicut findens & proſcindens in terra.* Hæc duo verba פולח *poleabh*
& בוקע *boqueaa*, idem habent ſignificatum licèt ſint diuerſa vocabula; &
2. Reg. primum quidem reperitur iſtis in locis, *Et venit & diſſecuit in ollam pulmenti.*
4.39. Et, *Scindet renes meos & non parcet.* Senſus autem verſiculi eſt, ſicut cùm
Iob. 16. quis ligna findit, partes diſſectæ huc & illuc diſperguntur, ita oſſa noſtra ſe-
14. cus infernum ſeu ſepulchrum ſunt diſperſa, ac ſi diceret, adeout proximi
fuerimus morti. Cæterùm per oſſium diſperſionem, hyperbolicè deſignat r
timoris magnitudo, quâ corpus ita commouetur & contremiſcit, vt omn
Psal. 22. oſſa à ſe inuicem diſiuncta & diuiſa eſſe videantur. Vnde eſt illud, *Et au-*
15. *ulſa ſunt omnia oſſa mea.* Dicitur autem, *Oſſa noſtra*, illius ſcilicet & eo-
rum qui erant cum ipſo; iam enim ſcripſimus Dauidem edidiſſe hunc Pſalmum
cùm Saülem fugitaret.

V. 8. *Quoniam in te ſperaui.* Dictio בכה *beca*, eſt plena cum litera ה *he*
Gen. 24 quieſcente, expreſſa. *Ne effundas animam meam.* Eodem ſenſu dicitur, *Et*
20. *euacuauit hydriam ſuam*; nempe ſignificatione effuſionis & euacuationis;
cùm enim anima exit à corpore, quaſi ex illo effunditur.

V. 9. *Cuſtodi me à laqueo quem tetenderunt.* Quem laqueum mihi ad o
fendiculum diſpoſuerunt, *Et à tendiculis operantium iniquitatem.* Cuſtodi me
etiam ab inſidijs & ab offendiculis aliorum iniquitatem operantium, qui non
ſunt populares mei: vel eadem ſententia in verſu eſt repetita.

V. 10. *Cadent in retia ipſius.* In ipſa retia quæ mihi capiendo expande-
runt improbi, decident ipſi. *Simul ego donec tranſeam.* Verba hæc quaſi
tranſpoſita videntur explicanda, donec tranſeam ego, ac ſi diceret, quia pertran-
ſibo, nec in reti eorum capiar. Poſſunt etiam ſine tranſpoſitione exponi, &
particula עד *aad*, idem ſignificabit quod עדי עד *aade aad* vſque in ſeculum,
vt iſtô in loco, Et ne vſque ſeculum recorderis iniquitatis, perinde ac ſi di-
ceret, ipſi quidem in rete ſuum cadent, ego autem ſumma cum fiducia tran-
ſibo ſemper, nec vnquam per illorum aut aliorum inſidias corruam, aut im-
pingam. Dicit autem retiacula eius numero ſingulari, de ipſo Saüle, & mox
cadent improbi, numero plurali, de ipſo Saüle ac de illis qui ſe ei adjunxerant
ad inſequendum Dauidem.

PSAL. CENTES. QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

Erudiens Dauid, cùm eſſet in ſpelunca, oratio. PSAL. 142.

1. VOce mea ad Dominum clamabam, voce mea ad Dominum deprecabar.

2. Effundebam in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam coram illo annuntiabam.

3. Cùm conuolueretur ſuper me ſpiritus meus: & tu cognouiſti ſemitam meam: in via qua ambulabam abſconderunt laqueum mihi.

4. Conſiderabam ad dexteram & videbam, & non erat qui agnoſceret me, periit effugium à me, & non erat qui requireret animam meam.

5. Clamaui ad te Domine, dixi tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium.

6. Intende ad clamorem meum, quia attenuatus ſum valde; libera me à perſequentibus me, quia ſunt me fortiores.

7. Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo, me cingent iuſti cùm retribueris mihi.

COMMENTARIVS.

ERudiens Dauid, quùm eſſet in ſpelunca, oratio. Quando iuit Saül ad ipſum quærendum ſuper faciem petrarum hircorum ſilueſtrium: & Dauid ſeſe abſconderat in ſpelunca, fugiens eum, vt ſcriptum eſt, *Et Dauid & viri eius in ſpeluncæ lateribus manebant.* 1. Sam. 24. 4. Ibi autem in ſpelunca hanc edidit orationem ac dixit.

V. 1. *Voce mea ad Dominum clamabam.* Et ad eum in anguſtia mea clamaui: Eandem ſententiam repetit.

V. 2. *Effundebam eloquium meum.* Hoc eſt, meam orationem. *Tribulationem meam coram ipſo annuntiabam.* Etiamſi ea ipſi iam eſſet nota, illam tamen in conſpectu eius, in oratione mea exponebam.

V. 3. *Cùm conuolueretur ſuper me.* Eodem loquendi modo antea dictum fuit, *Anima eorum in ipſis obruebatur.* Et hoc fieri ſolet cùm homo propter Pſal. 107. 26. anguſtiæ magnitudinem, conteritur & deprimitur, ac incuruatur quaſi conuolutâ corporis vnâ extremitate cum alia, & ſpiritu cum corpore. *Et tu cognouiſti ſemitam meam.* Nimirum quòd per viam malam non incedam, ſicuti hoſtes mei: nihil enim in me eſt iniquitatis, nec vnquam contra illos pec-

PSAL caui, ipſi tamen me ad necem inſequuntur. *In via qua ambulabam.* Ipſi ſtu-
142. dioſè explorant per quodnam iter incedam, & laqueos abſcondunt in omni loco ad quem me acceſſurum putant.

V. 4. *Conſiderabam ad dexteram.* Hæc duo verba ſunt infinitiui modi, non imperatiui, & hunc habent ſenſum, cùm ad dexteram & ſiniſtram circumſpicio, neminem aduerto qui me agnoſcat, aut curet de me, meique & meaum diuagationum miſereatur. *Periit effugium à me.* Cùm enim ſic apud me ſtatuo, iſtum in locum me conferam, nec ibi me latitare cognoſcet Saül, nec vltra me inſequetur, nullus eſt locus in quem tutò confugere poſſim; nam quocumque tandem me conferam, illic me diligenter inquirit. Porrò dexteram nominatim expreſſit, non etiam ſiniſtram breuitatis causâ, ex more Scripturæ: nam vnum ex alio facile intelligi poteſt. Simile eſt illud, *Cum*
Ioſ.13. 8. *illo*, Manaſſe, *Rubenitæ* & Gaditæ acceperunt *hereditatem ſuam.* Hoc eſt, cum vna dimidia parte Tribus Manaſſe: nam quia nouem Tribus iam recenſuerat, Tribus Manaſſe coniuncta eſt ipſis, nec aliam eius mediam partem commemorauit, ac loquitur quaſi illam expreſsè recenſuiſſet. Et hâc ratione multa occurrunt in ſacra Scriptura cum defectu quarumdam vocum, quia ſcilicet ſatis intelligitur ſenſus ex eo quod ſuperiùs eſt expreſſum, vt ſcripſimus in libro Miclol. *Non eſt qui requirat.* Ex iis omnibus quorum eſt curare de mihi ope ferenda, & ex propinquis meis, nemo eſt qui requirat de anima mea, quam mihi auferre Saül machinatur, nullum etenim inuenire poſſum qui me vendicet de manu Regis, niſi tu ipſe me redimas, quapropter.

V. 5. *Clamaui ad te Domine, in terra viuentium.* Sit adhuc mea portio in
Pſal. 16. terra Iſraëlitica, ex qua iam exulo: Et dictio illa, portio, idem hîc ſignificat
5. ac iſto in loco, *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei.* Cæterùm in
Pſal.27. verſu illo, *Niſi crederem videre bonitatem Domini in terra viuentium:* De-
13. dimus rationem cur terra Iſraël appelletur terra viuentium.

V. 6. *Intende ad clamorem meum.* Dictio רנתי *rinnati* clamorem meum
1. Reg. ſignificat, vt iſto in loco, Et tranſiuit clamor per caſtra. *Quia ſunt me fortio-*
23. *res.* Ego enim Regi & viris eius, qui perſequuntur me, par eſſe non poſſum.

V. 7. *Educ de carcere.* Siquidem in ſpelunca erat concluſus. *Ad confitendum nomini tuo.* Nempe quòd tu ſolus me ex tanto diſcrimine eripueris. *Me cingent ſe iuſti.* Quùm mihi hoc beneficium contuleris, méque liberaueris, tum gloriabuntur in me iuſti, faciéntque me coronam ſuo capiti, ac dicent, nonne Dauid idcirco à Deo benedicto ſaluus eſt effectus, quoniam in illo ſolo ſperauit.

PSAL. CENTESIM. QVADRAGESIMVS TERTIVS. Psal. 143.

Pſalmus Dauid.

1. DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam : in veritate tua exaudi me in tua iuſtitia.

2. Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo : quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

3. Quia perſequutus eſt inimicus animam meam, attriuit in terram, vitam meam : collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi.

4. Et inuolutus eſt ſuper me ſpiritus meus, in medio mei conturbatum eſt cor meum.

5. Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis : de factis manuum tuarum loquebar.

6. Expandi manus meas ad te : anima meá ſicut terra arida tibi.

7. Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus ; ne abſcondas faciem tuam à me, ne ſimilis efficiar deſcendentibus in lacum.

8. Fac vt manè audiam miſericordiam tuam, quia in te ſperaui : notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.

9. Eripe me ab inimicis meis Domine, apud te abſcondi me.

10. Doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus *eſt tu*: ſpiritus tuus bonus deducat me in terram rectam.

11. Propter nomen tuum Domine viuificabis me : in iuſtitia tua educes ex anguſtia animam meam.

12. Et in miſericordia tua diſſipabis inimicos meos, & perdes omnes qui tribulant animam meam ; quoniam ego ſeruus tuus *ſum*.

COMMENTARIVS.

V. 1. P*Salmus David. Domine audi.* Hic etiam Pſalmus idem ac præcedens argumentum continet, & dicit; *Domine audi: in veritate tua exaudi me.* In veritate tua, hoc eſt, quòd mihi te illud factum promiſeris, & verbum tuum eſt veriſſimum. *In iuſtitia tua.* Tu iuſtus es & rectus, & vides mecum eſſe iuſtitiam, cum inimicis verò meis iniquitatem.

V. 2. *Et non venias in iudicium.* Nunc cùm in magna calamitate verſor, ne venias mecum in iudicium: Si quid peccati contra te admiſerim, ne quæſo, me modò punias: noui enim quòd ego ſim ſeruus tuus. *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Si nempe omnia eius opera inſpicias: iuſtus-ne ero in conſpectu tuo?

V. 3. *Quia perſecutus eſt, attriuit in terram vitam meam.* Iam ferè in terram eſt proſtrata, mors ſiquidem ipſi impendet. *In obſcuris.* Nimirùm in angulis ſpeluncæ in qua deliteſcens manebat, & vbi nihil affulgebat lucis, ibíque erat veluti mortuus qui in caligine ſub terra poſitus iacet. Dixit autem, *ſicut mortuos ſeculi*, hoc eſt, qui iam ex multo tempore ſunt mortui; illos enim magis deſperat homo reſurrecturos, & hàc luce vſuros, quàm eos qui non multo ante tempore è vita exceſſerunt. Et ſi his æquè ac illis nulla ſit ratio aut potentia naturalis quâ poſſint à mortuis reſurgere. Illos verò præcipuè nominauit qui longiùs à reſurrectione diſtare videntur, ob corruptam prorſus corporis ipſorum figuram.

V. 4. *Et inuolutus eſt.* Vocem iſtam in præcedenti Pſalmo iam explicuimus. *In medio mei conturbatum eſt cor meum.* Eandem ſententiam aliis verbis repetit.

V. 5. *Memor fui.* Ego iam in anguſtia poſitus, & corde meo in me vehementer conturbato, in mentem reuoco priora illa tempora quibus patres noſtros, maximis preſſos anguſtiis ſæpe liberaſti, & eà ratione ipſe me conſolor. *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis.* Mira illa & ſtupenda opera meditor & apud me recolo, quæ in gratiam illorum tunc patraſti, & ex iſtis conſolationem percipio, atque eâ ſpe meipſum confirmo, eadem ſperans, te mea cauſa eſſe facturum.

V. 6. *Expandi manus meas in terra arida.* Non ſecus ac terra ſiticuloſa quæ pluuiam vehementer appetit & expectat, ita anima mea te ardenter deſiderat & expectat.

V. 7. *Velociter exaudi me Domine.* Parumper enim abſum à morte, idcirco neceſſe eſt, vt quàm citiſſimè exaudias & me adiuues. *Quia defecit ſpiritus meus.* Breui alioqui ſum moriturus. *Ne abſcondas faciem tuam.* Si etenim vel paululum vultum tuum à me auerteris, fiam ſimilis deſcendentibus in foueam.

V. 8. *Fac manè audiam.* Anguſtiæ tempus appellatur veſpere, & liberationis tempus, manè nuncupatur. *Notam fac mihi viam in qua ambulem.* Hoc eſt, quò ire poſſim & fugere ab iis qui me inſectantur. *Quia ad te leuaui animam meam.* Hæc verba eumdem habent ſenſum ac iſta, *Et ad illud leuat*

Deut. 24. 15.

animam ſuam; quibus ſpes & expectatio deſignantur.

V. 9. *Eripe me, ad te abſcondi.* Senſus eſt, eripe me Domine ab inimicis meis, quia non detexi cauſam meam hominibus; vana ſiquidem eſt ſalus hominum, apud te celaui, & tibi ſoli reuelaui: Et hæc verba apud te abſcondi, hunc habent ſenſum, ad te clamaui in occulto & clam hominibus.

V. 10. *Doce me facere.* Orauit hactenus pro ſalute corporis, iam pro ſalute etiam animæ deprecatur Deum, vt doceat ipſum & adiuuet in addiſcenda ſapientia, quò poſſit agnoſcere quæ ſit Dei benedicendi voluntas, & illam exequi, *Quia Deus meus es tu.* Ego agnoſco & profiteor tibi ſoli adeſſe fortitudinem & potentiam, & eſſe te mundi iudicem ac gubernatorem. *Spiritus tuus bonus*: virtus ſuperioris ſpiritus *Deducat me in terra recta*, hoc eſt, per iter rectum in quo non ſit impingendi periculum.

V. 11. *Propter nomen tuum.* Vt tuum nomen magnificè celebretur ab hominibus, cùm me ſaluum feceris, & liberaueris ab illa magna anguſtia, quâ ita grauiter premor, vt morti ſim proximus.

V. 12. *Et in tua miſericordia.* Quia ego ſeruus tuus ſum, non autem ipſi.

PSALM. CENTES. QVADRAGESIMVS QVARTVS.

Dauid.

1. BEnedictus Dominus rupes mea, qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum.

2. Miſericordia mea & arx mea, protectio mea & liberator meus, ſcutum meum, & in ipſo ſperaui, qui ſubdit populum meum ſub me.

3. Domine quid eſt homo, quia agnoſcis eum? filius hominis quia reputas eum?

4. Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætericns.

5. Domine inclina cælos & deſcende: tange montes & fumabunt.

6. Emitte fulgur, & diſſipa eos: emitte ſagittas tuas & conturba eos.

7. Emitte manum tuam de alto, eripe me & libera me de aquis multis: de manu filiorum alieni.

8. Quorum os loquitur vanitatem, & quorum dextera *eſt* dextera mendacii.

Psal. 144. 9. Deus canticum nouum cantabo tibi : in pſalterio decachordo pſallam tibi.

10. Qui dat ſalutem Regibus : qui redimit Dauid ſeruum ſuum de gladio maligno.

11. Eripe me & erue me de manu filiorum alieni, quorum os loquitur vanitatem : & quorum dextera, dextera mendacii.

12. Quoniam filii noſtri ſicut plantulæ auctæ in adoleſcentia ſua filiæ noſtræ ſicut anguli exciſi inſtar palatii.

13. Promptuaria noſtra plena, educentia de ſpecie in ſpeciem: oues noſtræ parientes mille, parientes decem millia in plateis noſtris.

14. Boues noſtri onuſti ; non eſt ruptura, neque exiens : neque clamor in plateis noſtris.

15. Beatus populus cui ſic *eſt* : beatus populus cuius Dominus Deus eius.

COMMENTARIVS.

V. 1. DAuid. *Benedictus Dominus.* Hunc Pſalmum compoſuit Dauid, ſtatim poſtquam regno potitus fuit, vbi confecit bella contra Philiſtæos, & cùm à bellis tum aduersùs illos, cùm aduersùs Iſraëlitas gerendis, tandem eſſet expeditus, & dixit, *Benedictus Dominus rupes mea*; hoc eſt, robur meum: ipſe enim mihi fortitudinem præſtat, meáſque manus ad prælium edocet ; & modò hoc ipſum repetit aliis verbis.

V. 2. *Miſericordia mea.* Dauid loquens de Deo, dicit modò Deus rupis meæ, aliquando rupes mea, & modò dicit Deus laudis meæ, & alio in loco, ipſe eſt laus tua, nempe quia in Deo benedicto, nomen ſubſtantiuum & adiectiuum ſunt æqualia. *Et liberator meus.* Littera ל *lamed* vocis מפלטי *mephalets* eſt lenis, & multæ ſimiles occurrunt in verbis coniugationis affectæ dageſes. Illud autem לי *li* mihi, poſitum poſt affixum pronomen, eſt maioris elucidationis gratiâ, nam ſatis erat alterutrum. Aut illud י *iod* in voce מפלטי *mephaleti* eſt tantùm paragogicum, & non pronomen, ſicuti in illa voce

Pſal. 113. המגביהי *hammagbihi* qui exaltat ſe ad habitandum. *Qui ſubdit populum meum ſub me.* Significatio verbi רדד *radad* peti poteſt ex Chaldaïca eius

Exo 39 verſione, in qua vertitur ſubiecit, ſubſtrauit : vox עמי *aammi* eſt pro עמים *aammim* populos. Sed conuenientiùs explicanda videtur ſimpliciter ſine vllo defectu literæ ם *mem*, ſed vt littera י *iod* ſit affixum primæ perſonæ, & Saülem ac illi continentes deſignet.

V. 3. *Domine quid eſt homo?* Hoc dicit de Saüle, qui Rex quidem fuit, ſed poſt breuiſſimum tempus regnum eius finem habuit : & illud verbum, *quia cognoſcis eum*, ſignificat, prouidentia ſingulari curas eum: nam cognitio in hoc loco & ſimilibus, notitiam & curam in bonum deſignat, ſic in iſtis

locis, *Tu agnouiſti in anguſtiis animam meam : Ego cognoui te in deſer-* Psal.
to, &c. 144.

V. 4. *Homo.* Quanti facienda eſt dignitas hominis? ſanè ipſe eſt ſicuti va-
nitas, nempe res fluxa & inſtabilis inſtar flatus oris. *Sicut vmbra prateriens.* Pſal. 31.
Inſtar vmbræ quæ citò præterit, Sole ſeſe diffundente. Aut ſenſus eſt, ſicut 8.
vmbra auis quæ præterit, aue præteruolante. Et iſto modo hæc in Midras ex- Oſe. 13.
ponuntur, iuxta modum auis quæ tranſit cum vmbra ſua, & vmbra eius ſimul 3.
etiam cum illa tranſit.

V. 5. *Domine inclina cælos tuos.* Ita etiam alio in Pſalmo loquitur. *Et* Pſal. 18.
inclinauit cælos & deſcendit. Quæ omnia figuratè ſunt dicta, quaſi Deus bene- 10.
dictus è cælis deſcenderet ad improbos celeriùs conſumendos. Hanc portò
orationem fundit contra Reges vicinarum nationum, qui bellis ipſum vexare
moliebantur : *Tange montes.* Reges iſtos nimirum, his verbis metaphoricè
denotat, qui montium inſtar ſunt fortes. *Et fumabunt*: Cùm ignem furoris
tui in illos immiſeris, fumus ex illis aſcendet, non ſecus ac fumus excitari ſo-
let è re aliqua quæ igne conſumitur. Et multi quidem fumum illum vident,
qui tamen ipſum ignem non vident: ſic erit de perditione improborum, qui
ipſorum euerſionem minimè conſpexerit, illam famà accipiet & cog-
noſcet.

V. 6. *Fulgura fulgur*: Cùm verbum ſuo nomini coniunctum in oratione
occurrit, hoc fit ad ſententiæ confirmationem & emphaſim ſic, *vt auarè ſe-* Ezec.
ctentur auaritiam. Et, *pacem habuerunt omnes qui preuaricantur preuarica-* 22. 13.
tionem; & his ſimilia. Ita quoque dicitur hoc loco, Fulgura fulgurationem. Ierem. 12. 1.
Per ſagittas intelligendæ ſunt meteoricæ impreſſiones è cælo deſcendentes.

V. 7. *Mitte, ex aquis multis.* Per aquas hoſtes robuſtos & potentes de-
ſignat, quos poſtea clariùs appellat filios alieni. Ex quo enim regnare incepit
ſuper omnes Tribus, nullos habuit hoſtes præter alienigenas. Et dictio פצני
petſeni libera me, idem ſignificat quod ſequens, eripe me, & accedit ad ſen- Iudic.
ſum loci iſtius, *Aperui os meum in voto*: vbi apertio ſignificatur: nam qui 11. 35.
aliquem ex alterius poteſtate eripit, vincula illius aperit ſeu diſſoluit.

V. 8. *Quorum os.* Nempe Regum externarum nationum, qui verbis ſuis
aduersùs me ſeſe extollunt ac dicunt ſic & ſic faciemus ei: verùm mendacium
& vanitas ſunt eorum verba, quandoquidem tu mihi opem feres. Eumdem
ſenſum habent iſta verba, *Et dextera eorum*, hoc eſt, potentia & robur illo-
rum, eſt potentia mendax & vana.

V 9. *Deus canticum nouum.* Quoties tua erga me mira beneficia iteraue-
ris, ego etiam nouum tibi canticum ore ſimul & muſicis inſtrumentis con-
cinam.

V. 10. *Qui dat ſalutem Regibus.* Qui etſi Reges ſint, Diuino tamen præſidio
& opitulatione indigent. *Qui redemit* Iam verbi פוצה *potſe* ſignificatum ex-
plicuimus. *De gladio maligno*, hoc eſt, de Saülis gladio, quem idcirco gla-
dium malum nominat, quòd nulla ſibi adeſſet via & ratio quâ ſibi ab illo ca-
ueret: erat quippe Saül Rex, & ex Dauidis popularibus.

V. 11. *Eripe me.* Hoc iam explicuimus; eſt enim in hoc eiuſdem ſenten-
tiæ repetitio.

PSAL. 144. V. 12. *Quoniam filij noſtri.* Hoc eſt, res noſtræ omnes votis noſtris re-
ſpondent; illud tantùm ſupereſt optandum, vt nos ex manibus externarum
Gentium liberes: nam effudiſti benedictionem in fructum ventris noſtri, &
in fructum terræ noſtræ, & in fructum iumentorum noſtrorum. Hæc porrò
Deut. tria in hoc Pſalmo recenſentur, eodem ordine quo in lege, vbi de benedictio-
28. 4. nibus, *Benedictus fructus ventris tui*, & fructus terræ tuæ, fructuſque iu-
mentorum tuorum. Dicit igitur, *Filii noſtri ſicut plantula.* Non ſecus ac plan-
tulæ quæ creſcunt iuxta aquas multas & in loco pingui: ſic filij noſtri creſcunt
in iuuentute ſua, bonorum copiâ, fide rectâ & bonis operibus. Ita etiam filiæ
noſtræ augentur omni bono, pulchræ ſunt admodùm formæ, atque elegan-
tis & erectæ ſtaturæ, veluti anguli palatij alicuius. Dictio זויות *zauioth* ſigni-
ficat palatij angulos, ex lapidibus exciſis & delatis conſtructos opere exactiſ-
ſimo, adeòut omnes illi lapides angulorum tam accuratè exciſi & læuigati
ſint, vt vnicus eſſe lapis videatur: ſic filiæ noſtræ elegantis ſunt ſtaturæ, for-
mæque decoræ inſtar palatij politiſſimè extructi.

V. 13. *Promptuaria noſtra.* Anguli domus; ac ſi diceret in omnibus angu-
lis domus repoſitam habemus annonam; & præ magna omnis ſpeciei prouen-
Prou. tuum copia, hi cum illis ſunt commixti. Dictio מפיקים *mepiquim* ſignificat
18. 35. educentes, vt iſto ex loco patet, & educet beneuolentiam à Domino. Sen-
ſúſque eſt, miniſtri domeſtici vnam annonæ ſpeciem depromunt & cum alia
reponunt, propter nimiam omnium ſpecierum annonæ copiam, quæ non
patitur vt ſpecies quælibet ſeorſim ab alia in domo recondatur. Vox iſta זן *zan*
ſignificat ſpeciem; eam enim vocem vſurpant Paraphraſtæ Chaldæi pro He-
braïca מין *min* ſpecies. *Parientes mille, parientes decem millia.* Millenos fœ-
tus, & fœtuum myriadas pariunt, itaut ob tantam multiplicationem plateas
& vicos compleant.

Deu. 7. 3. V. 14. *Boues noſtri.* Id enim ſignificat vox אלופינו *allouphenou*, vt iſtis
Ier. 11. 19. etiam in locis, *Et benedicet emiſſioni boum tuorum. Et ego eram tanquam ag-
nus & tanquam bos qui educitur. Onuſti.* Hoc eſt, boues noſtri fortes ſunt &
pleni, & terre potentes onus ſeruitutis ſuæ, cùm in arandis agris, tum in tra-
hendis plauſtris: vel ſenſus eſt, Onuſti carne. *Non eſt ruptura.* Non eſt orbitas
in nobis aut in iumentis noſtris: id enim dictio פרץ *peretſ* ſignificat, vt, *Eo
quòd* rupiſſet Dominus rupturam in Oza. *Neque exiens*; nulla eſt etiam ani-
2. Par. ma exiens in captiuitatem, tam ex noſtris hominibus quàm ex iumentis. *Ne-
13. 14. que clamor.* Nullus in plateis noſtris clamor auditur. Non dicunt cum fletu,
percuſſus eſt Iſraël in bello, toto ſiquidem tempore Dauidici regni, non fue-
runt Iſraëlitæ à ſuis hoſtibus ſuperati.

V. 15. *Beatus populus cui ſic* eſt, qui iſta proſperitate fruitur: vndenam
verò hæc felicitas iſti populo contingit? Nempe quia Dominus eſt eius Deus,
ac idcirco beatus ille cui Dominus eſt Deus. Eximius Magiſter noſter Saadias
F. M. Pſalmum hunc de Meſſiæ temporibus interpretatur: quòd verò in titu-
lo Pſalmi dictum eſt, Dauid, Benedictus Dominus rupes mea, verba eſſe
exiſtimat ipſius Regis Meſſiæ nomine prolata, vt etiam illa, qui ſoluit Daui-
4. Ezec. 34. 34. dem ſeruum ſuum. Rex quippe Meſſias Dauid nominandus eſt, vt conſtat ex
his verbis; *Et Dauid ſeruus meus erit princeps ſuper illos in æternum.* Ac

illis

illis quidem temporibus omnia hæc bona hoc loco prædicta contingent, nec erit orbitas aut vllus clamor.

PSALM. CENTES. QVADRAGESIMVS QVINTVS. PSAL. 145.

Laudatio Dauid.

1. Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum & perpetuum.

2. Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum & perpetuum.

3. Magnus Dominus & laudabilis valde, & magnitudini eius non eſt inueſtigatio.

4. Generatio generationi laudabit opera tua, & fortitudines tuas annuntiabunt.

5. Decorem gloriæ magnificentiæ tuæ, & verba mirabilium tuorum narrabo.

6. Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabo.

7. Memoriam multitudinis bonitatis tuæ eructabunt, & iuſtitiam tuam exaltabunt.

8. Miſerator & miſericors Dominus: patiens & multùm benignus.

9. Bonus Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

10. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi.

11. Gloriam regni tui dicant, & fortitudinem tuam loquantur.

12. Vt notas faciant filiis hominum fortitudines eius, & gloriam magnificentiæ regni eius.

13. Regnum tuum, regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.

14. Suſtentat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes incuruatos.

15. Oculi omnium in te ſperant, & tu das illis eſcam in tempore ſuo.

16. Aperis manum tuam & ſaturas omne animal deſiderio.

vitæ meæ diebus; vel denique ſenſus eſt, exaltabo te in hoc ſeculo, & nomini PSAL.
tuo benedicam in futuro ſeculo, quod æternum eſt & perpetuum. Ac pri- 145.
mò quidem dixit, exaltabo te & poſtea ſubjungit, & nomini tuo benedicam, ad innuendum quòd Deus ſit nomen ſuum & Dei nomen ſit Deus: quod intelligendum eſt de illo nomine, quod ſcribitur, ſed non legitur. Alia enim Dei nomina ſunt formalia tantùm ſeu adiectiua; & mox eamdem ſententiam repetens dicit;

V. 2. *Per ſingulos dies benedicam tibi.* Nempe in hoc ſeculo, & laudabo nomen tuum in ſeculum & in perpetuum; in futuro ſeculo. Dixerunt etiam Magiſtri noſtri F. M. ſingulis diebus da illi, Deo, ſummam benedictionum eius.

V. 3. *Magnus Dominus.* Si ergo ſic apud me dixero, magnificabo illum & laudabo, ipſe magnus eſt & laudabilior quàm vt poſſit omnibus laudibus ſatis laudari, adeout magnitudinis illius non ſit inueſtigatio, nec illam quis quàlibet adhibitâ inueſtigatione aſſequi poſſit, nulla quippe perſcrutatio illam attingere valet; verùm par eſt vt illum homo laudet pro ſuæ intelligentiæ modulo.

V. 4. *Generatio generationi laudabit.* Etiamſi dies vitæ hominis eſſent productiores, non poſſet tamen per totum vitæ ſpatium Dei laudes aſſequi, quanto minus, cùm ſint adeo breves? Quid ergo facere debent homines intra breuiſſimum vitæ ſuæ ſpatium? quia generatio præterit, & generatio aduenit. Nimirum præſentis ætatis homines antequam illorum ætas effluxerit, genera- Eccl. 1.
tioni alteri quæ ſubſequitur narrabunt ea Dei opera, quæ ſuis oculis & tem- 4.
poribus viderint & contigiſſe nouerint, vt ipſum quoque celebret ſuccedens ætas de ijs quæ iam tranſierunt, & quæ ipſa non vidit, ſed quæ ei fuerunt annuntiata ab ijs quorum tempore contigerunt.

V. 5. *Decorem gloriæ.* Sicuti ego præſto qui coram hominibus huius ſæculi eloquor & prædico decorem gloriæ magnificentiæ tuæ, hoc eſt, pulchritudinem gloriæ fortitudinis tuæ. Deus etenim ob ſuum robur potentiſſimum & propter admiranda opera à ſe edita, honore & gloriâ eſt extollendus; ſicut
ipſe dixit, *Et glorificabor in Pharaone & in exercitu eius. Et verba mirabi-* Exod.
lium tuorum. Quod ego apud meos feci, & ipſi pariter facient: ſiquidem 14. 4.
quoties aliquod à Deo beneficium recipient, illud palam dicent ac multis enarrabunt.

V. 6. *Et fortitudinem terribilium tuorum.* Quemadmodum ego tuam magnitudinem palam enarro, ita etiam, illi fortitudinem terribilium tuorum prædicabunt. Porro nomen גדלותיך *gedulateca* ſcriptum eſt cum littera י *iod* notâ pluralis numeri, quia ſunt quidem plures Dei gratiæ apud recipientem; & legitur גדלתך *ghedullateca* In numero ſingulari, quia omnes inſtar vnius ſunt apud Deum benedicendum. Hæc porro nomina, magnitudo, potentia, &c. in hoc Pſalmo vſurpata, ſunt quidem decem propter certam rationem; verùm non eſt vnumquodque eorum in ſuo loco commemoratum, ſed vniuſcuiuſque ſignificatio vim habet etiam in alterum; eorum autem proprias partes, per diſcrepantia nomina variant.

V. 7. *Memoriam multitudinis bonitatis tuæ.* Dictio רב *rau* eſt nomen

PSAL. 145. ſubſtantiuum non adjectiuum, ac ſi dixiſſet, magnitudinis bonitatis tuæ. *Scaturire facient*, hoc eſt, eloquentur copioſè, vt illo in loco, Scaturire facient labia mea hymnum, effundent. *Et iuſtitiam tuam clamabunt.* Illam altâ voce coram hominibus prædicabunt.

V. 8. *Miſerator & miſericors.* Hæc porro Dei attributa & has proprietates, quæ ſunt bonitas & iuſtitia, palam commemorabunt & altâ voce enarrabunt, nempe quòd ſit miſerator, quippe qui benignâ miſeratione proſequatur homines, eiſque neceſſaria elargiatur. *Et miſericors.* Quia illorum miſeretur, eiſque peccata condonat, & à rebus noxijs, varijſque mundi caſibus tutatur. *Patiens.* Quia ſcilicet iram ſuam aduerſùs improbos aliquandiu continet, nec eos ſtatim ac peccarunt, afficit pœnis. *Et magnus miſericordiâ.* Litera ד *daleth* vocis וּגְדָל *ougdol* legitur cum cametshhateph. Dicit Deum magnum eſſe benignitate, quòd majori ac majori beneficentiâ vtatur erga homines, majoràque longè conferat beneficia quàm mereantur accipere.

V. 9. *Bonus Dominus vniuerſis.* Etiam erga omnes beſtiarum ſpecies, iumentorum & volucrum, bonus eſt ac miſericors; & par eſt hominem diuina hæc attributa imitari, nec debet animantia deſtruere, niſi aut propter neceſſitatem, aut vt damna illorum vitentur. Vnde ſcriptum legimus de Magiſtro noſtro Rabbi Iuda Sancto, quòd monuerit aliquando ancillam ſuam ne paruas muſtellas vnà cum ſordibus domus aufferret, ſed illas ſineret circa domus fundamenta verſari, quia, infit, ſcriptum eſt, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

V. 10. *Confiteantur tibi.* Ipſæ etiam animalium ſpecies, quæ ratione non ſunt præditæ, te celebrare debent quòd tam aptè ipſas condideris & efformaueris, & congruas ipſis eſcas præparaueris; nimirum homines iſta omnia cognoſcentes, inde te collaudent, & ita quaſi res illæ te prædicabunt. *Et ſancti tui benedicant tibi.* Dictio יְבָרְכוּכָה *ieuarecouca* ſcribitur cum ה *he* quieſcente, ſenſus eſt, & quinam ſunt qui confitentur tibi, Pij ſcilicet viri qui tua opera continuò contemplantur, tibique ſemper gratias agunt: cùm enim omni tempore videant noua ſubinde in rebus creatis efformari, & aptiſſimam diſpoſitionem quâ tum animantia, tum plantæ ſunt conformatæ, inde tibi benedicunt. Et ita ordinarunt Magiſtri noſtri F. M. circa rem quamlibet eſſe agendum, quantùm ipſa benedictionis cauſam ſuppeditare poteſt, vt ipſi dixerunt, qui ſic aut ſic in re aliqua cognoſcit, ſic benedicat. Dixit verò, ſancti, aut pij tui; vox etenim חסד *hheſed* pietas, ſemper rei præſtantiam deſignat, & qui Dei bened. opera aſſiduè contemplantur, & eum ſemper laudant omni ſuæ conſiderationis tempore, ij ſunt pij habendi. Vnde Magiſtri noſtri F.M. dixerunt, ſi quis eſſe velit pius & ſanctus, obſeruet ea quæ ad benedictiones pertinent.

V. 11. *Gloriam regni tui.* Inter iſtas laudes tuas, gloriam tui regni & potentiæ tuæ etiam prædicabunt, tu ſiquidem Rex & ſupra omnia es rerum omnium conditor, ac virtute & poteſtate tuâ effeciſti vt res omnes creatæ exiſtant & ſubſiſtant.

V. 12. *Vt notas faciant.* Et quemadmodum pij illi viri intra ſe & apud ſeipſos Deo benedicunt eique gratias agunt, alijs hominibus mira eius potentiæ opera, & gloriam regni eius quæ illi minimè norunt, debent nota facere.

V. 13. *Regnum tuum.* Non eſt ſimile regno hominis quod finem habet ali- Psal.
quando, vel vitæ illius tempore, vel ſaltem morte eius finitur: verùm Dei 145.
benedicti regnum nullo vnquam fine terminatur, eſt quippe regnum omnium
ſeculorum, hoc eſt, omnium temporum. Et mox eandem alijs verbis ſententiam repetit.

V. 14. *Suſtentat Dominus.* Cadentes & incuruatos, hoc eſt, pauperes & multis miſerijs afflictos, & ipſe erga illos miſerationibus vtens, eos ſuſtentat & erigit: ſic alibi ſcriptum eſt, eleuat de ſtercore pauperem, vt collocet eum cum Principibus, &c. Pſal. 112. 8.

V. 15. *Oculi omnium in te ſperant.* Sic antea dixit, *Omnia ad te expectant.* Omnia enim animantia inferioris huius mundi condidiſti, & victum eorum etiam prouidè creaſti. Aliqua ſiquidem iſtorum veſcuntur gramine, alia veſcuntur granis ſeminum; ſunt etiam quæ ſibi ſimilibus viuentibus paſcuntur. Et eorum omnium oculi ad te ſunt intenti, & à te ſibi neceſſaria expectant; túque conuenientem cuilibet victum ſuppeditas; idque per cauſarum ſecundarum concatenationes. Porro dixit, *In tempore ſuo*, numero ſingulari certo quippe & determinato tempore cuilibet animantium ſpeciei conueniens præparatur eſca. Et dixit omnia ad te expectant. Etſi enim ratione ſint deſtituta, pro ſuæ tamen naturæ impulſu ſperant & expectant victum quaſi ex ſtatuto ipſis dari ſolitum; nos autem nouimus eam ad te expectationem tendere, tu enim ſuppeditaris & diſponis illis eſcas. Pſal. 104. 27.

V. 16. *Aperis tu manus tuas.* Quia das illis neceſſarios & conuenientes cibos abundè & copioſè, vnicuique iuxta eius voluntatem ac deſiderium.

V. 17. *Iuſtus Dominus.* Nam cum iuſtitia & rectitudine dat cuilibet animantium conuenientem victum, quamuis animalia quædam alia rapiant, eorúmque veſcantur carne, vt feles murium, ſic etiam leones, vrſi, pardi, & cætera animantia, quæ aliorum carnibus veſcuntur. Ita pariter quædam auium alias volucres raptas dilacerant & vorant: hoc tamen omne iuſtitia eſt à Deo. Nam feris etiam auibus carniuoris conuenientem eſcam prouidet ac elargitur quamdiu viuunt. Attamen quod ſpectat ad finem vitæ eorum animalium inſtantem, longè ante decreuit, vt aliquando mors illorum cederet in commodum aliorum animalium: aliquando decernit vt morte propriâ intereant. Et perinde eſt illi animali quod ab alijs eſt diripiendum, vt naturali morte, aut ab alijs illatâ moriatur. Et hæc eſt perplexa quæſtio inter ſapientes; quidam enim exiſtimant quum felis murem rapit, aut leo agnum & ſimilia, pœnam eſſe direpti animalis à Deo benedicendo ſtatutam. Et aliquid his ſimile inueni in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum F. M. cùm enim Rabbi Iohannan vidiſſet aliquando mergum piſces è mari extrahentem fertur exclamaſſe, Iudicia tua abyſſus multa: aliqui verò illorum affirmant pœnam aut mercedem nulli animantium ſpeciei conuenire; præterquam ſoli homini. Nos autem cenſemus reliquis animantium generibus mercedem & pœnam eſſe hominis causâ, nam Gen.
ecce ita ſcriptum legimus, *Sanguinem animarum veſtrarum requiram, de manu cunctarum beſtiarum requiram illum.* Et alio in loco, *Vaſtitas ferarum*, ab illis illata *conteret eas.* De mercede etiam dictum eſt, *Non comedit leo cadauer, nec confregit aſinum*; vnde probant Magiſtri noſtri F. M. cadere mercedem 9. 5. Habac. 2. 17. 3. Reg. 13. 24.

Psal. in bruta animalia, veluti in aſinum & canem: ſic enim dicunt, quare præ
145. omnibus immundorum animalium primogenitis, ſola aſinorum primogenita
commutabantur vt redimerentur? nempe, inquiunt, quia ſpolia & prædam
Exod. Iſraëlitarum deportarunt. De cane pariter eſt dictum, *Et carnem in agro ra-*
22. Exod. *ptam non comedetis, cani proijcietis eam.* Nimirum in præmium quod non
11. 7. mouerit canis linguam ſuam. Vnde eſt diſcendum nullam omnino creaturam ſuâ mercede à Deo benedicendo priuari. Eſt & alia eadem de re opinio, ſed non videtur adſcribenda. *Et benignus erga omnia opera ſua.* Quia ſcilicet ea illis præparat & largitur quæ eis dare non tenetur, & ipſa non ſunt digna quæ iſthæc ab illo recipiant, ſed hoc facit ob ſuam erga illa benignitatem.

V. 18. *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum.* Ex quacumque tandem Gente fuerint, modò tamen in veritate illum inuocent, nimirum vt cor eorum cum ore conſentiat.

V. 19. *Voluntatem timentium ſe facit.* Quippe qui Deum piè colunt & reuerentur, illum in veritate inuocant, & eorum deſiderio ſatisfacit in ijs quæ ab ipſo petunt, auditque clamorem eorum, & à communi calamitate quæ affligit mundum, illos eripit; aut illâ quæ ipſis in ſuorum ſcelerum expiationem immittitur.

V. 20. *Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe.* Præſtantiſſimos omnium qui colunt ipſum, nam illum diligunt non propter ſpem boni alicuius ab illo conſequendi, aut præ metu pœnæ ſed ex pura charitate: ipſéque illos ita cuſtodit vt in nullam ſinat calamitatem incidere. Et eius ſortis erunt aliquando
Malch. omnes Iſraëlitæ futuris temporibus: & tunc, *Omnes improbos diſperdet*, effi-
4. ciet ne vllus omnino improbus in mundo ſuperſit, ſicut Propheta prædixit, *Et erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes improbitatem vt ſtipula, & inflammabit eos dies ventura.*

V. 21. *Laudem Domini loquetur os meum.* Et tunc laudes Domini eloquetur os meum; quia tum viuam cum mortuis qui tunc vitæ reſtituti viuent, & tunc, *Benedicet omnis caro nomini ſancto eius*; hoc eſt, omnes homines duntaxat, non etiam cætera inferiora animantia. Quo ſenſu dictum eſt illud,
Gen. *Quia ipſa eſt mater omnis viuentis.* De homine quippe rationis compote.
3. 20.

PSAL. CENTESIMVS QVADRAGESIMVS SEXTVS.

Hallelouia.

1. LAuda anima mea Dominum.

2. Laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo meo quandiu fuero.

3. Nolite confidere in Principibus: in filio hominis cui non eſt ſalus.

4. Exit ſpiritus eius, reuertitur in terram ſuam: in illa die pe- Psal.
reunt omnes cogitationes eius. 146.

5. Beatus cuius Deus Iacob in auxilio eius: ſpes eius in Domino Deo ſuo.

6. Qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt: qui cuſtodit veritatem in ſeculum.

7. Qui facit iudicium calumniam ſuſtinentibus, dat panem eſurientibus: Dominus ſoluit vinctos.

8. Dominus aperit cæcorum oculos, Dominus erigit incuruatos, Dominus diligit iuſtos.

9. Dominus cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſubleuabit & viam peccatorum euertet.

10. Regnabit Dominus in ſeculum, Deus tuus Sion, in generationem & generationem. Halleluia.

COMMENTARIVS.

V. 1. HAlleluia, *Lauda anima mea Dominum.* Cùm Spiritu ſancto illuſtratus præuideret exules Iſraëlitas aliquando in patriam eſſe reuocandos, dixit ad ipſos, Laudate Deum. Eadem etiam de cauſa ſubjunxit, lauda anima mea cum ipſis & ſine illis.

V. 2. *Laudabo Dominum.* Nunc dum adhuc ago in viuis, laudabo illum & pſallam illi, ac illum multis notum facere ſtudebo ipsíſque dicam:

V. 3. *Nolite confidere in Principibus.* Secundùm illud quod dixit Ieremias, *Maledictus homo qui confidit in homine, & à Domino recedit cor eius.* Veruntamen ſi quis in homine fiduciam reponat, præcipuè tamen ſpei radicem in Deo figat, qui Principum animum incitabit vt ipſi opem ferant. Et idem alijs verbis repetit. *In filio hominis cui non eſt ſalus.* Nam niſi ex Dei nutu & beneplacito poteſt quiſpiam ſocium ſuum ex anguſtia quâ premitur, liberare, Dei quippe vnius eſt ſalus, & eam præſtat aliquando operâ hominum: quemadmodum per Cyrum Regem, liberationem ab exilio Babylonico procurauit. Ita etiam aliquando Iſraëlitarum redemptionem eſt perfecturus per Reges Gentium; illorum ſiquidem voluntatem excitabit vt illos dimittant liberos ſicut ſcriptum eſt, *Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus donum Domino, in equis*, &c. Hoc autem continget quòd Iſraëlitæ in exilio poſiti, in ſolo Deo benedicendo ſperauerint. (Ierem. 17. 5.; Eſa. 65. 20.)

V. 4. *Exit ſpiritus eius.* Et quomodo poſſet homo ſalutem alijs afferre, cùm in ſuum ſpiritum poteſtatem non habeat, nec ipſum retinere valet ne per mortem exeat è corpore: nam repentè ſpiritus eius egreditur, & ipſe in terram ſuam reuertitur. Et quæ facere decreuerat non valebit perficere, nam ecce exijt ſpiritus eius qui ipſum viuentem conſtituebat; atque in die mortis eius omnes illius cogitationes; quæ voce illâ עשתנתיו *eeſchtenothau* deſignâtur.

die, vt in crepuſculo. Dominus erigit incuruatos. Hoc eſt pauperes ac miſe- Psal.
ros, vt iam explicuimus. *Dominus diligit iuſtos.* Sic Iſraëlitas diligit, quippe 146.
qui inter exteras nationes politi, iuſti permanent.

V. 9. *Dominus cuſtodit aduenas.* Aduenæ, pupilli & viduæ, præ alijs dejecti ſunt & inopes, nemo enim opem illis impendit aut curam & tutelam: & ea propter in tam multis locis de eis fouendis & iuuandis lex admonuit, & Dominus ipſos cuſtodit. Et ita Iſraëlitas cuſtodit qui inter alios populos aduenæ verſantur debiles ac dejecti inſtar pupillorum & viduarum. *Et viam peccatorum euertet.* Subleuat quidem eos qui omni ope ſunt deſtituti; at viam improborum euertit efficitque vt propellantur, & tandem in ea corruant.

V. 10. *Regnabit Dominus.* Et quandonam hoc eſt futurum? nempe cùm
Dominus regnabit in ſeculum. *Deus tuus Sion*, ſicut dicit Propheta, *Et* Zachar.
erit Dominus Rex ſuper omnem terram. Totus enim mundus regnum 14. 9.
illius agnoſcet: Et Sionem idcirco nominauit, quia inde in vniuerſum mundum egreſſura eſt confeſſio, & omnes palam ſunt profeſſuri eum eſſe Regem ſupra omnia cùm iudicium fecerit aduersùs improbos in valle Ioſaphat.

PSAL. CENTESIM. QVADRAGESIMVS SEPTIMVS.

Hallelüia, Laudate Deum.

1. LAudate Dominum, quoniam bonum eſt pſallere Deo noſtro: quoniam iucundum decoráque laudatio.

2. Ædificans Ieruſalem Dominus, eiectos Iſraël congregabit.

3. Qui ſanat contritos corde, & alligat dolores eorum.

4. Numerat numerum ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat

5. Magnus Dominus noſter & magnus virtute, & intelligentiæ eius non eſt numerus.

6. Subleuat manſuetos Dominus, humiliat verò improbos vſque ad terram.

7. Præcinite Domino in confeſſione: pſallite Deo noſtro in cithara.

8. Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam, & facit vt montes germinent herbam.

9. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum quando clamant.

10. Non in fortitudine equi voluntas eius, nec in tibiis viri be-
Psal. neplacitum eſt ei.
147. 11. Beneplacitum eſt Domino in his qui timent eum, & in ijs qui ſperant in miſericordia eius.

12. Lauda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

13. Quoniam confortauit vectes portarum tuarum, benedixit filijs tuis in medio tui.

14. Qui poſuit terminum tuum pacem: adipe frumenti ſatiat te.

15. Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit ſermo eius.

16. Qui dat niuem ſicut lanam, pruinam ſicut cinerem ſpargit.

17. Projicit glaciem ſuam ſicut fruſta: ante faciem frigoris eius quis ſtabit?

18. Emittit verbum ſuum & liquefacit ea, flabit ſpiritu ſuo, & fluunt aquæ.

19. Annuntiat verbum ſuum Iacob; ſtatuta ſua & iudicia ſua Iſraël.

20. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia non cognouerunt ea, Halleluia, Laudate Deum.

COMMENTARIVS.

V. 1. *Laudate Dominum, quoniam bonum* eſt *pſallere Deo noſtro.* Tunc cùm regnabit Dominus, laudate eum omnes mundi incolæ; tum enim regnum illius cognoſcetis: & tunc pſalmodia veſtra bona erit & iucunda, & laus veſtra erit etiam decora. In dictione נאוה *naua* א *aleph* eſt quieſcens, & idem ſignificat ea vox ac ſi ſcripta eſſet נאה *naa.*

V. 2. *Ædificans Ieruſalem Dominus.* Et tunc ædificabit Dominus Ieroſolyma, & ejectos Iſraëlitas in terram ſuam reſtituet.

V. 3. *Qui ſanat contritos corde.* Quemadmodum ſunt iam Iſraëlitæ, contriti corde ac miſerijs affecti in exilio. Litera צ *tſade* vocis עצבותם *aatſenotam* affecta eſt dagues ad decorem lectionis.

V. 4. *Numerat numerum.* Ecce conſentiunt Aſtrologi omnes ſtellas eſſe numero mille & nonaginta octo; ſi ita eſt, quid hoc ſibi vult, qui numerat numerum ſtellarum. Præterea dicit Iſaias, *Qui educit in numero exercitum*
Iſa. 40. 26. *eorum.* Ipſe etiam Deus benedicendus Abrahamo patri noſtro dixit, *Suſpice*
Gen. 15. 5. *nunc cœlum & numera ſtellas ſi potes.* Et Baldat Suhites, ait, *Nunquid eſt*
numerus militum eius? Sapiens Princeps Rabbi Abraham filius Rabbi Hhaiæ
Iob. 25. 3. dicit minores ſtellas quæ terram non illuminant, eſſe multas nec illas videri,

multò minus numerari, & ſciri poſſe illarum numerum: & eas quæ non lucent ſuper terram, eſſe conditas vt dominentur terræ, non vt ei lumen præbeant, iuxta illud, *vt dominarentur diei ac nocti*. Ex illis quoque ſtellis quæ videntur, vna interdum videtur ſtella, cùm ſint plures; nimirùm propter magnam altitudinem, & ingens illud ſpatium quod nos inter & illam interiacet, videtur & apparet vnica. Verùm nemo eſt qui ſtellarum omnium conditarum numerum tenere poſſit. Deus autem ſanctus & benedictus qui nouit abſcondita omnia, illarum nouit numerum, quia eas creauit, *Omnibus eis nomina vocat*. Et ita dixit etiam Iſaias, *Omnes eas ex nomine vocat*. Quorum verborum ſenſus eſt, Deum benedictum illas omnes creaſſe explorato ſibi numero, & vnamquamque illarum appellaſſe nomine conueniente ipſius naturæ ſecundùm rem aliam cuius gratia fuit condita, vt circa eam quædam ipſa operetur. Stellis enim omnibus vis quædam & dominium eſt in res creatas inferiores, vnicuique in certam ſpeciem, quæ vim illi influit quâ poſſit ſuas operationes exercere: quomodo dixêre Magiſtri noſtri P. M. Nulla tibi eſt herba infra, cui non ſit ſupra ſtella, quæ eam percutiat, eique dicat, creſce.

Psal. 147. —— Gen. 1. 18. Iſai. 40. 26.

V. 5. *Magnus Dominus noſter*. Rex enim mortalis cui plures ſunt prouinciæ gubernandæ, non parum laborat in illis omnibus tam propinquis, quàm remotis æqualiter moderandis: Et ſi quidem vicinas recto ordine gubernet; non ita feliciter diſtantes reget; vix enim fieri poteſt quin in hoc laboret eius poteſtas: vel ſi vires adſint, deerit fortè illi prudentia. At Dominus noſter mundum vniuerſum rectiſſimâ gubernatione regit, quia & virtus illi & prudentia ineſt; nam *Magnus eſt & multus virtute, & intelligentia eius non eſt numerus*, hoc eſt, rerum quarum ipſe habet intelligentiam, non eſt numerus: nam de prudentia non prædicatur numerus, intelligentia quippe eſt de categoria qualitatis; numerus verò de categoria quantitatis, quapropter neceſſe eſt hoc ita exponere. At verò de intelligentia dici poteſt inueſtigatio; Iſa. 40. 28.
vnde ſic dicit Propheta, *Et non eſt inueſtigatio prudentiæ eius*.

V. 6. *Subleuat manſuetos*. Quamquam autem magnus eſt & multæ virtutis; ipſe tamen proſpicit ſuper manſuetos, humiles & attritos viribus, eoſque ſubleuat: deijcit verò improbos ſeſe efferentes vſque ad terram: & licet hoc ita faciat, ſæpè tamen proſperè ſuas res agunt improbi. At verò futuro tempore hoc verè & omnimodè facturus eſt, vt paulò ante fuit dictum: *Et omnes improbos omnino diſperdet*. Pſa. 145. 9.

V. 7. *Canite Domino*, Iſraelitas alloquens dicit, Cantate Domino ore veſtro, pſallite ei muſica inſtrumenta pulſantes, & canticum veſtrum ſit canticum gratiarum actionis, quo Deo benedicto grates rependatis pro magnis illius beneficiis quibus vos affecit, cùm vos ab exilio reuocauit, cum multis bonis & magnâ gloriâ. Et in hoc maximè, magna eius potentia fuit exhibita, quòd populum numero exiguum, ex tam multis & fortibus populis eduxerit. Cúmque illius potentiæ effecta enarrabitis, illa præſertim laudibus celebrate quæ continuò ad mundi commoda operatur, inter quę præcipuum locum obtinet pluuia: nam de ea ſic loquitur Eliphas, poſtquam dixiſſet, Qui facit magna & inſcrutabilia, mirabilia abſque numero; poſteà ſubiungit, *Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ*, &c. In hunc etiam ſenſum loquitur Iob. Qui Iob. 5. 10.

Psal. & alio in loco dicit, Et tonat in fortitudine ſua, quis intelligit & conſiderat?
147. Et alibi etiam dixit, Tonabit Deus in voce ſua, mirabilia, faciens magnalia
& neſciemus. Et mox ſubiungit, quia niui dicet, eſto ſuper terram: & imbri
Iob 37. pluuiarum fortitudinis ſuæ, &c. Exulum autem liberatio & reductio Iſraëli-
6. tarum in patriam ſimilis eſt imbri, qui à nullo alio quàm à Deo benedicen-
do expectatur: vnde ſic dixit Michæas Propheta, *Et erit reſiduum Iacob in*
Mich. *medio populorum multorum, ſicut ros à Domino, tamquam ſtillæ ſuper her-*
5.7. *bam, quæ non expectat virum, & non præſtolatur filios hominum*, ideò ſic
dixit Dauid.

V. 8. *Qui operit cælum nubibus.* Dicit porrò, Cælum operit, nam cæli ſunt alti & lucidi, pulchri & puri ac clari, dum autem ſunt nubes in aëre, cæli ſunt operti & humanis aſpectibus abſconditi. *Facit vt montes herbam germinent.* Etiamſi alioquin ſicci ſint & aridi: quantò magis terra plana, gramen producet? vel idcircò illud dixit de montibus, quòd nullo modo vel arte fluminum aquis poſſint irrigari.

V. 9. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum.* Illa ſiquidem nullâ ſunt induſtriâ prædita, quâ victum ſibi parare poſſint. Deus autem prouidit vt montes fœnum producerent quo ipſa veſcerentur. *Et pullis coruorum*: Qui vt nati ſunt, ſtatim ſunt albi, quare matres eorum deſerunt illos, nec eis eſcas afferunt, quippe quos pro ſuis non agnoſcant, eò quòd albi ſint; & tùm ipſi vociferantur, quaſi ad Deum pro eſca ſibi danda clamarent: & ipſe ſanctus & benedictus quaſdam illis muſcas parat & obijcit, quibus interim aluntur. Et ecce ipſe opem ferre ſolet iis qui viribus & ope ſunt deſtituti, nihilque ex ſeipſis præſtare valent: ſic egit cum Iſraëlitis qui erant in exilio derelicti, & omni virtute deſtituti. Deus enim benedicendus infirmos & abiectos gratos habet, non verò illos qui ſuis viribus præſidentes, de ſuo robore & potentia ſuperbè extolluntur, quare ſubiungitur.

V. 10. *Non in fortitudine equi.* Non dicit Deum benedictum minimè gratam habere equi fortitudinem; ipſe enim eſt à quo habet equus ſuum robur,
Iob. 36. ſicuti etiam ipſe Deus dicebat Iob, *Nunquid præbuiſti equo fortitudinem?*
22. quaſi diceret, quemadmodum ipſe præbui: ſed eorum verborum eſt ſenſus,
eum non delectari homine qui in viribus equi confidit, neque etiam illo qui
Amos crurum velocitate ſperat ſe poſſe belli pericula effugere, ſicut dixit Propheta,
2. 15. *Et velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam*
ſuam.

V. 11. *Beneplacitum eſt Domino.* Illis ſcilicet delectatur & fauet qui cùm piè & reuerenter ipſum colant, in eius benignitate & miſericordia ſperant, non verò in equi fortitudine confidunt, nec propriis nituntur viribus.

V. 12. *Lauda Ieruſalem.* Quia ſcilicet tu illi places ob tuam in illo fiduciam; & figuratè ipſam vrbem alloquitur, pro ciuibus Ieroſolymitanis: & eadem ſententia in hoc verſu de more repetitur.

V. 13. *Quoniam confortauit.* Adeò vt non metuas vnquam ne aduerſùs te
veniat inimicus, quia Deus illam vrbem cuſtodit, ac ſi vectes eius eſſent fir-
Iſai. 62. miſſimi, vt dixit Iſaias, *Super muros tuos conſtitui cuſtodes*, quaſi diceret,
6. omnis metus ciues erunt expertes, ac ſi in muris excubarent cuſtodes; Et præ

magnitudine fiduciæ & pacis tranquillitate, continuò apertæ erunt portæ, vt PSAL.
ab eodem vate prædictum fuit, *Patebunt ſemper ianuæ tuæ, nec die aut nocte* 147.
claudentur. Benedixit filiis tuis in medio tui. Vt ſint benedicti in fructu ventris
ſui, & in operibus manuum ſuarum domi & foris. Ibid. c.

V. 14. *Qui poſuit terminum tuum pacem.* Ita quoque eritis benedicti ex- 47. 1.
tra ciuitatem, nimirùm in pace tranquilliſſima & in fructibus terræ veſtræ.
Adipe triticorum. Hoc eſt, optimo & electiſſimo frumento; quo ſenſu dicitur,
Omnem pinguedinem olei, & omnem pinguedinem vini, &c. Num.

V. 15. *Qui emittit eloquium ſuum terræ.* Pluuia deſignatur quæ Dei nutu 18. 12.
& imperio ſubitò venit, ſicuti ſeruus velociter currens vt heri ſui voluntatem
perficiat. Per verbum eius & eloquium, illius voluntas indicatur. Pluuiæ autem
& niuis mentionem fecit hic, quòd hæ præſertim cauſæ ſint benedictionis
& abundantiæ fructuum terræ.

V. 16. *Qui dat niuem ſicut lanam.* Niuem quæ eſt alba ſicut lana alba: Eſaj. 1.
& eodem modo dicitur, *Si fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana* vide- 18.
licet candida *erunt alba.* Neceſſe fuit autem vt albedinem eius exprimeret,
ipſa enim præ omnibus magnoperè conſpicua eſt, eámque lanæ comparat,
etiamſi hæc longè minùs ſit candida quàm nix, eò quòd non potuerit candorem
niuis conferre cum re aliqua quæ in terra ſit candidior lanâ. *Pruinam ſicut
cinerem ſpargit* Dictione כפור *chephor* illud deſignatur quod frigoris tempore
in terram decidit: & hoc cineri comparat Pſalmographus, quia hinc inde
cadendo diſpergitur, eſtque minutum quid, vnde candor eius non ita eſt
conſpicuus ac niuis albedo: idcircò confert illud cum cinere, non verò cum
niue, quòd ipſa longè minus ſit album.

V. 17. *Proiicit glaciem ſuam ſicut fruſta.* Glacies ſeu grando ſimilis eſt
pruinæ, eſt tamen firmior illâ & durior, & acrioris frigoris eſt cauſa: vnde
vnà cum mentione glaciei, etiam frigus memorauit. *Sicut fruſta.* Hoc eſt,
tanquam aliquid in varia fruſta conciſum; ita enim decidit grando quaſi
fruſtatim, & ipſæ particulæ gelu frigidiſſimo ſunt concretæ & condenſatæ.
Coram frigore eius quis ſtabit? Dixit, glaciem ſuam, & frigore eius, & vtrumque
Deo attribuit per affixum pronomen, vt innuat hæc omnia nutu eius &
imperio fieri, nihil caſu contingere: Et ſic Eliu dixit, *Flante Deo concreſcit* Iob. 34.
gelu. Et quemadmodum pluuiam ex ſua commiſeratione & amore ad creatu- 10.
rarum inferiorum vſum & commodum ſæpiùs immittit; interdum etiam, in
detrimentum & pœnam ſcelerum, nempe cùm vehementiori pluuia terras
inundat. Ita etiam nix & pruina neceſſariæ ſunt oleribus & arboribus: ſi verò
ſint illæ acriores & duriores, ſcilicet in firmiſſimam glaciem compactæ, tum
grauiſſimum inde exoritur frigus in punitionem & detrimentum; illud enim
herbas omnes & teneros arborum ſurculos enecat & arefacit. Et idem eſt de
grandine ſentiendum, licet hîc expreſſa eius non fiat mentio. Dum autem diuinæ
laudes celebrantur, res illæ quæ ſemper ſuo tempore mundi incolis contingunt,
in memoriam debent reuocari: ſunt quippe admirandæ potentiæ
Dei ſigna & effecta apud eos qui illas intelligunt & conſiderant; quemadmodum
eorum aliquis dixit, *Et tonitru fortitudinum eius à quo intelligetur?* Et Iob. 26.
Deus ipſe ad Iob, Nunquid, ait, eſt pluuiæ pater, & addit, *Ab vtero cuius* 14.

Mmmm iij

PSAL. 147. *egreſſum eſt gelu, & pruinam cæli quis genuit?* Quapropter vbi Pſaltes dixit; Canite Domino, pſallite Deo noſtro, hortatus eſt etiam vt in Canticis &
Ibid. c. 38. 29. Pſalmis res illæ, quæ diuinà potentiâ & nutu eueniunt ſuis temporibus, recenſerentur. Dixit verò. *Quis ſtabit?* Hoc eſt, quis ſtare poterit coram acerrimo gelu, aut grauiſſimo frigore? Interdum enim propter frigoris acerbitatem impediuntur homines ne domibus ſuis exeant, aut ſuas artes exerceant, ſicut dictum eſt, In vehementia frigoris omnes homines claudet, &c. Et feras
Iob. 37. 8. etiam, ſicut ibidem additur, *Et ingredietur beſtia in ipſum latibulum, & in habitaculis ſuis manebit.*

V. 18. *Emittit verbum ſuum.* Nimirum calorem Solis, aut pluuiam, quæ res illas ſuperiùs memoratas, niuem, pruinam & gelu ſeu glaciem diſſoluat. Addit verò, *Flare faciet ventum ſuum, & fluent aquæ.* Dum enim flat ventus ex plaga maris ſeu Occidentali, inducitur pluuia quæ hæc omnia diſſoluere ſolet. Aut ſenſus eſt, flabit ſpiritu ſuo ſuper illa & fluent aquæ, quia cùm ventus diſſipauerit iſta, ita vt non ſint ampliùs compacta in vnum & concreta, reſoluentur & fient aquæ.

V. 19. *Annuntiat.* Quoties diuinæ potentiæ miros effectus enarrabitis, illud verò potiſſimùm recolite, quòd ſeipſum Deus vobis reuelauerit in gloria ſua, vobiſque ſua verba, ſtatuta & iudicia annuntiarit: illa ſiquidem ſtatio, in Sina monte, res fuit maxima, cui nunquam fuit ſimilis, vt ſcriptum eſt, An factum eſt aliquando ſicut verbum hoc magnum, vel num ſimile auditum fuit?

V. 20. *Non fecit.* Quemadmodum ſcriptum eſt, An audiuit vnquam populus aliquis vocem Dei, &c. *Et iudicia non cognouerunt ea.* Et iudicia quæ nobis dedit, ea non cognouerunt Gentes reliquæ, nec illa ipſis manifeſta
Deut. 4. 7. fecit, vt ſcriptum eſt, *Et quæ Gens magna cui ſint ſtatuta & iudicia iuſta, ſicut omnis lex iſta,* &c.

PSALM. CENTES. QVADRAGESIMVS OCTAVVS.

1. HAlleluia, Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis.

2. Laudate eum omnes Angeli eius; laudate eum omnes exercitus eius.

3. Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes ſtellæ luminis

4. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes quæ ſupra cælos ſunt.

5. Laudent nomen Domini: quia ipſe mandauit & creata ſunt.

6. Et ſtatuit ea in ſeculum, in æternum: ſtatutum poſuit, & non præteribit. PSAL. 148.
7. Laudate Dominum de terra: dracones & omnes abyſſi.
8. Ignis & grando, nix & exhalatio, ſpiritus procellæ faciens verbum eius.
9 Montes & omnes colles: lignum fructiferum & omnes cedri.
10. Beſtia & vniuerſa pecora: reptilia & volucres pennatæ.
11. Reges terræ & omnes populi: principes & omnes iudices terræ.
12. Iuuenes & virgines: ſenes cum iunioribus.
13. Laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen eius ſolius: gloria eius ſuper terram & cælum.
14. Et exaltauit cornu populi ſui: laus omnibus piis eius, filiis Iſraël: populo propinquo illius. Halleluia. Laudate Deum.

COMMENTARIVS.

V. 1. Halleluia. Laudate Deum. *Laudate Dominum de cœlis.* Omnes creaturas in hoc Pſalmo nominat eius author, & à magno mundo incipiens in paruo deſinit: ac primò in genere dicit, *de cœlis*, ac ſi diceret, O vos creaturæ quæ ex cælis factæ eſtis, hoc eſt, ex elemento cæleſti, quod eſt principium quintum, ſeu elementum vel eſſentia. Et poſteà ſubdit, *Laudate eum in excelſis.* O vos creaturæ, quæ eſtis in excelſis: & verbis iſtis comprehenduntur omnes formæ ſimplices quæ nec ſunt corpora, nec in corporibus: illud porrò, laudate, non deſignat præceptum, ſed idem eſt ac ſi diceret, decet vos laudare.

V. 2. *Laudate eum omnes Angeli eius.* Sunt intelligentiæ quæ ſphæras cæleſtes mouent, ipſæ etiam neque ſunt corporeæ, neque in corporibus. *Laudate eum omnes exercitus eius.* Iſtis verbis res corporeæ denotantur, ſcilicet puræ & perlucidæ, ſphæræ nempe cæleſtes, & ſtellæ quæ ſunt in octaua ſphæra. Idcirco autem dixit, Exercitus eius omnes, quia ſtellæ iſtæ ſunt exercitus magnus; & vſus eſt plurali numero, quòd diuerſæ ſint ſphæræ.

V. 3. *Laudate eum Sol & Luna.* Nominat primò duo illa magna luminaria, & deinde alios quinque planetas; & ſunt ſtellæ luminis, quoniam maius lumen terræ præbent quàm illæ ſtellæ quæ ſunt in octaua ſphæra, quòd ſcilicet terræ propiores ſint quàm iſtæ.

V. 4. *Laudate eum cæli cælorum.* Sunt ex ſapientibus noſtris qui voces illas *Cælum cælorum*, interpretentur ſupremum cælorum, eâ phraſi quâ dicitur, Rex Regum: & iuxta ſententiam illorum, erit illud incorporeum, & quod ſupremum aſſerunt gradu non loco: eſtque mundus animarum. Illa autem verba, *Et aquæ quæ ſuper cælos ſunt*, pariter erunt exponenda de aqua incorporea; quæ nempe eſt forma formarum, ex qua exeunt aliæ formæ: ac

PSAL. 148. de illa erit quoque intelligendum illud, *Ab aquis quæ erant ſupra firmamentum.* Eſt quidam ex illis qui dicit cælum cæli, eſſe illud quod eſt infra cælos, eſſéque ſphæram ignis quæ vicina eſt orbi Lunæ, voce autem cæli ſignificari
Gen. 1. 7. aërem qui cælum vocatur, vt cùm dicitur, *Et volatile quod volabit in ſuperficie firmamenti* ſeu expanſionis *cæli*: Per illa denique verba, & aquæ quæ
Gen. 1. 28. ſuper cælos ſunt, indicari ſphæram frigoris, quam alij vocant ſphæram pluuiæ, quæ media eſt inter ſphæram ignis, & aërem nobis proximum; & hunc extremum eſſe locum, ad quem poſſunt nubes pertingere. Sed Philoſophi hoc minimè concedunt; nam aſſerunt inter nos & orbem Lunæ nihil eſſe præter aërem & ignem naturalem: Si ita ſit, dicendum eſt aquas illas eſſe formam aquarum, locum illum ſcilicet vltimum in aëre, quò nubes poſſunt attingere in aërem & in illo aëris loco nubes in aquas reſoluuntur, & poſteà natura ſua in terram decidunt. Non quòd ibi aliud ſit corpus quàm aër, verùm ibi diſtinctus eſt qualitate; ac de illo loco intelligendum eſt illud, & aquæ quæ ſuper cælos ſunt.

V. 5. *Laudent nomen Domini.* Senſus eſt, omnia illa ſuperiora hactenùs commemorata, laudent nomen Domini illúmque celebrent, quia ipſe ſuper illa eſt Dominus: Etſi enim ſint ipſa eleuata ſupra cætera creata, ipſe tamen longè ſuperior eſt illis: ipſe etenim mandauit & creata fuerunt, & ipſe ſolus eſt æternus, iſta verò certo tempore fuerunt condita.

V. 6. *Et ſtatuit ea.* Non enim illa ſimilia ſunt his inferioribus creaturis, quarum ſingularia intereunt, & ſubinde corrumpuntur, manentibus vniuerſalibus, non ita verò ſuperiora; ſed in perpetuum manent eorum indiuidua, æquè ac ipſa vniuerſalia: nam ſtatutum quod initio creationis eorum ipſis impoſuit, non præteribit vnquam, ſed eodem ſemper modo perſiſtet, nec ordo illorum immutabitur aliquando.

V. 7. *Laudate Dominum de terra.* Iam deinceps creaturas inferiores hortatur vt Dominum laudent; ac primò quidem dracones ſeu cetos & abyſſos compellat. Per illas verò omnes abyſſos, aquas ſignificat quæ ſunt ſub terra, nec non illas etiam quæ ſunt ſuper terram. Et priùs quidem aquas nominauit quàm aridam, & in iis degentes dracones, quia is fuit ordo creationis eorum: ſic enim de iſtis Scriptura loquitur, *Et creauit Deus cete grandia*: Sunt enim longè maiora quàm animalia quæ manent in arida. Quòd verò res illas ad Deum laudandum hortetur, cùm tamen ratione non ſint præditæ, vult dicere vt homines ad ipſum celebrandum impellantur, propter miras proprietates & qualitates quas in ipſis vident & intelligunt.

V. 8. *Ignis, grando.* Illa nunc recenſet quæ gignuntur in aëre; nam ipſa etiam ex terra ducunt originem, ignem ſcilicet ſeu fulmen, grandinem, niuem & exhalationem, quæ omnia naſcuntur è terra, vt ſolidis & claris rationibus confirmant Phyſicæ ſcientiæ periti. Imò id etiam eſſe verum inuenimus in ſcriptis Magiſtrorum noſtrorum F. M. Rabbi enim Eliezer dixit: Omnis res quæ eſt in terra, ex ipſa ducit originem: & huic ſuo dicto hinc probationem deducit, quòd hoc loco dicatur, Laudate Dominum de terra, &c, Ignis & grando, &c. Rabbi autem Hona in nomine R. Ioſa dixit, Quidquid eſt in cælo & in terra, non aliunde quàm à terra habet originem. Per

cælum

cœlum autem intelligit aërem, ac ſi diceret, quod eſt in aëre, eſt etiam in terra, hoc eſt, ab aëre in terram deſcendit, illud non ex alio loco quam ex terra oritur, vnde dictum eſt, *Quia ſicut deſcendit pluuia & nix de cœlo*, &c. Cùm ergo pluuia & nix, licet è cœlo ſeu aëre decidant non aliunde quàm ex terra procreentur, multò magis illud quod eſt in cœlo, ſeu in aëre & in terra, non alia ex materia producitur quàm ex terra. Porro per ignem indicatur illud ignitum quod eſt in fulgure nempe fulmen, quod rem incendit in quam decidit. *Grando.* Hæc ſatis nota eſt & contraria eſt fulmini, eſt quippe frigida: ſic etiam nix frigida eſt, & eius oppoſitum eſt vapor qui eſt calidus, éſtque exhalatio è terra aſcendens inſtar fumi, calida & ſicca: nempe ipſe aër agitatus vi illius vaporis ſicci à terra exhalati. *Spiritus procellæ, faciens verbum eius.* Eſt ipſe aër validè agitatus; qui dum vehementiori agitatione commouetur, ipſas cedros altiſſimas concutit & disjicit, ædificia euertit, & naues in mari contringit. Dicit verò, *Qui facit verbum eius*, vt doceat vehementes illos turbines, non caſu & temerè, ſed iubente Deo excitari, & nutu eius, & voluntate eos concitari ad puniendos illos, in quos deuolui contigerit, Et eo ſenſu legitur, *Et dixit, & ſtare fecit ſpiritum procellæ.* Et alio in loco, *Et erumpere faciam ſpiritum procellarum.*

Psal. 148. — Iſa. 55. 10. — Pſal. 107. 25. — Ezech. 13. 11.

V. 9. *Montes.* Poſtea quam illa commemorauit quæ in aëre gignuntur, & eorum enarrationem cum aquis conjunxit, eòquòd per illorum efficaciam vapores aſcendant in aërem, ex quibus deinde gignitur pluuia, nix & grando; iam de terra loquitur & de ijs quæ ſunt in ea, & primò quidem dicit, *Montes & omnes colles*, res enim illæ conſtant & permanent præ alijs terræ creatis. Atque vbi entia omnia ſilentia ſeu inanimata recenſuit; nam ſub genere montium, comprehenduntur metalla, vnde ſcriptum eſt: Terram cuius lapides ſunt ferrum, & de montibus eius excides æs, vbi, inquam, res ſilentes ſeu inanimatas recenſuit, plantas poſtea ſeu vegetabilia commemorat ac dicit, *Lignum fructiferum, & omnes cedri.* Et verbis iſtis, omnes cedri, complexus eſt omnes arbores quæ fructum non ferunt, quarum omnium maximæ ſunt cedri, quas idcirco ſolas nominauit.

Deut. 8. 9.

V. 10. *Beſtia.* Poſtquam vegetantia recenſuit, ſubjungit mentionem animantium ratione deſtitutorum: vox autem iſta חיה *hhaia* ſignificat animalia ſyluestria. *Et vniuerſa pecora*, domeſticum animal deſignatur, *Reptilia*, ſunt omnium animantium minima. *Et volucres pennata.* Hoc genus complectitur animantium irrationalium præſtantiſſima.

V. 11. *Reges terræ.* Poſt mentionem animalium rationis expertium, de illo animante loquitur quod eſt ratione præditum, & inferioris huius mundi quaſi theſaurus & res pretioſiſſima. Ita etiam in libro de rerum creatione, homo recenſetur vltimus ordine, quia omnium vltimus fuit conditus: vt innueretur ipſum eſſe omnium aliorum dominum, & ipſe iuxta naturam fuit vltimò compoſitus. Porro in hominibus duplicem recenſet dignitatem, ſcilicet gloriæ & ætatis, & omnes prorſus ad laudandum Deum cohortatur, nobiles & deſpectos, paruos & magnos, viros ac mulieres: additque, *Et omnes populi*; futurum eſt enim vt Dominum laudibus celebrent cum redemptor Iſraëlitarum aduenerit.

V. 12. *Iuuenes & etiam virgines.* Idcirco dixit, etiam, quia non eſt mos vir-

PSAL. 148. ginum, vt rei alteri quàm ornando corpori ſuo ſtudeant, hortatur ergo illas vt etiam animum ad laudes Domini decantandas adjungant. *Senes cum iunioribus.* Nimirum vt eos doceant ſeniores quomodo laudare debeant Dominum, idcirco dixit, *Cum*, ſoli enim iuniores adhuc per ætatem ignorant quâ ratione Deus ſit laudandus, & ea propter dixit vt ſint ſeniores cum iunioribus, eóſque edoceant.

V. 13. *Laudent nomen Domini.* Senſus eſt, illæ omnes inferioris huius mundi creaturæ laudent nomen Domini: ac ſi diceret, illi qui ratione & mente ſunt præditi, Deum laudent ſuo & aliarum creaturarum nomine. Addit deinde, *Quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.* Quod ſuperioribus creaturis non ſimiliter dixit: licet enim illæ ſuper cæteras ſint exaltatæ, nihilominus de illis quoque dixit quòd Deum profiteri Dominum & celebrare debeant, quia ſcilicet immensùm ſupra illas eſt exaltatus, ille quippe creauit eas. At inter creaturas inferiores nulla eſt quæ dici poſſit ſupra cæteras eleuata, nam illarum qualiſcumque magnitudo non conſtat, & firmam durationem non habet. Et eapropter ſuperbire non debent Reges terreni, Principes & iudices terræ ob ſuam dignitatem; nam poſt breue admodum temporis ſpatium aufertur, deſinit & perit illorum magnitudo, & confiteri debent non eſſe magnitudinem aut exaltationem niſi Dei ſolius. Alio adhuc ſenſu hæc verba, *Quia exaltatum eſt nomen eius ſolius*, dicta poſſunt intelligi, quòd nempe prædicetur illam fore venturo tempore orationem, cum redemptor aduenerit, & tunc illos omnes palam fore profeſſuros quòd nomen Dei ſolius ſit exaltatum, ſuam verò magnitudinem
Iſa. 5.15. & fortitudinem eſſe vanitatem, vt ſcriptum eſt, *Et incuruabit ſe homo, & humiliabit ſe vir, & oculi ſublimium humiliabunt ſe, & ſublimis apparebit ſolus Dominus in die illa. Gloria eius ſuper terram & cœlum.* Omnia liquidem creata cum inferiora tum ſuperiora, omnia prorſus vi eius potentiæ conſtant & permanent, & eius gloria per cauſarum concatenationem & ſeriem, ſuper illa elucet.

V. 14. *Et exaltauit cornu populi ſui.* Et hoc oſtendet toti mundo, omnia nempe in poteſtate ſua eſſe poſita, cùm exaltauerit cornu populi ſui: illum enim ex captiuitate educet & ex Gentibus congregabit, & cornu illorum ſupra omnes populos exaltabit. Et hæc erit materia laudis omnibus pijs eius; illum etenim ob hoc beneficium laudabunt. Quinam verò ſunt omnes ſancti ſeu pij eius; Nempe Iſraëlitæ, qui ſunt populus eius propinquus. Vos ergo omnes laudate Dominum.

PSALMVS CENTESIMVS QVADRAG. NONVS.

1. HAlleluia. Cantate Domino canticum nouum: laus eius in cœtu piorum.
2. Lætetur Iſraël in factoribus ſuis: filij Sion exultent in Rege ſuo.
3. Laudent nomen eius in choro: in tympano & cithara pſallãt ei.

4. Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: glorificabit manſuetos in ſalutem. PSAL. 149.

5. Eultabunt Sancti in gloria, cantabunt in cubilibus ſuis.

6. Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladius biceps in manu eorum.

7. Ad faciendam vltionem in Gentibus, increpationes in populis.

8. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in catenis ferreis.

9. Ad faciendum in eos iudicium ſcriptum: gloria hæc, erit, omnibus pijs eius. Hallelüia.

COMMENTARIVS.

V. 1. HAllelüia. *Cantate Domino canticum nouum.* Iſraëlitas alloquens dicit, Cantate Domino canticum nouum; perinde ac ſi diceret illis, ne vobis ſufficiant illa cantica iam pridem conſcripta, ſed vos nouum edite canticum, & illud canite in laudem Dei propter illa admiranda opera quæ in veſtri gratiam perfecit. *Laus eius in cœtu piorum.* Laus eius decantabitur in cœtu piorum, nempe Iſraëlitarum.

V. 2. *Lætetur Iſrael in factoribus ſuis.* Vſus eſt numero multitudinis honoris gratiâ, quod etiam factum eſt in iſtis locis, *Vbi eſt Deus factores mei?* & Iob. 35. 10.
Quia maritus tuus factor tuus, Dominus Sabaot nomen eius. Iſa. 54. 5.

V. 3. *Laudent nomen eius.* Nimirum ore ſuo & inſtrumentis cantici, nomen eius celebrent.

V. 4. *Quia beneplacitum eſt Domino.* Ipſos Iſraëlitas decet præ cæteris populis Deum laudare, nam illos præ alijs omnibus fauore & beneuolentiâ eſt proſequutus. Et quia cæteris populis ſunt magis humiles & manſueti, idcirco præ omnibus illos ornauit eâ ſalute & liberatione quâ illos in libertatem aſſeruit.

V. 5 *Exultabunt Sancti.* Iſraëlitæ qui ſunt pij cultores Dei exultabunt in gloria ſua, quæ in æternum eſt duratura. *Cantabunt in cubilibus ſuis.* Altis vocibus Deo benedicendo laudes decantabunt propter requiem & pacem ſibi ab eo conceſſam & perpetuò permanſuram. Illud, *In cubilibus ſuis.* Significat, in velè, pro tranquilla ſua manſione in patria; ſicut iſtis ex locis patet, *Et dabo* Leu. 26.
pacem in terra, & iacebitis, & non erit qui exterreat. Etiam in nocte non 6.
quieuit animus eius. Et arteria mea non quieuerunt. Sunt tamen qui expo- Eccl.
nant eadem verba, *In lectis ſuis*, cùm noctis tempore ibi verſantur ſoli. 2. 23.
Iob. 30. 17.

V. 6. *Exaltationes Dei.* Cùm aduerſùs Gog & Magog præliaturi egredientur, Deum benedicendum orabunt, eúmque laudibus efferent, quòd ab ipſo educti fuerint ab exilio: eámque tunc fortitudinem eis dabit quâ ſuos hoſtes prorſus delere valeant. Erit oratio in ore ipſorum, & gladius in manu eorum. Dictio iſta פיפיות *piphiot* ſignificat gladios duplicem aciem habentes, & ab vtroque latere interficientes. Dixit porro, *In gutture eorum*, quia vox

Nnnn ij

Psal. 149. primùm exit è gutture, ac deinde in ore ſermo perficitur. Aut idcirco dixit, In gutture ſuo, quia altis vocibus clamantes orabunt: quo ſenſu dictum eſt illud, *Clama in gutture.*

Iſa. 58. 1. V. 7. *Ad faciendam vltionem.* Quòd ſcilicet illæ nationes primæ irruperint in Iſraëlitas, eóſque bellis infeſtarint, at tum ipſi vltionem in illas facient. *Increpationes.* Illarum quippe Reges increpabunt, quòd ſine cauſa bellis ipſos laceſſierint, nec ſuos ſubditos cohibuerint, ne aduersùs ipſos bella mouerent; Quapropter vltionem de illis capient & interficient omnes populos qui in ipſos bellum illaturi inuaſerunt.

V. 8. *Ad alligandos.* Reges eorum & inclytos Principes viuos capient, eóſque vinculis & ferreis compedibus colligabunt vt de illis adhuc viuentibus vindictam ſumant.

V. 9. *Ad faciendum in eos iudicium ſcriptum.* Iudicium contra eos decretum. Vel quod ſcriptum eſt in lege, *Si acuero fulgorem gladij mei, & arripuerit iudicium manus mea.* Et illud etiam ſcriptum eſt in Ezechielis & Zachariæ vaticinijs. *Gloria hac.* Et dies ille erit glorioſus omnibus pijs eius; nimirum Iſraëlitis: ac propter illum diem, Laudate Dominum.

Deut. 32. 41.

PSALMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS.

Halleluia.

1. LAudate Deum in Sancto eius: laudate eum in firmamento fortitudinis eius.

2. Laudate eum in fortitudinibus eius: laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudins eius.

3. Laudate eum in clangore tubæ: laudate eum in nablio & cithara.

4. Laudate eum in tympano & fiſtula: laudate eum in fidibus & organo.

5. Laudate eum in cymbalis ſonoris: laudate eum in cymbalis clangoris.

6. Omnis ſpiritus laudet Dominum. Halleluia.

COMMENTARIVS.

V. 1. HAlleluia. *Laudate Deum in Sancto eius.* In hoc Pſalmo, qui eſt totius libri concluſio & veluti ſignaculum, tredecim vicibus repetitur vox, *Laudate*, quibus deſignantur tredecim* Proprietates quibus Deus bene-

dic. hunc mundum gubernat. Ac primùm quidem dicitur, *Laudate Deum in* PSAL.
Sanſto eius, hoc eſt in mundo Angelorum: & poſtea ſubditur, *Laudate eum in* 150.
firmamento ſeu expanſo fortitudinis eius. Et ſuprema ac nona ſphæra denotatur, ac totus pariter mundus per illam; hæc enim ſuo ambitu omnia complectitur; & idcirco additum eſt, fortitudinis eius, quòd in ipſa maximè Dei benedicendi potentia conſpiciatur.

V. 2. *Laudate eum.* Poſtea Iſraëlitas alloquens autor Pſalmi dicit eis, laudate eum in fortitudinibus eius, quas erga vos exhibuit magis quàm erga vllum alium populum. *Laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis eius.* Nempe quia magnificatus eſt, & ſanctificatus inter alios populos, ob redemptionem eorum.

V. 3. *Laudate eum in clangore tubæ.* Quem cùm expreſsè nominat, buccinarum etiam clangorem intelligit.

V. 4. *Laudate eum in ſidibus.* Vox מנים *minnim* eſt nomen inſtrumenti cuiuſdam muſici, nobis modò ignoti. Et eximius Rabbi Saadias F. M. illam interpretatur tanquam מינים *minim*, quaſi diceretur, in varijs muſicorum inſtrumentorum ſpeciebus, quæ hic non ſunt expreſsè nominatæ.

V. 5. *Laudate eum in cymbalis ſonoris.* Nam cymbala magnum edunt ſonitum; vnde in libris Paralipomenon dicitur, *In cymbalis æneis concrepantes*, 1.Paral.
ad reſonandum. In cymbalis clangoris. Quæ clangoris ſonitum emittunt. 15.16.

V. 6. *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Verùm ſuprà laudes & cantus muſicos & ſonoros, antecellit laus ſpiritus ſeu animi hominis; quia hic Dei benedicti opera contemplatur, & ex ſua notitia, ac pro virium ſuarum modulo, dum adhuc eſt in corpore, Deum laudare debet: quapropter omnes animos hortatur dicens, Hallelu..., Laudate Deum.

Abſolutus eſt liber Pſalmorum, propterea laudes concinant omnes homines Deo excelſo, Deo Deorum & Domino Dominorum. Amen.

* Vel Dei Epitheta ſeu attributa quæ ipſe reuelauit Moſi, Exod 34.

FINIS.

INDEX LOCORVM ALIQVOT SACRÆ SCRIPTVRÆ, quæ in his Commentarijs explicantur aut illuſtrantur.

GENESIS.

CAP. 2. 6. Et vapor aſcendebat è terra. pag. 600.
C. 3. 16. Ad virum tuum erit affectus tuus. p. 404.
Ibid. 17. In dolore comedes eam. p. 581. & 278.
C. 4. 7. Statim in foribus aderit peccatum. p. 159.
Ibid. 13. Major eſt iniquitas mea quàm vt. p. 302.
C. 6. 9. Cum Deo ambulauit Noë. p. 115.
C. 7. 11. Cataractæ cœli apertæ ſunt. p. 349.
C. 8. 21. Figmentum humani cordis malum ab adoleſc. p. 454.
C. 11. 28. Mortuus eſt ad faciem Thare patris ſui. p. 194.
C. 15. 16. Nondum completa eſt iniquitas Amorrh. p. 302.
C. 20. 6. Ego te prohibui ne peccares in me. p. 86.
Ibid. 17. Redde vxorem viro quia Propheta eſt. p. 476.
C. 22. 18. Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes. p. 314.
C. 23. 6. Princeps Dei es in medio noſtri. p. 476.
Ibid. 8. Si eſt cum anima veſtra. p. 119.
C. 24. 10. Omne bonum Domini ſui in manu eius. p. 452.
C. 25. 18. Coram cunctis fratribus ſuis cecidit. p. 353.
C. 28. 6. Si dederit mihi Dominus panem, &c. p. 170.
Ibid. 17. Quàm terribilis eſt locus iſte. p. 591.
C. 32. 10. Minor ſum omnibus miſericordijs tuis, p. 529.
C. 41. 57. Omnis terra veniebat in Ægyptum. p. 561.
Ibid. 8. Et fuit mane & contritus eſt ſpiritus eius. p. 337.
C. 45. 26. Debilitatum eſt cor eius. ibid.
Ibid 27. Reuixit ſpiritus eius. p. 303.
C. 48. 14. Intelligere fecit manus ſuas. p. 355.
Ibid 16. Et vocabitur nomen meum in illis. p. 359.
C. 49. 8. Iuda tu, laudabunt te fratres tui. p. 205. & 522.
Ibid. 10. Non auferetur ſceptrum de Iuda & legiſlator de, &c. p. 261.
Ibid. 16. Fiant in capite Ioſeph, &c. p. 292.
Ibid 22. Ramus creſcens Ioſeph. p. 362.
Ibid. 24. Inde paſtor lapis Iſraël. p. 536.
Ibid. 25. Benedictionibus vberum, &c. p. 86.

EXODI.

Cap. 1. 21. Et fecit eis domos. p. 288.

SACRÆ SCRIPTVRÆ.

C. 3. 7. Et ſciens dolorem eius. p. 6. & 134.
C. 8. 22. Vt ſcias quia ego Dominus in medio terræ. p. 327.
C. 12. 12. In die quo percuſſi omne primogen. p. 390.
C. 15. 1. Glorioſè magnificatus es. p. 456.
Ibid. 11. Quis ſimilis tui in fortibus D. p. 539.
Ibid 17. Plantabis in monte hereditatis tuæ. p. 198.
C. 16. 20. Et vermes emiſit & putruerat. p. 278.
C. 19. 6. Eritis mihi in regnum ſacerdotale. p. 521.
C. 21. 9. Iuxta iudicium filiarum faciet ei. p. 564.
C. 30. 23. Sume tibi aromata capitis. p. 623.
C. 33. 19. Miſerebor cuius miſerebor. p. 555.

LEVITICI.

Cap. 6. 15. In monimentum odoris ſuauiſſimi. p. 88.
C. 10. 5 In propinquis meis ſacrificabor. p. 409.
C. 19. 13. Non morabitur opus mercenarij apud te. p. 507.
C. 20. 3. Ponam vultum meum contra virum iſtum. p. 150.
C. 25. 36. Viuetque frater tuus tecum. p. 314.

NVMEROR.

Cap. 3. 29. Aulæum oſtio oppanſum. p. 479.
C. 6. 5. Sanctus eſt Domino. p. 149.
Ibid 25. Faciem tuam lucere fac. p. 564.
C. 10. 35. Surge Domine. p. 107.
C 12. 2. Vxorem eius Æthiopiſſam. p. 28.
C. 14. 17. Magnificetur, quæſo, fortitudo Domini. p. 450.
C. 15. 39. Et non explorabitis poſt cor veſtrum, &c. p. 442.
C. 20. 16. Clamauimus ad Dominum. p. 192.
C. 25. 21. Et clangor Regis in eo. p. 400. & 401.

DEVTERONOMII.

Cap. 1. 41. Parati fuiſtis aſcendere. p. 393.
C. 2. 23. Heuæos quoque, Cappadoces deleuerunt. p. 260.
C. 4. 6. Hæc eſt enim veſtra ſapientia. p. 514.
Ibid. 7. Deos appropinquantes ſibi. p. 43.
C. 6. 13. Per nomen eius iurabis. p. 106.
C. 7. 10. Qui reddit odio habentibus ſe ſtatim. p. 417.
C. 10. 8. Et ſeparauit Dominus tribum Leui. p. 19.
Ibid. 20. Dominum Deum tuum timebis. p. 561.
C. 13. 4. Dominum Deum tuum timebis & illi ſeruies. p. 514.
C. 14. 1. Filij eſtote Domini Dei veſtri. p. 10.
C. 23. 13. Non fœneraberis fratri tuo, ſed alieno. p. 58.

C. 14. 15. Ad ipſum leuat animam ſuam. p. 109.
C. 25. 7. Perget mulier ad portam ciuitatis. p. 386.
C. 26. 6. Afflixerunt nos Ægyptij. p. 192.
C. 30. 11. Præceptum quod ego tibi præcipio non eſt mirabile. p. 563.
C. 31. 17. Abſcondam faciem meam erunt in. p. 561.
C. 32. 13. Vt ſugeret mel de petra, &c. p. 361.
Ibid. 14. Leuabo ad cœlum manum meam. p. 487.
Ibid. 18. Deum qui te genuit. p. 10.
Ibid. 22. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo. p. 470.
Ibid. 50. Morere in monte. p. 170.
C. 33. 7. Sufficient illi manus eius. p. 91.
Ibid. 11. Infringe lumbos inimicorum. p. 301.

IOSVE.

Cap. 5. Manſerunt in caſtris donec ſanarentur. p. 528.
C. 13. 18. Cum illo, Manaſſe, Rubenitæ, &c. p. 62.
C. 15. 8. Aſcendet terminus ad vallem F. Hinnon. p. 593.
C. 18. Et deſcendit terminus ad extremum montis. Ibid.

IVDIC.

Cap. 1. 8. Et ciuitatem miſerunt in ignem. p. 326.
C. 7. 14. Gedeon filij Ioas viri Iſraëlitæ. p. 19.
C. 12. 7. Sepultus eſt in vrbibus Galaad. p. 80.

RVTH.

Cap. 2. 2. Sit Dominus vobiſcum. p. 586.
Ibid. 19. Sit benedictus qui cognouit te. p. 6.
C. 4. 1. Aſcendit Boos ad portam ciuitatis. p. 386.
Ibid. 7. Et hoc antea erat teſtimonium. p. 563.

I. SAMVEL.

Cap. 1. 18. Et vultus eius non erat illi amplius. p. 92.
C. 3. 1. Sermo Domini erat pretioſus in illis diebus. p. 216.
C. 12. 6. Dominus qui fecit Moyſem & Aaron. p. 429.
C. 16. 2. Prouidi in filijs eius Regem mihi. p. 9.
C. 18. 14. Prudenter agebat Dauid. p. 515.
Ibid. 29. Factus eſt Saül inimicus Dauid. p. 23.
C. 20. 22. Fac inuenias ſagittas. p. 159.
C. 22. 5. Saltum Hareth. p. 102.
C. 25. 22. Nunquid voluntas D. in holocauſtis. p. 184.
Ibid. 37. Emortuum eſt cor eius. p. 100.

C. 26. 15. Nunquid vir non es ? p. 18.

II. SAMVEL.

Cap. 2. 1. Conſuluit Dominum Dauid. p. 551.
C. 6. 1. Vt adducerent inde Arcam cuius, &c. p. 210.
C. 7. 14. Ipſe erit mihi in filium. p. 10.
C. 8. 13. Cœsâ Syriâ in valle Salinar. &c. p. 259.
C. 11. 2. Vidit mulierem lauantem ſe ſupra, &c. p. 291.
C. 15. 30. Dauid aſcendebat cliu. oliu. flens. p. 13.

I. REGVM.

Cap. 2. 2. Ingredior viam vniuerſæ carnis. p. 619.
C. 8. 1. Vocauit Dominus famem. p. 476.
C. 18. 43. Aſcende & proſpice contra mare. p. 600.

II. REGVM.

Cap. 2. 3. Filij Prophetarum. p. 149.
C. 6. 16. Plures enim qui nobiſcum ſunt. p. 243.
C. 18. 37. Sciſſi veſtibus. p. 12.

I. PARALIP.

Cap. 7. 21. Occiderunt eos viri Geth. p. 346.
C. 18. 12. Percuſſit Edom, decem & octo millia. p. 259.
C. 28. 9. Scito Deum patris tui, &c. p. 375.
C. 29. 15. Peregrini enim ſumus coram te. p. 180.
Ibid. 23. Seditque Salomon ſuper ſolium Dei. p. 311.

II. PARALIP.

Cap. 13. 14. Eóquòd rupiſſet D. rupturam in Oza. p. 632.

IOB.

Cap. 3. 26. Volabit accipiter. p. 362.
C. 4. 19. Ante Arcturum. p. 312.
C. 5. 23. Cum lapidibus, pactum tuum. p. 413.
C. 10. 21. Ad terram tenebrarum, &c. p. 105.
C. 12. 7. Aut loquere terræ & docebit. p. 79.
Ibid. 19. Ambulare facit Sacerdotes ſpoliatos. p. 510.
C. 14. 12. Sic homo cùm dormierit nec reſurget. p. 391.
C. 15. 26. Curret contra illum in collo. p. 331.

C. 18. 15. Deuoret membra cutis eius. p. 445.
C. 21. 33. Poſt ſe omnem hominem trahet. p. 122.
C. 28. 16. Pretium ſapientiæ ſupra, &c. p. 580.
C. 29. 27. Conterebam molas iniqui. p. 16.
C. 30. 8. Et in terra penitus non parentes. p. 156.
C. 33. 19. Dolotibus caſtigabitur ſuper lectum. p. 180.
C. 38. 36. Quis dedit cordi intelligentiam. p. 319.
Ibid. 31. Nunquid cohibebis delicias vergil. p. 329.

PROVERB.

Cap. 1. 12. Deglutiemus eos, viuentes. p. 242. & 576.
C. 6. 13. Annuit oculis, loquitur pedibus. p. 157.
C. 8. 23. A ſeculo conſtituta ſum. p. 407.
C. 9. 1. Excidit columnas ſeptem. p. 546.
Ibid. miſcuit vinum ſuum, p. 332.
Ibid. 19. Sedet ad oſtium domus ſuæ. p. 584.
C. 13. 15. Venter autem impiorum indiget. p. 168.
C. 14. 20. Etiam proximo odioſus eſt pauper. p. 55.
C. 15. 30. Bonum nuntium impinguat oſſa. p. 230.
C. 16. 15. In luce faciei Regis vita. p. 564.
C. 20. 11. Etiam in operibus ſuis cognoſcetur puer. p. 549.
C. 25. 2. & 16. Gloria Dei eſt celare verbum. p. 589.
C. 28. 13. Qui tegit ſcelera ſua non proſperabitur. p. 228.
C. 31. 17. Accinxit fortitudine lumbos ſuos. p. 501.
Ibid. 18. Guſtauit & vidit quia bona eſt. p. 148.

ECCLESIASTÆ.

Cap. 4. 15. Dum ambulant coram viuentibus. p. 276.
C. 6. 7. Omnis labor hominis in ore eius. p. 352.
C. 9. 8. Omni tempore ſint veſtimenta tua, &c. p. 204.
Ibid. 10. Quia nec opus nec cogitatio in ſepulchro. p. 180.
C. 11. 9. Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. p. 262.
C. 12. 5. Pergit homo in viam æternitatis ſuæ. p. 619.

ISAIÆ.

Cap. 1. 12. Ad quid mihi multitudo ſacrificiorum. p. 223.
C. 8. 13. Ipſe pauor veſter, &c. p. 355.
C. 10. 5. Virga furoris mei. p. 145.
C. 11. 9. Plena erit terra ſcientia Domini. p. 312.
Ibid 15. Areſecit Dominus linguam maris. p. 125.
C. 12. 1. Confitebor tibi quia iratus es mihi. p. 142.
C. 18. 13. Ne facias vias tuas. p. 178.
C. 19. 17. Erit terra Iuda Ægypto in titubationem. p. 479.

C. 29. 1. Et iugulent feſta. p. 537.
C. 30. 10. Et dabit vobis D. panem arctum. p. 289.
C. 32. 20. Immittis pedes bouis & aſini. p. 279.
C. 41. 21. Afferte ſi quid forte habetis. p. 98.
C. 51. 23. Poſuiſti ſicut terram corpus. p. 586.
C. 54. 12. Ego ſternam per ordinem lapides, &c. p. 214.
Ibid. 19. Montes commouebuntur. p. 125.
C. 55. 10. Quomodo deſcendit imber, & nix, &c. p. 607.
C. 56. 7. In domo orationis meæ. p. 429.
C. 58. 13. Non facias voluntatem tuam. p. 3.
C. 60. 21. Populus tuus omnes iuſti. p. 419.
C. 63. 9. Angelus faciei eius. p. 193.
Ibid. 17. Quare errare facis nos à vijs tuis. p. 549.
C. 64. 5. Tu iratus es & peccauimus. p. 278.
C. 65. 20. Puer centum annorum morietur. p. 419.

IEREMIÆ.

Cap. 7. 21. Holocauſta veſtra addite victimis. p. 223.
C. 12. 1. Iuſtus es Domine ſi diſputem tecum, &c. p. 317.
C. 14. 9. Quare futurus es ſicut vir vagus. p. 446.
C. 17. 12. Solium gloriæ eſt altitudo à principio. p. 592.
C. 18. 17. Ceruicem & non faciem oſtendam eis. p. 136.
C. 19. 23. Eris mihi ſicut mendacium. p. 267.
C. 51. 36. Siccabo mare eius. p. 125.
Ibid. 53. Et in omni terra eius clamabit occiſus. p. 302.

THRENOR.

Cap. 2. 1. Projecit de cœlo in terram, &c. p. 446.
C. 23. Auertit dextram à facie inimici. p. 327.
C. 4. 8. Adhæſit cutis eorum oſſibus. p. 445.
Ibid. 16. Vultus Domini diuiſit eos. p. 92.

EZECHIEL.

Cap. 1. 15. Apparuit rota vna ſuper terram. p. 617.
C. 3. 1. Comede volumen. p. 563.
C. 16. 5. Propter abominationem animæ tuæ. p. 477.
C. 20. 28. Leuaui animam meam de eis. p. 487.
C. 23. Bibiſti, & expreſſiſti vſque ad fæces. p. 320.
C. 28. 17. Ponam te ante Reges vt videant. p. 98.
C. 36. 38. Plenæ gregibus ouium. p. 499.
C. 38. 12. Habitantes in vmbilico terræ. p. 387. & 592.
C. 44. 30. Et omnis oblatio omnium. p. 617.

INDEX LOCORVM

DANIEL.

Cap. 1. 41. Saluabuntur de manu eius Edom. p. 501.

OSEE.

Cap. 4. 10. Dominum dereliquerunt ad cuſtodiendum, p 160.
C. 7. 11. Columba fatua, p. 245.
C. 8. 2. Me inuocabunt Deus meus cognouimus te Iſraël, p. 610.
C. 13. 5. Cognoui te in deſerto, p. 6.

AMOS.

Cap. 3 2. Tantummodo vos cognoui ex omnibus, p. 257.
C. 4. 11. Vaccæ Baſan, p. 290.
C. 5. 8. Vocat aquas maris, p. 600.
C. 9. 1. Poſtremum eorum percutiam gladio, p. 506.

MICHÆÆ.

Cap. 6. 2. Audite montes iudicium, p. 312.
C. 5. 7. Erit reſiduum Iacob ſicut ros,
C. 7. 18. Aufers iniquitatem & tranſis peccatum, p. 452.

NAHAM.

Cap. 1. 4. Increpat mare & exſiccat illud, p. 485.
C. 2. 1. Conforta lumbos, p. 301.

HABACVC.

Cap. 1. 4. Debilitatur lex, p. 337.
Ibid 10. Ipſe Reges ſubſannat, p. 468.

ZACHAR.

Cap. 1. 15. Iratus ſum parum, adjuuerunt, &c. p. 357.
C. 2. 11. Adhærebunt D. gentes multæ, p. 502.
C. 3. 10. Vocat amicum ſub vitem, &c. p. 312.
C. 6. 2. Facies coronas & pones in capite Ioſue, p. 596.
C. 12. 6. Ponam Duces Iuda vt focum ignis, p. 92.

MALACH.

Cap. 1. 7. Et non incendatis ignem ſuper altare M. p. 223.
C. 4. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum, ſol. p. 218.

FINIS.

INDEX RERVM COGNITIONE DIGNIORVM.

Littera A *notat initium paginæ* , B *medium* , C *finem.*

A

ABrahami prompta obedientia. pagina 516. *C.*
Adjectiuum Hebræis ſæpe ponitur non expreſſo eius ſubſtantiuo. p. 24. *A.*
Adjutores ſceleris autore ipſius pejores. p. 486. *C.*
Ægroti cur potiùs dicantur ſtulti, quàm alij afflicti. p. 496. *A.*
Aër quot varijs nominibus appelletur, & cur. p. 340. *A.*
Ager quid ſit. p. 146. *C.*
Alleluia dictio vnde facta, & quid ſit Alleluia magnum. p. 471. *B.*
Amen, quid ſignificet. p. 189. *C.* & 315. *A.*
Amor Dei quid ſit, & quî ad eum perueniatur, & quid eum præcedat. p. 70. *C.* & 413. *C.*
Nobilior eſt timore Dei. Quæ ſit eius merces, etiam in hoc ſeculo. p. 455. *C.*
Angeli quantæ ſint poteſtatis, propter quid mandata Dei exequantur. p. 457. *A. B.*
Anima in corpore cui ſimilis, & à quibus ibi malè patiatur. p. 81. *C.*
Quibus bonis ſit afficienda. p. 219. *B.*
Anima hominis in quibus Deo ſimilis. p. 451. *B.*
Quænam ſint eius infirmitates, & quâ ratione ab illis & ab interitu liberanda. p. 452. *B.*
Adorationis variæ ſpecies. p. 423. *C.*
Aquæ in locum vnum collectæ & intra littora ſua cohibitæ, ex Dei miſericordia. p. 143. *C.* & 461. & 462.
Aquæ maris cur ſalitæ. Ibid.
Cur per varia loca diffluunt. p. 463 *C.*
Aquila, quoties renouetur & quomodo. p. 452. *C.*
Arca, cur fuerit appellata Deus, Dominus, &c. p. 107. *B.*
Arcus doloſus quid, & ei ſimiles Iſraëlitæ. p. 353. *B.*
Aſtrologi vani. p. 133. *C.*

B

BEneficia Dei in præſenti vita quantùm differant à beneficio futuræ. p. 162. *B.*
Beneficia Dei vel homini vni collata recenſeri non poſſunt. p. 483. *B.*
Bethleem, quantùm diſtet ab Ieruſalem. p. 593. *A.*
Bona huius mundi inſtabilia. p. 321. *B.*

C

CAlamitas quibus rebus deſignetur in Scriptura. p. 72 *C.*
Cur vtilis reputanda p. 129. *A.*
Cur hominibus eueniat, & cui ſimulis. p. 193. *B.*
Eſt ſimilis caligini, & liberatio ab illa, luci. p. 75. *B.*
An poſſit eſſe materia ſolatij. p. 13. *B.*

Cantica de bonis vitæ præſentis, cur voce fœmininâ, & cantica de bonis futuris, maſculinâ voce exprimantur Hebraïcè. p. 431. B.
Captiuitas, quantum malum. p. 391. B.
Ægyptiaca, quot annis durauerit. p. 360. B.
Carnis fragilitas. p. 350. C.
Caſtigationes Dei ſunt veluti legati. p. 408. A.
Sunt ad bonum hominum. p. 424. & 425. A.
Circumciſionis cæremoniæ apud Iudæos. p. 222. C.
Cogitationem malum omnem peccatum eſſe non cognouerunt Iudæi omnes. p. 283. C.
Columbæ alas cur ad fugam optaret Dauid. p. 240. B.
Concupiſcentia Deus eſt extraneus. p. 356. C.
Qui eam refrænat, quo loco habendus. p. 3. B.
Vnde veniat in hominem. p. 455. B.
Conſilium dicitur Hebraïcè fundamentum cur. p. 8. C.
Concupiſcentiæ carnis reſiſtere majus eſt quàm alijs vitijs non conſentire cur. p. 229. B.
Cœlum cur ſphæra vocetur. p. 340. A.
Cœli quomodo Deum laudent. p. 397. B.
Conuerſio peccatoris, quî fiat. p. 588. B.
Cornu in ſacris Scripturis, quid notet. p. 71. B.
Cor, quare dicitur mori & reuiuiſcere. p. 100. A.
Corporis humani conformatio quàm mirabilis. p. 614. & ſeq.
Corpus, quomodo ſit curandum. p. 219. B.
Creatura quælibet rei alicui vtilis, nulla omnino inutilis. p. 465. & 456. A.
Creationis mundi opus cur Iſraëlitis ſcriptum. p. 513. B.
Cultus Dei verus in quo conſiſtat. p. 121. B.
Quid ad eum pertineat. p. 122. B.
Cultus Dei ex amore, quis ſit. p. 559. B.
Cultores Dei præſtantiſſimi, quinam. p. b. 38. B.

D

David ſimpliciter & cum fiducia ſe geſſit erga Deum. p. 74. C.
Semper humilitatem retinuit. p. 589. C.
Pro illo bellum aggrediente orabant his verbis, Tribuat tibi ſecundum cor tuum. p. 88. C.
Quanto affectu diuino cultui, ſuæque animæ neceſſarijs vacare cuperet. p. 128. B.
Quid ageret cùm à regni curis vacaret. p. 441. A.
Quâ ratione regnum gubernaret. Ibid. B.
Cur ſcientiam ſibi dari optaret. p. 562. B.
Quam noctis partem ſtudio legis daret. p. 565. B.
Cur vitæ conſeruationem à Deo peteret. p. 550. B.
Quomodo ſe pium prędicet. p. 382. C
Quomodo ſe dicat pauperem, vnicum, &c. p. 113. B.
Cur dicat Deo, Iudica me, & alibi, non intres in iudicium cum ſeruo tuo. p. 115. A.
Deus cœli nomine cur appelletur. p. 4. C.
Quomodo aſcendere & deſcendere dicatur. p. 31. A.
Cur explorans corda & renes. ibi. C.
Quomodo ad aliquem accedere, aut ab eo diſtare dicatur. p. 43. C.
Quem adjuuet contra concupiſcentiam. p. 36. B. & 568. A.
Ad fauorem pronior quàm ad vin-

dictam. p. 129. C.
Quare ſuam opem ab aliquo retrahat. p. 130. B.
Deus author omnium quæ eueniunt homini eſt agnoſcendus. p. 144. C.
Hominem non cogit; & quinam ſit ei gratus. p. 169. C.
Cur dormire & expergiſci dicatur, & quando. p. 354. B.
Et vultum abſcondere ab aliquo, aut fauere ei. p. 360. B.
Cur citiùs puniat cultores ſuos. p. 409. C.
Paſtor noſter eſt. p. 429. A.
Quomodo dicitur feciſſe nos. p. 439. C.
Tam ob mala quàm ob bona laudandus. p. 441. B.
Deus excelſior omnibus excellis. p. 456. C.
Non agit cum hominibus ſecundùm peccata eorum. p. 453. A.
Dei dies, qui, quanti. p. 408. B.
Eius cognitioni omnia patent. p. 616. & 417.
Deus quo ſenſu ſit nomen ſuum. p. 412. C.
Deus cur dicatur terribilis p. 487. B.
Dei nomen cur iungatur alijs rebus. p. 361. B. 161. & 464.
Eius miſericordia in peccatores. p. 268.
Dei beneficia accepta quis agnoſcere poſſet. p. 41. A.
Deum obliuiſcentes quò ſint detrudendi. Ibid. C.
Deum cur decem laudum titulis celebret Dauid. p. 71. C.
Dicere in corde, pro cogitare. p. 19. C.
Diuitiæ, vnde ſint vt plurimùm, in ijs non eſſe confidendum. p. 267. B.
Docere alios fidem Dei, pertinet ad cultum eius. p. 166. B.
Doctores malè agentes quàm noxij. p. 224. C.

F

Felicitas improborum bonis eſt horrori. p. 554. A.
Fiducia in homine quî ſit habenda. p. 585. B.
Filius Dei quis dicendus. p. 10. B.
Fœnori ſeu vſuræ dare quantum malum, cur ab illo ſæpius dehortentur Prophetæ, an licitum Iudæis, quibus & cur. p. 58. B.
Fortitudo Dei in ira ſua auertenda paret. p. 350. C.
Fraus cur voce Hebraïca תוך medio exprimatur. p. 44. C.
Fraudulentus, leoni & aucupi ſimilis, cur. p. 45. B.

G

Gehenna quid ſit, vnde dicatur. p. 120. A.
Gloria Domini quid Hebræis denotet. p. 40. C.
Gratias agere Deo debet homo pro ſingulis bonis. p. 182. C.

H

Hebræa lingua, cur dicta ſit Sancta. p. 248. C.
Hirundo vnde ſit dicta Hebraïcè, & cur. p. 374. B.
Hiſtoriæ vtilitas. p. 546. C.
Homo quid primum addiſcat, & canere debeat in hac vita. p. 2. B.
Eſt veluti peregrinus in hoc mundo, cur. p. 180. B. & 550. C.
Qua de re gloriari debeat. p. 215. C.
Homo perfectè non laudatur, cur. p. 276. A.
Quanta eius vanitas. p. 257. B.
In quo debeat confidere, & è contra. Ibidem. C.

Quibus modis honores aſſequatur, p. 332. *A.*
Homo cur tam pronus ad peccata, qui veniam eorũ aſſequatur, p. 454 *B.*
Homo quando verè homo, & quando bruto ſit ſimilis, Ibidem *C.*
Pro creatis omnibus alijs Deum laudare, & gratias ei agere tenetur, p. 457. *C.* & 459. *C.*
Quomodo ſe debeat gerere circa res à Deo factas, quas non ipſe noſcit, p. 500. *A.*
Homines Domini non ſunt in terra, ſed tantùm præfecti à Deo, p. 525. *C.*
Homo ad ſcientiam & ſapientiam comparandam conditus eſt p. 556. *B.*
Cur vltimus recenſeatur in rerum creatione. p. 649. *C.*
Hypocritæ magis noxij ſunt apertè malis. p. 561. *B.*
Humilitate Deus flectitur. p. 589. *A. C.*
Hyſteron proteron figura in ſacris Scripturis vſurpata, p. 321. *A.*

I

IDola quâ voce appellentur hebraïcè & cur, p. 524. *C.*
Ieruſalem, vnde dicta, p. 334. *A.*
In quorum poteſtate futura vſque ad finem mundi, p. 582. *C.*
Ignorantiæ mali effectus, p. 551. *A.*
Imaginum, &c. adoratio quî fiat. p. 438. *C.*
Impij ſimiles ægroto cuius eſt deſperata ſanitas, p. 318. *C.*
Impios cur non caſtiget Deus, vt probos, p. 49. *B.*
Infantis lactatio quàm mirabiliter fiat, p. 34. *B.*
Innocens ſeu ſimplex quis cenſendus, p. 56. *B.*
Inſani quinam dicendi ſint. p. 331. *B.*
Iratus, cur fumare naribus dicatur. p. 325. *A.*
Iſraëlitæ, quid in Ægypto non mutarint, p. 365. *C.*
Cur ſimiles columbæ, p. 329. *B.*
Cur dicatur hereditas Dei. p. 326. *B.*
Iſraëlitæ preces olim & ſacrificia Deo offerebant etiam pro alijs populis. p. 508. *C.*
Iudæ tribus, cur præ alijs ſæpe nominetur, p. 522 *A.*
Iudices Dij ſunt dicti, p. 368. *C.*
Iudicia Dei ſemper iuſta hominibus habenda, p. 174. *B.*
Iuramenti genus quodnam licitum ſeruis Dei, p. 106. *B.*
Iuſtus homo quid de ſe & alijs, & ſuis operibus bonis ſentiat, p. 57. *C.*
Iuſti & Iſraëlitæ cur cedro & palmæ ſimiles, p. 418. *C.*
Iuſtos cur Deus tentet, & afflicti cur Deum laudare debeant, p. 150. *B. C.*
Iuſtos, cur præ cæteris Deum laudare deceat, p. 142. *B.*
Iuſtorum tres ſunt gradus, & in quonam ſint plures aut pauciores, p. 138. *B.*
Iuuenes quomodo inſtituẽdi. p. 549. *A.*
Iuſtis Deus præmium dat in altero ſeculo, at ſuis inimicis, in præſenti, p. 425. *C.*
Inuocare Deum in veritate quid ſit, p. 638. *B.*

L

LAbia oris humani cur appellentur oſtium, p. 623. *B.*
Lætari & dolere quî dicantur de Deo, p. 470. *B.*
Lætari de bonis proximi, quàm bonum, p. 20. *C.*
Lætitia mentis & ſapientis quæ, p. 83. *C.*
Leo cur rugiat captâ prædâ. p. 95. *C.*
Lex, quotuplex Hebræis, p. 97. *C.*
Lex Dei cur ſoli comparata; eius effectus

fectus in mundo & anima hominis: quid ſit, vnde hebraïcè dicta, & cur dicatur perfecta: quantùm ſole vtilior, & præſtantior auro & diuitijs: quibus libris ſit contenta, & cur, p. 81. 82. 83. 84. &c.
Legis ſtudio quomodo diu noctúque vacare quis poſſit, p. 4. *B.*
Linguæ loquacitatem quot modis coërcere Deus voluerit in eius formatione, p. 570. *A.*
Linguæ Hebrææ figura loquendi eſt vt aliquando in prima perſona, aliquando in ſecunda loquatur, in eodem verſu, p. 23. *A.*
Literarum geminatio ſeu additio cur fiat in lingua Sancta, p. 14. *B.* & 393. *A.*
Luna proprium lumen non habet; eius vtilitates, p. 466. *B.* & 605. *A.*

M

Mali homines cur glumæ ſeu paleolis ſimiles, p. 6. *A.*
Malis cur benefaciat Deus in hac vita, & malè iuſtis, quæſtio etiam Moyſi non nota, p. 417.
Hoc non probat Deum non noſſe omnia, Ibid.
Malorum proſperitas quam breuis, Ibidem.
Quæſtio hæc quando manifeſta omnibus futura, p. 419. *C.*
Malus apertus aptior ad pœnitentiam quam occultus, p. 224. *C.*
Et minori ſcandalo, malo occulto ſtudenti legi, p. 225. *A.*
Mandata Dei vnde ſint dicta, & quid ſint, p. 82. *B.*
Meditatio illorum vtilis, p. 566. *A.*
Mare rubrum in quot diuiſiones ſit ſectum olim pro Iſraëlitis, p. 605. *C.*
Maris ſinus ad quid, p. 399. *B.*
Maſſora quid ſit, p. 157. *C.*
Maſſa & Meriba locorum nomina, vnde, p. 429. *A.*
Matris indoles in prole magis viget, hinc ſæpe Matrum Regum Iſraëlis nomina relata, p. 385. *B.* & 530. *B.*
Matutinum tempus orationi aptum, p. 22. *B.*
Mel fructus dulces ſignificat, p. 367. *C.*
Melchiſedech quis, p. 333. *C.*
Menſis cur dictus hebraïcè חדש, p. 364. *C.*
Melodia ſonora quid efficere poſſit in animo, p. 18. *C.*
Meridionalis mundi plaga, cur non tam ſæpe in Scripturis memoretur quàm aliæ, p. 494. *A.*
Meſſias cur dicatur germen, p. 595. *A.*
Meſſiæ dolores qui, p. 206. *C.*
Meſſiæ Regis tempore quid futurum, p. 312. & ſeq.
Mira in naturalibus cur aliquando faciat Deus, p. 328. *B.*
Miracula quæ fiebant Ieroſolymis diebus feſtis, p. 574. *A.*
Miſericordia Dei quid ſit, p. 185. *B.*
Præcipuum Dei beneficium eſt erga homines, p. 455. *C.*
Morborum cauſæ quæ, p. 572. *C.*
Mors & morbi cur dicantur eſſe ipſius hominis, p. 496. *C.*
Morbi à Deo homini immittuntur ad animæ eius procurandam ſalutem, p. 452. *C.*
Quæ eorum cauſæ, p. 188. *B.*
Quid ſint inter Deum & homines, p. 170. & 180. *A.*
Moyſes fuit Sacerdos, p. 438. *A.*
Moyſes Dei gloriam vidit, & quomodo, p. 67. *B.*
Moyſis & Samuëlis comparatio, p. 437. *C.*
Moyſes & Aaron in quo peccarint, p. 488. *C.*
Mundus ſubſiſtit propter Iſraëlitarum merita, p. 603. *B.*
Mutuum dare gratis, gratius aliquando ipſo dono. p. 58. *C.*

INDEX.

N

Negotia mundi ſunt materia iræ, p. 119. B.
Nox in quot partes ſit diuiſa olim à Iudæis, & ſub Romanis, p. 271. C.
Noctis commoda & cauſa, p. 467. A.
Nomen Dei proprium cur eius memoriale dicatur, p. 129. B.
Quid ſignificet, p. 221. C. Cur dicatur ſcribi & non legi, p. 316. B.
Cur dicatur nomen expoſitum, p. 415. C.
Nomen adiectiuum occurrit aliquando ſine ſuo ſubſtantiuo expreſſo, p. 266. A.
Nomen plurale aliquando iunctum ſingulari verbo, p. 347. A 168. B. 299. C.
Nomen ſingulare cum verbo plurali, p. 175. C.
Nominis conjunctio cum verbo eiuſdem ſignificati quid notet, p. 91. B.
Numerus ſeptenarius ſæpe non habet præciſam ſignificationem, p. 567. B.
Numeri ſeptenarius & denarius cur frequenter in Scriptura occurrant: octonarius verò cur ſpeciatim in Pſalmo 119. vſurpatus, p. 546. B.

O

Oblationes & orationes ceſſabunt in altero ſeculo, cur & quid tum offeretur Deo, 440. B.
Obſeruatio præcepti vnius, cauſa eſt ſeu meritum obſeruationis alterius, p. 554. C.
Oculi ſuperbiæ & peccatorum cauſæ, p. 75. B.
Oleo perfundi quid notet, p. 418. B.
Orationes citò audiri in terra Iſraël, p. 474. C.
Orantes multi cur non exaudiantur, p. 413. C.
Orabant Iudæi versùs templum, cur, p. 23. B.
Opera Dei iuſſu ſuſcepta veniam peccatorum merentur, p. 13. C.
Operis boni faciendi propoſitum etiam gratum Deo, p. 131. B.
Operum Dei contemplatio ad cultum eius ſpectat, p. 122. B.
Opus quomodo rectè poteſt fieri, p. 3. B.
Opus aliquod mirum recenter à Deo factum, debet omnia alia eius mira in hominis memoriam reuocare, p. 512. C.

P

Pacis & belli effectus quinam, p. 431. C.
Parentum laus de filijs ſuſpecta, p. 211. C.
Patriarcharum fiducia erga Deum, p. 471. B.
Principes, Chriſti & Prophetæ dicti ſunt ipſi; Ibidem.
Peccata quotum parentum in filijs puniat Deus, p. 357. C.
Peccata remitti hominibus per Angelos cur Deus noluerit, p. 587. C.
Peccatum & præcepta ex eorum mercede & damno ſunt penſanda, p. 555. A.
Peccatum hominem interficit, p. 553. A.
Animę eſt macula, p 128. B. & 130. B.
Non remittetur ſine pœnitentia, p. 138. A.
Peccata licèt grauia Deus condonat qui, p. 129. B.
Perfectio hominis, in quibus poſita, p. 106. B.
Piſces copioſiùs ſoboleſcunt alijs animantibus, p. 468. B.

Phylacteria quid ſint & vnde, p. 4. C.
Pius homo ſua mala ſuis attribuit peccatis, p. 134 C.
Pijs cultoribus ſuis Deus multa bona etiam in hoc mundo largitur, & cur, p. 136. A.
Pius homo quid in precibus ſuis obſeruare debeat, p. 185. C.
Pij parentes bona merentur à Deo pro ſuis etiam liberis; ſed quibus, p. 456. A.
Pſalmi graduales vnde ſic dicti, p. 569. B.
Pluuia inter mira Dei opera recenſenda, p. 125. A.
Pœnitentiam à quo tempore Deus homines docuerit, p. 111. C.
Quænam ſit doloſa, p. 138. A.
Pœnitentia etiam imperfecta non caſſa, p. 350. B.
Pœnitentiæ effectus, p. 379. C.
Pœnæ à Deo inflictæ in hac vita propter peccata ſunt effectus gratiæ eius, p. 268. B.
Portæ mortis quid ſignificent, p. 40 B.
Præcepta ſeptem data filijs Noë, quæ, p. 205. C.
Nam alijs populis quàm Iſraëlitis data fuerunt, & quæ; & quomodo ob illa violata puniti ſunt, p. 495. A.
Præcepta Dei quid ſignificent, p. 82 B. Cur pura & oculos illuminantia &c. dicantur, p. 83 C.
Probus quis merito poſſit appellari, p. 383. A.
Prophetæ, cur præterito vtantur tempore de rebus futuris loquentes, p. 15. C.
Proximi nomine quid Scriptura deſignet, p. 57. B.
Prouidentia Dei vnde pateat, p. 498. C. & 464. C.
Pupilla oculi, cur vocata hebraïcè אישון, p. 65. C.
Purgatorium ab Hebræis aſſertum, p. 139. A. C.
Pulli coruorum cur ad Deum clament, p. 644. B.

R

Ratio ſeu mens hominis comparatur monti, p. 130. B.
Ratio dari non poteſt cur Deus ſic aut ſic agat, p. 416. C.
Reſurrectionis fides vnde poſſit colligi, p. 110. B.
Quomodo fieri poſſit, p. 351. A.
Et quibus, p. 391. B. & 469. C.
Rex cur dicatur lucerna, p. 595. B.
רדו *redou* deſcendite, quid notet, p. 360. B.
Rex & ſummus Sacerdos fratres ſint, cur, p. 596. A.
Rex quis dicatur eſſe Dei, p. 401. B.
Quonam oleo vngeretur, Ibid. C.
Rex, aut potens quilibet, quomodo ſuis multis copijs ſaluari non poſſit, & ſuo aut alieno robore; quomodo poſſit dici miſer, p. 186.
Reges Gentium Cedris, montibus, &c. paſſim in ſacra Scriptura comparantur, p. 125. B.
& quare Cedris Libani, p. 126. A.
Item rapidis fluminibus, p. 421. A.
Non ſimiles Dauidi, p. 554. B.
Regis cuiuſdam ſumma nequitia, p. 361. C.
Ros, cur Regem, &c. denotet, p. 597. A.

S

Sabbati dies melior eſt Deo alijs diebus, p. 115. C.
Eſt Dei beneficium erga homines, de eius tempore matutino & veſpertino, p. 116. A.
Sacerdotis ſummi vnctio quâ parte & figurâ fieret, p. 596. C.

Sanhedrin ſeu ſynedrium magnum quid eſſet & vnde dictum, p.160. C.
Sacrificia cur voueantur Deo reddenda, p. 276. B.
Ea in quibus comburebantur pecudes, quid hominibus faciendum indicent, p. 232. B.
Sacrificia, cur & quandonam inſtituta, & quomodo appellatum ſit quodlibet eorum, p. 183. B.
Sacrificia quis ritè non offerat, p. 224. C.
Sanctus quis ſit dicendus, ſeu pius, p. 19. B. & 62. C. & 149. A.
Sapiens qua de re lætari debeat, p. 83. C.
Sapientia diuitijs præſtantior, p. 85. A.
Sapientia & alij habitus quibus & quot vijs poſſint acquiri, p. 546. C.
Seruus Dei quis dicendus, p. 70. B.
Serui Dei dicuntur qui eius causâ ſunt occiſi, p. 356. C.
Septenarius numerus magnum indicat numerum, p. 51. C.
Serui Dei ſunt ſapientes, qui præ alijs Deum laudare tenētur, p.519. B.
Senes cur dicantur omnes ſapientes, p. 477. C.
Scientiam & ſapientiam acquirere volens, priùs debet Dei timorem comparare, & cur, p. 514 & 515. A.
Scientiæ naturalis vtilitas; & quæ ſciētia ſeu notitia veritatis, p. 111. A.
Si particula quo ſenſu in iuramentis poſita, p. 429. C.
Silentium & ſilere varia ſignificant, p. 19. C.
Solis calor quàm vtilis mundo, p 81. A.
Eiuſdem reuolutio, Ibidem.
Eiuſdem & ſtellarum virtus & commoda pro terræ incolis, p. 604. C.
Statuta quid ſint, & cur non explicata, p. 82. C.
Stellæ cœlis affixæ, p. 8. C. Poteſtatem habent in res inferiores, maximè in plantas; earum etiam vtilitas, p. 328. C. & p. 329. A.
An poſſint omnes numerari, p. 642. C. & 643. A.
Stulti quinam ſint, & qua in re differant ab illis ſapientes, p. 217 A.
Superbia quantum ſit malum, & vnde, p. 86. B.

T

Templum Ieroſolymitanum primum, quibus & quot rebus ſecundum ſuperauerit, p.380. A. C.
Ab eius tecto arcebantur corui & aues aliæ, & quî, p. 374. B.
Terra, quomodo ſit permanſura in æternum, p. 558. B.
Quàm exigua reſpectu cœli, p. 33 C.
Terra viuentium quid ſignificet, p. 120. A.
Et cur hoc de terra Iſraël dicatur, p. 528. C.
Terræ Iſraël laus vnde, & aër eius qualis, 187. A.
Cur illam Deus abſtulerit Chananeis, & Iſraëlitis dederit, p. 513. B.
Eſt in medio mundi, Ieruſalem in eius medio, &c. p. 592. A.
Teſtimonia Dei cur fidelia dicantur & præſtare ſapientiam; quid denotent, p. 82. B. & 83. A.
Timor Dei cur cum præceptis referatur, quis perfectus, quis purus & impurus; cur permanens in æternum dicatur, p. 82. C. & 84. A.
Ducit ad amorem, & quinam Deum timeant, p. 99. B.
Timor Dei quid ſit; ſcientijs debet eſſe vt baſis & ante illas haberi, p. 514. A.
Traditionis ſeu Cabbalæ certitudo major eſt notitiâ ſenſuum & intellectus, p. 547. B.
Tubarum clangor cur fieret initio an-

ni, p. 365. A.

V

VErba viri boni cur ſimilia folijs immarceſſilibus arboris, p 5. B.
Verba, venite, veni, & ſimilia ſignificant exhortationem aliquando, p. 283. & 428. A.
Verba praua cur ſimilia prunis iuniperorum, p. 570. B.
Verbi cum ſuo nomine conjunctio quid notet, p. 631. B.
Vir bonus cur arbori, ſemper viridi ſimilis, p. 5. B.
Viæ Dei ſeu attributa quid ſint, & quomodo vocentur & vſurpentur à Cabbaliſtis, p. 453. C.
Vita futuri ſeculi quibus rebus comparetur, p. 67. A.
Vita præſens labori deſtinata, futura mercedi, p. 180. C.
Vitæ præſentis dies cur mali, p. 216. B.
Vita corporis à quo pendeat, & extinguatur, p. 445. B.
Vocalium ſeu punctorum hebraïcorum quinam ſint inuentores, p. 266. C.
Vota, cur iuramento firmentur, p. 58. B.
Vota Deo nuncupata, ſunt ſoluenda, p. 224. B.
Votum quis prior emiſerit, p. 592. B.
Vxor pudica quiſſe gerat; cur ſimilis viti, & filij eius cur oleæ plantulis ſimiles, p. 584.
Viduas, pupillos & aduenas cur ſæpe Lex commendet, p. 641. A.

INDEX VOCUM HEBRAICARUM
quæ hîc explicantur.

אף, pagina 167. *A.* & 317. *C.*
אלהים, p. 18. *C.*
אל, p. 188. *B.*
אגרה, p. 530. *A.*
ארץ, p. 105. *B.* & 399. *B.*
גול, p. 267. *B.*
דרך, p. 2. *D.*
ז litera, p. 257. *D.* & 277. *D.* & 278. *B.*
זמרה, p. 116. *A.*
חלכה, p. 45. *A.*
חצרים, Ibidem.
חטאה, p. 111. *C.*
חלף, p. 408. *B.*
חסין, p. 397. *B.* & 398. *A.*
ידה, p. 393. C. & 397. C.
ינדה, p. 326. C.
יונקורת, p. 361. *B.*
ישב, p. 39. C.
כ, p. 616. *B.* & 367. *A.*
כי, p. 268. *A.*
ל, p. 39. *A.*
לחם, p. 188. *C.*
לין, p. 1. C.
לשד, p. 138. C.
מוץ, p. 6. *A.*
משך, p. 580. *A.*
נערץ, p. 397. *B.*
נפץ, p. 11. *A.*
שד, p. 39. *A.*
עולה, p. 355. *B.*
עקב, p. 86. *A.*
עסק, p. 267. *B.*
צפור, p. 374. *B.*
קנא, p. 486. C.
רגש, p. 8. *B.*
רקיע, p. 80. *A.*
רשע, p. 2. *B.*

, שלש p. 360. *B.*
, שורר p. 23. *B.* & 418. *B.*
, תבל p. 105. *B.* & 399 *B.*
, תוך p. 241. *B.* & 313. *C.*

EMENDANDA IN LATINIS.

PAginâ 17. lig. 17. lege *witſoubb.* Ibid. l. 18. leg. *menatſeabb.* Pag. 21. l. 4. leg. precem Pag. 29. l. 32 adde iſto, poſt, in. Pag. 36. l. 15. leg. agnos. Pag. 35. l. 15. leg. quas. Ibid. l. 22 leg. corporea. Ibid. l. 29. leg. vitreo. Pag. 52. l. 30. leg. hæc. Pag. 43. l. 18. leg. vt non. Pag. 44. l. 26. leg. retis. Pag. 48. l. 2. leg. bis *oicuan.* Pag. 86. l. 7. leg. ab. Pag. 96. l. 36. leg. circumcinxerunt. Pag. 107. l. 30. leg. apertio. Pag. 157. l. 31. leg. opulentos. Ibid. l. 34. leg. opulentis. Pag. 166. l. 28. leg. vaiſſa. Pag. 176. l. 42. leg. dolores. Pag. 188. l. 1. leg. ſeipſum. Pag. 209. l. 2. leg terram. Pag. 223. l. 32. leg. ſunt Pag. 227 l. 28. leg mex. Pag 238. l. 11. leg. appellantur. Pag. 254. l. 14. leg. expergiſcere. Pag. 256. l. 11. leg per vrbem. Pag. 267. l. 21. leg. ipſi. Pag. 279. l. 32. leg. bouis. Pag. 294. l. 27. leg. vox. Pag. 309. l. 12. leg. abſumendos. Ibid. l. 15. leg. eduxiſti Pag. 315. l 12. leg. vbi, pro vt. Pag. 354. l. 33. leg. iuſſit. Pag. 382 l. 33. leg. gloriabatur. Pag. 383. l. 31. leg. Neque Pag. 385. l. 14. leg. Ieroſolymis. Pag. 599. l. vlt. leg. Abrahamo. Pag 501. l. 37. leg quamquam. Pag 513. lig. 5. leg. ſuam. Pag. 518. l. 20 leg. ſuis. Pag. 520. l. 30. leg. naturas. Pag. 547. l 31. leg. vllas. Pag. 581. l. 21 leg. illud. Pag. 620. l. 25. leg. per eius. Pag. 627. l. 17. leg. es. Pag 641. l. 16. poſt, iucundum ſupple, punctum & virgulam.

In Hebraicis.

PAgina 4. lineâ 34. lege .תפלים Pag. 9. l. 26. leg. .דבר Pag. 25. l. 31. leg. .אמללים Pag. 48. l. 2. leg. .אריביר Pag. 61. l. 33. leg. .יוסף Pag. 73. l. 36. leg. .רב Pag. 105. l. 37. leg. .דפמיא Pag. 149. l. 3. leg. .יראו Pag. 203. l. 23. leg. .איפה Pag. 259. l. 4. leg. .בחצותו Pag. 278. l. 23. leg. .תשקקה Pag. 352. l. 21. leg. .שקופים Pag. 506. l. 14 leg. .ושמרו Pag. 634. l. 25. leg. .נפלה

Cætera emendabit eruditi Lectoris prudentia.

SVMMA PRIVILEGII.

PRIVILEGIO Chriſtianiſſimi Regis Ludouici XIV. dato 23. Februar. anno 1660. cautum eſt ne vllus Typographus, aut Bibliopola, ſeu quiuis alius audeat vel præſumat libros ad vſum Congregationis Sancti Mauri pertinentes, & cæteros generatim ab aliquo è Religioſis eiuſdem Congregationis editos vel edendos, intra regni & dominiorum ſuæ Majeſtati ſubditorum fines cudere, recudere, vel aliò cudendos mittere, aut alibi impreſſos adducere, vendere ac diſtrahere clam ſeu palam intra nouennium à die finitæ impreſſionis cuiuſlibet libri computandum, citra conſenſum, facultatem ac teſtimonium Superioris Generalis ac Religioſorum eiuſdem Congregationis, indicta etiam delinquentibus grauiſſima mulctâ, quæ omnia in Regijs Literis fuſiùs continentur.

Relatæ ſunt Priuilegij huius Literæ in Librum publicum Bibliopolarum ac Typographorum Pariſienſium, iuxta Curiæ Areſtum 8. April. anni 1653. Actum Pariſijs 3. Martij, anno 1660. *Signatum* GEORGIVS IOSSE, Syndicus.

Idem R. P. Superior Generalis ius ſuum tranſcripſit Ludouico Billaine Bibliopolæ Pariſienſi, adhoc vt iuxta Priuilegij ſupradicti tenorem, *Commentarios Rabbi Dauid Kimhhi in Pſalmos Dauidis ex Hebræo latinè datos, Interprete D. Ambroſio Ianuier, eiuſdem Congregationis Monacho*, cudendos curare, excuſoſque diſtrahere liberè poſſit: prout conſtat ex literis conceſſionis eiuſdem, R. P Superioris Generalis, datis die 11. Auguſti, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo. Signat.

F. BERNARDVS AVDEBERT.

FINIS.